BIBLIOTECA NAZ
Vittorio Emanuele III
LV
G
25
NAPOLI

LV
G
25

W. 116. 147



HABES IN HOC VOLVMINE AMICE LECTOR.

ÆLII ANTONII NEBRISSENSIS RERVM A FERNANDO & Eliſabe Hiſpaniarũ fœliciſſimis Regibus geſtarũ Decades duas.

Necnõ belli Nauarienſis libros duos. Annexa inſuper Archiepĩ RODERICI Chronica, aliiſq; hiſtoriis antehac non excuſſis.

CVM IMPERIALI PRIVILEGIO.
Ne quis alius excudat aut vendat

ANNO. M. D. XLV.

PHILIPPO AVGVSTO HISPANIARVM PRINCIPI CAROLI Cæſaris Quinti filio Xanthus Nebriſſenſis. S.

ETSI CATHOLICORVM REGVM hiſtoriam a patre meo conſcriptam, multorum etiam efflagitationibus reluctatus, hactenus typis excudere diſtuleram, tamen cum nullum commodius tempus, nullaque felicior occaſio ad id exequendum ſe offerre poſſet, quam quod te Principe, tuis auſpicijs, tuoque nomine in lucem ederetur, non amplius cunctandum exiſtimaui, quin quod alijs optatiſſimum & parenti meo maxime honorificum videbatur, tuo nomini ſacratum emitterem. Neque vero Celſitudini tuæ magis conſentaneum quicquam eſſe duxerim, quam ſi librum hunc, quo Proauorum tuorum monumenta velut in ſacrario repoſita continentur, tuendum fouendumque ſuſcipias, certe Proauis ipſis tuis nihil gratius, quam ſi identidem & euoluas, & legas. Etenim ſi Reges ipſos & Principes (dum a negociorum tumultu vacare datur) interim philoſophari non dedecet, imo hæc etiam res eorum dignitatem maxime commendat, profecto partem illam, quæ in geſtis fortium virorum narrandis verſatur, quam hiſtoriam dicimus, Principum eruditioni vtiliorem, & reliquæ philoſophiæ anteponendam eſſe, plærique ſapientes cenſuerunt. Quis enim dubitat ad res optimas exequendas, vehementius exemplis quam rationibus animum excitari? Quod ſi virorum illuſtrium res fortiter geſtæ legentem vel incendunt, vel confirmant, quanto Celſitudinis tuæ animus ad ea legenda, quæ maiores tui cum tanta vniuerſi orbis Chriſtiani admiratione fecerunt, alacrior eſt futurus? Nullum tibi melius, nullum efficacius exemplar ob oculos proponi, nullum vehementius claſſicum canere poterit ad animum excitandum, quam rerum a Proauis tuis geſtarum vel lectio, vel recordatio. Fecerunt illi quidem, vt poſteris ſuis regnorum hęreditatem cum multarum vrbium, & prouinciarum (quas ab hoſtium tyrannide vindicarunt) acceſſione propagarent, vt pacatam rempublicam optimis & inſtitutis & legibus ornatam relinquerent, illud tamen Celſitudini tuæ & felicius & glorioſius exiſtimandum eſt, ſi cum regnorum ſucceſſione, virtutem quoque, qua hæc omnia effecerunt, quaſi hereditario iure poſſeſſam retineas. Quorum ſi vitam & acta conſideres, ampliorem tibi ad imitandum virtutum congeriem quam ad imperandum regnorum ditionem relictam inuenies. In quo enim Regum ſic pariter viguiſſe admirabimur, in negociorum difficultate conſtantiam, in rerum anguſtia magnanimitatem, in neceſſitate conſilium, in dubijs prudentiam, in aduerſis fortitudinem, in proſperis modeſtiam, in prælijs induſtriam, in victoria clementiam, in pace æquitatem, in omnibus denique inuictum animum? Adde etiam illud quo cęteris omnibus pręſtiterunt, quod eximiam fortitudinem cum egregia pietate copularunt. Nulla enim vnquam bella ſuſceperunt, in quibus non magis reipublicę vtilitati, atque Chriſtianæ religionis, cuius amantiſſimi obſeruantiſſimique fuerunt, decori, quam ſuis priuatis commodis conſuluiſſe viſi ſunt. Et ego quidem hæc breuiter non perſtrinxiſſe, in tantorum Regum commendatione non potui, vt animo meo morem gererem, cui diutius in eo-

rum laudibus immorari iucundius foret. Tantorum igitur Principum res geſtas, Pater meus ipſius Fernandi iuſſu & autoritate dum litteris mandare vellet, perpetuam ſeriem a princio regni ad exitum vſq; vitæ contexere, per temporis breuitatem non potuit. Extremo enim fere tempore Fernandi Regis, quo bellum Nauarienſe cœptum eſt, hiſtoriam ſcribere aggreſſus, quæ deinceps geſta ſunt, continuo ductu abſoluit, reliqua autem dum a principio repetere, & cum his coniungere feſtinaret, morte præuentus imperfecta & aliquot locis interrupta reliquit. Quę ego nõ aliunde ſupplere aut reſarcire auſus ſum, ſed eo modo, quo ab eo ſcripta inueni, edenda curaui. Atque vt iuſti voluminis modus impleretur, libros duos, quorum alter autorem ſuum præfert, alter ignorat, quod germanæ materiæ, nimirum Hiſpanæ hiſtoriæ eſſent, adiunxi. Accipe igitur Princeps Auguſte tuorum Proauorum hiſtoriam, & offerentis animum in primis intuere, quorum enim geſta non ſine ſuauitate maxima ab omnibus audiuntur, hęc patris mei ſcriptis contenta, dum tui nominis autoritate præmuniuntur, & auidius multo legentur, & cum honore maximo, quem a te maioribus tuis deferri par eſt, exibunt in lucem. Vale. Ex officina noſtra literaria apud inclytam Granatam. Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quinto, calendis Decembris.

AD PHILIPPVM HISPANIArum Principem carmen.

Philippe non uno quidem, ſed omnibus
Per digne regnis, qui fit, ut
Obliuione liuida Hiſpanorum honos
Impune carpatur latens?
Et nocte longa huc uſq; preſſus, lumine
Caruerit? an quod defuit
Noſtris ſua olim laus, uel ampli nominis
Celebritas? an quod mari,
Terraq; non res geſſerint perennibus
Chartis reponendas? ut nihil
Tale obſtãt, ut ne addamur aſtris & polo.
Nam ſine laude uirium,
Seu Marte proſpero uetuſta ſecula
Certent, ferremus protinus
Primas, nec ulla gloriæ amplitudine
Cedemus externis locis.
Sed quando ſcriptorum elegantium manu,
Vatumq; caruimus ſonis,
Taciturnitas noſtris meritis diu obſtitit:
Idem ſuperbæ Romuli
Factura proli, ut, quod egiſſet, modo
Chartæ fideles proderent.

IN NEBRISSENSIS LAVDEM.

Pertulit & multos æſtus, & frigora multa,
Abſtinuit ſomno ſæpe, ciboq; libens,
Conderet vt mira nobis has Antonius arte,
Fernandi hiſtorias Eliſabeſque ſimul.
Quam natura negat, certam poſt funera vitam,
Credidit æterno nomine poſſe dari.
Et tu hunc miraris tantos ſubijſſe labores?
Fecit id optatæ poſteritatis amor.

ÆLII ANTONII NEBRIS-
SENSIS EX GRAMMATICO ET RHETO-
re Hiſtoriographi Regij ad Clariſſ. Hiſpaniarũ atq; vtriuſq;
Siciliæ inſularumq; maris noſtri moderatorem
Ferdinandum diuinatio in ſcribenda
hiſtoria incipitur.

NON POSSVM NON MAGNIFACE-
re tuum de me iudicium clariſſime Princeps, quod ex tanta
doctiſſimorum virorum copia, qui per omne ditionis tuæ
imperium diffuſi ſunt, me potiſſimum delegeris, cui immor
talia tua geſta latino ſermone deſcribenda mãdares. Vereor
tamen, ne hoc tuo delectu habendo tale aliquid tibi euenerit:
quale Alexandro Macedonum Regi. Ille nãq;, vt ſcis, poſt Alexan-
ſuperatam omnẽ Aſiam & Aegyptũ magni cognomẽ ade-
ptus edicto publice vetuit, ne quiſq; ex coloribus imaginem ſuam pingeret, niſi Apel- Apelles
les. Nemo ex typis æream duceret, niſi Lyſippus. Nemo in anulorum vſus gemmis Lyſipp
inſcalperet, niſi Pyrgoteles: cum eſſent illi tres quiſq; in ſua arte eminentiſſimus. Hoc Pyrgot les.
nimirum famigeratus ille vir faciebat ſapientiſſime, ne quiſquã opifex artis imperitia
quicquam ex vera facie deprauaret. Quod ſi fuiſſet Alexander tam ſolers in nominã
dis autoribus, qui literis mandarent res ab eo geſtas & victorias, quibus totum prope
orbem terrarum illuſtrauit, quam fuit in deligendis artificibus, qui lineamenta & cor-
poris ductus effingerent, nihil profecto in tanto Principe deſideraretur, quod ad ſum-
mam hominis conditionem pertineret. Sed quando ita fit, vt nihil vnquam natura
omni ex parte abſoluerit (tanquam cæteris non ſit habitura, ſi vni cuncta conceſſerit)
ille, cui neq; ingeniũ, neq; doctrina, ſed neq; rerũ vſus defuit in cunctis artibus, q̃ ſunt
homine libero dignę, vna tantũ in re legitur fuiſſe deceptus. Ex tãta nãq; poetarum, hi-
ſtoricorum, oratorumq; copia, quibus tunc abundabat Gręcia, vnũ Chœrilum dele Chœrilus
git, qui res a ſe geſtas carmine deſcriberet, cum eſſet omniũ ſui tẽporis poeta ineptiſſi-
mus, inuitans etiã illum ꝓpoſita laboris mercede ꝓ ſingulis verſibus aureo Philippo
magni põderis moneta, quã pater Philippus percuti iuſſerat. Hęc ſunt a me clariſſime
Rex tã multis repetita, nõ quo velim me Apelli cõparare ad depingẽdos fortunæ tuę
ſucceſſus incredibiles, non Lyſippo ad experimẽdas ingenij tui dotes innumeras, nõ
Pyrgoteli ad ſcalpẽdas figẽdaſq; poſteritatis memoriæ animi tui virtutes. Nõ cõme
moro nũc illas, q̃ ſub fortunę dominio poſitę ſunt, potẽtia, victoria, felicitas, in quibus
nemo te fuit ſuperior. Nõ illas, q̃ ſunt hominis ꝓprię, qua homo eſt, tẽperantia, forti-
tudo, mãſuetudo, liberalitas, comitas, in quibus etiã priuatos excellis. Sed illas, quę ſunt
Regum proprię, magnificentia, magnitudo animi, clęmẽtia, iuſtitia, ſeueritas, grauitas,
in cunctos mortales beneficentia, rerum omniũ ſub fortuna poſitarum contemptus.
Quod vero celſitudo tua me præ cęteris delegerit, cuius humeris tantam rerũ molem
imponeres, non deerunt, qui exiſtiment, te nõ minori fuiſſe in errore, quam fuerit Ale-
xander, cum nemo ſit, qui non iudicet me multo eſſe Chœrilo inferiorem, quippe qui
fuerit poſteritatis iudicio poeta non contẽnendus. Sed Alexandrum in tanta doctiſſi
morum virorum multitudine, qui tempeſtate illa floruerunt, non delegiſſe optimum, Oneſicri- tus.
quis nõ poſſit iure reprehẽdere? Tu vero Princeps inuictiſſime, quos habebas One- Clitarch9.
ſicritos, quos Calliſthenes, quos Clitarchos, quos Ariſtobulos, quos Ptolemęos, quos Ariſtobu lus.
alios complures viros eruditiſſimos itineris tui comites; vt in deligendo hiſtoriogra- Ptolemę9

A iij

pho nõ ſacilis eſſet iſta deliberatio. Sed quod apud nos huiuſmodi viri non facile re
periuntur, in Italiã puto eundum fuit, vt Angelus Politianus, vt Picus Mirandula, vt
Hermolaus Barbarus, aut ex ijs, qui ſupſunt, vt Antonius Flaminius, vt Aldus Ro
manus inde acciſcerẽtur. Nõ tamẽ opinor ſatis tuto peregrinis hoĩbus hiſtorię fides
cõcrederetur, Italis maxime nullius rei magis q̃ glorię auaris. Inuidẽt nobis laudem,
indignantur quod illis imperitemus, coniurarunt inter ſe oẽs odiſſe peregrinos, noſq́;
Cato. Barbaros opicoſq́; vocãtes infami appellatione fœdãt. Quodq́; M.C. ad filium de
Græcis ſcribẽs, poſſumus & nos de Italis dicere, quãdocũq́; gẽs iſta nobis lr̃as dabit,
Quinti lianus. oĩa corrũpet. An qui latinæ linguæ alterũ lumẽ Quintilianũ, qui Silium Italicum,
Silius. quos Hiſpanos fuiſſe conſtat, qui alios cõplures, nõ veriti legem Fanniã de plagiarijs
extorquere conãtur, pure ac ſyncere Hiſpanarũ rerũ hiſtoriã proſequẽtur? Quid?
q̊d res noſtrę nõ minus ignotę ſunt illis, quã nobis Italicę, atq́; vt eſt in adagio illo vul
gari, Multo callidior eſt inſipiẽs domi ſuæ, quã ſapiens alienæ. Sed eſto æquo illis ac
nobis res Hiſpaniæ ſint notæ, vtri magis ex animo res ipſas ſcribẽt, illi, qui ſimulatæ
cuiuſdã libertatis amore Regiũ nomẽ odere, regumq́; imperia detrectãt, an nos, q ſine
Regibus degere neſcimus, qui religioſe Reges ſalutare cõſueuimus, de quorũ ſalute nõ
minus quã de noſtra ſoliciti ſumus, quos nõ minori obſeruãtia colimus q̃ ducem ſuũ
Horatius. apiculæ? Et quoniã, vt inquit poeta, vitijs nemo ſine naſcit̃, optimuſq́; ille eſt, qui mini
mis vrgetur, vter vitia mitiorẽ in partẽ nominabit, qui diligit, an qui negligit? Pater
Apelles. qui ſtrabonẽ filiũ amat, pętum vocat, varum eũ, qui ſit vatia ſiue compernis. Apelles
Antigon⁹ ille nũquã ſatis in arte pingẽdi laudatus cũ Antigoni Regis imaginẽ pingeret, qui al
tero lumine orbat⁹ erat, catagraphrã, id eſt, obliquã fecit, vt q̇d corpori deerat, picturæ
potius deeſſe videretur, tãtumq́; ab honeſtiori parte oſtẽdit, cum poſſet totã oſtẽdere.
Erit itaq́; hiſtoria tanquã pictura, pulchra extollet, turpia, ſi tolerabilia ſunt, diſſimula
Horatius. bit, ſi latere nõ poſſunt, mitiori vocabulo nominabit, fallatq́; potius vitiũ ſpecie virtu
tis & vmbra, quam is, qui ſit fortis, a timido vocetur audax, ab audaci timidus. Atqui
dicet quiſpiã, prima hiſtoriæ virtus eſt, vt vera narret. Sit ita ſane, ſed ſi paululum eſt a
veritate declinandũ, q͞a nõ eſt cuiuſq́; mediũ aſſequi, tutius atq́; magis ingenuũ in fauo
rabiliorẽ partẽ declinare. Quãdo igitur ab Italia his rationibus excludimur, forſan ex
Pãnonia, aut ex Germania, aut ex Gallia ſuppetias implorabim⁹? Quid? ſi apud natio
nes illas nõ minus literatorũ hominũ penuria eſt, q̃ in Hiſpania? Quid igitur in tanta
rerũ difficultate faciendũ fuit? Nimirũ, vt ſi optimi nõ poſſunt, eligãtur tolerabiles aut
minus mali. Hæc forſan cauſa te Princeps ſapiẽtiſſime in mediocris lr̃aturæ hoĩem
impegit. Qui ſi nõ ſumus ex prima claſſe, poſſumus tamẽ in ſecũda cẽſeri, & ſi nõ poſ
ſumus magnitudinẽ rerũ geſtarũ ſtylo exæquare, at certe conabimur, vt imbecillitatẽ
noſtrã atq́; ingenij paruitatẽ ſtudio ac diligentia cõpẽſemus. Et ſi latinas lr̃as in Latio
Strabo. nõ didicimus, nec in Sarmatia quidẽ, ſed in Bætica, quæ, vt inquit Strabo, prima oĩm
Hiſpanorꝝ ſe in Romanos rit⁹ & linguã trãſformauit. Et ſi Romanũ ſermonẽ Romæ
nõ didicimus, nec Lilybæi quidẽ, ſed Bononiæ, vrbe ſcilicet oĩm bonarũ artiũ altrice.
columella Neq́; adeo a muſarũ fonte aborrem⁹, vt nõ ſimus corriuales Columellæ, Canio, Silio,
Canius. Helnæ, duobus Senecis, vnicoq́; Lucano, alijſq́; poetis Cordubenſibus, q̃uis ſcribat
Silius. Cicero pingue quiddã illos & peregrinũ ſonare. Quid? q̇d his in reb⁹, q̃s ſcripturi ſu
Helna. mus, aut ipſi interfuim⁹, cũ gererẽt̃, aut ab ijs, q interfuerũt accepim⁹: & q̃ſi diuinarẽ ſo
re, vt aliquando hanc operã nauaturus eſſem, ita oĩa inquirebã, oĩa explorabã, oĩa nota
bam. Vale Princeps clemẽtiſſime, quo ſoſpite nunq̃ res Hiſpana detrimentũ patiet̃.
Ex municipio Cõplutenſi ad idus Aprilis. Anno ſalutis Chriſtianę. M. D. IX.

ÆLII ANTONII NEBRIS-SENSIS EX GRAMMATICO ET RHETORE

historiographi Regij ad beneuolum candidumq; lectorē, vt Ferdinādi et Eliſabes Principū auſpicijs praeclare res geſtas legat exhortatio.

NVLLVM FVIT TEMPVS CANDIDE LE-
ctor, in quo res Hiſpanę ab idoneis ſcriptoribus magis illu-
ſtrari cuperēt, q̄ illud in quo nr̄a reſp. Ferdinādo & Eliſabe
Principibus adminiſtrata eſt. Nunq; enim ad ętatem nr̄am
Hiſpania finitimis, nūq̄ lōginquis nationib⁹ arma circūtulit,
quin potius ↄ̄diuerſo ſemp̄ exterarū gentiū p̄da fuit. Atq; vt
a cataclyſmo illo ingenti exordiamur, in q̄ tot⁹ orbis terrarū
aquis obrut⁹ eſt, ac p̄ter illas octo aīas, q̄s lr̄ae ſacrę cōmemo
rant, omne mortale genus intercidit. Iubal ſiue Tubal, nā de noīe inter autores nō ſatis Iubal.
cōſtat, primus in Hiſpaniā venit miſſus a Noa, quē Beroſus Chaldaeus Ianū patrē in- Beroſus.
terp̄tat̄, ſub quo diluuies illa fuit memorabilis. Is Iubal regnare orſus eſt in Hiſpania
anno poſt diluuiū circiter cētesimo quinquageſimo, ante ſalutē vero Chriſtianā ſupra
bis milleſimo cēteſimo ſeptuageſimo, regnauitq; annos centū qnquaginta quattuor, cu
ius anno centeſimo ſextodecimo ipſe Noa venit in Hiſpaniā, vbi duas vrbes condidit Noa.
Noelā & Noegā, priorē in Gallicia, q̄ ex noīe nurus ſuę Iapeti vxoris cognomīauit,
alterā in Aſturibus dictam ex noīe alterius ſuae nurus Chami vxoris. Iubali ſucceſſit
Iberus, ex cui⁹ noīe dicta putat̄ Iberia atq; Iberus amnis. Cui rurſus Iubalda, a q̄ mōs Iberus.
Iubeda cognoīatus, q poſtea dictus eſt Aucēns ſupra Burgos. xxx. millia paſſuū, in Iubalda.
quo ſedē regni ſui fixiſſe autor eſt Beroſus. Atq; ita deīceps ex eadē familia Reges alij
ſucceſſerūt, de quib⁹ alibi diſſeremus, & quo ordine apud Celuberos rerū potiti ſūt.
Curetes p̄terea Iouis educatores Gargoro Duce ex Creta ī Iberiā venere, q Tarteſſiō Curetes.
ſaltu occupato. iiij. millibus paſſuū a Calpe Tarteſſi, q̄ poſtea cognoīata eſt Carteia,
regnauerūt, vnde totā ꝓuinciā moderati ſunt. Eo in ſaltu bellū cōtra gigātes p ea tēpo Gigantes.
ra geſtū eſt, qd', queādmodum poetae dicūt, poſtea in Theſſalia fuit finitū. Gargoro Gargorus
deinde ſucceſſit Abydus ex filia nepos, atq; deīceps alij Reges ex eadē familia, donec ad Abydus.
Argāthoniū vētū eſt, quē regnaſſe annos. lxxx. vixiſſe autē. cl. autores ſūt Anacreō, Argātho-
Herodotus, Strabo, & ex Latinis Cicero, Valerius, Plinius alijq; cōplures. Ante exci- nius.
diū Troię annos prope. cc. quo tēpore Iſraeliticū populū iudicabat Debora cū Bara
cho, qui fuit ante ſalutē Chriſtianā annus milleſimus circiter quadringēteſimus, Dio- Dionyſi⁹.
nyſius, q & liber pater eſt cognoīatus, cū exercitu in Hiſpaniā venit, nō tam dn̄ationis
cupiditate, q̄ vt parē gloriam reportaret ei, quā ex ſupata India retulerat. Itaq; victor
nullū aliud ſui aduētus apud nos veſtigiū reliquit, q̄ qd' in Bętica inter ęſtuaria Baetis
fluminis Nebriſſā patriā meā cōdidit, quodq; ex Lyſia itineris ſui comite ac ſocio Ly Nebriſſa.
ſitaniā appellauit, atq; vt in alijs multis ypſilo verſo in. u. vocalē poſtea cognoīata eſt
Luſitania. Eodē p̄terea tēpore Zacynthij & ipſi q̄q; Herculis comites ex Zacyntho Zacyn-
maris Ionij inſula nō ꝓcul a Cephalonia, quā ſup̱ioribus annis exercitus nr̄ expugna thij.
uit, Hiſpaniā petiere, q Sagūto vrbe cōdita, Dianę, quā ex patria ſecū aduexerāt, tēplū
inſigne cōſtruxerūt. Cuius religiōe induct⁹ Hannibal cū oppidū expugnaretur, iuſſit
parci & tēplo & ijs, qui ſe in tēplū receperāt, autor eſt Plinius, q etiā addit, adhuc ſuo
tēpore duraſſe trabes ex iunipero, qbus tēpli cōtignatio erat cōtexta. Poſt Liberū pa
trē annos ꝓpe cētū ſub tēpus Gedeonis iudicis Iſrael Hercules, qcūq; tādē ille fuerit, Hercules.
Hiſpaniā illuſtrauit, q ſupato Gerione victor in patriā redijt, Ceretanis vię ſuę comi- Ceretani.

Pyrene. tibus relictis,qui Pyrenæi mõtis radices incoluerunt. Nam qđ de Pyrene nympha
ab Hercule cõpreſſa Silius Italicus ꝓdit,tanq̃ fabulã Plinius excludit. Illa vero q̃ de
Cacus. Caco ſiue Caio mõte,& de Hiſpano,Liberia Pyrroq; dicunt,a nugiuẽdo quodam fa-
Hiſpanus. bulatore conficta ſunt. Troia euerſa ex Græcorꝫ reliquijs cõplures eodẽ q̊q; tẽpore
Diomedes. in Hiſpaniam nauigarũt,atq; in primis Diomedes Tydei Aetolorũ Regis filius, qui
poſt excidiũ Troię cũ cõperiſſet Aegialam vxorẽ a Cilleboro Stheneli filio adultera
Tydeus. tã,ꝑ pudore in Italiã migrauit,cõditaq; in Appulia vrbe Argirippa,atq; inde in Hi-
ſpaniam ꝓuectus Tyden in Gallicia vrbẽ ex noĩe Tydei patris ſui dictam fundauit,
populoſq; inter Minium & Lethen fluuios rexit,q̊s noĩe corrupto ꝓ Graijs,hoc eſt,
Teucer. Gręcis.u.lr̃a interiecta Grauios dixerunt. Sub idem q̊q; tẽpus Teucer Telamonis fi-
Telamon. lius atq; Aiacis frater,q̊s pater ad bellũ Troianũ miſerat ea lege, vt alter ſine altero nõ
rediret,mortuo Aiace cũ a pr̃e in patriã nõ reciperet̃,in Cyprũ nauigauit,vbi Salami-
ne vrbe cõdita in Hiſpaniã ꝓuectus, Carthaginẽ nouã,q̃ & Spartaria cognominata
eſt,a fundamẽtis excitauit,quã poſtea Haſdrubal Carthaginẽſiũ Dux reſtituit. Teucri
Hellen. etiã comites Hellen & Amphilochus in Galliciã inde ꝓfecti duo cõdiderunt oppida
Amphilochus. ex ſuis noĩbus appellata. Vlyſſes p̃terea in decẽnali illo ſuo errore Hiſpaniæ exterio-
Vlyſſes. res luſtrauit oras, vbi Olyſſiponem vrbẽ ex ſuo noĩe cognominatã fundauit,atq; ibi
Mineruę,quã peculiariter colebat,tẽplũ erexit. Autor eſt Aſclepiades Myrleanus, q
in Turdetania prouincia Bæticę litterarij ludi magiſter fuit. Is monumenta q̃dam de
Vlyſſis errore ĩ tẽplo illo ſe vidiſſe cõmemorat,parmas ſuſpẽſas & apluſtra,roſtraq;
Aſtur. naualia. Per idẽ tẽp⁹,queadmodũ ſcribit Sili⁹ Italicus,Aſtur auriga Mẽnonis,quẽ Ti-
ton⁹ ex Auriga genuit,in Hiſpaniã q̊q; nauib⁹ eſt appulſus, vbi Aſturicę vrbi a ſe cõ-
Iberes. ditę atq; Aſturib⁹ nomẽ ex ſuo noĩe cõmunicauit. In eadẽ q̊q; Hiſpaniã Iberes Aſię
populos Albanis Colchiſq; finitimos veniſſe,autor eſt. M. Varro. Sũt tamẽ qui di-
cãt nr̃os in Aſiaticã Iberiã penetraſſe, qđ eſt cõſentaneũ ei,quod in parte ſuperiori de
Phœnices. Ibero Rege ſcripſimus,vt in dubio relinquat̃,vtri populi alteris nomẽ indiderint. Ex
Aſia q̊q; in Hiſpaniã nauigauere phœnices octingẽtis annis ante Chriſtianã ſalutem,
quo tẽpore maris imperio potiti ſũt. Cauſa vero huc nauigãdi fuit merciũ ꝑmutãdarũ
ratio auri maxime & argenti & æris,q̃ ex incendio Pyrenæi montis fluxiſſe,autor eſt
Diodor⁹ Siculus. Cõdiderũt etiã in ea nauigatiõe vrbes quam plurimas,in inſulis Hi-
ſpaniæ adiacẽtibus vtraſq; Baleares,hoc eſt maiorẽ minorẽq;,vtrãq; Pityuſam,id eſt,
Ebuſum & Ophiuſam, & in Oceano exteriori Gades Herculis cognominatas. In cõ-
tinenti q̊q; in nr̃i maris ora Mellariã,Malacã,Hexos,Abderã. Ex Phocide inter Atti-
cam & Bœoticã regiõe penetrauerũt in Hiſpaniã Græci, vrbẽq; in collimitio Bęticæ
& Tarraconenſis prouinciæ fundauerunt Caſtulonem ex nomine Caſtalij fontis in
mõte Parnaſſo,a quo muſę Caſtalides cognominatę ſunt. Ex eadem vrbe Hannibal
Græci. vxorẽ duxit Himilcẽ,ex q̃ natus eſt illi Aſpar in obſidiõe Segũti. Maſſilienſes etiã a
Maſſilienſes. Phocẽſibus oriũdi Emporias Indigetorꝫ vrbẽ,& a qua nõ lõge Rhodij Rhodẽ,cõdi-
Rhodij. derũt. Lacedęmonij q̊q; Laconimurgos & Laconiũ in Bætica & alterũ Laconiũ in
Lacedæmonij. Luſitania poſuere. Venere p̃terea varijs tẽporibus Perſę,Maſſagetes,Sarmatę,Celtę,
Perſę. qui ꝑ omnẽ Hiſpaniam oppida cõplura excitarũt. Annos circiter terecẽtos ante Chri-
Maſſagetæ. ſtianam ſalutem Gaditani cum terra mariq; florerent,atq; illorum potentia inuidio-
Sarmatæ. ſa foret,a finitimis bello laceſſiti ſuppetias a Carthaginenſibus petierunt,qui non mo-
Celtæ. Gaditani. do conſanguineis ſupplicibus opitulati ſunt, ſed & Hiſpanis bellum intulere. Quo
Carthaginienſ. deinceps cum validiori exercitu Barcam deinde Hamilcarem Duces ſuos miſerunt.
Hic per annos nouem magnis rebus geſtis in inſidias ab hoſtibus illectus occiditur.

In huius locũ Haſdrubal gener eſt ſubſtitut⁹, q et ipſe octo annis omnẽ Hiſpaniã uſq;
ad Iberũ amnẽ Carthaginẽſiũ dicioni ſubegit, et fœdus cũ Romanis renouauit, vt Ibe- Haſdrubal.
rus finis eſſet vtriuſq; ĩperij, Sagũtinis, qui ĩ parte Carthaginẽſiũ erãt, exceptus, ꝓpte-
rea q̃d eo tẽpore in ſocietatẽ Romanorũ fuerãt recepti. Sed et Haſdrubal a ſeruo, q vt
mortẽ dñi vlciſcerẽt, occiſus eſt. In eius locũ Hãnibal Hamilcaris filius Impator ab Hãnibal.
exercitu ſalutatus ſuccedit, qui Sagũto expugnata, q̃d reliquũ fuerat Romanorũ ſuo
Impio adiecit. Circa ipſa belli Punici ſecũdi initia. Cn. & P. Scipiões ĩ Hiſpaniã cum Cne. Scipio.
exercitu a Romanis miſſi primo aduẽtu magnã ꝓuinciæ partẽ ĩ ſtudia parteſq; Ro- P. Scipio
manorũ flexere. Sed illis occiſis cũ oĩa eſſent ĩcerta, nemoq; ĩueniret, qui ſuccedere il- pater.
lis vellet. P. Scipio. P. Scipiõis nuꝑ occiſi filius, qui poſtea Aphricanus eſt cognomi-
natus, Imperiũ ſibi depopoſcit, atq; ĩ Hiſpaniã ꝓfectus excluſis Carthaginẽſibus vni- P. Scipio
uerſã populo Romano reſtituit. Atq; ita ſub Romanorũ dñatiõe fuit ad Gothorũ, filius.
Vãdalorũ, Alanorũq; tẽpora ãnos ꝓpemodũ ſexcẽtos. Hos Roderico vltimo Go-
thorũ Rege fugarũt, atq; Hiſpaniarũ poſſeſſiõe ſpoliauere Pœni Mauriq;, qui totã Rodericus Rex.
fere aut magna ex parte ꝑ ãnos circiẽ ſeptĩgẽtos quĩquagĩta tenuere, q̃ ad noſtra æta-
te ductu atq; auſpicijs optimorũ Principũ Ferdinãdi et Eliſabes pulſi ſunt, atq; Hiſpa-
nia tota ſibi ipſi reſtituta eſt. Q̃d vero Plato ĩ eo dialogo, qui Timæus inſcribiẽ, atq; Plato.
iterũ in volumine, q̃d de bello Atlãtico ſcribit, Atlãtes ex Erythæa inſula Hiſpaniæ
adiacẽti per Galliã Italiãq; cũ magno exercitu oĩa populãtes ĩuaſiſſe Athenas, atq; tã-
dẽ ab Atheniẽſibus fuſos deletoſq;, totũ hoc cõmẽtitiũ videri poteſt, quãq̃ Plato, nõ
vt fabulã, ſed quaſi verã hiſtoriam ſe narrare teſteẽ. Nam neq; q̃ ſit Erythęa ĩſula Ga-
dibus cõtigua ego video, neq; alios Atlantes noui, niſi qui ſunt ĩ Aphricæ cõtinenti.
Niſi forte, q̃d refert Plinius, in totũ abſtulit terras mare, q̃d nunc Atlanticũ diciẽ. Il-
lud p̃terea q̃d in hiſtoria, quam vocant gñralẽ, vulgo legitur, veniſſe in Hiſpaniam
neſcio quos Almonides, nemo arbitror dicet mihi, qui ſint illi, aut quid egerint, aut
quo poſtea cõceſſerit. Quinpotius auſim affirmare, nũq̃ fuiſſe tale gen⁹ hominũ, ſed
totum fuiſſe confictum ab aliquo fabularum concinnatore. Niſi forte quiſquam ve-
lit dicere ſumptum eſſe illud ex Ouidio, qui in quintodecimo tranſmutationum vo-
lumine ſcribit Micilum Alemonidem ex Græcia in Italiam penetraſſe, ibiq; Cro-
tonem vrbem condidiſſe, licereque hiſtorico atque poetæ, vndecumque accepta ma-
teria ſuum opus contexere. Nam quod Diodorus Siculus ſcribit accolas Sicoris
fluminis Hiſpani, qui agrum Ilerdenſem rigat, veniſſe in Siciliam, atque ex ſuo flu-
mine Sicaniæ nomẽ illi indidiſſe, cui Seruius quoq; grammaticus aſtipulatur, quid?
ſi magis credi oporteat Solino & Martiano, qui a Sicano Rege ante belli Troiani tem-
pora eo nauiganti, vt regnaret, dictam fuiſſe putant? Sed eſto Hiſpani Sicoris acco-
læ venerint in Siciliam, hæc erit rara auis in terris, nigroque ſimillima cigno, quemad-
modum ab hinc annos ducentos aut non multo amplius Tarraconenſes ad Imperi-
um eo acciti ſunt, & ab hinc duo de ſeptuaginta Alphonſus eorundem Rex fortuna-
tiſſimus huius noſtri Ferdinandi Regis patruus Neapolitanorum atque Appulorũ
regno potitus eſt. Sed vnde obſecro tanta ignauia noſtrorum animos occupauit, vt
per tot annorum volumina non modo non laceſſierint bello exteras nationes, ſed neq;
ſe ipſos ab hoſtium incurſu tutati ſint. Quo minus ignoſcendum nobis eſt, quod non
arma, non equi, non commeatus, non reliqua belli inſtrumenta, non deniq; animus
ad propulſandas atq; etiam ad inferẽdas iniurias deeſt. Quid? quod ea eſt regiõis na-
tura, vt ab omni latere munita ſit, hinc mari noſtro, illinc Atlantico atq; Britannico,
atque vbi continẽti adnectitur, arduis præruptiſq; mõtibus inacceſſibilis. Hiſpaniæ,

inq̈t Florus, nunquā anim⁹ fuit aduerſum Romanos vniuerſæ cōſurgere, nūquā inferre vires ſuas libuit, neq; libertatē ſuā tueri publice, alioq ita vndiq; mari Pyrenęoq; vallata eſt, vt īgenio ſit⁹ nec adiri qdē potuerit. Sed ātea a Romanis obſeſſa eſt, quā ſe ipſa cognoſceret, & ſola oīm ꝓuinciarū vires ſuas, poſteaq̄ victa eſt, ītellexit. Hæc Flor⁹. Vñ igiť tā graui torpere paſſa eſt ſua regna veterno? An qa gētes extremę aut ſoli malignitate, aut finiū āguſtia laborātes cū nouas ſibi q̄rerēt ſedes, audita cęli clęmētia atq; terræ fertilitate eo ſe cōtulerūt, cū e diuerſo indigenę oīm rerū copia affluētes nullā haberēt cauſam, q̄ illos cogeret patriā deſerere? An qa cæteræ natiōes quantūuis liberæ Ducib⁹ ſuis ī bello haud grauate obtēperāt, facillimeq; ſub diſciplina militari cōtinent? Ex q̄ fit, vt milites neq; tā crebros cōmeatus perāt, neq; ſint aut emāſores, aut ſtationū ſuarū deſertores. At Hiſpanis ea eſt animi peruicacia, vt neq; cupiditate alijs īperitādi, neq; cōmunis libertatis defendēdæ cauſa, neq; vitę dulcedine perſuaſi alteri quā Regi ſuo parere velīt. Quare euocati nō facile cōueniūt, coactiq; diu perſtare nequnt. An qa cæli vertigine īpulſuq; ſyderū ab Ortu ad Occaſū lege quadā fatali regna trāſmutanť? idq; expimēto haud dubio videm⁹, q̄d cū ex paradiſo voluptatis, q ad Oriētem Solē a Deo plātat⁹ eſt, primi parētes egreſſi gen⁹ hominū ꝓpagaſſent, prima monarchia ī Aſſyrios, & ab Aſſyrijs ī Medos, & a Medis ī Perſas, & a Perſis in Macedones, & a Macedonib⁹ ī Romanos, & a Romanis ī Gallos Germanoſq; cū cæli cōuerſiōe trāſlata eſt. Nūc vero qs eſt, q nō intelligat, quamq̄ titul⁹ īperij ſit ī Germania, rē tñ ipſā eſſe penes Hiſpanos prīcipes, q Italiæ magnæ partis atq; maris noſtri inſularū dñi iam moliūtur bella ī Aphricam tranſmittere, atq; miſſis claſſib⁹ cæli motū ſecuti iā ꝑtingūt īſulas Indorū populis adiacētes. Neq; eo cōtēti alteri⁹ orbis magna parte explorata parū abeſt, vt Hiſpaniæ atq; Aphricæ finis occidu⁹ cū orbis terrarū frōte Oriētali adiūgatur. Sed vt ad noſtri ſermonis exordiū redeam⁹, vides amice Lector, quātæ ſe nobis res deſcribēdæ offerāt, nō mō bella, q̄ fuerūt neceſſaria ad ſtabiliēda Regnorū fundamēta cū Luſitanis, vt Hiſpaniæ darēť vnū caput, cū Pœnis et Gallis ad cōſuēdos reſarciēdoſq; ſin⁹, q fuerāt auulſi, cū Italis ad augēdas Imperij vires, cū Indorū īſulanis, ad ꝓpagādā Chriſtiani nōis religionē. Quid illa domeſtica? repurgaſſe religionē, vīdicaſſe reip. vectigalia, hoc eſt, regale patrimoniū, ius ſuum cuiq; reddidiſſe. Vides inq̄ quā lōge lateq; pateat rerū ſcribēdarū cāpus vt quāquam natura neget, ipſa tamen materiæ amplitudo, indulgentiſſimiq; Principis noſtri fauor ingenij vires per quā exiguas excitare poſſit.

Ael. Antonij Nebriſſ. hiſtoriographi excuſatoria p̄fatio, in qua enumerat difficultates, q̄ ſcriptorē rerū geſtarū tā Hiſpanarū quā Hiſpaniēſiū ex locorū pſonarūq; et aliarū rerū tēporis noſtri nominibus cōſequūtur.

SCripturo mihi res Hiſpanas atq; Hiſpaniēſes, q̄ Ferdinandi atq; Eliſabes Prīcipū auſpicijs geſtæ ſunt, ingēs q̄dam ſylua occurſat, īmenſumq; aperiť op⁹, & q̄d ab vni⁹ hominis ītegra ætate ꝑfici nō poſſit, nedū ab homine p̄cipiti iā ſenio cōfecto. Et quāquā ſunt multa, q̄ mētis meę aciē pſtringūt, nihil tñ eſt, q̄d me magis a ſcribēdo deterreat, q̄ locorū atq; hoim ꝓpria noīa, quę maiori ex parte vſq; adeo ſunt aſpa & dura, vt nullo cultu moliri, nulla diligentia poſſint māſueſcere. Acceſſit altera nō minor difficultas ī nominādis latine publicis Magiſtratibus, cum in plæriſq; alia ſit noſtro tempore forma reip. quā ea quæ

❡ Hoc in loco in Nebriſſenſis autographis deſideratur folium, quod ab improbo aliquo ſuffuratum non dubito.

ſiſſima omnium fœminarum atq; proinde omni immortalitate digniſſima huius nominis tertia Hiſpaniarũ Regina. Franciſcus Noianus in Sicilia Cephaleditanus Epiſcopus et Antonius Geraldinus Apoſtolicæ ſedis logotheta viri pãgẽdis carminibus omniũq;, qui apud nos peregrinati ſunt (Petrũ martyrẽ meũ ſemp excipio) eruditiſſimi, atq; ingenio propemodũ ſingulari, in epigrãmatis ad eandẽ Reginã ſcriptis Eliſabetã vocobãt, quã appellationẽ ipſa non diſſimulãter auerſabatur. Baptiſta Mantuanus adhuc licentius alludens ad nomẽ Didus Eliſam dixit adiecto Bellę cognomẽto. Alij ex Euãgelio cognominẽ Zachariæ vxori Eliſabet vocitabãt. Quid ſi nos non Eliſabet, nõ forma declinabili extẽſiõe vnius ſyllabę Eliſabetã, nõ Eliſam Bellã, nõ corrupto nomine Iſabelã, ſed Eliſaben cũ doctiſſimorũ virorũ vſu ex declinatione gręca dixerimus. Nã cũ ſit hæc vox origine Hebraica, eius literatura ex Hebręo fonte petenda eſt. Duas omnino huius nominis fœminas in ſacra ſcriptura legimus, alteram in veteri teſtamento filiam Aminadab atq; Aaron ſacerdotis vxorẽ, alterã ex qua, vt Euãgeliſta ſcribit, Zacharias Ioannem Baptiſtã genuit, quæ prioris illius Eliſabes quaſi gentilis nomen referebat, cum præſertim fuerit ex eadem familia. Vxor inquit Zachariæ fuit de filiabus Aaron, & nomẽ eius Eliſabe. Sic enim debere ſcribi, & nõ per. t. exile, vt græci, vel per. th. aſpiratum in fine, vt Latini ſcribunt, ex Hebraica literatura manifeſtum eſt. Interpretaturq; Dei mei iuramentum, ſiue Dei mei ſeptima, ſiue Dei mei ſaturitas. Sabe nãq; per. ſin. ſcriptum iuramentum ſiue ſeptem ſignificat, per. ſame. vero abundantiã, ex Hieronymo, Remigio, Samuele Talmudiſta, omnibuſq; Hebræis. Vñ tamẽ ſiue. t. exile, ſiue. th. aſpiratũ in hoc nomine irrepſerit, alibi diſputauimus. Nos vero interim cum plæriſq; viris doctiſſimis Eliſabe accẽtu in penultima accuto eademq; breui ex græcorum regula proferemus, quæ etiam ſi ſit breuis, ex græcorum regula vltima exiſtẽte longa non patitur accentum in tertiam a finẽ ſyllabam transferri.

Tertia difficultas a Magiſtratibus.

TERTIA difficultas acceſſit a nominibus Principum Magiſtratumq; & officiorum, ex eo quod apud antiquiores aliæ fuerunt rerump. formę, quam ſint noſtro ſęculo, atq; proinde alij Magiſtratus, cũ pręſertim ex ariſtocratia Romannrũ latinę appellationes in regiam gubernationem ſint transferendę. Sed ſunt quędam nomina latina, quę ex ęquo Hiſpanis reſpondent, vt Regi, Rei: Duci, Duque: Comiti, Conde. Quędam, cum ſint multa, atq; proinde videantur eſſe diuerſa, in idem tamen recidunt, vt qui Regum temporibus fuit Tribunus celerum, ſub Conſulibus fuit Magiſter equitũ, ſub Imperatoribus Pręfectus pretorio, is Magiſtratus a noſtris dicitur Capitan dela guarda, cũ alioqui Pręfectus pretorio ſit prouocationũ Iudex. E diuerſo idẽ nomẽ aliquãdo varijs accõmodat̃ officijs, vt Pręſes ei, qui pręſidio tenet arcẽ, Alcaide vero Punico vocabulo Hiſpani vocãt, et ei, qui Vrbẽ ſiue Caſtellum, ſiue montium iuga, vel fauces, ſiue locum aliũ armis tuetur, Capitan de guarniciõ vulgo dicitur. Qui pretetea Hiſpane dicitur Corregidor, ſi vrbẽ ſiue municipiũ p̃ſidio tenet, p̃ſes eſt, ſi rẽ fiſci agit Procurator, ſi tantũ iuridicũdo p̃eſt, p̃tor, ſi vice regis fungit̃, ꝓcõſul. Sũt etiã vocabula, quibꝰ nihil in altera gubernatiõe reſpõdet, vt ei, quod eſt Dictator ſiue Cęſor apud Romanos, nihil reſpondet apud nos, et ei, q̃d eſt apud nos Marques aut Almirãte, nihil reſpondet apud Romanos. Quare in huiuſmodi rebus noĩa fingenda ſunt, vt illum appellemus Marchionẽ quaſi a Marcha, hũc

claſſis præfectũ, aut ſi te magis Græca delectãt, Nauarchũ ſiue Architalaſſum dicere licebit. Nam Archimarinus, quo aliqui vtuntur, neq̃ græce neq̃ latine diceretur, cũ nullũ ſit nomẽ, quod ex duobus peregrinis cõponatur. Atq̃ idẽ de alijs rebus eſt faciendũ, quæ non cõſtant natura, ſed hominũ arbitrio cotidie immutãtur. Ex hoc genere ſunt veſtes, arma, naues, vaſa, inſtrumẽta, machinæ. Trecentũ aut nõ multo plures anni ſunt, ex quo inuentũ eſt hoc tormẽti genus, quam vocant bombardã, & in eo genere multæ diuerſitates. Sed cũ res nuper inuẽtas nõ poſſis latine dicere, fingenda ſunt nomina, vt quod vir quidã doctus nimis audacter de oſtia Tiberina dixit. Tunſa iacet bombis ardentibus oſtia. &c. Alij ſulphurarias aut nitrarias machinas, aut aliquid tale fingere auſi ſunt. Nam ſclopetra, quod a ſono dicatur, hoc eſt, ab ſpiritu illo ſonoro, qui ex buccarũ perflatarũ cõpreſſu erũpit, haud dubiũ eſt. Cũ ſit igitur a nobis omniũ, quæ ſcripturi ſumus, reddẽda ratio, illarũ maxime, quę poſſunt lectorum vel auditorũ aures offendere, viſum eſt, ãteaquã rẽ ipſam aggrediamur, cauſas attingere, cur in eiuſmodi nominibus præter aliorũ cõmunẽ vſum tãta licẽtia vſi ſimus: ne ſit nobis neceſſe, in medio operis curſu in hæc, tametſi nõ penitꝰ aliena, diuertere. Atq̃ imprimis de ijs, quæ ad locorũ rationẽ, hoc eſt, ad coſmographiã pertinent.

Deſcriptio totius Hiſpaniæ.

HISPANIA ab omnibus lateribus pelago abluitur, niſi quatenus ab Oriẽte, qua eſt anguſtior, aquarũ diuortijs Pyrenæi mõtis a Gallia diſtinguitur. Is a Veneris tẽplo, quod eſt Promõtoriũ prope Illiberros, initiũ capit: inde in ipſam Hiſpaniã, hoc eſt, in Caurũ ventũ incũbens porrigitur, definit in ora Septẽtrionalis Oceani ad Oeaſonẽ. Vnde ipſius Hiſpaniæ Septẽtrionale incipit latus, tẽditq̃ in Zephyrũ, id eſt, Occaſum æquinoctialẽ per Vaſconũ, Cantabrorũ, Aſtorũ, Callaicorũq̃ littora, terminaturq̃ in Nerio Artabrorũ Promõtorio. Ab eo latus Occidẽtale inchoatur, rectaq̃ in Auſtrũ per Callaicã, Luſitanãq̃ orã ad ſacrũ Promõtoriũ tenditur, deinde per Bæticæ littora hyemalẽ ortũ verſus ad fretũ Herculeũ contrahitur. Inter Calpen Hiſpaniæ & Abilã Aphricæ Promõtoria Oceanus ab occaſu influit terras, quæ ante Herculẽ, quemadmodũ eſt in fabulis, fuerant cõtinentes. Atq̃ ita nouo Noſtri maris nomine Hiſpaniã a lęua, a dextra Mauritaniã Tingitanã relinquẽs, ortũ æquinoctialẽ, & quo ulterius procedit, magiſq̃ Europam vndis obruens, dum ſe per Bæticæ atq̃ Tarraconẽſis prouinciæ orã Meridionalẽ explicat, Hiſpaniam cõtrahit ad Promõtoriũ ſiue tẽplũ Veneris, vnde paulo ante illã fecimus exordium capere. Atq̃ in hũc modũ lõgior quã fuerit eius latitudo, & iuxta Pyrenæũ nõ modo cõfini Galliæ, ſed anguſtior ſe ipſa, quemadmodũ inquit Strabo, exhibet nobis imaginẽ pellis vaccinę in ſolo explicatæ. Interiora Hiſpanię in tres partes diuidũtur, in Bæticã, Luſitaniã, Tarraconẽſemq̃. Hæc citerior, illæ ambę vno nomine Hiſpania vlterior vocitantur. Bætica a Septẽtriõe terminatur Ana fluuio. Ab occaſu Atlantico Oceano, qui interiacet Anæ oſtiũ fretumq̃ Herculeũ. A Meridie mari Noſtro, quod eſt inter fretũ & Charidemi Promõtoriũ. Ab oriente vero terminatũ linea, quæ protenditur a Promontorio eodem per Caſtulonem, cuius veſtigia hodie monſtrantur, quindecim millibus paſſuũ Occidentẽ æquinoctialẽ verſus a Biatia, deinde recta ad fluuiũ Anã, vbi eſt oppidũ, quod Oretania vetus cognominatur. Luſitania a Septẽtrione terminatur amne Duria, ab ipſius oſtio, qua erũpit in Oceanũ Atlanticũ flumine aduerſo, ad pontẽ, qui eſt e regione ad Septimancas. Ab occaſu terminatur

pelago Atlantico, quod eſt inter Duriæ atq; Anæ fluuium. A Meridie habet latus, quod diximus a Septētrione Bæticā habere. Ab Oriente terminatur linea recta, quę ducitur ab Oretania veteri ad pōtem Duriæ, qui nunc eſt cōtra Septimancas. Quod reliquū eſt Hiſpanię cōplectitur prouincia Tarraconēſis, q̄ habet terminos a Septentrione Oceanum Britannicum, ab Ocaſone ad Nerium ſiue Artabrorum promontorium. Ab Occaſu littus, quod eſt inter idē promōtoriū & Duriæ oſtiū in Atlantico Oceano, & latera oriētalia, quę diximus Bæticā & Luſitaniā habere. A Meridie terminatur latere, quod a Septētrione dedimus Luſitaniæ, & noſtri maris ora, quæ eſt inter Charidemi promōtorium & Veneris templum. Ab oriente habet Pyrenęos montes, quibus diximus Hiſpaniam a Gallia diſterminari. Ex ijs, quę dicta ſunt, conuincitur error illorum, qui eam, quæ noſtro ſæculo Portugallia dicitur, Luſitaniā appellant: cum Luſitania latius pateat, quippe quæ complectatur Caurium, Caſtra cecilia, Caſtra iulia, Placentiā, Abilam, Salmanticam & eam, quæ nunc Ciuitas Roderici nuncupatur. Atq; e diuerſo pars illa Tarraconenſis prouinciæ, quæ interiacet Duriam & Limiam, qui alio nomine Lethes quoq; vocatur, Portugallenſium Regi cōtributa eſt, quem tamen in hiſtoria Luſitanorum Regem nominauimus, ita tamen vt per totum eius potiſſimam partem intelligamus. Eadem præterea ratione, qui nomine corrupto nuncupatur Aragoniæ Rex, Tarraconenſium Regem ſemper in hiſtoria diximus, cū alioqui Tarraconēſis ꝓuincia præter Bæticam & Luſitaniam omne quod reliquum eſt Hiſpaniæ contineat, apud antiquiſſimos tamē Romanos Tarraconēſis tantum vocabatur portio illa breuis, q̄ citra Iberum amnem erat, dicta a Tarracone eiuſdē regionis vrbe nobiliſſima. Neq; ſunt audiendi, qui furore quodam Bellonę perciti diuināt, aut illa q̄ ſomniarūt, dicunt ſe pro cōperto habere, quod Aragonia dicta ſit ab Arago neſcio quo flumine appellato ſic ex eo, quod Hercules, quo tēpore in Hiſpaniā venit, ad ripas eius amnis aras erexit, ad quas egit pecudes ſacrificaturus: itaq; dictus Arago ab ara & agendo, vnde ſit poſtea ductum Aragoniæ nomē. Hæc ſpecioſa dictu ſunt, ſi autore aliquo vel mediocri defendi poſſent. Quę vulgo nunc Andaluzia, Gothorū temporibus a Vandalis habitatoribus Vandalia nuncupata, ea putatur eſſe quę fuerit apud Græcos & Romanos Bætica, & nos totā Bęticam Vandalia cōtineri dicimus, ſed nō idcirco tota Bætica eſt Vandalia. Nam Murgi, Menteſa, Vbeta, Biatia Tarraconenſi prouincię cedunt, q̄ tamen ſub Vandalia cōprehenduntur. Portio illa quoq; Bęticę, q̄ protenditur inter Anam fluuiū mōteſq; Marianos, q̄ Magiſtratibus diui Iacobi & Traiano ponti contributa eſt, a nemine in Vandalia cōnumeratur. Quare & nos non oīa dabimus antiquitati, ſed neq; ſemper incertū vulgus ſequemur, fugiemus tamē, quoad fieri poterit, barbaras appellationes, ſequemurq; voces ſermoni latino vſitatas, etiā ſi tātundē nō valeant. Itaq; Portugallenſiū Regem Luſitanorū potius appellabimus, & Aragonenſiū Regem potius Tarraconenſiū, & Nauariorū potius Vaſconum, & Caſtellanorū potius Hiſpanorū, nō ignorantes Luſitaniā & Tarraconēſem & Vaſconiā latius patere. Apud antiquiſſimos ſub Hiſpaniæ nomine continebatur Narbonenſis prouincia Neumaſium vſq; & Auenionem, deinde ſub Romanis principibus cōtracti ſunt fines ad Pyrenęum. Atq; iterum Gothi Reges ad terminos illam priſcos extēderunt. Vnde & in concilijs, quæ ſub Gothorum principibus in Hiſpania ſunt habita, Narbonenſes & Beſſenſes & Carcaſſenſes & Carpentoractenſes & Helenenſes & Beterrenſes Epiſcopi nomina ſua in decretis ſubſcripſerunt.

De montibus Hiſpaniæ.

DE MONTIBVS ET FLVMINIBVS HISPANIAE.

INTER Hiſpaniæ montes Pyrenęi altitudine cæteros excedunt, cognominati, vt Silius Italicus in primo Punicorũ volumine ſcribit, a Pyrene nympha Bebrycis Indigenę principis filia, quam Hercules illac traijciens violato iure hoſpicij vitiauit. Aut ſi quis non admittit poetarum fabulas, quẽadmodum Plinius, qui tertio libro naturalis hiſtoriæ ſcribit totum illud de Pyrene fabuloſum eſſe, credat Diodoro Siculo: qui libro bibliotheces prodit, dictos Pyrenæos eſſe a pyr vocabulo græco, quod latine vertitur ignis, quo mõtes illi diu cõflagrarũt. Hi, ſicut in ſuperioribus dictum eſt, poſteaꝗ̃ a templo Veneris ad Oeaſonẽ diſterminarũt Gallias ab Hiſpania, per Cantabros & Auſtures maritimos porrecti occidẽtẽ æquinoctialẽ verſus in Gallicia tandẽ euaneſcunt. Iidem præterea mõtes ab ortu ſolis in occaſum porrigunt brachium per mediam Hiſpaniæ longitudinem paribus interuallis ad eos, quos diximus ꝓtendi per oram maritimã ab Oeaſone in Galliciam. Hoc Pyrenęi brachiũ diſtinguit Hiſpanos, vt hi vocentur Citramõtani, illi vero vltramõtani, terminaturque ad in ora Luſitaniæ occidentali. Eſt & Iubeda mõs, quẽ Saliũ aucenſem hodie vocant, ab Auca vrbe antiquiſſima vnde incipit, cuius veſtigia cũ nomĩe adhuc viſunť iuxta Villã francam oppidũ ſupra Burgos circiter viginti paſſuũ millia. Dictus eſt autẽ hic mõs Iubeda a Iubalda Iberi Regis filio, qui a Beroſo Chaldeo ibidẽ regnaſſe tradiť. Hic mõs ab Auca ꝓtendiť meridiẽ verſus æque diſtanter Pyrenęis mõtibꝰ, arcens Iberũ amnẽ ne fluat in occaſum, quo cætera Hiſpaniæ flumina maiora influãt in mare occidẽtale. Mons quoq; Oroſpeda initiũ capit nõ longe a noua Carthagine, tenditq; in occaſum per nr̃i maris oram maritimam tangẽs Illiberos, Malacam, Arũdam. deficitq; tandẽ in Atlantici maris ora cõtra Herculis Gades. Mariani mõtes incipiunt a Tygenſi ſaltu, porriguntur q; occaſum verſus per mediã Bæticam, euaneſcuntq; in mari Atlantico. Hos Ptolemæus corrupto nomine Temerianos vocat pro Marianis. Sunt & alij complures Hiſpaniæ montes, ſed vt brachia ſiue articuli ſuperiorum quatuor ſunt, aut per ſe colles potius dicendi, quam montes.

De maximis fluminibus Hiſpaniæ.

FLVMINA quemadmodũ & mõtes crebro memoranť in hiſtorijs, ꝓpterea qđ ſunt a natura poſita ꝗ̃ſi fines regionũ æterni, ꝑ quos in cognitionẽ multarũ rerũ ꝑueniemꝰ. Quare viſum eſt de amnibus Hiſpaniæ, qui maxime principes ſunt, aliquid delibare, & imprimis de ꝗ̃ Lucanus. Qui ferit heſperiã poſt oĩa flumina Bætis. Hic ortus in Saltu Tygẽſi nõ lõge a Caſtaone fluit in occaſũ, atq; ab Andugaro Bęticã mediã ſecat, & ꝓuincię nomẽ imponẽs, eiꝰ vrbes nobiliſſimas Cordubã, Italicã, Romuleãq; quõdã Hiſpalim vocitatã ꝑterlabiť. Hæc a pœnis deinde Iſpilia, & a barbaris poſtea inuerſis lr̃is prioribus, &. p. in. b. mutata Sibilia dicta, nũc Seuilla nominať. Tandẽq; ꝑ vnũ oſtium exit in mare iuxta municipiũ quod Luciferi tẽplũ ab antiquis dicebatur. Olim hic fluuius duo habuit oſtia, quorum alterũ, quod erat meridionalius, oblimatum eſt cum alueo eodem pertendente a Nebriſſa per Aſtam coloniam ad Turrim Capionis. Ex quibus facile ſoluitur illa dubitatio, quæ ſolet harũ rerum curioſos mouere, & meipſum plerũq; ambiguum reddidit: cum Strabone, Ptolemęo, Mella, Plinio omnibus coſmographis autoribus Nebriſſa & Aſta colonia inter ęſtuaria Bętis poſitæ ſint, qui potuit fieri, vt hodie nõ paucioribus quã octonis paſſuũ millibus a flumine diſtẽť? Nimirũ, quia vt ſtatim dixi, alueus ille, q Nebriſſam & Aſtã

præterfluebat, oblimatus eſt, ſic tamen, vt illius veſtigia hodie viſantur cum æſtuariis atq; diorygibus manu factis, vt inquit Strabo, ad exportandas ſchaphis & lintribus fruges ex agris in vicinas vrbes. Sed quemadmodum a Bæti fluuio Bætica nomen accepit, ita ab Ibero amne vniuerſa Iberia cognominata eſt, qui vnus ex omnibus Hiſpaniæ fluminibus in Auſtros defluit, cum reliqui omnes ab ortu in Occaſum delabantur. Cuius rei cauſa altius mihi nunc repetenda eſt. Per medium totius orbis cogniti ab ortu Solis ad occaſum porriguntur excelſi montes, quaſi dorſum quoddam terræ, ex quo omnia prope flumina oriuntur partim ad Septētrionē, partim ad Meridiem. Hi montes, dum per Indias tendūt, appellātur Caucaſus, cū per ſyrias, Taurus, cum per Ciliciam, Amanus. Tum duo porrigit brachia, alterū per Iſthmon interiacētem ſinum Arabicum atq; mare Noſtrum, deinde per mediam Aphricā procurrens vſq; ad ✠ maris Atlántici Promontorium. Alterum præterea brachium porrigit per montes incognitos, qui iunguntur montibus, qui diuidunt Thraciam a Macedonia, qui deinceps reſpondent alpibus Italiæ, a quibus per omnem longitudinem ſurgūt in Apœninum. Tum per Cemenos mōtes medias Gallias pertendens applicātur Pyrenæo, a quo, quemadmodum paulo ante diximus, porriguntur montes, qui Hiſpaniam diuidunt per mediam longitudinem, deſinuntq; in ora maris Atlantici iuxta ✠ Luſitaniæ oppidum. Cum itaque omnes fluuij capitales ex cauſa ſuperius tradita partim in Septentrionem, partim in Meridiē delabantur, ſola Hiſpaniæ flumina fluunt ab ortu Solis ad Occaſum, euntq; recta in Atlanticum pelagus, præter Iberum amnem, qui, vt diximus, a Septentrione labitur in Auſtrum, ab Iubeda mōte ꝓhibitus ire Occaſum verſus. Anas igitur in agro Laminitano prouinciæ Tarraconenſis ortus nunc ſe in terræ cuniculos mergēs, nunc in ſtagna refundens, quemadmodum paulo ſuperius dictum eſt, ab Oretania veteri ſecundo flumine Bæticam a Luſitania diſterminat, præterlabiturq; Ceciliam Gemellinā, Emeritā, Pacemq; Auguſtam Luſitaniæ vrbes præclaras, factoque flexu anteaquam in Atlanticum pelagus exeat, per duo oſtia nō procul a ✠ effunditur. Tagus in Celtiberia Tarraconenſis regione ortus Carpetaniam ſecat, deinde Talabricam præterfluit, & aponte, quē nunc Archiepiſcopi vocant, Luſitaniam diuidit mediam, atq; non longe ab Olyſſipone in Atlanticum erumpit Oceanum. Hic a Poëtis aureas arenas in mare tradit̄ voluere, q̊d nō omnino fabuloſum eſt, cū cernam⁹ nūc in eo bracteolas aureas per medias arenas interlucere. Durius amnis oritur in Pelendonibus prouinciȩ Tarraconēſis, fluitq; in Meridiē quoad perueniat Numantiā vrbē Celtiberorū clariſſimā, deinde flectitur Occaſum verſus, præterfluēſq; Cluniēſis cōuētus oppida nobiliſſima a pōte, qui ſitus eſt e regione ad Septimācas, Luſitaniā a Tarraconēſi determinat per Turrē ſellarū, Taurū et Ocelū, tādē exit in Oceanū Atlanticū iuxta vrbē, quā vocāt portū Callaicorū. In Luſitania flumē eſt Munda in eadē ortum, exitq; in Oceanū quoq; Occidētalē. Eſt & in Bætica ciuitas eiuſdē nominis, iuxta quā Cȩſar Pompeij liberos ſuperauit, belliſq; ciuilibus finem impoſuit, quamquam ſunt, qui accipiant vrbem pro fluuio, & fluuium pro vrbe, cum inter flumē & vrbem interſint centum paraſangæ, aut non multo minus. Limiam Galliciæ flumen, quod antiqui Lethen, hoc eſt, obliuionis appellauere, & Minium amnem quoq; inſignem eiuſdem Galliciæ, quem Poëtæ dicunt voluere in Pelagus arenas aureas, id quod de Tago diximus. Et de amnibus Hiſpaniæ magis inſignibus hæc dixiſſe ſufficiat, nunc de regionibus, populis, vrbibuſq; diſſerendum eſt.

ÆLII ANTONII NEBRISSENSIS HISPANARVM RERVM FERDINANDO Rege & Eliſabe Regina geſtarum Primæ Decadis Liber Primus. Præmittit quædam neceſſaria ad ſequentis hiſtoriæ declarationem.

Caput primum.

ENRICVS HVIVS NOMINIS TERtius Hiſpaniarum Rex, qui ex longa valetudine valetudinarius eſt cognominatus: cum obiret diem ſuum: Ioannem bimulum fere puerum: quem ex Catharina filia ducis Ioannis ab Alencaſtro Britanni ſuſceperat: ſub tutela eiuſdem Catharinæ vxoris ac Ferdinandi iunioris natu fratris, heredem regniq; ſucceſſorem ex teſtamento reliquit.

Qui cum ad pubertatis annos perueniſſet: vxorem duxit Mariam patruo atq; tutore ſuo Ferdinando genitam: ex qua Enriquum primogenitum procreauit. Hæc poſtea quam vita functa eſt: alterã ſuperinduxit Eliſaben Ioannæ Ioannis Luſitanorũ Regis filio natã: ex qua duos ſuſcepit liberos, Eliſaben matri cognominem, q̃ poſtea Hiſpanorum auſpicatiſſima Regina fuit, & Alphonſum, qui inter ipſa ſtatim regni exordia morte immatura interceptus eſt. Cum vero inſtitutum nobis ſit Ferdinandi atq; Eliſabes vxoris hiſtoriã Latino ſermone proſequi, pauca de Enriquo & Alphonſo fratribus repetenda ſunt: vt oſtendamus quo iure, vel quo potius numine ad Hiſpanę reipublicæ moderationem peruenerit: & qua via Ferdinandum prouincię Tarraconenſis, atq; inſularum noſtri maris Regem deſignatum coniugio ſortita eſt. Enriquus ab Enriquo illo primo huius nominis quartus Hiſpanorum Rex: Ioanne patre defuncto regni adminiſtrationem iniіt: qui ſub ipſa regnandi initia optimum principem geſſit. Nam & aliquot expeditiones in Mauros Bæticæ inquilinos fecit, & regni populos ciuitatesq; in ſumma tranquillitate continuit. His cum adhuc princeps eſſet, ſic enim vocant Hiſpani filium regis primogenitum, qui omnium procerũ & ciuitatum populorumq; iure iurando futurus Rex deſignatur, Blancham Ioannis Nauariæ atq; deinceps Tarraconenſium Regis filiam duxit vxorem: ſed ab illius nuptijs ſe continuit: ſiue impotentiæ ſuæ conſcius, ſiue ex alia quadam ratione incognita: vnde ingentes ſequutę ſunt querelæ atq; diſſenſiones: altero in alterũ ſterilitatis cauſam reijciente: donec controuerſia ad ſummum Pontificem deuoluta eſt: qui facta partium diſquiſitione, illos ad certum tempus lege coniugali ſoluit. Facto itaque diuortio Enriquus alteram ſuperinduxit Ioannam Eduardi Regis Luſitanorum filiam: ex qua nihilo magis quã ex priore liberos genuit.

Cumq; apud omnes Hiſpanos atq; exteras quoq; nationes conſtaret Regis infœcunditas: idq; multis experimentis virginum corruptarum, natu grandiorum, atq; mulierum etiam vulgo proſtitutarum omnibus teſtatum eſſet, quinto anno poſtea quam conuenerant, Regina pręter omnium ſpem deprehenſa eſt concepiſſe: neq; fuit qui dubitaret illam a quodam ex Regis amicis adulteratam: cuius nomen honoris cauſa etiam nunc tacendum eſſe decreui. Sunt qui opinentur Regem ipſum ex cacozelia per manus, vti aiunt, in manus amico potiundam tradidiſſe. Quæ res cum non ſolum apud regni primores, ſed etiam apud infimæ condicionis homines certo certior eſſet, indignita-

te rei omnes permoti Regem aduerſari, deteſtarique: Reginam vero non diſſimulanter odiſſe:quod virũ tam inſigni macula dedecorauerit. Ipſum uero tanti ſceleris autorem violatæ fidei publicæ atq; proditionis inſimulare. Non defuerunt interea præſules & religioſi atq; ordinis equeſtris boni viri,qui tum ſermone præſentes, tum per literas abſentes Regem hortarentur: ſuaderentq; fœtum illum male ominatum turpiq; ex adulterio conceptum ablegaret aliquo: vbi lateret æternum:atq; eadem via & regis ipſius ignominia dilueretur: & regni pernicioſa illa fax intercideret. At Rex ſecum reputans Reginæ conceptum non poſſe celari:atq; proinde ſi partus cuiuſcumq; alterius nomine exponeretur:magnum dedecus inde ſubeundum: nullam exhortationibus,monitiſq; amicorum reliquit locum:quin potius quicquid Regina peperiſſet:decreuit tollere:atq; pro ſuo educare. Peperit itaq; filiam:cui inditum eſt nomen Ioannæ:quæ multorum poſtea malorum cauſa fuit.

Ioanna Enriqui deſignatur princeps:eaq; abiurata Alphonſus ſubſtituitur; ſalutaturq; Rex,ex partium diſſidio pugnatur,vinciturq; Alphonſus.

Caput. II.

REX cum putaret ſe turpitudini ſuæ quaſi velum quoddam poſſe prætendere:ſi puellam profiteretur ex ſe genitam:ſimul etiam vt ſuæ virilitatis argumentum aliquod relinqueret,ex primoribus regni alios pollicitationibus,quoſdam etiam pręmijs,nonnullos quoq; precibus, complures & minis:cum quibus etiam & ciuitatum municipiorumq; procuratores inducens eo rem deduxit: vt ſuppoſititiã illam recens natam pro vera filia iureiurando principem,regniq; hęredem ex Hiſpanorum conſuetudine deſignarent:id quod eſt Madriti geſtum. Quæ res cum publice tranſigeretur,a plęriſq; tamen ſecreto reclamatum eſt dicentibus ſe iuſto terrore compulſos peieraſſe: propterea quod Regis potentia eſſet illis tunc formidoloſa. Qui non multum poſt tempus conſcientia tanti facinoris adacti,remq; ipſam profeſſi palam a Rege diſciuerunt:miſſis oratoribus qui dicerent illi:ſe nolle ſtare iuri iurando:quod eſſet ab illis extortum,aut nimis aut illicitis pactionibus: quin potius illum per ſuperos, perq; maiorum ſuorum manes & per ipſius regni maieſtatem obteſtabantur: puellam vel ipſo teſte atq; iudice ex fœdo concubitu genitam abdicaret:ablegaretq; aliquo vnde nec nomen ad Hiſpanos vnquam redire poſſet. Petiere inſuper vt Hiſpanæ reipublicæ proſpiceret:ne quid detrimenti pateretur: quod fieri non poſſet facile,niſi Alphonſum fratrem natu minorem declararet principem heredem,regniq; ſucceſſorem. At Rex permotus ſiue conſcientia: quæ valet pro mille teſtibus, ſiue quod verebatur:ne proceres atq; populi niſi id faceret:ſe ab imperio ſubducerẽt,ſiue quod intelligebat vno omnium conſenſu fratrem expeti:qui ſibi ſuccederet,oratoribus reſpondet: quandoquidem iuſta & honeſta petebant:ſe illorum precibus velle acquieſcere:id quod eſt ab eo factum e veſtigio. Nam & Alphonſum fratrem principẽ ſibi ſucceſſorem,regniq; hæredẽ declarauit. Quæ res omnibus omnium ordinũ viris,qui modo erant pacis & quietis amatores,iucundiſſima fuit. Nã ex ea principis,hæredisq; nuncupatione pax Hiſpanæ reipublicæ haud dubie promittebatur.

Cum deinde Rex cœpiſſet omnia ex arbitrio paucorũ agere:quippe qui erant illi voluptatum adminiſtri: idq; regni primores ęgreferrent cum vellent alioqui rerum nouitatem experiri: publica vtilitate neglecta,& quiſq; ſua commoda ſecutus diſſidium fecere, Nam & altera pars Aphonſum principem deſignatum ſalutauit Regem, dicens non

eſſe parendum homini tam molli & effœminato: tamqꝫ rerum gerendarum negligenti & ſecuro: & qui neqꝫ proprio decori parceret, neqꝫ publicæ tranquilitati proſpiceret.

Quare Apium exemplum eum, qui ſit deterior ex duobus Regibus, neci dedendum, ignauumqꝫ fucos pecus a præſepibus arcendum. Altera vero pars Enriquum ſecuta excuſare: quod eſſet Rex: & ab illo quidem vnctus in Regem cuius manu cor regis eſt, & per quem Reges regnant. Quodqꝫ ſi ex ea cauſa Rex eſſet abdicandus, quod male rem gereret, non eſſet tolerabilior illa gubernatio, in qua puer vndecim annorum, cuius ætatis tunc erat Alphonſus: regnaturus erat. Atteſtante ſcriptura ſacra. Væ terrę illi, cuius Rex eſt puer. His ſe vtraqꝫ pars rationibus tuebatur apud multitudinem: re autem vera ſecreto ſua quiſqꝫ commoda ſequebatur. Nec tamen erat animus vtriſqꝫ bello decernendi: quam cunctando vtriuſqꝫ regis potentiam infirmandi: quo facilius poſſent deinde pro ſua libidine regnum inter ſe partiri: id quod poſtea experimento compertum eſt. Sed cum vtraqꝫ pars exercitus cogeret: atqꝫ oportunam caſtris ſedem exploraret: Vlmetum ſimul contenderunt: ſiue quod locus ille tali ſitu eſt: vt qui eo potiretur meliorem eſſet belli condicionem habiturus: ſiue quod fatalis ille campus moliebatur tradere victoriam Regi: qui, potiorē videbatur cauſam habuiſſe: exemplo illius pugnæ: quæ eodem in loco Ioanni Regi de Ferdinandi liberis victoriam dederat. Congregatis igitur vtrinqꝫ copijs: cum de condicionibus pacis non poſſet conuenire: neqꝫ fieri, quin ſignis collatis demicaretur: victoria penes Enriquum manſit. Quod vero ea pugna citra voluntatem primorū fuerit, ex eo facile coniectare licet, quod victores in perſequendis belli reliquijs non perſtiterunt. bellum namqꝫ non tam finire quam protrahere volebant. Cum eſſent in procinctu acies: diceretqꝫ quiſpiam nulla ne ratio inueniri poteſt, qua prælium hoc poſſit dirimi? Optime, facetus quidam homo reſpondit, qua nam? inquit ille, At hic rurſus: ſi alter exercitus aufugerit.

Alphonſus obit: illiuſque partes hortantur Eliſaben ſororem, vt Regni ſceptrum arripiat: quod illa recuſat.

Caput. III.

ALPHONSVS acie ſuperatus ſub tutoribus illis, qui ſibi in bello fuerant adiutores. vixit annos tres: obijtqꝫ diem ſuum Cardenioſe agri Abilenſis exiguo pago in peſtilentia illa infami, quę per id tempus graſſabatur. Erant autem ea tempeſtate cum illo: qui ſuarum partium ſtudia fouebāt Alphonſus Charillus Alchiepiſcopus Toletanus, Ioannes Patiequus, qui ex Marchione Villenati Magiſter militiæ diui Iacobi Spathiferi fuit. Aluarus a Stunica comes Placentinus: qui deinceps fuit Areuacorum dux, Alphonſus Pimentellus Comes Beneuentatus: atqꝫ alij complures omnium ordinum viri principes: qui ex morte ſui ducis animo conſternati formidantes Enriqui Regis auctam ex victoria potentiam: quem probris & maledictis per literas, perqꝫ acclamationes ſæpe laceſſierant: nullum aliud ſibi præſidium ab irato Rege inueniebant, quam ſi inde mortui fratris locum Eliſaben ſororem, quæ eodem tempore, atque in eadem erat vrbe, ſubſtituerent: Reginamqꝫ ſalutarent. Sic enim poſſe & factionem ſuam confirmare, & commiſſorum impunitatem aſſequi: cum eſſet præſertim Regis filia: atqꝫ ſoror vnica: ad quam non minus hęreditarium regni ius, quam ad Alphonſum fratrem germanum pertinebat. Adeunt itaqꝫ illam, & dicta, acceptaqꝫ ſalute, Alphonſus antiſtes Toletanus, cui reliqui omnes primas orandi partes dederant, huiuſmodi fere ſermonem ha-

buit. Si apud Deum immortalem vota noſtra voluiſſent optima Princeps, & tu iucundiſſimo fratre tuo nunc fruereris, & nos haberemus regem, quem ſequeremur, obſeruaremuſque. Sed quando ſuperis ita viſum eſt, vt ille raperetur, ne malicia forte mutaret mentem, aut quia placita Deo anima illius, tu ſola nunc reſtas altera ſpes, atque vnica lux, quæ poſſis Hiſpanæ reipublicæ tenebras illuſtrare. Quanta reipublicæ labes ab Enriquo fratre orta eſt, ex eo tempore quo ſuppoſiticiam illam, & quam ſimulabat eſſe filiam hæredem, Reginamque futuram, etiam iureiurando procerum interpoſito deſignauit, optime noſti. Sed fuit tempus illud primum tolerabile. Poſtea vero cum neglecta regni adminiſtratione, omni voluptatum genere affluens per quoſdam impuratos contubernales vniuerſa negotia exequeretur, iuriſq;, & iniurię nullum tam eſſet diſcrimen, coacti ſumus quaſi inde mortui Regis locum Regem, alterum nobis ſufficere, qui illius negligentia rem perditam inſtauraret. At nunc illo acerba, nec indigna minus morte perempto, quid reliquum eſt, niſi quod bonum, fœlix, fauſtumque ſit, vt regni gubernacula ſuſcipias, feſſiſque rebus atq; luxatis operam tuam, opemq; accommodes. Neque eſt, quod oblatã a nobis condicionem recuſes, niſi mauis te ipſam, tuoſque ciues ire perditum. Nam ſi tu, ad quam regni ſucceſſio ex iure manu conſertum pertinet, non arripis occaſionem, vide ne frater auctus hac quoq; parte, quam nos tibi tradimus, totam regni molem in ſubditiciam illam tui æmulam tranſeat. Hæc Toletanus præſul, cui reliqui primores ſunt aſſenſi. At illa ex recenti fratris obitu in mœrore, ac luctu degens, paululum lachrymis, & cogitatione morata paucis tandem reſpondit. Ego venerande Præſul, voſque principes mihi chariſſimi, voluntatem iſtam, quam geritis erga me admodum laudo, atque proinde magnifacio, & ſi quando mihi dabitur facultas, gratiam vobis cumulatiſſime refferam. Sed qualis ante hac mihi animus fuerit, quemque in præſentiarum habeam, quia, vt intelligo, vobis perſpectum non eſt, breui oſtendam. Quo tempore frater meus, idemque germanus mihi dulciſſimus vobis adiutoribus rerum potiebatur, quia diſcorditer cum Enriquo fratre communi viuebat, nullo modo poterat mihi placere ſtatus ille reipublicæ. Nam quis ſane mentis probaret fraternas acies, alternaq; bella profanis decertare odijs? quis fas & nefas miſceri, legeſq; & iura violari? Quæ omnia ex bicipiti gubernatione illa ſequebantur.

Sed quoniã ſic fata voluerunt, vt ex duobus alter alteri ceſſerit, non cenſeo amplius repugnandum eſſe diuinæ voluntati, quæ bis iam manifeſtiſſimis argumentis declarauit, quid nos ſequi debeamus, ſemel cum victoriam, atque iterum cum fratri vitam abſtulit. Quod ſi vos o amici Hiſpanæ reipublicæ cura tangit, illud potius curate, vt res ad illius imperium deferatur, cui Deus ipſe deferendum eſſe iudicauit. Sed quia non modo omnium ordinum conſenſu, ſed etiam ipſo, qui ab aliquibus dicebatur eſſe pater, iudice, abdicata eſt illa, quam dicitis mei æmulam, ſi me Ioannis Regis filiam ſi dignam tanto nomine putatis, efficite per ipſum Regem, perque reliquos Hiſpaniæ proceres, vt res Hiſpana in alienam familiam illegitime non transferatur, ſed poſt fratris obitum ad illam deuoluatur, cuius potior videbitur eſſe cauſa.

Agitur de concilianda Eliſabe Regi fratri, & Archiepiſcopus Hiſpalim negotium ſuſcepit,

Caput, IIII.

IIS rationibus commoti proceres abierunt addubitantes, quam potiſſimum viam inſiſterent, quos ancipiti conſilio diſtractos Ioannes Patiequus Magiſter equeſtris ordinis ſub diuo Iacobo mœrentis in hunc modum allocutus eſt. Quæ ſit magnanimæ huius puellæ mens ſapientiſſimi viri, quod conſilium, videtis, quam non libido regnandi, non odia in partis aduerſæ ſtudioſos flexerunt, eam nos miremur oratione in ſententiam noſtram non potuiſſe impelli? Credite mihi o proceres, magnum quidem hæc indoles promittit. Non eſt puellæ huius ingenium vulgare. Nam quis illius rationes, quibus nunc vſa eſt, confutare, aut refellere poteſt? Quis enim non videt reipublicæ, atque etiam nobis ipſis magis conducere pacem, ad quam nos illa hortatur, quam bellum, quod vtriſque pernicioſum eſt?

Nam timor ille noſter a Rege, quem offendimus, facile ſedari poteſt vel per ipſam regni participem factam ſororem. Cuius ea eſt prudentia, vt vel vno verbo nos poſſit facere illi beniuolos. Quid, quod ego pulcherrime noui Regis ipſius ingenium in media iracundia, etiam minima excuſatione, placabilis eſt. Quare ſententiam meam ego breui vobis oſtendam. Sororem cenſeo fratri conciliandam, ea condicione, vt ille ſolus imperio potiatur, illa vero ſi fuerit ſuperſtes, in regni adminiſtrationem ſuccedat, idque ex gentis noſtræ conſuetudine, procerum, procuratorumque totius Hiſpaniæ iure iurando ſanciatur. In Magiſtri ſententiam omnes pedibus manibuſque tunc ierunt, quod videbatur æquabilior, & cui nemo poſſit obſiſtere, tametſi non erat illis ignotum ipſum iampridem cogitaſſe de reditu in gratiam cum Rege, quippe qui cotidie apud omnes teſtaretur, prædicareturque illum vnicum benefactorem ſuum, ſeque omnium fortunarum ſuarum illius eſſe debitorem. Ex quo factum eſt, vt omnes factionis illius ſocij, atque ille imprimis, cœpiſſent agere de concordia inter fratrem & ſororem. Is namq; autor fuit, vt Alphonſus Fonſeca Archiepiſpocus Hiſpalenſis vir bonus, atq; dicendi non imperitus, & qui vtriuſque partis eſſet amicus, Regem adiret, atq; imprimis ab illo venia petita, de pacis condicionibus ageret. Qui vt erat homo ad res agendas natus, non grauate negotium ſuſcipiens regem adit, apud quem huiuſmodi ſermone vſus eſt. Cum in conſtituendo Rege clariſſime Princeps omnia virtutum genera ſint neceſſaria, & quæ poſſint illum, & bonum virum facere, & ſapientem, duę tamen iure videntur primas ſibi vendicare ſedes, clemētia, & iuſticia, quæ ſolæ poſſunt efficere mortales proxime ad Deum accedere, qui & ipſe clemētiſſimus, iuſtiſſimusq; eſt. His duabus ita moderat̃ orbē, vt in ſuis operibus nunquā altera ſine altera reperiatur. Pars illa optime Rex, quę fratrē tuum ſequebat̃, forte ſibi perſuaſerat ſe a tua Celſitudine duriuſculę tractari, quod videbat te propēſiori quodā modo amicis, quos tibi priuatim delegeras, indulgere, quodq; beneficia, q̄ cōſueuerunt a regali beneficēcia proficiſci, nō peruenirēt ad illos pro dignitate. Sed eſto partim inuidia, partim indignatio illos a te alienauarit, iam pudet eos, pigetq; facti, iam fatētur ſe & tuo marte, & diuina ſententia victos. Erit igitur clemētię tuę, & illos facere tibi obſequētes amicos, errata illis condonādo, et iuſticię, ſi regni tui vires ſparſas recollegeris, cōpoſuerisq; rerū ſtatum preſentē, & deinde futurę trāquilitati proſpexeris. Quod vtrūq; vno tuo ſingulari beneficio in remp. efficies, ſi ſororē iam prope vno omniū conſenſu principē non modo expectatā, ſed animo quoq; deſignatam tu tibi illam ſucceſſurā, regniq; legitimam herēdē declaraueris, atq; eadē via te ab omni moleſtia liberabis, omneſq; primores obnoxios tibi facies, & rebus Hiſpanis quietē, pacemq; in longum relinques, efficieſq;, vt miſericordia

& veritas obuient ſimul, & iuſticia, & pax oſculentur ſe. At Rex tametſi erat illis non diſſimulanter iratus, a quibus hæc petebantur, benigne tamen patienterq; Archiepiſcopum audiuit, reſponditq; ſe die poſtero illi reſponſa daturũ, atq; ita illum in hæc verba dimiſit. Erant familiares, atque amici Regis ſecti in factiones duas, altera quæ ſtudebat Regis ſorori, altera quæ partis ſuppoſiticiæ illius filiæ ſuſtinebat. Qui audita legatione, cum intelligerent Regis ingenium flexibile, atque paruo momento poſſe huc vel illuc impelli, regem aggrediuntur, tentantque rationibus ad rem accommodatis, quæque pars in ſententiam ſuam pellicere. Qui adulterinæ Regis filiæ partes tuebantur, dicebant veniſſe tempus in quo Deus traderet hoſtes in manus ſuas, quãdo ſpoliati duce, atque conſilij inopes, neſciebant, quo ſe conferrent, niſi ad eum, quem re, & verbis læſerant. Reuocaretque in memoriam, quo pacto ab imperio ſuo deſciuerunt, atque contra diuina, & humana iura creato ſibi Rege armati, etiam in acie contra ſuum verum Regem decertauerint. Meminiſſet. quæ probra, & maledicta in vulgus ſparſerint, atq; etiam ad principes exterarum gentium ſcripſerint ea, quæ de maieſtate regia confixerunt, prædicaueruntq;, quibus etiam ſcorta, & poſtribulæ meretrices abſtinuerent. Quare huiuſmodi hominum generi non modo ueniam non eſſe dandam, aut in gratiam recipiendos, verum etiam bello perſequendos, exagitandoſque ad extremas mundi oras, quo adlucrent commiſſa, dignaſque pro ſuis ſceleribus pœnas reportarent. Exaggerabant præterea hominum ſuperbiam, vel impudentiam potius qui cum debuiſſent petere veniam ſupplices, poſtularent ſuo arbitrio deſignari debere principem, regnique hæredem, imponentes legem, quam victores victis imponere conſueuerunt. At pars altera, ſiue quod diffidebat Regis ingenio, quod erat magis pronum ad ocium atque ſocordiam, quam ad decertandum vindicandumque bello iniurias, ſiue quod intelligebant regni hæreditatem ad ſororem pertinere, ſiue quod videbant mala impudentia null um-eſſe habitura finem, niſi frater, & ſoror redirent in gratiam, obteſtabantur Regem, vt ex hoſtibus faceret amicos illos, qui ante hac ſibi obſtiterant, ſimul etiam ſororem ſibi beniuolam faceret, declarearetque illam principem, regnorumque futurum hæredem, ſi foret, ſibi aliquando ſuperſtes. Erant, qui ſuaderent illi omnia ſuperiora per ſimulationem eſſe facienda, quo ad ſoror in poteſtatem ſuam redigeretur, poſſe enim tunc illam alicui externarũ gentium principi matrimonio locare, atq; eadẽ via tradere filiæ, ſiue putatiuæ, ſiue ex ſe genitæ regnũ, quod a maioribus ſuis receperat.

Regem dubium in Eliſabes partes Andreas Caprarius proniorem facit. Statuunturque pacis condiciones.

Caput. V.

EX tam varijs ſententijs Regem ancipitem, dubiumque quid faceret, Andreas Caprarius, quem Magiſterio domus præfecerat, & cui ex omnibus amicis magis fidebat, quam nulli alteri, hunc in modum eſt allocutus. Et ſi intelligo clariſſime Rex me apud Celſitudinem tuam non habere tantum autoritatis, vt audeam te aliqua de re admonere, eſt tamen fidei meæ, & obſequij, quod tibi debeo, teſtatum apud te relinquere, quid ego ſentiam de hoc negotio, quo te implicitum eſſe video. Audiui nuper ex quodam viro doctiſſimo, qui ſe philoſophum profitebatur, ſcriptum eſſe apud Platonem, tantum quemq; in ſua rep. debere contendere, quantum.

uibus ſuis perſuadere poſſet. Nam quemadmodum patri, ſic etiam patrię non eſſe vim inferendam. Omnibus regni primoribus ſimul & vulgo, atq; omnium ordinum viris perſuaſum eſt, hanc quam Regina uxor tua peperit, non eſſe ex te genitam, idq; factum eſt illis probabile argumentis, quę nos amici tui, qui ſæpe cum populo diſceptamus, nulla ratione poſſumus diſſoluere. Si tibi animus eſt, quam cupis credi tuam eſſe filiam, regni hæredem relinquere, tota erras via. Nam eſt nemo, qui non indignetur parere illi, ad quem regni ſucceſſio iure non pertinet. Quod ſi viderint te arces munitionesque & caſtella præſidio firmare, atq; amicis tuis credere, vt poſt obitum tuum filiæ tradant, hoc eſt patriæ vim afferre, hoc eſt contendere plus, quam effici poſſit. Hoc eſt gigantum more contra ſuperos pugnare, voluntatique diuinæ obſiſtere. Neq; imperio tuo ſubditi magis id patientur, quam ſi velis illos in manus infidelium tradere. Si reſpublica Hiſpana loqui poſſet, non aliud opinor diceret, quam quod ego nunc ſentio, eſſe videlicet ignoſcendum illis, qui pro fratre tuo contra te arma ſumpſerunt, qui forte non tam offendendi tui cauſa, quam vtilitati publicæ proſpiciendi id fecerunt. Deinde ſororem tibi conciliandam, tractandamq; proinde ac ſi eſſet filia ex te genita, quandoquidem ita Deus voluit, vt tu ſine prole deceſſurus eſſes, illiq; regni ſucceſſionem volens nolensq; decernas. Hac enim via omnes tibi fatebuntur eſſe debitores, tibiq; libentiſſime obtemperabunt, tu ſummo ocio & tranquillitate frueris, res Hiſpanæ in dies magis magiſq; efflorescent. Pro quibus in rempublicam meritis illud pręmiũ tibi dabitur, quod omnibus, qui commiſſum ſibi imperiũ conſeruauerint, adiuuerint, auxerint, adeo propoſitum eſt. In hanc ſententiam, quæ ex altera parte timorem intentabat, ex altera ocium pollicebatur, Rex facilime acquieuit, iubetq; vocari Archiepiſcopũ, cui reſpondet velle ſe reipublicæ, & cõmunis vtilitatis cauſa condonare illorũ errata, qui ab imperio ſuo deſciuerint. Velle præterea ſororem ſibi conciliare, atq; in principem regniq; ſucceſtricem cooptare, modo illa in ſua verba perſancte iuret ſuo iniuſſu nuptũ ire mortalium nemini. Suſcipit Archiepiſcopus ſe & illorum, quibus eſt conceſſa venia, & ſororis deſignãdæ principis & Hiſpanæ totius reip. nomine immortales gratias agere pro tam manſueto benignoq; ingenio. Tum agi cœptum de condicionibus pacis, ictumq; fœdus eſt in hæc pacta conuenta. Imprimis, vt ſoror princeps deſignãda, & Ioannes Patiequus Spatharius Magiſter, & ex reliquis, qui in eadem cauſa fuerunt, qui vellent, regalem curiam frequẽtarent, quo per omnem Hiſpaniam reditus in gratiã, atq; concordiã illuſtrior eſſet, quodq; Rex intra quadrimeſtre tempus Reginam ex furtiuo illo cõcubitu filiam dimitteret in Luſitaniam, curaretq; per pontificem cum illa diuortium facere, quandoquidem cum fœdus coniugale cum illa inierat, ad præfinitum tempus fuere legibus ſoluti, experiundi tantum gratia in vtro eſſet gignendi defectus, cum alioqui permanendum illi eſſet cum priori vxore. Tum demum, vt in alimenta ſumptuſque nouæ principis decerneret ſtipendiaria oppida cum iuriſdicione, ex vrbibus Abilam, Optum, Molinam, Vbetam, ex municipijs Methymnam campeſtrem, Vlmetum, Aſcalonem. Ipſa vero Princeps iurauit ſtantibus his condicionibus, niſi per Regem fratrem liceret, ſe nemini mortalium nupturam. Conſtitutum eſt præterea ad præfinitum diem, vt Rex & ſoror conuenirent in ęde ac cœnobio diui Hieronymi, quod eſt ad locum, quod vulgus Guiſandi tauros appellat.

Enriquus & Eliſabes ſoror conueniunt, rurſus deſignatur princeps, & Ioanna Regina fugit.

Caput. VI.

ERAT ea tempeſtate Rex in oppido, quod ipſe plurimum frequentabat, antiqui Carpetaniæ Mantuam vocabant, noſtra ætas Madritum nominat. Soror vero Abilæ morabatur. Quæ accepto Regis reſponſo conuocatis primoribus, cum primum potuit, venit Zebreros comitatu virorum principum frequenti, inter quos erant ex ordine eccleſiaſtico Toletanus & Hiſpalenſis Archiepiſcopi, & Enicus Manriquus præſul Caurienſis. Ex ordine vero militari Magiſter diui Iacobi, & Placentinus, Beneuentanuſꝗ, & Oſorninus, Comites, aliiꝗ complures vtriuſꝗ ordinis principes viri. Rex vero ex Madrito profectus, venit ad Cadahalſum, qui in agro Aſcalonitano pergrandis eſt vicus. Locus, in quem conſtitutum eſt ſe conuenturos, diſtabat vtrinꝗ interuallo pari. Quo poſteaquam conuenerunt, ſeꝗ inuicem ſalutarunt, Rex benigne, ac comiter ſororem longo poſt tempore viſam, breuiter allocutus eſt, nam cætera dixit, ſe in aliud tempus reſeruare. Tunc accedens diui Iacobi Magiſter, genua Regis amplexus pauca pro ſe, atque pro cæteris, qui in eadem cauſa fuerunt, eſt locutus, partim excuſans, partim confitens ſuum, atque aliorum errorem, pollicens ſuo, atque ſociorum nomine compenſaturos ſe obſequiorum crebritate priſtinas offenſiones, ſi quid fuiſſe, in quo læſerint Regiam maieſtatem. Erat in ea conuentus celebritate ad hoc ipſum inuitatus Antonius Venerius Apoſtolicæ ſedis legatus, idemꝗ Legionenſis Epiſcopus, & qui deinceps fuit Conchenſis præſul, atꝗ S. R. E. Cardinalis.

Is petente ipſo Rege abſoluit, atꝗ relaxauit a priori iure iurando illos omnes, qui iam pridem Madriti iurauerant principem, regniꝗ hæredem futuram illam, quæ falſo dictitabatur filia Regis. Atqui Rex ipſe declarauit extemplo imperii ſucceſſionem, hæreditatemque, ac regni dominium ad ſororem pertinere, quemadmodum & antea Alphonſum fratrem futurum Regem deſignauerat. Quo intercepto in ſuperſtitem vnicam ſororem hæreditarium ius eſſet deuolutum. Nam quæ ſua dicebatur eſſe filia, illam abiurabit, abdicabatꝗ perinde, atꝗ alienam. Iurauitꝗ eueſtigio in apoſtolici legati uerba, ſe hanc vnicam ſororem regni hæredem agnoſcere, & præter eam neminem, atque hanc hæredis inſtitutionem, declarationemꝗ ſub eodem iure iurando affirmauit, ſe nunquam per ſe, aut per alium quempiam interpellaturum. Idemꝗ coegit omnes omnium ordinum viros, ſummates & infimates, qui aderant, iure iurando ſancire. Per edicta quoque præcepit, ut omnes ciues, oppidani, municipes, & populi ſuo imperio ſubditi idem ſecum iurarent, atque ſi contingeret, ipſum e vita priorem excedere, haberent illam certam, legitimam, & indubitatam Reginam. Edixit præterea, vt omnes ciuitates, oppida, municipia mitterent procuratores ſuos Ocaniam, vbi futurus erat conuentus procerum, in quo de ſtatu reipublice decerneretur. Per idem fere tempus Ioanna Regis vxor, quæ mittenda fuerat in Luſitaniam, ex certis quibuſdam cauſis poſita eſt ſequeſtro in poteſtate Archiepiſcopi Hiſpalenſis, qui tradidit illam adſeruandam Petro a Caſtella ex ſorore nepoti ſuo, in arce, quam ipſe ædificiuerat munitiſſimam Alahegiis. Egregia interea coniux, quo mariti dedecus magis teſtatũ eſſet cũctis, oculos in adoleſcentẽ coniecit, & non multos poſt dies cõperta eſt ex eo pregnãs, neꝗ eo contenta, auſa quoꝗ eſt ingẽs facinus. Agit cũ adoleſcente, vt illã ꝑ muros noctu deducat. Cõpoſita re cũ feſelliſſet cuſtodes primũ, deinde circitores & vigiles lapſa ꝑ funes, atꝗ crepẽs tandẽ veredo impoſita duce adultero poſtridie Butra cũ venit, q̃ in loco erat Ioãna filia, quam ex furtiuo cõcubitu genuerat, abſeruabaturꝗ publice ab Enriquo Mẽdoza

Tendillano Comite, Exactis diebus paucis, Rex cum ſorore principe, cæterocꝫ proce-
rum comitatu venerunt Ocaniam, procuratores quocꝫ ciuitatum & municipiorum
eodem conuenerunt, quemadmodũ per Regis ædicta illis fuerat imperatum, qui & ipſi
procuratorio nomine iurarunt ſe habituros illius ſororem loco principis, hæredisꝫ, &
poſt eiuſdem obitum pro uera, certa, legitimacꝫ Regina.

Agitur de coniugio Eliſabes principis cum Alphonſo Luſitanorum Rege, & cum Ferdinando Siciliæ. Caput VII.

ALTERA vero pars, quæ Vlmetano prælio Enriquum Regem
ſecuta fuerat, indignabatur, quod non fuiſſet habita ipſorum ratio in il-
la Regis Principiſcꝫ concordia, Nihilominus tamen partim illuc
acceſſere, partim mittere procuratores ſuos, qui vtrique illud idem iure
iurando ſanxerunt. Hi fuerunt Marchio ſanctæ Iulianæ. Comes
Pharius, Epiſcopus Secontinus, alijcꝫ complures eiuſdem factionis.
At Rex ſiue Magiſter Spatharij ſuaſu, ſiue quod ipſe per ſe natura erat varius, & mu-
tabilis, nihil eorum exequebatur, de quibus cum ſorore tranſactũ erat, quin e diuerſo per
literas egit, vt Alphonſus Rex Luſitanorum, qui tunc orbatus erat vxore, peteret con-
iugio ſororem principem deſignatã, eocꝫ venit Archiepiſcopus Olyſſiponenſis cum lite-
ris, & mãdatis, & procuratorio ipſius Regis nomine. Archiepiſcopus Toletanus econ-
trario laborabat illam iungere Ferdinando Regi Siciliæ, ac principi hęredi Ioannis Tar-
raconenſis Regis. Qui, vt poſſet commodius atcꝫ citra vllam ſuſpicionem peragere
negocium, conceſſit Hyppepos dicionis ſuę municipium cœpitcꝫ exequi rem per Gut-
terrium Cardeniũ ipſius Principis ſtructorem, vt ſpretis Luſitanorum Regis condicio-
nibus, acquieſceret potius Regi Siciliæ. Rationes autem, quæ poſſent illã in Siciliæ Re-
gem pellicere, atcꝫ e diuerſo a Luſitanorũ Principe deterrere, complures fuere, ſed illa im-
primis quod Enriqui fratris cõſilia eo tẽdere videbãtur, vt ſororẽ extra regni limites ab-
legaret, nulla dignitatis habita ratione dum modo efficeret, quod cupiebat, ideſt, quo poſ-
ſet cõmodius ſubditiuam filiam in regni ſucceſſionẽ ſubſtituere. Ex quo illud efficieba-
tur, vt quoniã Luſitanorũ Rex haberet ex priori coniuge filiũ hęredem, ſi ſuſciperet ex ea
liberos, relinqueret eos exhęredes, ſin minus ſuſcepiſſet, ipſa nihilo minus maneret indo-
tata. At rex Siciliæ, idemcꝫ Tarraconenſiũ Prinecceps deſignatus, qui needũ vxorem
duxerat, necꝫ liberos procrearat, nõ modo poſſet habere filium qui ſuccederet in guber-
nationem, ſed etiã poſſe fieri, vt auitum regnum cum regno dotali cõiungeretur. Acce-
debat ętatis ęqualitas, quę ad animos cõciliandos valet plurimũ, cum alioqui Luſitanus
eſſet natu grãdior. Eoquocꝫ accedebat, quod ſi res in diſcrimẽ eſſet vẽtura, vt inter duos
principes armis decerneretur de regni poſſeſſione, quod Rex Siciliæ idemcꝫ Tarraco-
nenſiũ Princeps habebat in Hiſpania ex primoribus complures ſanguinis propinquita-
te coniunctos, qui cuperent ipſum potius, quã alienum regnare, & qui ſi vires ſuas cum
ipſius principis viribus coniunxiſſent, facile poſſent ſubmouere, atque ſemel ex Hiſpa-
nia æmulam illam, atcꝫ in ipſius regni perniciem genitam eradicare. His ſuaſionibus
apud Eliſaben Principem Gutterrius vtebatur. Quas illa ſecum reputans, ſimul etiam
quod videbat fratrem Regem nolle ſtare pactis conuentis, neque tradere illi vrbes, &
municipia quemadmodum inter eos conuenerat, ſed illud imprimis, quod frater nihil
aliud moliebatur quã ipſam ex Hiſpania pellere, atcꝫ perinde regni ſucceſſione ſpoliare,

facile aſſentiebatur ſtructoris admonitionibus: ſed pudebat illam publice fratris voluntati obſiſtere: qui per ſe, atque per amicos inſtabat, vt in hoc ſibi obſequeretur: promittens (vt aiunt) maria, & auri montes. Quare vtriuſque patris rationibus obtuſa, & dubia quid potiſſimum ſequeretur: tandem reſpondit ſe huius deliberationis curam omnem ad Hiſpaniæ proceres velle deferre: precata Deum imprimis, vt quod reipublicæ foret vtile, ſibiq; honeſtū, id illis animū induceret. Sed cum vtraque pars inſtantius vrgeret, atq; intelligeret plæroſq; omnes ex proceribus, atq; infimæ mediocriſq; condicionis hominibus in Siciliæ Regem propēſiores Olyſſiponenſi Archiepiſcopo reſpondit, velle ſe hanc rem tam grandē, & quæ non tam ſua, q̃ omniumcōmunis eſſet, cū Hiſpaniæ primoribus cōmentari: atq; ita demum re cum omnibus communicata, ſe per oratores ſummam totius negocij miſſuram Luſitanorum Regi. In hæc verba Archiepiſcopus eſt dimiſſus. At illa ſecreto per ſtructorē Toletano prçſuli reſpondet: ſi per primores proceresq; regni ſibi liceret: ſe facturam, quod ille tam inſtanter efflagitabat.

Enriquus a pactis conuentis diſcedit: atq; in Bæticam profecturus Comiti Placentino Areuacum cum Ducis titulo dono dat.

Caput. VIII.

CAETERVM Rex cum videret omnes conatus cogitationeſq; ſuas in caſſum recidiſſet, veritus ne ſe inuito ſoror nuberet: cui minime ipſe vellet: cœpit agere cum amicis quo pacto illam poſſet in vincula conijcere, idque feciſſet: niſi timeret, ne proceres ab eo deciſcerent: illamque bello vindicarent. At Toletano præſuli factus eſt infeſtior: tanquam autori conciliatoriq; matrimonij ſororis cum Rege Siciliç. Suc cenſebat præterea illi quod ad priſtina ſua errata hic nunc cumulus acceſſiſſet maximus, in re præſertim quæ ſua omnia interturbaret conſilia. Itaque cum pararet cohortes, quæ illum comprehenderent, ſuſpicio fuit Magiſtrum Spatharium feciſſe Præſidem omni de re certiorem: monuiſſeque, vt caueret ſibi. Idque faciebat non tam quod Archiepiſcopus erat ſibi aut amicus, aut ſanguine propinquus: quam quod ſecreto fouebat alterius partis primores: vt ex illa cunctatione diſcordiæ in dies creſcerent: vnde ſibi putabat magnas fieri poſſe fortunæ acceſſiones. Quare cum ad conflictum erat veniendum: nunquam ſinebat alteram partem euadere ſuperiorem: ſed ſubleuabat ſemper partem: quæ eſſet abiectior. His artibus & alterutra pars & illius ope indigebat: & ipſius potentia cotidie augebatur. Rex cum neque blandicijs, neque precibus, ſed neq; minis poſſet ſororem in ſententiam ſuam attrahere, neq; auderet illam in vincula conijcere: ſtatuit ad tempus diſſimulare: atq; in Bæticam proficiſci: vt conciliaret ſibi vrbes, & municipia, atq; illius prouinciæ primores: qui Alphonſi fratris factionem aduerſam ſecuti fuerāt. Et quod id facilius aſſequeretur: extorſit a ſorore literas: quibus ſignificaretur cum illo reditus in gratiā: neque alia ex cauſa ipſum illuc proficiſci, niſi vt res vtriq; cōmunes agerentur. Profectuſq; eſt cū illo Magiſter Spatharius alijq; complures ex primoribus. Princeps vero, vt daret inferias, iuſtaq; perſolueret Alphōſo fratri defuncto: profecta eſt Areuacū municipiū illud ornatiſſimū, quod decretum erat in ſumptus Eliſabes Reginç ipſius principis & Alphonſi Regis matri. Tenebatur autem prçſidio a Placentino comite: qui veritus ne princeps illū excluderet: atq; municipium ſibi præſidio muniret, egit per Spatharium Magiſtrum, ut Rex donaret ipſum & municipio & Areuacorum ducis cognomine. Magiſter vero reputans, ſi rem perageret

eadem via & Regis potentiam debilitari, ſimul etiam & Comitem Placentinum, qui eo tempore inter Hiſpaniæ proceres eminebat, apprehenſa municipij poſſeſſione in ea tantum re implicitum fore, egit cum Rege, vt donaret illum & municipio, & municipij titulo ſub Ducis nomine. Quod Rex fecit non grauate, ſiue vt ſorori negocium ſa ceſſeret, ſiue quod erat ingenio facilis ad euertendum regale patrimonium. Hanc largitionem tam profuſam omnes omnium ordinum viri ægre ferebant, partim inuidia, quod videbant comitem Placentinum in dies fieri potentiorem, partim quod regiæ vires huiuſmodi largitionibus minuebantur, partim etiam, quod Reginæ viduæ miſerebantur calamitatem, cum illud vnicum ſuæ viduitatis ſubſidium eripiebatur.

Princeps itaque ab Areuaco pulſa, contulit ſe Abilam, vt defuncto fratri parentaret. Ludouicus interea Gallorum Rex factus certior regnorum Hiſpaniæ ſucceſſionem ad Eliſaben Ioannis Regis filiam eſſe deuolutã, ſimul etiam peti coniugio a duobus Principibus ſibi ex factione publica infenſis, quod illorũ erat vterq; confœderatus Britannorũ Regi, veritus ne ab altero illorũ duceretur vxor, atque proinde partis aduerſæ vires augerentur, & ſuæ decreſcerent, ſtatuit mittere legatos, qui peterent illam coniugio Caroli fratris ſui Aquitaniæ ducis Erat autem legationis eius princeps.

S. R. E. Cardinalis. Cum interim princeps obtunderetur cotidie rationibus, ut in alterutrum ex duobus competitoribus flecteretur, ecce legatio a Gallorum Rege aduentabat. Erat illa tempeſtate Eliſabe princeps in municipio Matricali, quod quemadmodum de Areuaco diximus, erat decretum Eliſabes Reginæ matris, quo poſteaquam oratores acceſſere, dataque eſt illis copia principis abeundæ, cum aſſiſterent aliquot ex optimatibus, qui illam aſſectabantur, Cardinalis hanc orationem habuit.

Cardinalis Oratio, in qua Eliſaben Carolo Gallorum Regis fratri coniugem petit, cui excuſans ſe, illa reſpondet. Caput. IX.

NISI Galliæ regnum atque principum Hiſpaniæ vetus amicicia & fœdus æternum apud omnes nationes teſtatum eſſet, atque iam inde a multis illuſtribus officijs confirmata ſocietas, poteram ego clariſſima Princeps multa nunc commemorare, quæ ad eam rem pertinerent. Sed in hac cauſa de qua oratores aduenimus, nolo, proſit nobis fuiſſe Gallos Hiſpanis ſemper amicos, atque ſocios, idemque ſemper de re communi ſenſiſſe. Non nobis proſit Celſitudinis tuæ competitores ſemper fuiſſe aduerſæ factionis, ſemperque Britannorum Regi confœderatos. Nolo commemorare nunc immortales inimicicias & incurabile odium inter vtroſque populos confirmatum multis ſtragibus hincinde acceptis. Illa tantum proſequar, quę ſunt propria huius cauſæ, vt competitorum meritis detur tantum victoria. Petit connubia tua Luſitanorũ Rex, petit Rex Sicilię, petit Aquitanię dux. Conſultatio tibi eſt, quis ex tribus ſit deligendus. Luſitanorũ Rex omnino excluditur, & quod eſt natu grãdior, & quod habet filium hęredẽ, vnde quot tuę dignitati ſequãtur incõmoda, facile eſt videre, Querelæ propter ætatũ diſparilitatẽ, quod filij a patre futuri eſſent exhęredes, quod inter Luſitanos, & Hiſpanos ſemper eſt ſimultas, atq; vtriuſq; partis alterius contẽptio.

Atqui Siciliæ Rex tametſi ętate floreſcit, noſter tñ illi non cedit & corporis elegantia, & ingenij acrimonia, & animi ſapiẽtia, Sed neq; eſt illi potẽtia inferior, Neq; eñ Aqui-

tania aut ſoli benignitate, aut fortunis, aut tractu cœli, prouinciæ Tarraconenſi cedit.
Eſto tamen ſint vtriqꝫ omnia paria, non valebunt in electione hinc amicicia, illinc ini-
miciæ paternæ & auitę? non ſummus conſenſus maiorum huius cum Ioanne patre tuo,
cum quo illius pater ingentes egit inimicias? Quod ſi apud eos, qui vita exceſſerunt, ali-
quis eſt rerum noſtrarum ſenſus, nihil magis oblectauit vtriuſqꝫ Regis defuncti manes,
quare quemadmodum in vita ſe ipſi dilexerunt: ita & poſteri ſui in eadem maneant chari
tate. Quid quod hac via & frater iratus tibi reconciliabitur? idqꝫ Rex Ludouicus cu-
rabit atqꝫ conficiet. Aut ſi tibi pro regni poſſeſſione fuerit cum æmula diceptandum,
vndetibi certius, vnde firmius ſubſidium putas venturum a Luſitanorum Tarraconen
ſiumve principibus: an a Galliarum Rege potentiſſimo? Quare, vt vno verbo legatio
nis huius mandati colligam, Rex Gallorum offert tuę præſtantię coniugio belliſſimum
fratrem viribus ingenioqꝫ pręſtantem: patrimonio ampliſſimo prędictum, cuius maiores
cum maioribus tuis vixerunt in ſumma cõcordia. Quo pignore & antiqua fœdera re
nouabuntur: & vtriuſqꝫ regni vires cotidie magis magiſque inualeſcent. Idqꝫ, vt facias,
non ſolũ te vehementer rogat, tibiqꝫ, oblitus ſe regẽ, ſupplicat; atqꝫ eo nomine omnia, quæ
poſſidet, non modo vtenda, ſed etiam abutenda permittit. Ad hanc Cardinalis oratio-
nem illa reſpondet: recordationem auitę amiciciæ atqꝫ ſocietatis antiquæ fuiſſe multo iu
cundiſſimam: & ſi quando rerum Hiſpanarum potiretur: ſe curaturam, vt idem fœdus
vinculis firmioribus ſanciretur. Simul etiam dicebat ſe agere Ludouico Regi gratias im
mortales pro eo animo, quem erga ſe, reſqꝫ ſuas oſtendebat: quodqꝫ dignam exiſtimaret,
cui fratrẽ matrimonio cõiugi peteret: ſed ſe ea de re omnem curam in regni proceres opti-
mateſqꝫ reiecisse; quandoquidem ſibi non eſſet pater, qui patrimonium fundaret: neqꝫ fra
ter, qui vtriuſque parentis curam ſuſtineret. Rogabat pręterea Cardinalem, vt ſe apud
Regem excuſaret, quod non fuerit in poteſtate ſua, vt illius voluntati obſequeretur:
quoniam hęc deliberatio iam non ex ſua, ſed ex optimatum conſultatione pendebat.
In hæc verba oratores dimiſſi re infecta domum redierunt.

Eliſaben quid faceret dubiam ſtructoris impellit oratio, vt Ferdinando
Siciliæ Regi nubat: celebranturqꝫ nuptiæ.

Caput. X.

AT Princeps non tam a competitoribus iam efflagitabatur, quam ab ec-
cleſiarum pręſulibus, religioſis, optimatibus ciuitatum, regni primori-
bus, domeſticis ac familiaribus: vt ex tam longa deliberatione tandem de
cerneret, cui potiſſimum vellet nubere: quamquam plæriſque omnibus
videretur Siciliæ Regẽ eſſe cæteris præferendum. Id etiam, vt faceret,
Enriqui fratris amici, ac familiares clam admonebant. Adiurabant
etiam, obteſtabanturque illam, vt proſpiceret rebus Hiſpanis: quæ proculdubio tende-
bant in interitum, niſi daret operam, quemadmodum ex ſe prolem relinqueret. Sed im
primis ſtructor ille ſuus, qui hac de re ſæpius cum illa familiariter loquebatur, cogitans
ſecum hunc eſſe virginum morem, vt præ pudore nolint facile connubio præbere aſſen-
ſum, his illã verbis adortus eſt. Scio ego clariſſima Princeps, cum de maritandis virgi-
nibus agitur, nõ ad ipſas, ſed ad parentes, ad propinquos, ad tutores, atqꝫ ad ipſos in quo
rum poteſtatem ſunt adiri ſolere. Tuæ vero Celſitudini omnia hæc propinquitatis
vincula ſors ademit. Pater, qui hac de re imprimis conſultare debuit, obijt diem ſuum.
Mater, quæ ſecundas poſt illum debuit obtinere partes, vni tantum viduitatis ſuæ dò
lori in-

lori indulgens in luctu ac mœrore degit. Frater, qui debuit vtriq; ſuccedere, te indotatam regno ſpoliare nititur. Familiares, & amici reſtant ſoli, qui non ſine lachrymis tibi ſupplicant, ne ſtabiliendi regni, quod tuę poſteritati relinquas, tantam occaſionem oblatam ammittas. Hoc te Prælati omnes eccleſiaſtici obſecrant, hoc primores populi, hoc regni proceres, hoc ciuitatum optimates, hoc omnes omniũ ordinum Hiſpani, conſcientiam tuam teſtantur, ne fraudes illos legitimis ſucceſſoribus, ne ſinas regnum Hiſpaniæ in alienam tranſire dominationem, ne des locum, vt frater a te vera indubitataq; hærede, in ſubditiciam atq; ex turpi concubitu genitam transferat imperium. Vides te a tribus potentiſſimis principibus peti, decerne quis illorum tibi magis animo ſedeat.

Quod ſi te pudor impedit, quo minus ędas nomen, dicã ego, quod ſentio, ex illis omnibus magis tibi conducere Siciliæ Regem, eundemq; Tarraconenſium principem, eſt tibi cõęuus, eſt robore, atque animi virtute præſtans, habet regnum tuo confine, habet in Hiſpania tua propinquos, a viribus & diuitijs prępollẽtes, proh Deus immortalis, quid dubitas vno verbo tot bona, tot commoditates, non modo tibi ipſi, ſed tuis omnibus atque vniuerſæ Hiſpanæ reipublicæ præſtare? His verbis Princeps iam victa, quando inquit, omnibus ita viſum eſt, me debere aſſentiri coniugio, non credo id ſine quodam numine, atque diuina prouidentia eueniſſe, Quare vos o amici efficite, quod videbitur e republica debere fieri, neque amplius hac de re ſententiam meam expectetis.

Quicquid enim de me ſtatueritis, id ratum, firmum, gratumque habebo. Sed huius meæ voluntatis facite imprimis certiorem Archiepiſcopum Toletanum, qui huius mei ſenſus ſemper mihi fuit autor, Quẽ ego certo ſcio, cum acceperit hunc nuncium peculiari quodam gaudio gauiſurum. Archiepiſcopus certior factus his de rebus, venit Fontiueros Abilenſis agri vicum per grandem, quo ſe iam Princeps e matricali oppido profecta receperat, atque inde profecti ſunt Valladolitum, vbi tunc erat Archithalaſſus Fredericus Regis Siciliæ maternus auus, alijque complures ex regni primoribus, qui eo conuenerant ad ſponſaliorum pacta conuenta, nuptiarumque læticiam celebrandam. Rex ipſe Siciliæ, idemque Tarraconenſium princeps venit tandem comitatus Petro Manriquo comite a Triuinio, qui deinceps fuit Dux Naiarẽſis, atq; ex prouincia Tarraconenſi, alijs quamplurimis proceribus, optimatibuſq;. Longum eſſet enumerare, qui complexus, & quanta gaudia vtriuſq; partis fuere, Nihil illuſtrius illo die Hiſpania vidit, in quo nuptiæ tantorum principum celebratæ ſunt. Nemo enim tere fuit, qui non læticia geſtiret, non exultaret, non Deo gratias ageret non municipium, non ciuitas, quæ non ſupplicationes, ludoſq; publicos decerneret.

DECADIS PRIMÆ LIBER SECVNDVS, DE EPISTOLIS FERDINANDI & Eliſabes principum ad Enriquum Regem miſſis.

Caput Primum.

NVPTIIS fœliciter peractis, inſtauratiſq; repotijs, viſum eſt Principibus facere omni de re certiorem Enriquum Regem, atque per literas excuſare, quod illius iniuſſu nupſerit ſoror. Miſſæ itaque per honeſtos viros litteræ cum mandatis in hæc verba. Enriquo Hiſpaniarum Regi, Fratrique pientiſſimo. Eliſabe Princeps eademque ſoror bene agere. Non ſum ignara te mihi ſuccenſere,

quod iniuſſu tuo Regi Siciliæ nupſerim. Sed cum audieris cauſas rationeſq̧, quæ me id facere coëgerunt, facile opinor, placaberis. Nam ſi aliqua in re culpa eſt, illam non mihi, ſed tibi ipſi imputabis. Scis humaniſſime Rex neq̧ enim te latere potuit, quali animo fuerim erga te, cum Alphonſus frater regium ſibi nomen aſſumpſit, & quam mihi diſſidium illud diſplicebat, quamque deteſtarer inter duos fratres decertari de regno, quod alter poſſidebat, alter ſi foret ſuperſtes, poſſeſſurus erat. Scis præterea poſt illius obitum, quam ſine cunctatione vlla regnum, quod mihi ab aduerſarijs tuis offerebatur, abdicauerim, dicens te ſuperſtite, non licere regnare. Adhuc nihil eſt in meis operibus, quod tibi diſplicere poſſit. Iuſſiſti me venire, quo tu volebas, declaraſti me Hiſpaniæ principem, feciſti, quod iure debuiſti facere, tametſi ob id factum magnas tibi habeo gratias. Pollicitus es te intra quatuor menſes repudiaturum vxorem, ſi vxor appellanda eſt, quam neq̧ per iura diuina, neq̧ humana tibi habere licebat, miſſurumq̧ in Luſitaniam cum filia tali matre digna. Pollicitus quoq̧ es te mihi traditurum in ſumptus, oppida quædam vectigalia. Acta tranſacta omnia, iuraui ſtantibus his conditionibus, te inuito me nupturum nemini. Poſſes tu me eo nomine periurij accuſare, ſi feciſſes illa, quæ te facturum mihi recepiſti. Nunquid repudiaſti vxorem? nunquid ablegaſti illam cum filia? nunquid tradidiſti municipia, & vrbes, vnde hoc inane principatus ſuſtinerem? Omitto cætera, quæ ſunt omnibus nota, quo me nitebaris obtrudere, alteramque quaſi inde mortui locum ſubſtituere? Quando igitur tu mihi non proſpexiſti, proſpexi egomet mihi. Conſcienciam tuam recole, comperies me feciſſe nihil, cuius pudeat, pigeatve. Sed omnia hæc omiſſa faciamus.

Mihi nunc idem eſt animus, qui fuit ſemper, te diligere vt fratrẽ, te colere vt patrem, te obſeruare vt Regem, precariq̧ Deum immortalem, vt quam diutiſſime viuas.

Quod ſi tu aliud cogitas, aut me cupis regni hæreditate mihi per leges debita ſpoliare, iniurius es in me, conquerar apud regni proceres, & apud optimates ciuitatũ, conteſtabor vicinos reges, deferam querelam meam deniq̧ ad Deum immortalem. Hæc ſunt, quę putaui ex cordis mei penetralibus depromere, vt animi mei ſenſum tibi declararem.

Quæ ſequuntur meo, atq̧ dulciſſimi coniugis mei nomine rogo, vt quę geſta ſunt, boni conſulas, probeſq̧, noſq̧ ambos in filiorum numerũ adoptes, viteq̧, neciſq̧ ius penes te ſit, perinde ac ſi ex te eſſemus procreati. Vale. At Sicilię Rex in hunc modum. Et ſi decretum mihi fuerat non dare literas ad illuſtriſſimã Dignationem tuã, quod mihi foret compertũ, quali animo eſſes in me, coniugẽq̧ meam, eamdẽq̧ ſororem tuam non potui tamen non obſequi voluntati illius, cui nihil denegare poſſum, quę me admonuit, vt aliquid omnino ad te ſcriberem. Sed impræſentiarum quid aliud debeam ſcribere non occurrit, niſi vt petam ab humanitate tua, obteſterque, vt quæ facta ſunt te abſente, æquiori animo feras, quoniam Deo imprimis auſpice, & cunctorum deinde ſummatum infimatumq̧ conſenſu facta ſunt. Neq̧ te iniquorum conſilia tranſuerſum agant, qui ſua cõmoda, nõ tua, & q̃ reipublicæ ſunt, requirunt. Scis, opinor, optime Rex, quos ſignificem. Quod ſi tibi animo eſt alienos tueri, non idcirco tuos abalienare debes, & ſi nobis volueris eſſe pater indulgens, & nos erimus tibi filij obſequẽtes, & ſi fueris nobis Rex mitiſſimus, & nos erimus tibi clientes obſeruatiſſimi. Cætera per amicũ ac familiarem meum Petrum Vaccã, qui iſthuc cum his literis, ac mandatis proficiſcitur, cõmodius loquemur. Cui, vt Dignatio tua fidẽ habeat, vehemẽter oro. Vale. At Rex, vt erat natura incertus animi, ſiue Magiſtri illius Spatharij ſuaſu, cuius arbitrio agebat oĩa, non literis, non mandatis, non viris, qui ad eum fuerunt miſſi, reſpondit aliud quicquam, niſi

velle ſe ad eam rem conſultandam conuocare regni proceres, vt ex illorum conſilio daret reſponſum, quid facturus eſſet.

Magiſter Sancti Iacobi agit per literas cum Rege Gallorum, vt Carolus frater Ioannam Enriqui filiam ducat vxorem.

Caput. II.

AT Spatharius Magiſter, qui egerrime tulerat matrimonium illud, dies noctesq;ue nihil aliud moliebatur, quam quemadmodum impediret labefactaretque ſucceſſionem illam principum, qui iam omnium ordinum conſenſu fuerant adiurati. Angebat callidiſſimi hominis ſpiritum, quod ex illarum nuptiarum fœdere, diſſoluebatur patrimonij ſui fundamentum, quod ad illum deuenerat ex iactura infantium, ſic enim appellant Hiſpani filios Regum poſt primogenitum, qui poſteaquam adiuratus eſt ſucceſſor, atque regni hæres, dicitur Princeps. Filij namque Ferdinandi illius, qui Ioannis Regis fuerat tutor, atque ex tutela fuit adſcitus ad Tarraconenſium, ac Siculorum, Inſularumq; noſtri maris imperium, infantes ſunt cognominati, vnde & Gentilicij agri, qui hodie a Mendocinis poſſidetur, infantatus appellatur. Igitur cum Enriquus Princeps adhuc ab Ioanne Rege patre ſuo diſſideret, hic Ioannes Paciequus autor fuit, vt pater cum filio rediret in gratiam, vt ex ea concordia vtriuſque copijs viribuſque coniunctis Ioannes Nauariorum Rex, idemq; pater Ferdinandi huius Siciliæ Regis, & Tarraconenſium pricipis cum Enriquo fratre, qui & ipſe fuit vnus ex infantibus, regno pellerentur, ſpoliarenturq; Gentilicijs hæreditatibus, quæ illis ex teſtamento Ferdinandi patris obtigerant. His regno pulſis, fugatiſq; bello, bona publicata ſunt, ex qua bonorum publicatione Marchionatus Villenenſis Ioanni Patięquo ceſſit, quē deinde tranſtulit in filium primogenitū hæredem. Magiſtratus quoq; ordinis Ciſtercienſis a Calatraua cognominatus, quo fuerat multatus. Alphonſus Ferdinandi Regis Tarraconenſium filius, eodē iure, ſiue iniuria ad Petrū Geryonū eiuſdē Ioannis Patięqui fratrē deuolutus erat. Qui cum videret Hiſpaniæ regnum per illas nuptias ad Regem Sicilię peruenturū, veritus ne poſtliminij iure Marchionatus, & fratris Magiſtratus ab illo reperetentur, nihil omittebat, nihil intentatū relinquebat, quo minus omnia interturbaret, cœlumq;, ac terrā miſceret. Itaq; ſecreto mittit literas ad Ludouicū Galliarum Regem hortans illum, vt mitteret petitum connubio Ioannam, quæ dicebatur Enriqui Regis filia fratri ſuo Carolo Aquitaniæ Duci, qui iampridem fuerat repudiatus ab Eliſabe Principe, quemadmodū in libro ſuperiori diximus. Per idem tempus Enriquus Rex erat in oppido, quod vocant Methymnam ad campum Emporiū illuſtre Hiſpanorum. At qui Rex Galliarū, qui ex petione illa paſſus fuerat repulſam, iratus Eliſabe principi, & quod ſibi, atq; fratri ſuo cōducere videbantur huiuſmodi nuptias cū Ioanna principe altera deſinata, atq; iterū ſi opus eſſet deſignanda, mittit oratores, quorū princeps fuit idem Cardinalis. S. R. E. quem ſuperius dictū eſt veniſſe ex ſimili cauſa petitū Eliſaben principem. Erant cum Enriquo Rege Methymnæ complures ex regni primoribus, ſed imprimis Magiſter Spatharius, Archiepiſcopus Hiſpalenſis, Epiſcopi Secontinus & Burgenſis, Rodericus Pimentellus Comes Beneuentanus. Quo cum veniſſet Cardinalis, honorificeq; eſſet exceptus, vſus eſt eadem prope oratione, qua in petenda Eliſabe principe antea fuerat vſus, commemorans Gallorum, atque Hiſpanorum Regum antiquam amiciciam, ſocioſque Penates, quod fœdus dicebat nunc arctiori vinculo

poſſe connecti, ſi Regis filia traderetur coniux duci Aquitaniæ. Oſtentabat præterea Gallorum Regis potentiã, ſi inter duos principes de regni poſſeſſione decernendũ foret. At Rex Enriquus, & quod ſorori erat infenſus, & a Magiſtro Spathario pulcherrime ſubornatus, non habita iuris iurandi ratione, quo illam principem declarauerat, non curans, quod ex tam turpi facinore multa ſequerentur mala, Reſpondet ſe libentiſſime uelle facere, quod petebatur, ſeq; daturum operam, vt quamprimum fieri poſſet, filia princeps, regniq; hæres, a cunctis iuraretur. Et ne res aliqua ex cauſa interpellari poſſet, dixit ſe ſtatim velle exequi, quod ſpondebat. Itaque comitatus, quibus dictum eſt proceribus, & Gallis oratoribus, cœpit tendere iter Butracum, vbi erat Ioanna iunior cum Ioanna matre. Quæ aduentate Rege profecta eſt in occurſum, cum filia virgine iam nubili ad quatuor millia paſſuum ſtipata ex primoribus Marchione ſanctæ Iulianæ, & Comitibus Clunienſi, & Tendillano, alijſq; compluribus ex eadem familia viris nobiliſſimis. Atq; ita in medio agro vtriq; cõſiſtẽtes, proh pudor, Hiſpani ſanguinis, illi ijdem, qui ad tauros Guiſandi, atq; iterum ad Ocaniam Eliſaben iurauerant principem, nunc tandem abiurarunt, atq; in eius locum Ioannam antea abiuratam, regnorum Hiſpaniæ principem, hæredemque iure iurando rurſus ſanxerunt, perinde ac ſi, vt clauus clauo ſic iuramentum periurio refigeretur.

Sponſalia Caroli cum Ioanna celebrantur, & Enriquus literis Ferdinandi & Eliſabes principum incuſatur.

Caput. III.

O Tempora, o mores, ſtrenui milites illi, & duces, qui ſub priſcis regibus fuere, cum pro religione, atq; pro republica multum ſanguinem fudiſſent, equum, & arma merebant, qui regni fines propagabant, pauca agri iugera, quaſi magnum virtutis ſuæ præmium aſſequebantur, ſic Hiſpana reſpublica in dies creſcebat. At noſtri proceres pro iuris iurandi contempta religione præmia petunt. Alius perfidiæ ſuę pretium vrbem paciſcitur, alius municipium, alius arcis præſidium, vnde iniquam poſſit exercere dominationem, agroſque populetur, alius tertias decimarum ad commeatus limitaneorum decretas, alius ex decimis regalibus decies centum millia dipondium annua, alius vicies, alius tricies, alius Epiſcopatum, alius Magiſtratum, & quiſque pro ſui ſceleris magnitudine debitam mercedem. Quod niſi ciuitates, & populi ſibi ipſis conſuluiſſent, ſeque integros venturis principibus reſeruaſſent, actum erat de pulcherrima Hiſpanorum republica: nullam certe hodie haberemus. His tranſactis Cardinalis procuratorio nomine ducis Aquitaniæ & noua Princeps ſe inuicem cõmentes, ille promiſſis arris, hæc ſpe regni dotalis ex more antiquo, & Romanæ eccleſiæ conſuetudine, ſponſalia contraxerunt, ſignatæ tabulæ, dictum fœliciter, ingens cœna ſedet, nihil aliud defuit, niſi vt iaceret gremio noua nupta mariti. Inde Segouiam regiam vrbem profecti, vnde Cardinalis cum cæteris oratoribus collegis dimiſſus eſt. Et populi, ciuitateſq;, & optimates, immo vero optimus quiſque audita ſponſaliorum celebritate, quaſi iam Galli tranſcenderent Pyreneum, & ex altera parte cogerentur exercitus ad decertandum armis ciuilibus, ita miſerebatur fortunã Hiſpanię, ita flebant omnes caſus impendentes, & quęcunq; ſolent in bellis inteſtinis accidere. Erant tamen plæriq; omnes in Ferdinandum & Eliſaben animo propenſiores, oderantq; in dies & Regem, & Magiſtrum tanquam omnium impendentiũ malorum autores, concinnatoreſq;. Sed Magiſtrum imprimis, qui nouã Aquitanorum ducis

ſponſam curauit, vt in poteſtatem ſuam redigeretur, quo pignore vti, atq; abuti poſſet regia poteſtate pro arbitrio ſuo. Quo nuncio ad Ferdinandum Eliſabenq; principes delato, cum intelligerēt omnia iam ad arma ſpectare, conſtituerunt antea, quam aliud quicquam molirentur, obteſtationibus ipſum Regem ab incepto deterrere. Qui ſi nollet abſiſtere, illum diris imprecationibus execrari, tanquam artificem & fontem malorum, quæ inde prouentura forent. Literæ autem in hunc fere ſenſum ſcriptæ. Superiori anno miſimus ad Celſitudinem tuam literas cum mandatis, in quibus continebatur excuſatio, quod te inconſulto iniĳmus fœdera coniugalia, quodque id non eſt a nobis peractum eo animo, vt regiam Dignationem tuam læderemus, quin potius, vt liberius illi obſequeremur, inſeruiremuſque non tanquam alieni ſed vt filĳ obnoxĳ, atque obærati, cuius animi noſtri certa quædam pignora nos daturos eſſe pollicebamur.

Reſponſum eſt certi nihil potuiſſe nobis reſcribi, niſi re communicata prius cum quibuſdam ex regni primoribus, quos Celſitudo tua erat ad hoc ipſum conuocaturus.

Quod reſponſum expectantes nihil interim omiſimus eorum, quæ probos atque obtemperantes filios facere decuit, tum honorifice de humanitate tua, & loquentes. & ſentientes, tum etiam alios ad illud idem faciendum exhortantes. Teſtes ſunt complures ciuitates, & municipia, quibus ſuaſimus, vt tibi, tuiſq; iuſſis obſequerentur, atq; imprimis ornatiſſimum hoc oppidum Valladolitum, quod a Celſitudine regia plane deſciuerat. Quod ſi aliud officium noſtrum deſideratur, parati ſumus illud crebritate obſequiorum reſarcire. Erit itaque tuum iubere, noſtrum vero iuſſis obtemperare. Cum vero ſupplicationis noſtræ oraculum expectaremus, non modo nihil reſponſum, ſed etiam facti ſumus certiores te animo in nos hoſtili excitare exteras nationes genti noſtræ inuiſas in perniciem, euerſionemque reipublicæ Hiſpanæ, quodq; ægrius ferimus, id non tam arbitrio tuo, quam ſuaſu quorumdam hominum, qui neq; tuum obſequium, neq; publicam vtilitatem, ſed propria commoda ſequuntur. Nam quę alia potuit eſſe cauſa tantæ nouitatis poſt iuratam a te imprimis, deinde a cunctis ſummatibus, & infimatibus regni ſucceſſionem nobis per iura diuina & humana debitam, cum præſertim nihil omiſerimus eorum, quæ filios erga parentes facere oportuerit? Quod ſi nos cum eo ſimus animo, non impetramus tanquam a patre, at liceat nobis obtinere tanquam a bono viro, iuſtoq; iudice, vt ius noſtrum non amittamus,

Id autem quo pacto libere poſſit fieri nos hanc rationem excogitauimus, niſi alia potius tuæ videbitur prouidentiæ. Conſtituatur municipium natura, arteq; munitum, idq; teneatur præſidio quatuor ex regni primoribus ex vtraque parte duobus, qui ſub fide publica præſtent ſecuritatem de ſuo iure diſceptantibus, atq; etiam ipſis iudicibus de cauſa decernentibus. Eo conueniant omnes omnium ciuitatum Hiſpaniæ procuratores & viri religioſi probatę fidei, ĳdēq; doctiſſimi quotquot in regno parari poſſint, qui perſancte imprimis iurati ſe decreturos, quod ex iure decernendum eſſe cenſuerint.

Audiant rationes, quas vtraq; pars pro ſuo iure tuendo attulerit. Quorum ſententię ex hoc tempore nos ſtaturos pariturosq;, neq; vnquam prouocaturos pollicemur, cui diſcrimini cauſam noſtram ſubĳcimus, ne ciuilibus, atq; peregrinis armis diuini cultus obſeruatio intermittatur, & regni tranquillitas perturbetur. Atq; vt ad breuiorem numerum iudices redigantur, ſimul etiam, vt ſuſpecti reĳciantur, liceat vtriq; parti quinquagenos, aut centenos, aut quotquot viſum fuerit ex omni numero reprobare. Quod ſi, vt plærunq; fit, inter ipſos iudices non conuenerit, eſt Petrus Veraſcus Comes Pharius vir bonus, idemq; ſapiens, vel vtriuſque partis, vel potius omnium conſenſu huiuſ

modi iudicatus. Is cum quatuor viris religioſis, quatuor ordinum prælatis beatorum Franciſci, Dominici, Hieronymi, Cartuxenſis, qui & ipſi iure iurandi addicti pro arbitrio ſuo atq; conſcientia decernant, atq; componant inter partes, quid ſequi, aut quid fugere debeant. Quando igitur non ſine vlla doli ſuſpicione ſubmittimus cauſam noſtram iudicio talium virorum, petimus, obteſtamurque per ipſum, qui eſt iudex uiuorum & mortuorũ ſcrutans corda & renes Deus, ne deneges nobis id, quod nec infimo cuiquam ex tuis ſubditis denegare potes. Quod ſi neq; hoc quidem impetramus, ipſam cœli pietatem, quæ talia curat, imploramus, quæ diſtribuit cuique pro meritis, his præmia, illis pœnam. Nos plane omne ſcelere immunes erimus, tibi omnia reipublicæ, atq; diuini cultus detrimenta imputabuntur. Vale. Ad hæc omnia Rex nihil reſpondit aliud, quam ipſam potius ſororem fuiſſe autorem omnium malorum, quæ ex illo connubio prouentura erant, quando ſe inuito immo etiã prohibente auſa eſſet maritum ſibi quærere. Mala igitur omnia quæ ominabatur in ſe ipſam, atque in eos quibus talia placebant, potius eſſe retorquenda.

Sepulueda, Arunda, Agreda, Turdeſellæ municipia Ferdinando & Eliſabe principibus ſe dedunt.

Capvt IIII.

AT principes habito Regis reſponſo, quo tutiore in loco eſſent, ex Domnis, contulerunt ſe Methymniam ad flumen Siccum, quod municipium erat Hiſpaniarum Archithalaſſi, ibiq; aliquot dies manſerunt expectantes quid Rex interim moliretur. Magiſter vero ille Spatharius, cui nihil vnquam ſatis fuit, petijt a Rege artis ſuæ ſtipendium Sepuluedam municipium ornatiſſimum, quod ſibi, atque poſteris ſuis hæreditario cederet iure. Quod Rex non grauate, quemadmodum & alia huiuſmodi multa cõceſſit, paratus etiã donare quicquid per improbitatẽ ille auſus eſſet petere. Id fuit initium, vt vrbes, oppida, municipia, caſtella, & arces non habita vlla Regis ratione deſciſcerent, quando videbant patrimonium regale tam facili ex cauſa diſſipari. Sepuluedani itaq; facti certiores de municipij ſui alienatione munire oppidũ vallo & foſſa, reficere muros, & pinnas, diſponere pluteos & propugnacula, intẽdere tormẽta & machinas, parati vitã pro libertate paciſci. Macti virtute, quos non validiſſimus hoſtis, non iniqua Regis iuſſa, & interminationes flectere potuerũt. Sed quia deerat illis tam pręclari facinoris autor adſciuerunt ſibi principes, ad quos videbant eius oppidi quemadmodũ aliarum omniũ rerum poſſeſſionẽ ex iure peruenturã. Qui nuncio accepto, ne amitterẽt occaſionẽ, accurrerũt. Itaq; in hunc modũ oppido ſunt potiti, atq; ex eiſdem oppidanis diſpoſito pręſidio profecti ſunt Complutum, vbi erat Archiepiſcopus Toletanus, ibiq; per aliquot dies morati ſunt. Per idẽ vero tẽpus Arundã ad Duriũ municipiũ pulcherrimũ, quod erat decretũ Ioannę Reginę ſumptibus, pulſis, qui eiuſdẽ Reginę nomine res adminiſtrabãt, ſe quoq; principibus dediderũt. In eorũdem quoq; poteſtatẽ venit Agreda municipiũ itẽ celebre, quã Rex donauerat Ludouicũ Cincinnatum Comitẽ Methynęceli. At oppidani quanq; ex hoſte detrimẽta multa pertulerant populatis agris & parte oppidi ambuſta, nihilominus tñ ſe in libertatẽ vendicarũt. Per idẽ quoq; tẽpus caſtri Inui pręſes, q̃ lõge lateq; p̃ vias publicas perq; agros, vicoſq; graſſabatur, pręſidio occupauerat oppidũ Turdeſellas ad Duriũ flumẽ. Id hac ratione venit in pricipũ ptãtem. Erat Alphõſus Quintanilla vnus ex familiaribus Eliſabes principis,

vir ingenioſus & prudens, & cuius opera poſteaquam principes rerum potiti ſunt, fuit in rep. ſingularis. Is egit cum quibuſdam oppidanis, vt deceptis vigilibus, & circui toribus oſtenderent aditus, per quos principum milites auxiliares in munitiones pene trarent. Re compoſita Princeps ipſe cum Duce Albanorum intempeſta nocte bipar tito agmine oppidum adorti ſunt, alteri a Durij fluminis parte ſecreto ſcaphis, cymbiſq; inuecti: alteri a parte fluminis aduerſa, tandemq; admiſſi oppido ſunt potiti. Præſes vero per tenebras fugiens in caſtrū inuiſe recepit. Hæc quatuor municipia venerunt in dicionem principum, anno a natali Chriſtiano Milleſimo Quadringētēſimo ſeptua geſimo ſecundo.

De morte Caroli Aquitaniæ ducis. Laborat quoq; Enriquus, vt det filiæ ſpon ſum Alphonſum Luſitanorum Regem, & deinde Enriquum Enriqui filium. Caput. V.

ANNO in ſequenti Carolus Aquitaniæ Dux, cui auibus ſiniſtris Ioannam filiam putatiuam, immo nec putatiuā quidem Enriquus Rex deſponderat, veneno extinctus eſt, cum eſſet Ocaſone Vangio num Aquitaniæ municipio nobili. Fuerunt qui opinarentur a Lu douico fratre Gallorum Rege perpetratum id facinus, propterea quod ſentiebat cum Ducibus Britannorum, Burgundiorumq; acer rimis hoſtibus Regis alijſq; quamplurimis, quin illius perniciem coniurauerant. Qui nuncius cum ad Enriquum Regem perueniſſet, doluit plus quā pro materia, cum præ ſertim hominis ingenium eſſet, vt ille doleret nihil, quod ſoleat homini dolorem incute re. Itaq; excluſus illa ſpe aliam viam aggreſſus eſt. Agit per nuncios cum Alphon ſo Luſitanorum Rege, vt conueniant ad pacem Auguſtam, quæ ciuitas eſt in collimi tio vtriuſq; regni commentaturi, ſcilicet de rebus ad vtriuſq; regis vtilitatem ſpectanti bus. Igitur conſtituto loco, & tempore conueniunt ad præſcriptum. Qui collocu ti inter ſe quædā communia: paucaq; ad rem pertinentia, cætera quę ad ſponſalia condu cebant, egerunt per amicos, & familiares. Petebat Luſitanorum Rex arraboni, ſiue pignori earum rerum, quæ ſpondebantur, certas quaſdam vrbes, & municipia, & ca ſtella, arceſq; in liminibus vtriuſq; regni: id quod Enriquus nullo pacto præſtare pote rat, propterea quod illius vires, & potentia erat iam per exigua, atq; multo minor auto ritas in alienandis maxime rebus, quæ ad regale patrimonium pertineret. Quare ni hil eſt effectum ijs de rebus, propter quas eo conuenerant. Fuit ſuſpicio Luſitanorum Regem declinaſſe coniugium illud propoſitis condicionibus, quas intelligebat adimple ri non poſſe, re autem vera alias fuiſſe cauſas, ſiue quod diffidebat iuri neptis ex ſorore, eo quod iam erat diuulgatum Reginæ ſororis adulterium, neq; poterat ſalua conſcien tia huiuſmodi vxorem ducere, cuius dos iniuria foret repetenda. Siue quod intellige bat dari ſibi acerrimum competitorem Siciliæ Regem, qui præter ſuas vires, quæ erant alioqui ſatis validæ, haberet in regno, de quo certandum erat, complures ex primoribus ſanguine, & affinitate propinquos, atq; alios complures amicos ad hæc ipſius Regis Si ciliæ propria. Quid quod iam præiudicata, atq; adiurata erat regni ſucceſſio Eliſa be principi ab optimo quoq; viro, atq; vrbium, populorumq; procuratoribus. Itaq; ex ſuperioribus cauſis colligebat, non tam dari ſibi eo nomine vxorem regno dotatam, quam bellum quod in perniciem ſuam, ſuorumq; complures annos videbatur duratu rum, atq; infecto negotio digreſſi ſunt. Excluſus ea quoq; ſpe Enriquus Rex, iniecit

animum alio. Erat Enriquus Ioannis Tarraconenſium Regis ex Enriquo fratre nepos, quem poſteaquam ex vulnere, quod Vlmetano prælio acceperat, diem ſuum obijt, perinde atq; filium ex ſe genitum educarat. Huic Enriquus Rex deſtinat deſpondere, quam volebat nuncupari filiam, vt inter patrueles de regno dotali diſceptaretur, agitq; per Rodericum Pimentellum Beneuentanum Comitem, qui erat Enriquo propinquus arctiſſimo ſanguinis vinculo, vt aſciſceret illum ex Tarraconenſi prouincia, expoſita cauſa cur inde venturus eſſet. Factus igitur a Comite certior omnibus de rebus, non accepto, neque petito a patruo Rege commeatu, properat ad regni ſpem, tametſi ſciebat, cum patruele ſibi fore decertandum, cuius aduentus Enriquo Regi fuit iucundiſſimus.

Magiſter ſancti Iacobi diſturbat Ioannæ ſponſalia cum Enriquo Enriqui filio. Obtinet Madriti arcem, Petitque Segouienſem.

Caput. VI.

INTER Spatharium Magiſtrum, & Comitem Beneuentanum illius generum erat non obſcura ſimultas ex eo, quod cum eſſet Comes in ipſo articulo magiſtratum illum aſſequendi, ſocer quibuſdam cauillis anteuertit negotium, ac veluti ex generi manibus extorſit dignitatem, quæ poſt regiam in Hiſpania habetur omnium prima. Videns itaq; Magiſter Comitem fuiſſe autorem euocandi Enriquum alioqui propinquum ſuum, veritus ne ſi ad regni faſtigium aliquando perueniſſet, inde ſibi labes aliqua ſuboriretur, contulit ſe ad artes conſuetas, cœpitq; diſturbare nuptias, cum præſertim ſponſa foret in poteſtate ſua. Cũq; Rex inſtaret perducere rem ad id, quod iam diu concupierat, Magiſter cauſabatur inimicicias cum genero, atq; proinde cum Principe futuro, petebatq; a Rege arcem Madriti, quo poſſet tuto in curia permanere, quandoquidem Rex municipium illud frequentare conſueuerat. Arx illa tenebatur præſidio ab Andrea Caprario, quem Rex præfecerat domui ſuæ villicum, & cui ex amicis fidebat plurimum. Is ſemper fuerat autor reconciliandi Magiſtrum Regi, iam inde ab eo tempore quo deſciuerat, ſequebaturq; partes Alphonſi fratris, & Magiſter ipſe fatebatur ſe eo nomine multum Villico debere, ſed in hac re, quæ ſibi eſſet tam conducibilis, & opportuna: non debere illum, dicebat, ſibi obſiſtere, cum præſertim alijs in rebus, quæ ad illius vtilitatem, honoremq; pertinerent, poſſet illi gratificari. Quod ſi animus erat, qualẽ ſe eſſe profitebatur, ex lege quæ de amicicia eſt a philoſophis conſtituta, negocium erat dimetiẽdum. Ea eſt, quod amicus debeat reddere amico, ſi ex ipſius paruo detrimento ſequantur amico grandia commoda: & quæ poterant eſſe maiora quam ſui capitis ſecuritas? quæ proculdubio ſponderi videbatur arce illa occupata militiſq; ſui præſidio munita. Sed nihil villici preces, nihil officiorum commemoratio, nihil querelæ, atq; parum grati animi incuſationes valuerunt, quin Magiſter ex præcepto Regis arce potiretur. Qui factus voti compos nihilominus nuptias interturbabat cauſatus iterum pericula, quæ ſibi inde tam a genero, quam a futuro Principe impendebant, neq; ſatis illi eſſe ad ſui capitis incolumitatem tutandã Madriti arcem, niſi etiam Segouienſis adiungeretur, propterea quod illud quoq; oppidum, & maiori quidem anni parte Rex frequentaret, ſe autem non poſſe conſiſtere, niſi vbi Rex ſenatuſq; regius, & curia eſſet. Quod ſi impetraret, ſe daturum operam pollicebatur, quemadmodum ex Regis voto omnia conficerentur. Cæterum Rex intelligens ſe deluſum Magiſtri dolis, & quod poſt traditam illi arcem Madriti, petebat rurſus Segouienſem, quam ſi tra-

deret, ſuſpicabatur pari ratione aliud quicquam petiturum, cœpit ſubindignari Magiſtro, neqꝫ enim id palam facere audebat, veritus ne ſi beneficium beneficio non cumularet, omni ſua ſpe fraudaretur, & amicum qualitercumqꝫ fidum perderet, maxime cu m in illius poteſtate filia eſſet, quam cupiebat Enriquo infanti quamprimum collocare.

In ea igitur perplexitate poſitus, dubiuſqꝫ quid faceret ſecutus eſt tandem aleatorum perditum illud conſilium. Sic ne perdiderit non ceſſat perdere luſor. Imperat præſidi, vt tradat Magiſtro arcem. Is erat idem Andreas Caprarius, qui cœpit illudere Regis iuſſa, dicens nihilomagis magiſtrum effecturum, quæ pollicetur arce obtenta eo argumento, quod qui vna in re fidem ſefellerit, credibile eſſet, & in altera ſimili paria facturum. Inde Magiſtri cum Regis villico inimiciciæ confirmatæ, neqꝫ id iam occultis odíjs, ſed palam, donec ventum eſt ad arma, Magiſtro nitente oppugnare arcem, præſide non modo propugnare, ſed ipſum oppugnatorē vrbe, atqꝫ ſuburbio pellere, id quod factum eſt, nec difficulter quidem. Nam & portæ vrbis, & templa, ceteraqꝫ munita loca tenebantur à præſide, in quem oppidani erant propēliores, vti in bonum ciuem, potioremqꝫ cauſam defendentem. Magiſter vrbe pulſus, ſe Madritum contulit. Per idem tempus Petrus Mendoza Epiſcopus Secontinus a Xyſto Pontifice huius nominis quarto creatus eſt. S. R. E. Cardinalis ſub titulo ſanctæ crucis, vocatuſqꝫ eſt deinceps Cardinalis Hiſpanus. Iſdem præterea diebus Michaelus cognomento Lucas, quem Rex comeſtabilem creauerat, per tumultum a Menteſena plebe armis obrutus eſt, in cuius locum ſufficitur Petrus Veraſcus comes Pharius, idemque Regis cubicularius maximus.

De aduentu Vicecancellarij Cardinalis in Hiſpaniam, & quod Enriquus redit in gratiam cum ſorore principe, & deinde fruſtratur.

Caput. VII.

ANNO inſequenti, qui fuit quartus & ſeptuageſimus ſupra milleſimum quadringenteſimum Rodericus. S. R. E. Cardinalis Vicecancellarius cum poteſtate legati de latere venit in Hiſpaniam.

Qui primo ſuo aduentu cœpit agere de concordia inter Enriquum Regem, & ſororem, coniugemqꝫ illius principes deſignatos, quibus imprimis curauit Magiſtrum reconciliãdum, quod intelligebat illum eſſe inimiciciarum caput, atqꝫ interpellatorem pacis. Cæterum Rex cum videret ex ea cum Magiſtro reconciliatione conſilia ſua impediri, & ipſe per amicos egit, quemadmodum principes in gratiam ſecum redirent, qui cum eius accitu veniſſent Segouiam eos benigne excepit, atqꝫ verbo, & opere illos honorifice tractauit. At principes ediuerſo ſe poſthac Regi obſecuturos, neqꝫ ab illius voluntate deinceps vnguem tranſuerſum declinaturos profeſſi ſunt ſimul etiam ſe illi oſtenſuros dicebant, quibus præſtigíjs a quibuſdam hominibus eluderetur, qui non ipſius Regis decus, non reipub. vtilitatem ſed ſua propria commoda ſequerentur. Hic reditus in gratiam, Magiſtro permoleſtus fuit, cœpitqꝫ & ipſe nouas aliũde amicicias quærere. Venit itaqꝫ Collariũ, quod municipium erat Ducis Alburquerqueri. Is erat qui putabatur a cunctis ſubditiuæ principis alterius pater. Agitqꝫ cum illo de moliendis rebus nouis contra factionis aduerſæ partes, ſed imprimis contra Regis villicum, qui conatus ſuos in obtinenda Segouienſi arce impedierit. Interim homo callidus, & qui nihil vnquam intentatum

nihil inauſum relinqueret, ſecreto Regem ſolicitat, ſi vellet omnia ex voto ſibi ſuccedere, filiamque ſine controuerſia cui deſtinarat, matrimonio tradere, atque proinde dum viuere: nullo interpellante regno potiri, atque poſt obitum certam regni hæredem filiam relinquere, vno facto hæc omnia facillime poſſe confici, ſi principes ſimul & Archiepiſcopus Toletanus cum Andrea Caprario in vincula conijcerentur. Ex altera quoꝗ parte Comes beneuentanus, qui ſummopere cupiebat propinqui ſui cum ſubdititua principe nuptias quamprimum confici, Regem ad properandum facinus extimulabat. Cæterum Rex homo natura quoquo verſus impelli leuiſſimus, ſimuletiam maturandi filiæ matrimonij cupidus, neꝗ minus Toletani præſulis puniẽdi auidus, nõ veritus fidei, atꝗ violatæ amiciæ iura ſoluere, nõ abnuit ſcelus oblatũ. At quod peragendum conſtitutum eſt, vt milites clam intra vrbem certis in locis diſponerentur, qui ſigno dato crumperent ex compoſito, remque conficerent. Non defuerunt, qui Regi dicerent tam peſſimi exempli facinus non attentãdum. Poſſe enim fieri, vt ciuitates, & populi indignitate rei permoti iudices, aſſertoresꝗ accurrerent, ipſiuſꝗ regis capite lueretur, quicquid conſiliarij peſſimi delirarent. Certiores facti principes omnium, quæ aduerſum ſe gererentur, Ferdinandus in caſtellum munitiſſimum Turocanum ſe recepit. Eliſabe vero vxor, tametſi admonebatur a cunctis, vt & ipſa quoꝗ ad tempus ſecederet, voluit potius fortunam ſuam, atꝗ amicorum fidem experiri, magnoque animo, magnaꝗ ſui fiducia perſtat in vrbe, curatꝗ per Regis Villicum, cæteroſꝗ amicos fidos portas, & templa, & vrbis loca munitiſſima præſidio firmari, ne quid detrimenti ab aduerſarijs capere poſſet. Rex cum videret ſe fruſtratum ſua ſpe, ceſſit vrbem ſorori, ſeꝗ Madritum contulit, quem eueſtigio ſecutus eſt Magiſter, vt odij ſtimulos acriores admoueret in ſororem, coniugemque ipſius, atque imprimis in Villicum Segouienſis arcis præſidem, tanquam in præcipuum excludendi ab vrbe Regis autorem.

De caſtri Iulienſis arce Magiſtro ſancti Iacobi tradita, deꝗ illius obitu & concertationibus inter competitores Magiſtratus.

Caput. VIII.

INTER vrbes & municipia, quibus Rex Magiſtrum donauerat, fuerant caſtra Iulia, quod oppidum vulgo dicunt Trogilium, & ingenio ſitus, & ciuium opulentia in Luſitania nobiliſſimum. Eius arcem ſub fide publica tenebat præſidio Gracianus quidã cognomine Seſſius, qui nolebat Magiſtro poſſeſſionem cedere, quamquam eſſet id ſibi a Rege crebro imperatum: cauſatus neſcio quos ſumptus, quos in munitiores, & milites præſidiarios diſtribuiſſet. Qua de cauſa Rex eo profectus non potuit alia condicione Gratianum arcis præſidio extrudere, quam ſi hæreditario iure concederetur illi caſtellum ſancti Fœlicis Callaicorum cognomento.

Quo die tradita eſt arx, cui Magiſter ſuo nomine tradi voluit, ipſe ex abceſſu quodã pernicioſo in altera maxilla oborto diem ſuũ obijt in vico ſanctę Crucis, qui diſtat a caſtris Iulijs, auſtrum verſus, duodecim millibus paſſuum. Cum animam ſingultaret moriens, quærebat identidem ab abſtantibus, an Iulienſis arx præſidi ſuo iam eſſet tradita.

Pulchra in morte cogitatio, atꝗ vitæ exactæ ſimillima. Sed pro Deus immortalis quã diſſimilis hic Epaminũdę illius Thebani, qui cũ apud Mãtineã q̃ pręlio Lacedęmonios ſupauit ꝑ patria pugnãs vulnus illud lœtale accepiſſet, noluit ferrũ ex vulnere tra-

here, quoad audiuit victoriam penes Thebanos eſſe, quærens quo in ſtatu res Thebana foret. Hic vero quærit moriens, an arx iniuria, & contra remp. ſibi donata præſidi ſuo per manus, vti aiunt, tradita ſit. Sed neque qui precio arcem prodidit, ſuperuixit diu, Si quidē a ſancti Fœlicis ſui inquilinis, lapidibus per tumultū obrutus, pœnas ſuæ proditionis debitas exoluit. Ex obitu Magiſtri aliquot ſecutæ ſunt ſimultates, atq; Spatiferorū ordinis diſſidium inter duos acerrimos Magiſtratus competitores Rodericum Mauricū Parietinum Comitem eiuſdem miliciç commendatarium a Secura, & Alphonſum Cardeniēſem prouinciæ Legionenſis cōmendatariū maximū. Cumq; illius ordinis duæ ſint prouinciæ, legionis altera, cuius conuentus eſt ſub primore diui Marci, altera Caſtellæ cuius conuentui præſidet Primor Velenſis vterq; ex competitoribus curauit ab altero Primoribus fieri conuocationē tredecim cōmendatariorū, ad quos Magiſtri electionē ex ipſius ordinis cōſuetudine atq; decreto pertinebat. Parietinus namq; Comes conuocationem illam dicebat fieri debere ex antiquo ritu, a Primore Velenſi.

Commendatarius maximus ediuerſo, a Primore ſancti Marci, cum præſertim in ipſius ordinis conſtitutionibus eſſet difinitum comitia debere fieri in illius prouinciæ conuentu, in qua Magiſter diem ſuum obiret, obijſſe autē deceſſorem in agro Caſtroiulienſi, qui proculdubio ad legionis prouinciam pertinebat. In hac controuerſia ſuffragatoribus ab vtroq; primore conuocatis, vterq; ex competitoribus eligitur, ſalutaturq; Magiſter, Comes parietinus Caſtellanæ prouinciæ commendatarius maximus Legionenſis. At parte ex alia Iacobus Patiequus Ioannis Patiequi deceſſoris Magiſtri filius, idemq; Marchio Villenatium dicebat patrem cum adhuc viueret, abdicaſſe Magiſtratū inmanus ſummi Pontificis, ſpectaretq; in dies Apoſtolicæ ſedis confirmationē, habereque ſui ſtudioſos, fautoreſq; non nullos ex tredecim viris, atq; imprimis Oſornini Comitis Caſtellanæ prouinciæ, cōmendatarij maximi ſuffragationē nō contēnēdam.

De inſtitutione primi ordinis miliciæ Sancti Iacobi, & quomodo deinde propagatus eſt.

Caput. IX.

SED quando in Spathiferorū ordinis, ipſiuſq; Magiſtratus, quæ dignitas poſt regiam apud Hiſpanos habetur prima, mentionem incidimus, neq; ſatis conſtat inter autores, quo tempore, aut quibus initijs & per quos fuerit tam inſignis militia conſtituta, viſum eſt hoc in loco quid hac de re pro cōperto habeamus exponere. Sunt qui dicāt hunc ordinē cœpiſſe ſub Alphonſo, cui foret cognomen caſto, Chriſtianç ſalutis Anno circiter Vigeſimo ſupra Octingenteſimum. Sed neq; produnt, quis fuerit ordinis inſtituendi autor, aut quis illi tanta vectigalia donauerit, vnde tam numeroſus exercitus ali poſſit, aut quid tam longo temporis ſpacio per enſiferos equites ſit geſtum, cum nulla ipſorum in hiſtoriarum libris, quos ego legerim, mentio ſit habita. Quantum vero ex priuilegijs huic ordini cōceſſis colligere poſſumus, hæc militia videtur initium habuiſſe ſub Alphonſo Hiſpanorum Rege huius nominis nono, Extat in monumentis Alexandri tertij Pontificis maximi, anno Pontificatus ſui ſeptimo decimo, ſalutis vero Chriſtianæ ſexto & ſeptuageſimo ſupra Milleſimum Centeſimum in fauore ordinis priuilegium conceſſum. In quo refertur fuiſſe in Hiſpania temporibus illis, viros quoſdam nobiles ordinis equeſtris, qui ſe ipſos, omniaq; bona ſua Chriſti militiæ

comprehendendi, quod putabat illo pignore ſe habiturum magis propicium ipſum Regem ad magiſtratus conſecutionem. Erat autem Rex licet natura & voluntate abſtemius, lithanicus tamen & nephriticus & ileoſus, quibus morbis eo tempore vehementius vrgebatur. Qui tametſi a medicis prohiberetur iter facere, intentantibus imminens periculum, quod inde ſequebatur, nihilo tamen ſegnius iter arripuit. Quem aſſectati ſunt Cardinalis Hiſpanus, Comeſtabilis, idemq; Comes Pharius, Marchio ſanctæ Iulianę, Comes Beneuentanus, Comes itē Clunienſis, alijq; complures ordinis equeſtris primores. Conuenerunt præterea eodem, Archiepiſcopus Toletanus, & Epiſcopus Burgenſis. Qui omnes pro parte ſua negocio inſiſtentes, rem ſic tranſegerunt, ut Marchio ſub certis conditionibus tandem abſolueretur. Cœptum eſt præterea ibidem agi, de cōcordia Regis cū principibus, ſed dum altera pars Regē placat, exulcerat altera, nihil eſt conſectum. Rex vero, cū in dies morbi conualeſcerēt, nihil iam medicis promittētibus, Madritum redijt, vbi vita defunctus eſt, quinto decimo poſteaquā eo conceſſerat die, qui fuit tertius ante idus Decembris, Anno a natali Chriſti Quartus & Septuageſimus ſupra Milleſimum Quadringenteſimum. Regnauitq; annos viginti, Menſes quatuor, Dies duos & viginti, Vixit annos quinquaginta. Depoſitū eſt corpus in cœnobio diui Hieronymi iuxta Madritū, deinde non multos poſt dies, tranſlatū eſt in monaſteriū Guadalupi, vbi cū moreretur ſe humandū preceperat. Inferias duxit, curauitque funus, & cum deponeretur cadauer, & cum transferretur, Cardinalis Hipanus, qui Mauſolæum quoq; illi, vt benefactori ſuo ſimulachrumq; faciendum locauit. Inſtituit præterea duorum ſacerdotū collegium, qui bis illi cotidie parentarent. Teſtamentum quod cum ſolēnitate, quemadmodū dicitur, fecerit repertū eſt nullum, niſi quatenus cum moreretur dictauit pauca voluntatis ſuæ verba, quę notis excepit Ioannes Ouetanus, cui ex omnibus ſecretarijs maiorem habebat fidē. In quibus continebatur tantum dare ſe conficiendi teſtamenti facultatē, atq; voluntatis exequendę Cardinali Hiſpano & Marchioni Villenati. De principe vero, quæ diceretur ipſius filia putatiua fieret, quod ab eiſdem teſtamētarijs & inſuper a Marchione ſanctę Iulianę & Areuacorū Duce & Comite Beneuētano faciendū decerneretur. Fuit ſtatura aliquāto procerior, corpore bene compacto, facie laciuſcula, naſoq; cōplanato, citra deformitatē tamen. Delectabatur plurimum in venationibus, propter quas frequēter petebat ſolitudines, & loca deſerta. Inſumebat multū tēporis in muſica, tum audiēs cantores, fidicineſq;, tum ipſe per ſe fidibus accinens, & quidē cum vocis quadā ſuauitate. Erat mirum in modū ędificandi cupidus, vnde & arces complures muniuit, ædeſq; ſacras a fundamentis excitauit, monaſteriaq; conſtruxit: locupletauitq; veſtigalibus, & donarijs. Fuit natura clemētior, quā regnorum gubernatores decet, profuſior in largitionibus, quā regum magnificētia poſtulat, ſed præcipue in excipiendis exterarum gentium legationibus. Vtebatur veſtibus, neq; ex precioſa materia, neq; figura exquiſitiori, ſed qualibus mediocris conditionis ciues honeſte vti poſſent. Exercitū pergrandē alebat, tū p̄torianarū cohortiū, quę ſemp exuberarēt in armis, tū etiā euocatorū, qbus vtriſq; ſumma fide ſtipēdia, ſtatutis tēporibus reddi curabat, & hęc oīa vſq; ad regni ſui annū decimū, ī dies cōualuerūt, vnde nō ſubditis modo, verū etiā finitimis Regib⁹ erat verēdus, cū ſubito paulatim oīa defluere atq; deinde in p̄ceps ire cœperūt, alteroq; decimo tantarū gloria rerū intercidit, vt ne veſtigiū qdē illius vllū relinq̄retur. Nā & amicorū ſuaſu, quę prima labes maliſuit illi, p̄torianas cohortes emiſit, qbus exarmatus cū voluptatibus ſuis indulget, primū ab ijs qbus fidebat, deinde ab alieniorib⁹ contēptui ſimul & ludibrio haberi cœpt⁹ eſt, atq; eo tandē calamitatis de-

uenit, vt ex publicis vectigalibus nihil aliud reciperet, quã quod per regni primores, gubernatoreſq; ciuitatum licebat. Quæ omnia fortiſſime patiebatur, non tam ex inſenſibilitate, cum alioqui natura eſſet ingenioſiſſimus, quam ex quadã ſibi innata animi ęquitate. Iocabaturq; ſæpe in fortunam ſuam, nam fuit & in hoc emunctæ naris, ac perquã facetus. Cum aliquando inſimularetur quibuſdã de rebus, quarum non erat ſibi conſcius, miror, inquit, cur me non inſimulant quoq; quod monetam ferio, quod de falſarijs dici conſueuit. Cumq; illius iuſſis non obtemperaret quiſpiam, non abibit mihi impune dicebat, nemo enim me vnquam læſit, qui non e ueſtigio debitas mihi penas exolucrit. Sed de vita & moribus plura, ſi contigerit nobis aliquando illus hiſtoriam latiori ſtylo proſequi.

PRIMÆ DECADIS LIBER TERTIVS. ELISABE CVM FERDINANDO

coniuge Rex & Regina declarantur, & ex primoribus, qui obſequium exhibuerunt, qui reſtitere contumaces.

Caput Primum.

QV O tempore Enriquus Rex vita defunctus eſt: Eliſabe princeps agebat Segouiæ. Quæ cum primum facta eſt de obitu fratris certior, inferias illi, iuſtaq; magnificentiſſime perſoluit, ſeq; Reginam declarari, ſalutariq; ab omnibus curauit. Nam coniux ea tempeſtate aberat ex bello Ruſcinonenſi, multis negocijs in Tarraconenſi prouincia implicitus. Paucis enim menſibus ante Ioannes pater Perpiniana obſidione a Gallis oppreſſus, ſuppetias a filio implorauerat, qui comparato quam maximum potuit exercitum ex Hiſpanis Tarraconenſibuſq;, tum grauis, tum leuis armaturæ militibus, patrem de facienda ſub iniquis conditionibus deditione cogitantem, repentino ſuo aduentu obſidione liberauit. Segouienſes ciues editiſſimo ſuggeſtu facto, quo omniũ ordinum viri conuenerant, ſigna vexillaq; regia ſubſtulerunt, inclamantes identidem Ferdinandum Regem, Reginamque Eliſaben iuſtos, legitimos, & indubitatos hæredes ac dominos Hiſpaniarum naturales. Ipſi deinde Reginæ in ſubiectionis argumentum ex patria conſuetudine manus exoſculati, ſub fide publica iurarunt, ſe futuros illi, atque ſuo coniugi ſubditos fideles, obnoxios, atque iuſſorum omnium obtemperantes. Comes deinceps Beneuentanus, Marchio ſanctæ Iulianæ, Dux Albanus, Comeſtabilis, idemque Comes Pharius, Beltranus Dux Alburquerquerus, Comes Triuinius, Architalaſſus quoque Alphonſus Enriqui ipſius Ferdinandi Regis auunculus, alijque complures regni proceres, optimateſque ciuitatum. Ac præterea ex Antiſtitum numero imprimis Cardinalis Hiſpanus, idemq; Archiepiſcopus Toletanus, alijque Præſules eodem conuenerunt, qui Reginæ fidem quoque ſuam, iure iurando ſimili obſtrinxerunt. Quibus aliqua ex cauſa facultas veniendi non fuit, miſere procuratores, qui ſuo nomine, idem munus exequerentur. Qui omnes poſtea eandem fidelitatem ſe præſtaturos Ferdinando Regi, per ſancte polliciti ſunt. Is namq; accepto nuncio, rerum omnium, quæ gerebantur, ad Reginam

vxorem magnis itineribus contendit. Atqui alia ex parte Areuacorum Dux, Villenas Marchio, in cuius poteſtate adſeruabatur Ioanna, quæ falſo dictabatur princeps. Magiſter a Calatraua, Vrenas Comes, Marchionis vterq; patruelis, neq; eodem venerunt, neq; ſuos miſere procuratores, qui obſequiũ debitum Regibuſq; nuper creatis exhiberi ſolitum deferrent. Areuacorum namq; Dux petebat Areuaci titulum, atq; Ioanni filio Magiſtratum a Traiani ponte cõfirmari. Marchio petebat Marchionatum, quo Ioannes Tarraconenſium Rex fuerat ſuperiori bello ciuili ſpoliatus, verebaturq; a Rege filio repetendum. Inſuper & vrbes, municipia, caſtella, vectigalia, quę pater ſuus Ioannes Patiequus ex patrimonio regali fuerat depeculatus. His adiungebat Magiſtratum diui Iacobi, quo pater fuerat perfunctus, debere ſibi reddi, cũ reliquis omnibus, quę ſibi hæreditario iure obuenerant. Neq; tantũ ea efflagitabat, quæ ad ſe pertinere diceret, ſed quæ ad fratres, ad propinquos, ad clientes, ad amicos, quæ omnia, ſi principes illis indulſiſſent, magnum regale patrimoniũ, atq; proinde reſp. Hiſpana detrimentũ pateretur. At Principes interim tempori cedere, reſponſa in longum protrahere, dubios præmijs pollicitationibuſq; allicere, amicos honorifice alloquendo, comiterq; tratando in fide retinere. In perduelles nihil noui decretum. Creati ſunt Quæſtores maximi Guterius Cardenius, quẽ ſuperiori parte diximus fuiſſe matrimonij conciliandi autorẽ præcipuum. Gondiſaluus Caconius, & ipſe quoq; Reginæ antiquus familiaris. Adiectus & tertius Rodericus Vlloa, qui & ipſe Enriquo Regi fuerat quæſtor quoq; maximus.

Legati ad Regem Gallorum mittuntur, qui de fœdere confirmando, & de Ruſcinone cum illo agant, interq; Regem & Reginam diſceptatio.

Caput. II.

ATQVI Rex & Regina, vt aliquod ſpecimen futuræ gubernationis oſtenderent, ſæuire iuſſerunt iuſticiæ adminiſtros ingraſſatores, latrones, homicidas, depeculatores, reliquoſque id genus facinoroſos homines. Quæ res quemadmodum optimum quemque ad bene de republica ſperandum erexit, ita criminoſos alienauit, cõegitq; ſcelerum ſuorum impunitatem quærentes ſe perduellibus adiungere. Horum cum eſſet magna copia, ex qua partes aduerſæ videbantur inualeſcere, temperari iuſſum eſt ab hac iuris animaduerſione, data maleficiorum impunitate ab ea die, in qua regni gubernacula inierunt. Ex antiqua præterea conſuetudine obſeruata inter Hiſpanorum & Gallorum Reges, vt cum eorum quiſpiam deſcederet, alter de illius obitu fieret certior, miſſi oratores, qui Ludouico Galliarum Regi nunciarent Enriquum vita functum, fœduſque & antiquam ſocietatem renouarent, ſimul etiam Regem admonerent, vt ſi amici, ſi boni, ſi iuſti principis munere fungi vellet, reſtitueret Ioanni Tarraconenſium Regi comitatum Ruſcinonis, quem illi Gothalamico bello ſub certis conditionibus oppignerauerat, quibus non obſeruatis ad priſtinum dominum debere reuerti. At Gallus accepto nuncio de Enriqui obitu aliquot ſui doloris argumenta monſtrauit, atque e diuerſo de noua Regis & Reginæ ſucceſſione oratoribus eſt gratulatus, velleque ſe libentiſſime antiqua fœdera inſtaurare reſpondit.

Quod vero ad Ruſcinonis comitatum attinebat, dixit ſe nihil ex conditionibus oppignerationis immutaſſe, quin potius deberi ſibi ſummam illam aureorum ſtipendij nomine, quod bello Barcinonenſi ſuus exercitus meruerat, velleque ſe mittere iuriſconſultum, qui ſuam cauſam tueretur, doceretque penes ſe debere pignus retineri,

quoad ſtipendium ſibi redderetur. Venit itaq; conſultus, cum principes eſſent Valladoliti, diſputataque eſt cauſa in ſenatu regio, cumq; nihil inter partes ea de re conueniret decretum, vt tam ad iuris diſquiſitionem, quam ad fœdera renouanda mitterentur vtrinque oratores ad vtriuſque regni collimitium, qui procuratorio nomine rem omnem tranſigerent. Per idem vero tempus, cum Rex & regina Segouiæ agerent, cœptum eſt inter virum & vxorem de iure ſucceſſionis, gubernationiſque diſceptari, non tam æmulationis diſſidijque cauſa, cum alioqui omnibus in rebus eſſet inter illos tanta concordia, quanta nunquam inter alios binos coniuges fuerit: ſed quod ea iuris diſceptatione proſpiceretur in futurum, ne regni adminiſtratio in alienam familiam tranſmutaretur, ſi filia ſuperſtite eademque hærede ſuccederet ex propinquis is, qui eſſet ex conſanguinitate proximus, id quod in Gallia alijſque in nationibus obſeruatur. Ex primoribus Hiſpaniæ, qui erant Regi ſanguine propinqui aſſeuerabant, quandoquidem Enriquus ſine prole deceſſerat, ſucceſſionem ad Ioannem Tarraconenſium Regem eſſe deuolutam, quippe qui eſſet Ferdinandi Tarraconenſis Regis filius, atque Ioannis primi Hiſpanorum Regis nepos, eodemque iure ad Ferdinandum huius Reginæ coniugem pertinere ſucceſſionem, regnique adminiſtrationem non quaſi dotalis, ſed quaſi hæreditarij. Ediuerſo, pro parte Reginæ obijcitur ex legibus, atque Hiſpanorum conſuetudine Caſtellanorum præſertim, virili ſexu ex ſtirpe regia deficiente, fœminas eſſe legitimas hęredes, regnique idoneas moderatrices, afferebanturque exempla iam inde ab infante Pelagio repetita, cuius filia Ormiſinda cum virilis ille ſexus liberos non haberet, in Legionenſis regni hæreditatem ſucceſſit, nupſitque Alphonſo, qui Catholicus eſt cognominatus.

Odiſinda quoque Froila fratre defuncto ſine liberis in eodem regno ſucceſſit, nupſitque Siloni. Eodem præterea iure Xanthia Ferdinandi cognomento Magni vxor ad eiuſdem regni ſucceſſionem peruenit, Veremundo fratre ſine liberis extincto. Eregione etiam Caſtellæ afferebantur exempla, quod Eluira ex Vaſconum Regina hæreditario iure obtinuit Caſtellæ Comitatum, cuius filius Ferdinandus primus Caſtellanorum Rex fuit. Vrraca etiam, quæ Raimundo Toloſatum Comiti primum, & deinde Alphonſo Tarraconenſium Regi nupſit, Caſtellani atque Legionenſis regni hæres fuit. Berenguela quoque Enriquo fratre immatura morte Pallantiæ intercepto, regni hæreditatem adijt. Catharina præterea Britanni Ducis filia cum Enriquo primi Ioannis filio omnium ordinum conſenſu adiurata eſt Hiſpaniarum Princeps. Iidem econtrario aſſeuerabant, ex hiſtorijs nuſquam exemplum reperiri in Hiſpania, quod relicta hærede fœmina ex laterali ſerie quiſquam in regni gubernationem adſciſceretur quo Iure Ioannes Tarraconenſium Rex omnino excludebatur. Quod vero ad regni adminiſtrationem attinebat, pro parte ipſius Reginæ obiectum eſt ad eandem pertinere, ad quam & regni dominium pertinebat.

Quod ſi quemadmodum legibus definitum eſt, regnum dotis nomine marito non poteſt tradi, neque gubernatio quoque. Nam quo iure, qui rei dominus non eſt, aut regale patrimonium adminiſtrare, aut in bene merentes ex regio cenſu collocare beneficia, aut arcium præſidia ſub publica fide alicui poteſt credere? Hæc partium concertatio, tandem hunc in modum compoſita eſt, Regni hæreditatem ſucceſſionemque ad ipſam Reginam pertinere tametſi fœminam, propterea quod eſſet vnica Ioannis Regis filia ſuperſtes a Regibus Caſtellæ & Legionis recto ſtemmate deſcendens, neque poſſe ad alium quemquam pertinere hæredem, qui per lineam late-

ralem ab eiſdem Regibus deſcenderet. Definitum præterea ad eandem pertinere regni adminiſtrationem in tribus preſertim illis, quæ in parte ſuperiori memorata ſunt. Hunc itaque in modum rebus compoſitis, Regina his verbis Regem allocuta eſt.

Poſt diſceptationis definitionem Oratio Reginę ad Regem.

Caput. III.

NIL opus fuerat ó iucundiſſime Coniux altercatione tam longa, vbi tanta eſt animorum coniunctio. Nam ſi, quemadmodum audiui ex quodam antiquitatum peritiſſimo, inſponſalibus hæc fuiſſe verba ſponſæ ad ſponſum, vbi tu Caius ibi ego Caia, hoc eſt, vbi tu dominus, ibi ego domina, Cur mihi non liceat inde mutuari, vbi ego Regina, ibi & tu quoq; rex? qui cum ſis mihi Coniux dulciſſimus, idemque dominus, non modo meus, ſed rerum omnium mearum, quidquid ab his legum conſultis decretum ſit, nihilominus tu Hiſpaniarum Rex es, quam ego Regina, mihique hoc animo ſedet, æternumque ſedebit, me atque omnia mea tuo arbitrio adminiſtranda permittere, cum præſertim futuri ſint nobis omnium rerum noſtrarum communes hæredes. Sed quando ita viſum eſt regni primoribus, qui hoc negocium in controuerſiam deduxerunt, non ab re fuerit hanc iuris ambiguitatem, quæ aliquando in dubium venire poſſit, ex legibus & conſuetudine Hiſpanorum deciſiſſe. Vides optime Coniux vnicam eſſe nobis filiam Eliſaben, ad quam, niſi quicquam Deus interim proſpexerit, regni ſucceſſio ex Hiſpanorum legibus pertinebit.

Quod ſi quiſpiam ex regia ſtirpe ſtemmate recto non deſcendens aſſeret rem Hiſpanam ad ſe pertinere, quia vir, non ad communem filiam, quia fœmina: labefactaret profecto, aut, quod Deus auertat, forſan poſteritatis noſtræ ſeriem conuelleret. Quæ res, quam ſit indigna, vel miſeranda potius, nemo eſt, qui non intelligat. Sed eſto, ſine vlla controuerſia rerum, potiatur ex nobis genita, nubatque cuipiam externo principi: num minus periculum inde ſequetur, ſi regnorum gubernatio in illum transferatur? Fieri namque poteſt, vt ille quiſquis eſt nobis futurus gener, arcium præſidia, publicorum vectigalium queſturas, dignitates eccleſiaſticas, atque publicos magiſtratus ad eos ſit delaturus, non qui ſint Hiſpaniarum indigenę, ſed qui exteri ac peregrini. Quare illa iuris deciſio, quod ad nos attinet, nihil profuerit, nihil nocuerit, ſed fuerint quaſi quoddam præiudicium ad ea, quæ poſſunt aliquando contingere. Atqui Rex intelligens, quæ ſunt ab vxore perorata non ſolum veritati conſentanea, ſed eſſe quoque iuſta & æqua, imperatū eſt ab vtroque, vt hac de re impoſterum non diſceptaretur. Conſtitutumque inter eos, vt diplomata, & dicta, literæque publicæ ſub vtriuſque nomine ederentur, quodque ſigilli characteres ſub Hiſpani, Tarraconenſiſque regni inſignibus fierent. In moneta quoq; percutienda vtriuſq; imago cum nominibus in typis excuderetur.

Villenatium Marchio & Archiepiſcopus Toletanus prætendunt cauſas a Regis & Reginæ obſequio diſcedendi.

Caput. IIII.

D V M hæc Segouiæ geruntur, Marchio Villenatium literas cum mandatis ad Regem Reginamꝗ mittit, quibus poſtulabat Magiſtratum ſancti Iacobi ſibi debere decerni, quo dicebat patrem ſuum Ioannem Patię quum adhuc viuentem ſe abdicaſſe, ea conditione, vt ſibi traderetur, quodꝗ ſubditiua illa princeps, quæ ſuæ fidei credita erat, locaretur viro decenti pro perſonarum dignitate conſtituta dote. Quorum vtrumque ſi denegaretur ſibi, ſe habiturum cauſam iuſtiſſimam, vt aliunde ſibi rebuſque ſuis proſpiceret, quaſi vellet interminari ſe facturum diſſidium cum reliquis primoribus earumdem partium ſtudioſis. Ad hanc Marchionis poſtulationem, reſponſum eſt, tametſi Ioanna, quæ falſo diceretur eſſe princeps, non erat ijs natalibus procreata, cum qua homines rerum nouarum cupidi poſſent in Hiſpania diſſidium facere, cum ſatis conſtaret non eſſe neque vnquam fuiſſe habitam Enriqui Regis filiam, quodque Magiſtratus iam eſſet partim in poteſtate Comitis Parietini, partim Commendatarij maximi Legionenſis prouinciæ, quorum vterque fuerat de republica Hiſpana pulcherrime meritus, vt tamen res ad concordiam, regnique tranquillitatem perduceretur, ſibi placere Ioannam decenti marito collocare, libelloſque ſupplices ad Pontificem maximum mittere, quibus peterent Magiſtratum eidem Marchioni a Sanctitate ſua decerni, ſed interim Ioannam ſequeſtro deponendam, ne ante aut poſt illius nuptias quicquam emergeret, vnde Hiſpana reſpublica aliquid detrimenti pateretur. Ad hæc Marchio reſpondit ſe non traditurum mulierem fidei ſuæ creditam mortalium cuiquam, niſi cui fidem ipſe haberet, cumque de ſequeſtre non conueniret, cœpit res in diſſidium tendere. Marchioni accedebant omnes, qui ſcelerum ſuorum pœnis extimeſcebant, quiꝗ erant rerum nouarum ſtudioſi, ſed imprimis eiuſdem Marchionis fratres patrueles, omneſꝗ illorum clientelæ, quæ per Hiſpanias longe, lateꝗ patebant. At Marchio interim perfidos inter nuncios clanculum agebat cum Alphonſo Luſitanorum Rege, eodemꝗ Ioannæ auunculo, vt neptem ex ſorore vxorem duceret, ſeꝗ habere dicebat eiuſdẽ conſilij ſocios ex primoribus Hiſpaniæ tantam multitudinem, quæ ſufficeret rem inceptã conficere. Archiepiſcopus Toletanus qui vſꝗ ad id temporis fuerat anceps vtras partes ſequeretur, audita Marchionis rebellione, cœpit prętendere cauſas, quibus honeſte poſſet a Regibus ad perduellium partes deſciſcere. Poſcit ab illis munera, quæ diceret ſibi promiſſa iam inde ab eo tempore, quo fuerant adiurati principes, & quæ fuerant iam in benemerentes collocata, petit & alia complura, qualia ſolent ab ijs, qui occaſionẽ quærunt ab amicicia diſcedendi.

Atqui Rex memor obſequiorum, atque hoſpitalitatis, qua fuerat aliquando vſus apud illum, cœpit hominẽ placare, tum datis præſentibus, tum futurorum pollicitationibus, tum honorifice compellando, tum communes mittendo amicos, qui illum in fide retinerent, obteſtarenturque ne vellet ab officio deſiſtere. Ipſe præterea Rex per ſe ipſum eadem omnia exequebatur etiam diuerſorium adeundo, quem honorem ad ea tempora alteri præſtiterat nemini. At ille nihilomagis flecti, aut ſententia ſua pelli potuit, quin immo quo magis rogabatur, eo obſtinatius inceptis perſiſtebat.

Neque fuit, qui dubitaret, pertinaciæ ſuæ cauſam extitiſſe æmulationem, quam non diſſimulanter gerebat cum Petro Mendoza. S. R. E. Cardinale Hiſpano, cui ex omnibus Rex & Regina plurimũ indulgebant, cum eſſet Archiepiſcopus alioqui natura factioſus & qui plurimũ delectaretur armorũ ſtrepitu familiaꝗ nobiliſſimorum hominum ampliori. Atque ita cum neꝗ blandicijs, neꝗ precibus, neꝗ pollicitationibus

principum vllum reliquiſſet locum, frendens, fremenſq;, & minabundus ex curia diſceſſit, ſtimuloſq; perduellibus, faceſque ad bellum ciuile concitandum admouit. Non multos poſt dies Rex, & Regina Segouia profecti Methymnā campeſtrem venere, petieruntque a Duce Albano eiuſdem municipij arcem, quæ ipſius præſidio tenebatur, id quod ille, haud grauate fecit, nam continuo arcem tradidit, cui principes tradi iuſſerunt.

Deinde Valladolitum iter facientes, ab oppidanis magnificentiſſime excepti ſunt, vbi per aliquot dies omnígenis ludis, atque celebritatibus operam dedere. Veniebant præterea eodem ciuitatum, populorumq; procuratores, qui antea non venerant obſequium debitum ſub fide publica oblaturi, inualeſcebantq; in horas cauſæ iuſtioris auxilia.

Marchio per literas Luſitanorum Regem ad bellum capeſſendum hortatur, Regiſque ad Marchionem reſponſum.

Caput. V.

INTEREA Marchio non ceſſat ſolicitare, quos ſecum ad ſtudia Ioannæ principis trahat, ſimulq; mittit ad Luſitanorum Regem literas cum mandatis in hanc ſententiam. Iam ſibi exploratum eſſe, quemadmodum ex obitu Enriqui Regis hereditas cum admiſtratione deuoluta erat ad Ioannam filiam, quam omnes primores bis iam iureiurando declarauerant principem, regnique paterni hæredem vnicam. Quodque Rex Siciliæ, atque Eliſabe coniux, humano, atq; diuino iure contempto rem Hiſpanam nihil omnino ad ſe pertinentem arripuerint. Ioannam ex ſorore ſua neptem, paterno, atq; auito imperio ſpoliatam, non habere alium quemquam, ad quem confugeret, quam ad ipſum, quippe qui eſſet ſibi auunculus, & quidē potentiſſimus, & qui poſſet illā ſolus ab iniuria vindicare. Obteſtabaturq;, vt puellam omni præſidio deſtitutam, aut cum regno dotali vxorem acciperet, aut propinquitatis iure, vt legitimus tutor non pateretur ab iniuſtis poſſeſſoribus bona illius occupari, idque fore factu facillimum, ſi comparentur vtrarumque partium vires. Habiturum ſe illum ex primoribus Hiſpaniæ belli firmiſſima robora, atque imprimis ſe, fratreſq; ſuos patrueles Magiſtrum a Calatraua, atq; Comitem Vrenatem, nec non ſororum ſuarū maritos, Gaditanum Marchionem, Alphonſum Aquilarium, Comitem Beneuentanum, Archiepiſcopum præterea Toletanum, Duceſq; Areuaci atq; Alburquerqueri cum ſuis appendicibus, & clientelis, atq; hi omnes hoſtes ex profeſſo infeſtiſſimi. Quattuordecim quoq; vrbes, quæ nihil aliud expectant, niſi ducem, quem in bello ſequantur. Quod ſi ſemel Hiſpanorum Regis ſibi nomen aſſumpſerit, atq; in ipſum regnum potenter penetrauerit, complures alios ex Hiſpaniæ principibus futuros, qui declarent odia ſua in aduerſarios, quæ nunc futuræ dominationis timore occultant. Adiungebat ſuperioribus omnia Hiſpaniæ oppida in duas factiones eſſe diuiſa, quarum alteræ neceſſe erat, vt Luſitanorum partes ſequerentur. Iam vero quod ad ipſos belli gerendi Imperatores attinet, Regis Siciliæ vires eſſe perquam exiguas, quippe qui eſſet in ſumma rerum omnium egeſtate, & in maximo ære alieno, & qui non modo non haberet, vnde poſſet ſtipendia militibus ſoluere, ſed neque ad ſumptus cotidianos pecunias, niſi emendicatas, aut violenter extortas. E diuerſo Luſitanorum Regem habere exercitum robore, ac numero firmiſſimum. Habere pecuniarum tantam vim, quæ ſufficiat ad alendum milites, quo ad res conficiatur. Habere commeatus, cæteraque alia belli adiumenta.

Cumq; ſemel per Hiſpanorum agros, vel vnam excurſionem populabundus fecerit, fore vt ciues, oppidani, agricolæ, mercatoreſque illum ſequantur, ſeque eius arbitrio, ac fidei continuo tradant. Ad hęc Luſitanus, tametſi animo ſecum verſabat, quantum facinus aggrederetur, quamque foret arduū cum poſſeſſore in ipſis regni penetralibus decertare, reſcribit tamen velle ſe oblatam belli condicionem accipere, neque tantum ex ſorore ſua nepti regnum aſſerere, ſed & illam cupere matrimonio ſibi cōplecti. Seq; ad breue tempus cum exercitu, quam maximo poſſet: intraturum per mediam Hiſpaniam, qua ſibi via commodior videretur. Hortabatur præterea Marchionem ipſum, vt cœptis inſiſteret, & quod maximo animo inchoauerat, multo maiori exequeretur.

Simul etiam ſcribit ad regni primores, ciuitatumque optimates, tam ſuarum partium, quam alienarum: ad illos, vt in fide retineret: ad hos, vt præmijs, pollicitationibuſque ad ſtudia ſua pelliceret. Stimulabat eius animum repulſa, quam fuerat paſſus ex eo tempore quo Eliſaben principem coniugio petierat. Regnandi præterea immoderata cupiditas, imperijque terminos pulchritudo prorogandi. Obſeruabatur illius animo, regni quod appetebat amplitudo, ſimul & opulentia, tantarumq; gloria rerum.

Sed anteaquam rem ipſum adoriretur, placuit experiri ſui regni proceres, & quali animo erga ſe forent explorare. Conſilio itaq; ex omnium ordinum viris habito, ſuam illis mentem aperit. Qui omnes vno prope conſenſu pedibus, manibuſq; in Regis ſententiam iere, ſiue quod intelligebant, id ſibi animo ſedere, neq; poſſe iam a propoſito dimoueri, ſiue quod illorū quiſq; ſperabat, aut ex bello prædam ingentē, aut ex victoria dignitates ampliſſimas, aut ex rerum nouitate fortunarū ſuarum acceſſiones, quorū omnium eſſet in Hiſpania per magna facultas. Dicebant præterea non eſſe amplius hac de re conſultandum, ſed cum primum fieri poſſet, rem exequendam, antea quam hoſtium vires magis magiſque inualeſcerent.

Luſitani Regis per legatos obteſtatio, vt Rex & Regina iuri ſuo cedant, cui reſpondent.

Caput. VI.

CERTVS propoſiti ſui Luſitanus, compoſitis belli gerendi condicionibus cum Marchione Villenate, cum Areuacorum Duce, cū Archiepiſcopo Toletano, cum reliquis omnibus earumdem partium ſtudioſis, mittit ordinis equeſtris virū quendam nobilē, qui procuratorio nomine deſponderet ſibi Ioannam ex ſorore ſua neptem, cuius rei facit per literas certiores ciuitatum optimates, orbiſque Hiſpani proceres atque primores. Mittit præterea oratorem Rodericum Soſium equitem auratum, qui diceret Regi & Reginæ, eo ipſo tempore Valladoliti commorantibus, iam debere illis eſſe compertum Ioannam ex Ioanna ſorore ſua neptem fuiſſe filiam Enriqui Regis legitimam, biſque iuratam principem, regnique hæredem, ſucceſtricemq; bis declaratam, eoq; iure poſt obitum patris regni gubernationem ad eandem pertinere.

Se autem conſtituiſſe illam ſibi coniugio copulare. Rogareq; illos, obteſtarique: vt ſibi regni poſſeſſione cedant, & ne ſe inuito rem ad illos non pertinentem attrectare vellent. Et quamquam ſuo iure, atque futuræ coniugis nomine poſſet autoritate propria, hæreditaria bona inuadere, ſe tamen velle tantiſper a violentia temperare, quoad iure decerneretur, vtri debeat regni poſſeſſio cedere. Itaque debere illos

quoq; interim ſe regni adminiſtratione abdicare, & veluti ſequeſtro deponendam, donec compoſita lite, ex iure daretur bonorū poſſeſſio, cui dandam eſſe leges, iuraque decreuerint. Quod ſi nihilominus perſtare obſtinate vellent, neque ab incœpto deſiſtere, ſe ius ſuum armis vindicaturum, obteſtabaturque Deum immortalem, vt omnia mala in illius caput conuerteret cuius fuerit culpa perpetrata. Ad hanc Luſitani principis legationem, Rex & Regina ex conſultatione procerum, qui eo tempore in curia manebant, reſponſum eſt ſe mirari, velle eum cauſam tam iniquam ſuſcipere, atque exulcerare, vulnus antiquum, & quod iam cicatricem obduxerat, cum præſertim ſororis adulterium eſſet illi compertiſſimum, neptiſq; ſpurcos natales, vel ipſo teſte per omne Chriſtiani nominis imperium diuulgatos. Neque tantopere mirarentur, ſi is qui huiuſmodi cauſam defenderet, eſſet temerarius quiſpiam, & nullius conſilij particeps. Rogabant etiam obteſtabanturque ne violaret affinitatis, propinquitatiſque tot pignora, ac præterea inter Hiſpanorum Luſitanorumque Reges amiciciam, multis & illuſtribus officijs confirmatam. Neque auſcultaret hominibus perditis, qui non æquitatis amore, ſed propriæ vtilitatis cupidine ducti, aut ſuorum ſcelerum impunitatem quęrentes, non illi obſequium, ſed negotium potius eſſent exhibituri. Meminiſſet etiam illos eoſdem fuiſſe, qui per omnes Hiſpanias perque exteras nationes diuulgarint hanc Ioannam non modo non fuiſſe, ſed neque eſſe potuiſſe Regis Enriqui filiam: ob eamq; cauſam deſciuiſſe a ſuo Rege, comparatoque exercitu collatis ſignis contra illum depugnaſſe. Homines perfidos, qui quod nunc tuentur, antea impugnarunt, quod nunc abiurant, antea iureiurando ſanxerunt. Recordaretur quoque illius temporis, quo Enriquus Rex offerebat illi coniugio hanc eandem Ioannam cum ſucceſſione dotali, ſeq; noluiſſe condicionem accipere, non ob aliam cauſam, niſi quod de regni hæreditate ſibi non ſatis ex iure cōſtaret. Quę omnia ſi animo defœcato, omnibuſq; mentis perturbationibus libero perſpiceret, non aggrederetur negotium, quod eſſet cum vtriuſque populi cędibus tot incommoda illaturum. Quod perſiſtere vellet, neque ab incepto deſiſtere, id potius iure ageret, quam iniuria, ſe paratos eſſe ius ſuum bonorum, atque proinde ſapientiſſimorum virorum iudicio ſubmittere. Nam quod ille de poſſeſſionis ceſſione dicebat tantiſper, dum de iure diſceptaretur, neque iuſtum, neq; honeſtum petere. Sin vero potius ferro, quā iure velit decernere, ſe curaturos, vt regnum quod Dei benignitate poſſident: viribus, & armis tueantur, imprimis Deum immortalem obteſtantes, vt omnia mala quę inde ſecutura ſunt, in illorum autorem, incentiuumq; retorqueat, In hoc reſponſum Luſitanus orator dimiſſus eſt.

Rex & Regina Marchionem, atq; Archiepiſcopum fruſtra tentant in officio retinere, atq; vtraq; pars ſe bello parat.

Caput. VII.

REX vero & Regina ex poſtulatione Luſitani, reſponſoque illius oratori datō perſpicientes omnia iam eſſe hoſtilia, & ad arma ſpectare, ne quid tamen intentatum relinquerent, decreuerunt admonere perduelles, obteſtarique ne vellent mala, malis accumulare: atq; igni fomitem, oleumque addere camino, non quo timide, aut ſummiſſe agerent, ſed vt oſtenderent cunctis, ſibi non placere bella ciuilia, neque ſuorum ciuium ſanguinis effuſionem. Mittunt itaque bonos, atq; prudentes viros imprimiſq; ad Marchionem, qui ſuaderent illi, vt aliquando in ſaniorem mentem rediret, reduce-

rentq; in memoriam fuiſſe patrem eius, qui fuerit primus autor deſciſcendi ab Enriquo Rege ad Alphonſum fratrem. Vnde quot Hiſpanæ reip. detrimenta ſint ſecuta, nemini nem eſſe, qui ignoraret. Nunc vero filium patris veſtigia inſiſtendo, quid aliud eſſet, quam Patięquorum familiam ad Hiſpanorum perniciem principem lege quadam fatali fuiſſe ortam. Videret ne maiorum ſuorum ſcelera ipſe cum poſteritate ſua lueret.

Recordereturq; originis familiæ ſuæ, quæ pari ex cauſa Luſitaniam amiſit. Quis enim ignoraret Patiequos fuiſſe Luſitanorum exules? Quod ſi res ſuę in eo ſtatu forent, vt reparari nullo modo poſſent, neminem mirari, ſi in occaſu proprio decerneret omnia ſecum inuoluere. Nunc autē ſi velit poſſe illum rupta, conuulſa reſarcire. Velle namq; ipſos puplicæ vtilitatis cauſa omnia errata illi condonare, atq; obliuione ſempiterna delere. Qui ad Archiepiſcopum miſſi ſunt oratores, nihil benignius retulerunt.

Reſpondiſſe namq; perquam ſuperbe, ac minaciter, ſeq; habere iuſtiſſimas deſciſcendi cauſas, quod non ſibi debitus honor haberetur, quodq; in alia fortuna promiſſis, pollicitationibuſq;, nunc in proſpera fraudatus eſſet. Minabaturq; oſtenſurum ſe nunc, quid eſſet Archiepiſcopum Toletanum lędere. Exulcerabat hominis atrocitatē Ferdinandus quidam Alarconius, cui Archiepiſcopus nimium indulgebat, vir ſuperſticioſus, ac plane impoſtor, & callidus, ſeu verſare dolos, ſeu certe occumbere morti, quem Marchio ſubornauerat, præmijſq; corruperat, vt ſe in familiam illam inſinuaret. Atqui Petrus Acunia Comes Hemerocalios, idemq; Archiepiſcopi frater, cui fratris conſilia non placebant; exhortabatur illum, atq; etiam liberius increpabat, quod ex cauſa tam leui, tam inſignē communi familiæ vellet infamiæ notam inurere, quodq; iuſtiſſimorū principum gratiam, tot annorum obſequijs collectam, occaſione minima effunderet. Hoc ipſum familiares, & amici, hoc ipſum orabant omnes, qui bene conſultum illi eſſe volebāt. Sed qui obſtinato animo ſemel obduruerunt, deteriores admoniti fiunt, quare neq; blandicijs principum, neq; fratris exhortationibus, neq; amicorum conſilijs locum reliquit vllum, neq; magis incœpto mouetur, quam ſi dura ſilex, aut ſtet marpeſia cautes.

Ex inſolēti Marchionis, & Archiepiſcopi reſponſo grandis amicorum ſecuta eſt immutatio, non eorum modo, qui ſuorum ſcelerum conſcij nihil magis quam rerum omnium perturbationem optabant, ſed eorum etiam, qui antea putabantur eſſe pacis amatores.

Nam viri religioſi, optimates, ciues, opifices, agricolæ, atq; fere optimus quiſq; ſpemq; metumq; inter dubij animo peiora verebantur. Omnes itaq; in duas factiones diuiſi, ſuum quiſq; Ducem inſequi ſtatuit. Luſitanū illi, hi vero Regem, & Reginam. Prima igitur prouidentiſſimis Hiſpanorum principibus cura fuit ſcribere ad ciuitates, quo in ſtatu res eſſet, hortariq;, vt vrbes, oppida, caſtella, muris, foſſis, aggeribus, valliſq; munirent: machiniſq; inſtruerent, vigiles, circitoreſq; adhiberent, excubias exploratoreſq; dimiterēt, qui hoſtis conſilia, quidq; moliretur, captarēt. Ad primores quoq; regni literas dederunt, quibus faciebant illos, & de Luſitani legatione, & de reſponſo illi reddito certiores. Hortabantur etiam eoſdem, rogabantq;, vt ad belli expeditiones, quod proculdubio impendebant, omnes eſſent parati. Interim Luſitanus audito Hiſpanorum principum reſponſo, ſimul etiam factus certior, quo animo in ſe forent Marchio, & Archiepiſcopus, Areuacorumque Dux, atque eorum appendices: auxilia vndecunque poteſt ſibi cōtrahit, & quam maximum poteſt exercitum, comparat, Hiſpanorumque perduelles admonet, ad certum diem ſint in armorum procinctu, vt communi conſilio, atq; ex compoſito vno tempore rem gerant.

Rex Valladoliti manet, & Regina Toletum proficiſcitur.

Caput. VIII.

ERANT illa tempeſtate Valladoliti Rex & Regina, qui nuncio accepto de hoſtium expeditione, nihil amplius cunctandum eſſe rati, conſtituere, vt Rex Valladoliti maneret proſpecturus citramontanis regionibus. Regina vero Toletum proficiſceretur, vnde Bæticas,aliaſq; vltramontanas Hiſpaniæ regiones in fide retineret,proſpiceretq;,ne quid detrimenti paterentur. Fuerunt in comitatu illius duces Infantatus,atq; Albanorum,& comeſtabilis idemq; comes Pharius. Tentauit Regina ex medio itinere reconciliare ſibi Archiepiſcopum Toletanum,qui eo tēpore Compluti morabatur,non quo putaret illius vires in alterutram partem magni eſſe momenti, ſed familiaritatis antiquæ memor,atque obſequiorum illius erga ſe in ſuperiori fortuna. Voluit & ipſa præſens,hominem conuenire, Blandicijſq; ad priſtinam familiaritatem reducere,ſed verita eſt,ne ea res aut timori, aut maieſtatis regiæ imminutioni tribueretur. Itaq; per Comeſtabilem decreuit experiri omnia, qui tametſi homo prudens, idemq; ſingulari quadam facundia præditus erat, nihilo plus ex eo potuit exculpere,quam qui ad illud ipſum antea miſſi fuerant, quam frater eius Comes Hemorocalius, quam alij propinqui & familiares, qui fere omnes præter vnum Ferdinandum illum Alarconium, quem diximus a Marchione ſubornatum,ſtudebant ad iuſtiorem cauſam ipſum reducere. Atqui Rex cum videret in huiuſmodi temporum motibus, omnia etiam tuta eſſe timenda,ſtatuit ire Salmanticam,atq; deinde Zamoram, vt illarū ciuitatum optimates,decuriones ordinis equeſtris viri, atq; tribuni plebis, iurarent iterum in ſua verba,renouarentq; fidem publicam,quam ſibi, atq; Reginæ coniugi obſtrinxerant, cum primum regnare cœpiſſent,id quod omnes præſtiterunt, atq; imprimis Alphonſus Valentinus caſtrorum metatus, qui Zamoranam arcem præſidio tenebat. Taurum vrbem noluit adire,quoniam illic omnia erant incerta. Et ſi enim arx oppidi tenebatur a Roderico Vlloa regio quæſtore maximo,Regiſq; & Reginæ per quam ſtudioſo. Frater tamen illius natu maior Ioannes Vlloa, diſpoſuerat præſidia per loca vrbis munitiſſima,obfirmaueratq; contra arcem ſtationes latronibus armatis perpulchre inſtructas. Idem ſæuiebat in ciues, quos putabat ſuæ tyrannidi obſtaturos.

Nam & Enriquo Rege ſuſpendio adegit Rodericum quendam regium ſenatorem, atq; pari ſupplicio extinxit alterum ordinis equeſtris virum,alioſq; complures nobiliſſimos ciues,quos dominationi ſuę formidoloſos exiſtimabat,bonis ſpoliatos in exiliū mi ſerat. Is igitur timens ſcelerum ſuorum debitas pœnas,ſtatuit ad Luſitanum deſciſcere,illicq; vrbem tradere, ſperans ſe eo munere admiſſorum impunitatem aſſecuturum.

Erat caſtri inui præſes, & ipſe quoq; pariū facinorū conſcius,atq; graſſatorum,latronumq; receptator, qui non ſatis fidens Regis & Reginæ fidei publicæ, atq; promiſſis, quibus illum non ſolum patratis criminibus donabāt,ſed etiam ſe multis illum beneficijs cumulaturos pollicebantur, deſerta potiori cauſa Luſitano ſe adiunxit. Regina interim Toleti agens, ciuitatem populoſq; finitimos confirmat, Bæticæ Colonias, & oppida:quæ illi ab initio obſequia ſua detulerant,vt in fide permaneant hortatur. Suſpectos & dubios,partim minis, partim pollicitationibus,ad ſtudia ſua trahere conatur. In eos vero qui ſe hoſtes ex profeſſo declararent, inimicicias bellumq; gererent. Roderico Manriquo Comiti Parietino,qui ſe diui Iacobi militiæ magiſtrum profitebatur, rei adminiſtrandæ negocium commendat. Ipſa Valladolitum ad Regem proficiſci

tur. Alcaracium oppidum non ignobile,ex patrimonio regum Hiſpaniæ diuulſum,
præſidio Marchionis oppreſſum tenebatur. Oppidani vero indignati parere domi-
no,qui non iuſte,ſed violenter in ipſos iniquam exerceret dominationem, de excutiendo
ex ceruicibus ſuis iugo,deque ſe in libertatem aſſerendo, ſeq; ſuis principibus dedendos
agere incipiunt. Arma corripiunt,arcem inpoſitam vrbi obſident; Marchionis ami-
cos, & qui ab illo iuridicundo,aut vectigalibus exigendis præfecti erant, vrbe fugant.
Parietinum Comitem orant,vt auxilio veniat, aut copias auxiliares ad conficiẽdum
negotium mittat. At ille non impiger cum præſentibus copijs accurrit, præclarum
facinus illorum laudat,ſuamq; operam ad id pollicetur: oppidanorum animos erigit,
atq; hortatur, vt arcem obſidione arctiori premant. Qui nuncius cum ad Marchio-
nem perueniſſet,cõtrahit copias,quã maximas poteſt,tam ex ſuis,quam ex amicis, quam
etiam ex ijs quas Magiſter a Calatraua improcinctu habebant paratas,vt ſe Luſitano
coniungerent. Cumque ſatis magno exercitu ſe ad ſoluendam obſidionem accingeret,
iamque aduentaret,oppidanos trepidantes,ac dubios,iamq; incœpti pœnitentes, Parie-
tinus Comes,vt magno animo ſint,neque ſe duce quicquam timeant,hortatur. Con-
firmauit illorum animos,opportunus aduentus Alphonſi Fonſecæ oppidi Caucenſis,
& Alahegiorum domini,cum altero Alphonſo Fonſeca Epiſcopo Abilenſi,quos Rex,
& Regina miſerant cum expeditis cohortibus in ſuccurſum illorum,qui arcem obſidio-
ne cingebant. Quo auxilio aucti ſtationes extra vrbem, & in agrum ſpectantes, fir-
miori præſidio muniunt. Itaq; Marchio a diſſoluendæ obſidionis cogitatione deſtitit,
& in alias curas animum tranſtulit,atq; imprimis oppida,& caſtella,arceſq; ſuæ dicioni
ſubditas munit, ne incolæ, Alcaracenorum ſecuti exemplum, ad hoſtes deſciſcerent.
Ad Luſitanum præterea literas mittit,nihil eſſe actum ſcribens,niſi properet,atq; ſuo
aduentu opem ferat,parteſq; diſſipatas atq; conuulſas confirmet. Arcis præſes ſoluen-
dæ obſidionis ſpe amiſſa,ſe cum arce Comitis fidei ex pacto conuento tradit.

Marchio Luſitanum hortatur per literas,vt properet,& venit.
Rex & Regina Luſitaniæ bellum inferunt.

Caput. IX.

MARCHIO cum intelligeret poſſe fieri, vt alia quoq; oppida, ca-
ſtella,& arces, quæ pro illo ſtabant Alcarazenorum exempla ſeque-
rentur,literas ad Luſitanum dat, vt quam celerrime veniat,omnem be-
negerendæ rei in celeritate poſitam eſſe ſcribit, quod ſi remiſſius agat,
fore vt partium ſuarum feruor,quem ſpes excitauerat,cum illius mora
refrigeſceret. Ioannam vero principem,quam Enriquus moriens il-
lius fidei credidit,ab Aſcalone in caſtra Iulia tranſfert,aut quo tutiori loco foret,aut ſi Lu-
ſitano nuptui tradenda eſſet,commodius inde duceretur. Luſitanus Rex,& ſi iam pa-
ratus erat,vt viam ingrederetur,hoſtiumq; fines armis inuaderet,Marchionis tamen li-
teris excitatus,rem exequi feſtinat. Veniebant cum illo omnes regni ſui proceres,tam
eccleſiaſtici, quam ſæculares,quorum & ex ordine equeſtri elegantiſſimus,& ſtrenuiſſi-
mus quiſq;,ſed neq; ſuperioribus inferiores cedebant,& armorum,& equorum,& orna-
mentorum apparatu,alij agros vendebant,alij oppignerabãt,alij pretio viliori locabant.
Atq; vt eſt hominum genus ſuperbum,& arrogans,ex ſumptuoſiori cultu,facti arro-
gantiores,nihil non ſibi pollicebãtur,& imprimis Regis,& Reginæ Fugam in ſuã Tar-
raconenſem,

raconenſem, neq; ſpectaturos vel minimum fortunæ euentum. Partiebãtur inter ſe profugorum ſpolia, deinde oppida, municipia, caſtella, vicos, agros eorum, qui fuiſſent Siciliæ Regem Reginamq; coniugem ſecuti. Atq; ita Placentiam perueniũt, quæ tunc ſub Areuacorũ Ducis ditione erat: eodemq; Marchio deduxit, quæ ſe Hiſpaniæ Reginam profitebatur. Deinde in media vrbis area ſuggeſto Rex & Regina reſident, dataq; & accepta fide ſpõſalia cõtrahũt, acclamãt Lictores, & oẽs, qui aderant, vna voce viuãt, viuãt Alphonſus Luſitaniæ Rex & Ioanna Hiſpaniæ Regina. Tunc nouorũ Principum ex Hiſpanorũ cõſuetudine manus auerſas exoſculãtur, fidemq; ſuam illis iureiurando obſtringunt. Habitaq; deinde cõſultatione, quo potiſſimũ iter arriperent, Areuacũ placuit, propterea quod & cõmeatu rerum omniũ abundabat, & ad belli cũ hoſtibus paciſq; cũ finitimis res gerendas erat locus oportunus. Cæterum Rex & Regina cum accepiſſent nuncium earum rerũ, quę Placentiæ geſta ſunt, atq; hoſtes Areuaci, hoc eſt, in medijs regni penetralibus conſediſſe, ſeq; Hiſpaniæ Reges iuſſiſſe appellari, & ipſi quoq; ſe Luſitaniæ Reges appellari, atq; Limitaneis in ipſam Luſitaniã bellũ inferri iuſſerũt. A Paceauguſta viſum eſt Luſitaniã inuadere, atq; in ipſis regni penetralibus Nodarũ caſtellũ expugnant, & Regi Reginæq; Hiſpaniarũ ſubijciunt, qui arcis p̃ſidium Martino cuidã Septempublicano ciuitatis Hiſpalenſis Viginti quattuor viro credunt. Is triennio in fide permãſit Luſitanorum finitimos agros populatus, armenta pecudeſq; in prędã agens, captos, niſi qui ſe redimerent, in vinculis ſeruans. Cũq; omnia hæc hoſtiliter exequeretur, nullius interim ſceleris generi etiam inter ſuos pepercit. Tandemq; Luſitano accepto precio arcem prodidit. Cumq; patria extorris in exilio eſſet, alteramq; proditionem molíretur, deprehendi timẽs, neſcitur, quo profugus exilium mutauit. Alphonſus quoq; Monroius, qui ſe Traiani põtis Magiſtrum profitebatur, alia ex parte Luſitanorũ fines tranſgreſſus Alegretum cepit, bieninoq; tenuit multa incommoda finitimis inferẽs. Tandẽ q; a Luſitanis obſeſſus, cũ non potuiſſet mitti auxilium, quo ab obſidione liberaretur, coactus eſt deditionẽ facere. Alphonſus præterea Cardenius Legionenſis prouinciæ Commẽdatarius maximus, & qui ſe ex parte Magiſtrũ militię ſancti Iacobi profitebatur, ſexaginta paſſuum millia intra Luſitanię fines pergrandi equitatu coacto excurſiones maximas fecit, p̃damq; ingentem reportans, domũ ſe recepit. In ea quoq; Tarraconenſis prouinciæ parte, quæ inter Durium & Limiam flumina Luſitaniæ cõtributa eſt, & ea Galliciæ, quæ e regione ad Septẽtrionem adiacet, nihilo ſecius excurſiones populationes & latrocinia vtrinq; aguntur, atq; intra ipſos Galliciæ terminos Petrus Aluarides a Soto maiori, qui pro Luſitano ſtabat, Tydem vrbẽ, quæ ad Epiſcopiũ Tydenſem pertinebat, non magno negocio capit, iuſſitq; ſe eius regionis Vicecomitẽ appellari. Atq; vt eſt genus illud hominũ a labore in libidinẽ: & ab alienarũ rerũ abſtinentia procliue ad latrocinia & rapinas: poſt peractum bellum longo tempore apud eos mos ille perdurauit.

Luſitanus Gallorum Regem fœderat, Taurum & Zamoram capit, Hiſpanus copias parat, Luſitanum obſidit.

Caput. X.

ALphonſus Luſitanorũ Rex auctus ampliſſimis regnorũ titulis reputãs ſecum quantã rẽ inchoaſſet quodq; ſine ignominia nõ poſſet iam ab incœpto deſiſtere, præter illos, quos in Hiſpania habebat, ex p̃feſſo hoſtiũ ſuorũ hoſtes, ſtatuit a finitimis auxilia ſibi aſciſcere, atq; in primis a Gallorũ Rege, cũ quo ſciebat aduerſariũ ſuum pro Ruſcinonis Comitatu repetẽdo belligerandi cauſas Tarraconenſiũ Principẽ cun-

demq; Regem Siciliæ habere neceſſarias. Mittit itaq; Legatos ad Gallum, atq; per illos
oſtendit, quā iuſto titulo Hiſpaniæ regnū dotale poſſideat, ſe habere in ipſa Hiſpania ex
primoribus partē maiorē potiorēq;, & ad rē cōficiendā nihil aliud deeſſe, q̃ fautorem
moderatorēq;, cuius auſpicijs res tanta gereretur. Hunc eſſe vnū Gallorū Regē, & præ-
ter eum neminē Hiſpanos oēs eſtimare. Gallus ſuę genıis vitio nō ſatis conſtās in fœde
re, quod iam inde ab initio cū Rege & Regina cōtraxerat, in quo de Ruſcinonis Comi-
tatu mētio facta erat, quē non reddere ſtatuit, iuratum fœdus abiurat, nouūq; cū Luſita-
no icit. Et quo expeditior eſſet ad bellū Hiſpanię inferendū, cum Eduardo Britannorum
Rege, qui bellum Galliæ illaturus ex Britannia ingēti claſſe cū exercitu quā maximo ma
re traiecerat: is nāq; veniebat in primis vt Carolo Burgundionū Duci ſuppetias ferret,
atq; deinde, vt ipſe per ſe auitas maiorūq; ſuorum antiquas inimicitias perſequeretur,
tranſegit vero in hunc modū, vt induciæ in ſeptēnium proximū cōſtituerentur. Gallus
Britanno centum coronatorū aureorū millia ſtatim daret, atq; deinceps quotannis quin
quagenos millenos, quodq; Gallorum Delphinus, ſic enim a Gallis appellatur, quē Hi-
ſpani Principē Regis regniq; heredē vocant, Britannorū Regis filiam duceret vxorem.
Liber itaq; in pſentiarum Gallus ab Oaſone Aquitaniæ oppido in Barduliā Hiſpaniæ
regionē bellū infert. Ioannes Vlloa Taurū Luſitano tradidit, qui arcē expugnauit, quæ
pro Roderico Vlloa fratre ſuo Quęſtore maximo Hiſpanię ſtabat, eidem Ioāni credit.
Ioannem deinde Porriū, qui Zamoranæ ciuitatis per partē populi facile Princeps erat,
pollicitationibus allicit, vt vrbem ſibi tradat: generumq; ſuum ✠ Hiſpaniæ Metatum,
qui vrbis arcem præſidio tenebat, ſecū inducat, vt ſuā factionē ſequatur. Magnā pecunia
rum vim illico ſe daturū promittit: atq; deinde poſt rem peractā agri Zamorani ad cer
tum incolarū numerū vicis & Caſtellis ſe illos donaturū. Quod cum Rex Ferdinādus
pſenſiſſet, mittit ad illos nunciū, rogās, vt in fide pmaneāt, neq; ius iurandū, quo ſe ſibi Re
ginęq; cōſorti obſtrinxerant, cū magna ipſorū infamia violarēt, fideiq; ſuę ingentia præ
mia illos relaturos pollicetur. Quod ſi ad tenendā vrbē grādiori pſidio erat opus, ſe miſ-
ſurum cohortes, q̃ illis viderētur ſufficere. Ad quæ Porrius reſcribit, ſatis pſidij in ciui-
bus eſſe, dolere vero ſe perfidię inſimulari, nō ſe ijs maioribus ortū, qui talia facerēt. Nihi-
lo minus tamē de proditionis cōditionibus cū Luſitano agit, atq; accepto pcio vrbem illi
prodit, ſecūq; in eandē proditionē Metatum arcis pſidem trahit. Luſitani vexilla cū ſuis
vulturibus attollunt. Regemq; Hiſpaniæ cū vxore identidē inclamitant. Vrbe Rex po
titus arcem eidem Metato credidit, pontis vero præſidium Franciſco Valdeſio Ioānis
Porrij ex ſorore nepoti committit, atque Zamoranis rebus compoſitis Taurum ad Re-
ginam cōiugem redit. E diuerſo Rex & Regina copias ſuas recenſent, euocantq; omnes,
quos ante monuerāt, vt eſſent in procinctu, & parati ad bellū futurū, &, qui ęquo mere-
bāt, ſuas immunitates ex antiquo Hiſpaniarū more promittit, & alios quoq; propoſitis
premijs & honoribus puocat. Conuenerūt præterea oēs ex oībus oppidis, ciuitatibus,
& municipijs totius regni, qui ab initio ſtudia ſua & obſequia obtulerunt, pręterquā illi,
quibus alterius factionis Duces negotium faceſſebāt. Ex primoribus regni adfuerunt Pe
trus Mēdoza Cardinalis Hiſpaniarum cū illius fratre Iacobo Furtato Infantatus Du-
ce, atq; ex eadem Mendozarum familia duo illorum fratres Enicus Lupus Tendillanus
Comes, Laurentius Suarius Cluníenſis Comes, Alphonſus Enriquus Archithalaſſus
Hiſpaniæ, Garſias Aluarus Albanorum ad Tormim Dux, Enriquus Enriqui ad Ali-
ſtam Comes, Petrus Veraſcus Hiſpaniarum Comeſtabilis, idemque Comes Pharius,
Rodericus Pimentelus Beneuentanus Comes, Petrus Manriquus Triuinius Comes,

Petrus Oſorius Aſturicenſis Marchio, Iacobus Sarmentus Salinarum Comes, Petrus Mendoza Montis acuti Comes, Ioannes Manriquius Caſtaneti Comes, Gabriel Manriquus frater eius Oſorninus Comes. Alij quoq; ſummates & infimates Præſules, atq; ordinis equeſtris mediocriſq; conditionis & opibus cenſiti viri ſuperioribus acceſſerunt. Dux a Methymna Aſindica cum ſibi affectis Hiſpalenſibus, & Aegabrenſis Comes nõ venerũt, ſed neq; fuerũt vocati, ꝓpterea quod alteri cũ Marchione Gaditano, q Aſindũ opprimebat, alteri cũ Alphõſo Aquilario, q per fauorẽ populi oĩbus omniũ ordinũ ciuibus imperitabat, erat diſſidiũ. Qui proculdubio diuerſarũ partiũ habebãtur, neq; dubitabant, quin Marchionẽ Villenatem, atq; totam factionẽ illã ſequerẽtur, cum præſertim duæ illius ſorores vtriq; eſſent nuptæ. Beltranus a Cueua dubius erat vtrã in partẽ traheretur. Hinc amor in ſuppoſititiam illã, quę vulgo putabatur eſſe illius filia, quod neq; ipſe inficiabatur: hinc timor, quod in hui⁹ belli diſcrimine victoria in Regẽ & Reginã videbatur eſſe propẽſior. Hi omnes, quos enumerauimus, Valladoliti cõgregatis acceſſerunt, quos a Toleto Regina exciuerat, atq; obiter quos a Segouia & ab Abila locis finitimis coegerat, eũq; exercitũ cum Regis exercitu coniunxit. Placuit debere luſtrari militũ numerũ, cenſaq; ſunt cataphractorũ equitũ quattuor millia leuis armaturæ octo millia, peditũ vero ex Callaicis Aſturibus & Bardulis Citraq; mõtanis ad triginta millia. Tot tantiſq; copijs Rex auctus diſtribuit exercitũ in quinq; & triginta cohortes, motiſq; ſignis ad Dorij dextrã ſecũdo flumine Taurum petit, vbi eo tẽpore Luſitanus erat. Qui, cernens hoſtem & militũ numero atq; robore & populorũ fauore lõge ſuperiorẽ, continuit ſe intra muros vrbiſq; munitiones, ceſſitq; tẽpori, non auſus credere ſe campo Martiq; cõmuni. Hiſpanus ad quinq; horas in procinctu armorũ ordinatiſq; cohortibus in medio cãpo ſtetit, expectans an Luſitanus quicq; auderet, velletq; fortunã belli experiri.

ÆLII ANTONII NEBRISSENSIS RERVM HISPANARVM AC HISPANIENſium Hiſtorici Decadis Primæ Liber Quartus.

De nuntijs hinc inde miſſis, ac prouocationibus vltro citroq; ad pugnam factis, deq; penuria, quam exercitus noſter eſt paſſus.

CAPVT PRIMVM.

FERNANDVS VBI SE FRVSTRA IN ARmis eſſe, neq; ab hoſte copiam pugnandi fieri videt, Gomeziũ Manricum ad Luſitanum mittit, qui hæc illi nunciaret. Meminiſſe eum debere, Rodericum Soſiam domeſticum ſuum nuper a ſe miſſum, poſtulatum, vti Fernandus atq; Iſabella eius vxor ex ijs regnis, quæ ad Ioannam eius neptim, quam vxorem ſibi deſponderat, attinere diceret, egrederentur. Per quem eundem eos benigne placideq; reſpondiſſe, mirari ſe, quod tantus Princeps, tot egregijs artibus præditus, rem tam arduam aggredi, tamq; iniuſtam petere vellet. Rogaſſe etiam ſe, ne tantam ſeditionem cędum, incendiorum, non ſolũ in Caſtellę Legioniſq; regnis, ſed in ipſa etiam Luſitania excitaret, vt armis relictis, æquitatis iuriſq; partes amplexus ab eo incepto, quod nulla ratione tutari poterat, deſiſteret. Quod cum minime facere voluiſſe, quin exercitu infeſto eorum inuaſiſſe regna, Regioq; titulo abu-

ſum eſſe. Proinde Fernandum hęc in ſumma dicere, ſe inſtructis copijs ad oppidum ſuũ Taurum eo animo opperiri, vt laceſſenti quouis modo reſponderet. Petere ſe, vt ex tribus vnum, quod malit, Alphonſus eligat. Primum. vt ex ea parte regni, quam vi occupaſſet, regio etiam nomine, quod perperam ſibi arrogaſſet, abnegato, quam primum egrediatur. Si quod autem ius ſponſa eius ſibi eſſe contenderet, cauſa coram Summo Pontifice ageretur, quod is decreuiſſet, id vtrique parti ratum fore. Deinde, vt quoniam Alphonſus collatis ſignis cum Fernando ſe dimicare velle profeſſus eſſet, ne cunctaretur in pugnã deſcendere, nullam per eum moram fieri. Quod ſi neutrum placeret, quoniam opibus & copijs impar eſſet, ne tot homines innoxij duorum cauſa prelijs & cędibus conficerentur, ſingulari certamine cum eo de regno certaret. Sperare Fernandum dei ope, quam iniuſte Alphonſus id negocium aggreſſus eſſet, eo duello planum fore. Ad hæc Luſitanus per Alphonſum Ferreram reſpondit. Sibi ius eſſe Caſtellę, Legioniſque regna repetendi, vtpote ſponſo Ioannæ Reginæ, quam Enriqui Regis filiam hæredem eſſe conſtabat. Cuique etiam tres regni ordines publico conſenſu ſimul & iureiurando patris regnum tradiderant. Quare poſtulare ſe iterum, vt Fernandus cũ vxore ſua Regina Siciliæ a Caſtella, quam occupatam habebat, primum diſcederet, deinde placere ſibi, vt coram Pontifice maximo ius ſuum vterque perſequeretur. Nam quod ad pugnam, ad quam Fernandus prouocat, attinet, ſe regni ſui proceres vna cum copijs, quas diuerſis in locis diuiſas haberet, quam primum euocaturum, vt exercitu coacto in aciem deſcendat. Quod vero de ſingulari certamine Fernandus propoſuiſſet, ſe id pro ſtatu & communi ſalute omnium non detractare, modo inter ipſos prius conueniat, qua ratione, & loci, & pugnæ inter vtrumq; conferendæ periculum præſtari poſſit, ne victor ſuo fruſtretur præmio, aliter enim fruſtra alterutrum victurum eſſe. Cuius rei firmitudinem alio modo obtineri non poſſe, niſi ab vtroque Rege Iſabella ſimul & Ioanna, pro quibus ambo Reges in contentionem de iure regni veniſſent, obſides darentur. Quæ vbi Fernando nunciata ſunt, videri ſibi reſpondit, Alphonſum verbis non armis de iure regni certare velle, fruſtra etiam ea cauſari Luſitanum, cum iudex prę ſto non eſſet, qui litem dirimeret, neque ſibi honeſtiores validioreſque cauſas defore, quod Enriquus Rex cum regni ſui proceribus, approbante etiam rem ſummi Pontificis Legato, Iſabellam Principem heredem declaraſſet. Acceſſiſſe item ex ciuitatibus Hiſpaniæ procuratorum omnium conſenſum iureiurando vallatum. Ad hæc Enriquum ipſum, paulo ante quam e vita decederet, Conuentum Segouiæ agere decreuiſſe. Vbi cõuocatis totius regni magnatibus & ciuitatum procuratoribus, de more maiorum regnum Iſabellę confirmaretur. Eiuſq; decreti autores fuiſſe, cum proceres multos Caſtellæ Primates, viroſque alios religione, cõſilio, litteriſq; præſtantes, Tum Marchionem Villenatem, qui nunc pro Luſitano ſtaret. Conſcium etiam ſibi Alphonſum eſſe, ſi ex animi conſcientia loqui vellet, quam nullo iure ad regni petitionem Ioãna niteretur. Iam vero quo liberius inter eos ſingulare certamen fieri, & victor victoria facilius frui poſſit, quando per alios Reges aut nationes ſecuritas ea præſtari nequiret, & res in longum protraheretur, hanc rationem iniri oportere. Vt duos pro ſe Caſtellanos Alphonſus, duos item Fernandus Luſitanos eligant, notæ probitatis & fidei viros, qui ſolemnibus ſacramentis aſtricti, pari equitum numero ab inſidijs & violentia campum certaminis tutum liberumq; reddant, vt in tali re fieri ſolet. Paratum eſſe ſe intra triduum, quod ſua intereſſit, exhibere. Indecorum enim eſſe tantis Principibus, negocium id in longius tempus differri. Quod autem de obſidibus Alphonſus peteret, indignum nimis eſſe, Ioannam cum Iſabella conferri, longe ma-

ximum inter vtramque eſſe diſcrimen, quod cum omnibus, tum Alphonſo ipſi ignotum eſſe non poterat. Daturum ſe tamen Principem filiam obſidem, & alia inſuper quæ ad præſtandam fidem idonea forent. Rurſum Luſitanus, niſi Iſabella obſes deponeretur, omnia irrita ſibi videri reſpondit. Nam etiam ſi ipſi victoria obtigiſſet, bellum nihilominus aduerſus eam iterum ſuſcipiendum eſſe. Eo modo ſæpe ab vtroque miſſis remiſſiſque nuncijs, vbi neque acie dimicare velle, & ſingulari certamini cauſas Luſitanum quærere Fernandus intelligit, prope oppidum Taurum ad Durium flumen caſtra locat. Triduoque ibi ſtatiua habita ſunt. Quo tempore tanta commeatus inopia in caſtris fuit, vt ad decem denarios in eas menſuras annona peruenerit, quæ pridiæ duobus aut eo minoris venundabantur. Quæ res indies magis ingraueſcebat. Nullum enim frumentum aliunde in caſtra ſupportari poterat. Ex ijs namque oppidis & caſtellis, quibus circa Taurum Luſitanus præſidia impoſuerat, eorum præfecti cum magna armatorum manu egreſſi, frumentatum euntes prælio leceſſere, prædas vndique agere, importata omnia intercipere, denique itineribus intercluſis noſtros frumento facile prohibre. Quod cum Rex animaduertiſſet, de ratione belli cum Ducibus conſultare cœpit. Non erat enim, Luſitanum copia rerum omnium abundare, ſibi non commeatum modo, ſed pecuniam etiam deeſſe, vnde militibus ſtipēdia perſolueret, aliaq; ad vſum belli neceſſaria compararet. Præterea hoſtem obſidione premi non poſſe. Nam neque Durius vado tranſiri poterat, & vltra eum magna vi militum opus erat, quæ egredientibus oppido Luſitanis obſiſteret, quorum magna manus cum Rege mœnibus continebatur. Nullaſque deniq; ad impugnationem pontis machinas habere. Placuit igitur, ne maius in exercitu detrimentum indies fieret, caſtra moueri. Hoc autem cum militibus ijs cognitum eſſet, qui ex ciuitatibus in auxilium Regis conuenerant, indignari primum, quod cum tantas copias Rex coegiſſet, quibus facile bellum patratum iri omnibus perſuaſum eſſet, ita diſcederet, quin aliquid memoratu dignum egiſſet, neque enim eam poſthac tantam vim militum contrahendi copiam fore. Deinde culpam in magnates reliquoſq; Duces transferre, quod ea Regi conſulerent, quæ non ex dignitate ipſius, ſed ex vſu atque dignitate ſua eſſent. Qui non contenti ſeditionibus belliſque priſtinis, nunc denuo protrahendi belli cauſas quærerent, vt interim ab vtroque Rege fauorem & præmia emererentur, ſuiſque priuatis commodis conſulerent, & poteſtatem Regiam imminuerent. Poſtremo aliquot eorum Regem ipſum adire, proceres criminari, quod fidem ei debitam non ſeruarent, quod aperte illi imponerent, quod ſuæ ipſorum vtilitatis potiuſquā dignitatatis Regię rationem haberēt. Sibi ipſi Rex prouideret, ſe ad omnia, quæ aggredi vellet, patranda paratos eſſe, Regem ſuum non deſerturos, quoad bellum conficeretur. Quæ cum magnatibus comperta eſſent, tumultus in caſtris oriri cœpit. His indigne ferentibus, quod a vulgo militum falſoque accuſarentur, dum ex commodo Regis atque e republica cuncta prouiderent, illis in ſuſpitione ſua atque accuſatione perſeuerantibus. Denique Rex, vt qui vtrorumque fidem integram eſſe ſciret, magnatum, qui vrgenti neceſſitati & damnis imminentibus occurrerent, militum, qui magna erga Regem ſuum pietate affecti nihil non formidarent, nunc hos nunc illos ſeorſum allocutus, magnates apud milites defendere, commeatum, rerumque aliarum inopiam excuſare, belli denique difficultatem oſtendere. Ad hæc militibus gratias agere, fidem collaudare. Sic animis eorum ſedatis, non amplius immorādum ratus, caſtra confeſtim mouere iuſſit.

Rex & Regina ex Segouienſi arce ærarium accipiunt, ex eccleſijs argenti dimidium. Villena & Requena capiuntur.

CAPVT. II.

COnclamatis vaſis caſtriſꝙ deſertis, Hiſpanus Methymnã, atꝙ ex Tordeſellis Regina eodem tendit, cœptumque eſt conſultari de conquirendis pecunijs, vndecũꝙ honeſte poſſent, neque enim erat vnde militibus ſtipendia ſoluerentur. Nam in ſuperiori militia iam exhauſtum erat ignotũ illud argenti pondus & auri, quod Enriquus Rex in Segouienſi arce depoſuerat, quodque Andreas Caprarius arcis Preſes idemꝙ eiuſdem Regis villicus Luſitano poſtulanti denegauit, Regique ac Reginæ vltro tradidit. Quo facto magnam ab illis gratiam inijt, & Marchionatu Moiano & perpetuo arcis præſidio atque alijs compluribus beneficijs donatus eſt. Cumque ex ſuperioribus bellis & ex præſenti rerum omnium perturbatione ciuitates & populi eſſent extenuati, non ſunt auſi ab illis mutuo petere, aut imperata exigere, ne exactio illa eorum animos alienaret, atque a ſe in aduerſarium transferret. Plæriſque omnibus viſum eſt, argentum, quod erat in eccleſijs diuino cultui dedicatum, in præſentes vſus debere mutuo accipi, idque non eſſe nouum, ſed iam inde ab antiquis temporibus atque etiam in lege veteri vſitatũ. Vt pecuniæ & templorum vaſa, quæ ornamenti cauſa fuerant donata, in huiuſmodi neceſſitates conuerterentur, quando & in ipſam ędium ſacrarum vtilitatem erogatio illa eſſet ceſſura, neque minus emolumenti prouenturum eſſe eccleſijs & monaſterijs, vnde argentum illud tolleretur, ex tranquillitate, quam bene iuuante Deo ſperabant omnes, quam ipſæ ciuitates & populi ex pace, quæ victoriam ſequeretur. Quid quod negocio confecto ſupererat tempus, in quo poſſent ablata multiplicato fœnore reſtitui. Quod ſenatuſconſultum cum ad Regem Reginamque delatum eſſet, principio auerſati ſunt, atque a tali ſacrilegio abſtinendum eſſe cenſuerunt. Sed cum illos præſens neceſſitas vrgeret, neque inſtans periculum remedij moram pateretur, coacti ſunt ad prouerbium illud, quod eſt frequens in ore Hiſpanorum. In extrema neceſſitate res Deo etiam dicatas non eſſe nefas ex ſacrario tollere. Conſtitutumque eſt, vt argenti dimidium tolleretur ex vaſis, quæ diuino cultui minus eſſent neceſſaria. Cautum eſt præterea eccleſijs, vt ex tricies centum millibus dipondium, quæ in belli auxilium ciuitatibus & populis imperata erant, ſolutio fieret. Quod eccleſiarum Præſules atque omnis clerus habita ratione temporum & Regiæ neceſſitatis non grauate fieri paſſi ſunt. Primoribuſꝙ monaſteriorum diui Hieronymi in ſua cuique prouincia ea cura demandata eſt, vt ſine vlla fraude argentum illud, aut tantum daretur, quantum fuerat acceptum. Interea Parietinus Comes, qui ſe Diui Iacobi militiæ Magiſtrum dici volebat, & Aegabrenſis Comes iuſſu Regis & Reginæ Magiſtrum a Calatraua & Vrenatium Comitem fratrem eius, & vtriuſꝙ patruelem Villenatium Marchionem bello laceſſebant. Atque imprimis ciuitatem Regiam, quæ grandi præſidio violenter a Magiſtro tenebatur, in libertatem aſſerunt, in obſequiumque Regis & Reginæ reducunt. Deinde ex eo oppido municipia, vicos, agros & caſtella, quæ ditionis Magiſtri erant, bello vaſtant, aut a tributarijs vectigalia exigunt. Quod negocium impedimento fuit, ne a Magiſtro in auxilium belli Luſitano auxilia mitterentur, cum neque ipſe ad Magiſtratus ſui tuenda loca ſatis præſidij haberet. Comes deinde Aegabrenſis ex certis cauſis in Beticam ſuam ſe recepit, in Comitem Pa-

rietinum omnem rei gerendæ curam reijciens. Ille vero ex ciuitate regia Veleſium ſe recipit, vt inde Marchionatus incolas infeſtaret, aut tributa exigeret. Sed incolæ, quod Luſitanos totamque factionem illam oderant, libentius Magiſtro quam Marchioni ſuo tributa reddebant. Villenates oppidani cum cernerent finitimis in locis Regium Præfectum, qui ſibi cum exercitu ſubſidio eſſe poſſet, arcem obſidione cingunt. Marchionis clientes & amicos partim trucidant, partim bonis ſpoliatos oppido fugant. Ex Tarraconenſi prouincia venere auxilio copiæ, quæ obſeſſos adeo coarctarunt, vt paucis diebus ſeipſos, arcemque victori dediderint. Villenatium exemplum cæteri Marchionatus incolæ ſecuti, partim ſponte ſua, partim formidine in imperium ſe regium tranſtulerunt, ſed omnes Rex & Regina in tutelam ſuam repoſuere ea lege, ne vnquam a corona regia, vt aiunt, abalienarentur. Requenatis quoque arcis Præfectus, quam Marchionis nomine præſidio tenebat, cum intelligeret oppidanos de arce obſidenda cogitare, præuertit & ipſe illorum conatus, arcemque Regi & Reginæ tradidit. His difficultatibus Marchio in anguſtias poſitus, neſciebat, quo ſe potiſſimum conuerteret. Angebant præterea illum reliquarum arcium ſuarum Præſides, vt mitteret pecunias, commeatus & ſubſidia, quibus poſſent munitiones fidei ſuæ commiſſas propugnare. Coactus eſt igitur quidquid militum habebat per cætera municipia, caſtella arceſque ſuas dimittere. Non minori rerum omnium difficultate laborabant Magiſter a Calatraua eius que frater Vrenatium Comes, & Dux Areuacorum alijque eiuſdem ſectæ fautores, qui ex eadem cauſa non poterant Luſitano auxilia promiſſa tranſmittere.

Agitur de concordia cum Luſitano, ſed fruſtra. Burgenſem arcem Rex obſidet, Regina Legionis Germanicæ turres. Caput. III.

ATQVI Luſitanus videns ſe ab ijs deſtitutum, quorum pollicitationibus moliri res nouas cœperat, ſimul etiam regni ſui penetralia diripi, agros expilari, Nodarum & Alegretum teneri ab hoſte, cogitans copiarum partem ad patriæ tutelam remittere, petit ab illis ex pactorum conuentorum formula, mittant quinqꝫ mille illos cataphractos equites, quos ſe miſſuros ad commune bellum adminiſtrandũ polliciti ſunt, incuſans etiam illos, quod non ante miſerint, cum ſæpe fuerint ab ipſo requiſiti. At illi non minori perplexitate confuſi reſpondent, ſe habere in armis promiſſum exercitus numerum, ſed eo eſſe opus ad tuendas vrbes, oppida, caſtella & arces, quæ pro illo ſtabant. Se quoqꝫ ipſos multis periculis obnoxios, rerumqꝫ ſuarum detrimenta cotidie pati, vt illum ad regni faſtigium euehant. Quam temporis occaſionem Cardinalis Hiſpanus arripiens, ſecreto literas ad Luſitanum mittit, conſulens, an placeret illi, vt cum Rege & Regina de concordia ageret, & quibus cõdicionibus ea de re vellet agi. Ad quę Luſitanus, cũ cerneret ſe deſertum ab ijs, quibus maxime fidebat, reſpondet ſibi placere cõcordiã, ſeqꝫ in Luſitaniã ſuã rediturũ, ſi cedatur ſibi poſſeſſione Tauri & Zamoræ vrbiũ, quas obtinebat, & Callaici regni, quæ omnia Luſitaniæ ſuę annecteret. Petebat inſuper magnã pecuniarũ vim, quas dicebat ſe in militũ ſtipendia reliquoſqꝫ expeditionis illius apparatus diſtribuiſſe. Ad hæc Luſitani poſtulata per eundem Cardinalẽ magno animo Regina reſpondet, tametſi omnia ſub dubia etiamnum fortuna belli pẽderent. Se tamen nõ permiſſurã, vt vel minimus vicus ex regno a maioribus ſuis accepto imminueretur, cum e diuerſo nihil magis animo ſedeat, quam quemadmodum imperij fines propagare

poſſit. Paſſuram tamen, vt pro redimenda Hiſpani orbis tranquillitate dependeretur illi tantum auri, quantum bonis viris vtriuſque partis æſtimatoribus videretur. Sed cũ ea de re vltro citroque per honeſtos viros ageretur, neq; ſatis inter partes cõueniret, nũcius a ciuitate Burgenſi eſt allatus, qui diceret: Ioannem a ſtunica, qui pro Areuacorum Duce patruo ſuo arcem præſidio tenebat, militum auxilio ad id miſſo eruptiones in vrbem crebras diu noctuq; facere, ciues trucidare, prædas in arcem conuehere, iamq; demolitum ex armorum vico ad tercentum domos, quæ fuerant arcis munitionibus proximę, neq; poſſe iam erumpentium impetus ſuſtinere, niſi quamprimũ ſibi mittatur auxilium. Lodouicum præterea cognominatum Acunia Burgenſem Epiſcopum, qui & ipſe factionem Luſitanam ſectabatur, excurſiones longe lateq; per agros facere, ad quas compeſcendas equitatum implorabant. Ad hunc nunciũ Principes grauiter cõmoti, curam animi quam acerrimam intendunt, vt ciuitati bene de ſe meritæ, & quę totius regni caput eſſet, ſemperq; habita fuiſſet, auxiliares copias quã primum mitterent, quas Rex cũ grãdiori exercitu mox ſequeretur, qui arcẽ obſidiõe cingeret. Subſidiarijſq; militibus dati Duces Alphonſus Arellanius, Comes Aquilarius, Petrus Manriquus, Xanthus Rogius, Stephanus Villacrecenſis. Qui cum primum in vrbem uenerunt, ſtationes quã maxime poſſunt arci admouent, atq; ædiculæ diuæ genitricis proximę, quã vallo, foſſa, balliſtis, tormentis, machiniſq; munierant, vnde facillius erũpere, cõmodiuſq; ciuibus detrimenta inferri poſſent. Ex arce præterea per muſculos egreſſi agros populabãtur, frumentatores lignatoreſq; intercipiebant. Rex vero, quo in ſtatu res eſſet, factus certior, cõuocato peditatu ex Aſturibus, Cantabris, Vaſconibus, finitimiſque populis, cum equitat, uquem pro tempore contrahere potuit, ſubſidio venire maturat. Venit quoq; eodem Alphonſus a Villa formoſa Dux ipſius Regis frater nothus. Venit magnus Comeſtabilis. Iubet Rex ab intima extimaq; vrbis parte muniri ſtationes, valloq; ac foſſa duplici arcẽ ędẽq; illã ſacrã cingi, ne cui aditus aut reditus pateret. Interim Regina, quæ Valladoliti manſerat, a Germanica legione nunciũ accipit: Alphonſum quendã cognomento Blancã ſecreto agere cũ Luſitano de tradendis turribus, quas vrbi ſuperimpoſitas præſidio tenebat. Illa vero nihil morata illuc proficiſcitur, ciues conuocat, arcis pręſidem accerſiri iubet, petit ab eo ſibi tradi munitiones, quoniam e republica id eſſet. At ille cũ tradẽdi morã faceret, prætextu ſarcinulas exportandi, nõ antea permiſit a ſe abire, quam imperata exequeretur, Xanthoq; a Caſtella munitioem traderet. Ordinatis deinde rebus ciuitatis Valladolitum redijt. Interim Rex non ceſſat parare ſcalas, balliſtas, tormenta, aliaſq; machinas, quibus arcem oppugnaret, & quia ædes illa ſacra videbatur oppugnatu facilior, ſimul etiam quod ea capta obſidio anguſtius præmeretur, iubet intendi machinas, atq; quantũ fieri poteſt eccleſię admoueri. Inuadunt ædis munimẽta omni genere miſſilium, ſcalas applicant, graduſque per ipſos nituntur, propugnacula muri prenſare. At illi iam ſumma tenentes deturbant, oppugnatur, propugnaturq; vehementer, vtrobiq; cadentium gemitus, & plurima mortis imago. At Rex, cum videret ſuorũ cædem, quamquam multo maiora damna inferebant obſeſſis, quam ab illis accipiebant, iuſſit tamen receptui canere, itaq; ab oppugnatione deſiſtere, vulneratos foueri, feſſos recreari. Ipſe vero pro concione omnibus collaudatis: præclarum, inquit, facinus hodie geſtum eſt a vobis milites fortiſſimi, quod hoſtibus intra munitionum ſepta circumuallatis maiorem cladem intuliſtis, quam vos accepiſtis. Sed hoc vos conſolari poteſtis, quod illi contra patriam impia arma ſumpſerunt, vos pro patria in proditores inſurrexiſtis. Illos ſcelerum ſuorum grauiſſimæ pœnæ, vos pietatis veſtræ debita

præmia expectant. Illos indelebilis ignominia, vos egregium decus manet. Nunc igitur re bene geſta ite domos, curate corpora, voſq; oppugnationi caſtrinæ parate, quam non opinor expectaturos, niſi illos rerum omnium deſperatio agit præcipites. Erant in ædiſ præſidio viri circiter quadringenti, quorum magna pars caſa, maior vulnerata, reliqua exantlantis laboribus defeſſa erat. Deerant præterea illis non ſolum fouendis vulneribus medicamenta, ſed etiam victui neceſſaria. Itaque timentes inſequentis diei futuram multo acriorem oppugnationem, cœperunt de facienda deditione cogitare. Erat munitionis Præfectus Ioannes quidam Sarmenius Burgenſis Epiſcopi frater. Is paciſcitur cum Rege ſuiſque vitam membrorumque integritatem, quod facile impetrauit, non quod Rex victoriæ diffideret, ſed quod natura erat clementiſſimus, & quod volebat rem conficere minori ſuorum ſanguinis effuſione.

Luſitanus parat ſe ad ſoluendam Burgenſis arcis obſidionem, & Centifontani Comitis cum Luſitanis pugna tumultuaria.

Caput. IIII.

AEDIS munitione obtenta promouentur arci ſtationes, obſeſſi anguſtius laborant. Noſtris accreſcit potiundæ arcis fiducia, illis propugnandi deſperatio. Eſt in medio arcis impluuio, profunditatis immenſæ puteus, vnica obſeſſorum aquationis ſpes. In hunc Rex imperat a ſex partibus agere cuniculos. Quos cum hoſtes præſentiſcerēt cœperunt & ipſi tranſuerſarios effodere. Neque ſegnior in viſceribus terræ oppugnatio erat, quam in ſubdialibus. Sed eorum, qui obſidebantur, eo deterior condicio erat, quod numerus cotidie imminuebatur, creſcebat rerum omnium penuria. Eos tamen vnica fouebat auxilij ſpes, quod a Luſitano expectabant, idq; cum viderent differri, mittunt litteras cum mandatis ad Areuacorum Ducē, ſignificantes, in quanta rerum omnium difficultate verſarentur, futurumque, vt non poſſent diutius obſidionem hoſtium ſuſtinere. Habebat Areuacorum Dux in ciuitate illa complures clientellas, tum per ſe ipſum partas, tum a maioribus veluti hæreditario quodam iure ſuſcœptas, ex eo tempore, quo arx ſub fide publica fuerat ab Hiſpano Principe Stunicarum familiæ credita. Erat illius arcis præfectura non ſolum honorifica, ſed etiam firmiſſimum ſui patrimonij fundamentum, quod alioqui ab Aquilone in Auſtrum per totam Hiſpaniæ latitudinem diffunderetur. Is itaq; cum accepiſſet, præſidearios ſuos in tanta rerum omnium anguſtia verſari, dat eidem Ioanni Sarmento litteras cum mandatis ad Luſitanum, quibus facit illum omnibus de rebus, quæ apud Burgos gererētur, certiorē. Quodq; ſi caſtellum illud, a quo, tanquam a capite, Hiſpaniæ regnum Caſtella eſt cognominata, in hoſtium poteſtate deueniret, ſe non modo facturum grandem patrimonij ſui iacturam, ſed neq; ipſum quidem facile regnaturum, ſi ex regni culmine deturbaretur. Cū præſertim vtriuſq; partis fautores, & qui ſe indifferentes continebant, in hoc vnum certamen oculos coniecerint, ſpectantes, quem fortuna rerum ſequatur euentum, haud dubium, inclinaturos omnes ad victorem ſtudia ſua. Quare ipſum orabat, obteſtabaturq;, vt obſeſſis quāprimū ferret ſuppetias, niſi mallet hoſtibus cū regni poſſeſſione victoriā tradere. Stimulatus eo nūcio Luſitanus, reputās ſecū vera eſſe omnia, quę ab Areuacorū Duce dicerētur, tametſi habebat copias īminutas ex eo nūero, quē a prīcipio belli ex Luſitania ſecū adduxerat, q pars ſuorū deſiderio ex lōga mora in patriā redierat;

pars ex cæli mutatione morbo erat extincta, pars in tumultuarijs quibuſdã pugnis profligata, ſtatuit tamen quantum poſſet exercitum contrahere, opemque obſeſſis ferre, anteaquam de facienda deditione cogitarent. Tauroque profectus Areuacum ſe cũ præſenti exercitu contulit. Cui ſe Archiepiſcopus Toletanus & Villenas Marchio coniunxerunt, perpulchre aliquot inſtructas cohortes ſecum adducentes, eidemque non modo auxiliares manus, ſed etiam fidem ſuam iterum addixerunt, ſeque non agnituros alium Hiſpanorũ Regẽ atteſtati ſunt. Erat illa tẽpeſtate Regina Valladoliti, quæ facta certior de aduentu hoſtis Areuacum mittit præfectos cum cohortibus ad loca finitima, Gutterium Cardenium quæſtorem ſuum maximum Methymnam ad campum, Ioannem Syluium Comitem Centifontanum Vlmetum, qui non paterentur Luſitanos libere per agros vicoſque excurſiones facere. At Centifontanus Comes iuuenili ardore commotus egregium aliquod facinus moliri non deſinit, rectaque Areuacum profectus, vbi ſe Luſitani continebant, in condẽſo quodam ſpineto inſidias collocat, mittit excurſores, qui agros populentur. Quos ingentẽ præ ſe agentes prædam Luſitani facta ex oppido eruptione e veſtigio inſequuntur, quoad uentum eſt in ſidias. Vnde Comes prodiens iubet ſigna inferri, anteaquam ſubſidio augeretur hoſtium numerus, qui haud dubie erant adhuc multo plures. Militum ſententia fuit anceps, erant enim qui dicerent cedendum eſſe tempori, propterea quod omnia eſſent hoſtibus ſuperiora, numerus amplior, ex quiete peditum equitum equorumque recens alacritas, a tergo ſubſidia in horas ſuccedentia. Noſtris vero militum paucitas, ex noctis heſternæ laboribus corporum laſſitudo, auxiliorum præterea nulla ſpes. Quare canendum eſſe receptui cenſebant, anteaquam hoſtes ab exploratoribus cognoſcerẽt, non eſſe diſpoſitas, quas timerent, alteras inſidias. Alij dicebant turpem eſſe fugam, neque committendum, vt Luſitani aliquando poſſent dicere, Hiſpanos ab ipſorum conſpectu fugiſſe. Dum tempus conſultando teritur, iam ultimis noſtrorum excurſoribus primi Luſitanorum inſtabant, neque poterant pauci multorum impetum ſuſtinere. Miſſi qui ferrent opem laborantibus, creſcunt vtrinque paulatim auxilia, donec totis viribus pugnari cœptum eſt. Editur ſtrages maxima. Comes vero cernens hoſtium auxilia increbreſcere, ſuos vero partim occiſos partim vulneratos, partim ex multo labore defeſſos in proximam ſe verrucam recipit, collectiſque ex pugnis reliquijs Vlmetum contendit. At Luſitani non incruenta victoria potiti cum erepta ex hoſtibus præda ſpolijſq; Areuacum rediere.

Regina Luſitanum Burgos euntem ſubſequitur, Pallantiæque reſidet, Comes Beneuentanus Baltanaſij capitur.

Caput. V.

LVSITANVS interim non ceſſat partium ſuarum fautores, vt ad præſcriptum diem ſibi adſint, conuocare, &, quam maximis copijs ferre opem obſeſſis feſtinent, hortatur. Ipſe cum Archiepiſcopo Toletano & Marchione Villenati Pinnam fidelem, quod erat Comitis Vrenatis oppidum, proficiſcitur: vt illic auxiliares copias exſpectaret. At Regina eius rei facta certior Pallantiam ire properat. Erat in comitatu illius Cardinalis Hiſpanus, & Architalaſſius, Comeſque Beneuentanus, & alij complures Hiſpanorum viri principes. Dimittitque exploratores & excubias, qui captent hoſtis conſilia, vt quum primum iter arripuerit, faciant ſe certiorem, vt illum a tergo inſe

quereretur, ſi Burgos ad ſoluendum obſidionem ire contenderet. Simul etiam, vt hoſti-
bus cõmeatus intercluderet, diſponit præſidia in locis Pinnę Fideli finitimis, inter quos
erat Baltanaſium oppidulum neque arte neque natura ſatis munitum, ſed muro ſemiru
to foſſaque non bene eruderata. Hoc ſibi Comes Beneuentanus præſidio ſuorum collo
cando depoſcit, vnde multa incommoda hoſtibus inferre poſſet. Stationes in locis iniu-
rię obnoxijs diſponit, vigiles Circitoreſque diſtribuit, ne aduentu hoſtium repẽtino op
primatur, alioqui erat animo tam excelſo, vt nihil a partis aduerſæ copijs omnibus for-
midaret. Socij vero, clientes, familiares, & amici Comitem hortabantur, vt locum nõ
multo negocio munitum deſereret. Neque enim Luſitanos quieturos quoad illum ex-
munitione tam propinqua deturbent, idq; haud difficulter effecturos, quando tot adi-
tus oppugnationi paterent. Sed ille neq; precibus neq; exortationibus ullum reliquit
locum, quin potius in incœpto præſtans excurſores cotidie mittit, qui populẽtur agros,
pabulatores, lignatores, frumentatoreſq; intercipiant. Atqui Luſitanus videns ſe ab ho-
ſtibus contemni, paucoſq; intra macerias parieteſq; potius quam muros ſe continentes
commeatus ſibi intercludere, decernit Caſtellum oppugnare, atq; tam inſigne opprobri-
um ex oculis tollere. Arripit iter nocte intempeſta, atq; ſub lucem per ruinoſas muro-
rum partes Caſtellum agmine octipartito iubet oppugnari. Muri erant formacei ex
terra ſine calce, quos longa dies & ruina cæli deiecerant, magnaq; ex parte per interualla
nudauerant incolas. Eos aditus Luſitani inuadunt. Stationarij milites vigilum Cir-
citorumq; clamore excitati ad loca ſibi deſignata accurrunt, ſeq; ab hoſtibus non tã mu-
ro quam acie defendunt. At Comes hortatur ſuos, quemq; nomine proprio cum hono
ris præfatione appellans ſtationes circuit, laborantibus auxilia ſubmittit. Hinc ſpes
oppidi capiundi, illinc deſperatio, ſi hoſtis admittatur, vtrorum animos irritat, neutris
pedem referentibus. Editur vtrobiq; ſtrages maxima, vis vi repellitur. Atq; ita par-
tim inſtando, partim cedendo, pugnatum eſt ad horas veſpertinas. Bis Luſitani fuerant
intra munitiones recepti, biſq; ſublato clamore Beneuentani hoſtem in murorum ruinas
deturbant. Sed tandem per muri partem difractam irrumpunt Luſitani, obſtantes im-
pellunt, fundunt, fugantque per vias, omnia diſturbant. Comes cum paucis ex ſuo-
rum numero angiportum quendam occupat, vbi fortiter pugnas vulneratur, capitur-
que. Luſitanus ea victoria ſpolijſque ſuperbus cum Comite alijſque principibus viris
quaſi in pompa triumphi præmiſſis Pinnam Fidelem redijt. Eam calamitatem Rex &
Regina magis quam pro materia ægre tulerunt. Nam præter id, quod Pimentelorum
familia eſt in Hiſpania facile princeps, Comeſque ipſe per ſe vir ingentis animi, atque rei
militaris peritiſſimus, talem amicum tamque obſequentem ſuæ partis ſocium amiſiſ-
ſe, non poterant non dolere. His duabus cladibus per præfectos acceptis, Regina ſe-
cum reputans, hoſti ex victoria elato creuiſſe animos, ſimul etiam, quod rumor in-
crebreſcebat, illum habere iter ad Burgenſis arcis obſidionem ſoluendam, contrahit
præſidia, quæ per locos hoſti finitimos diſpoſuerat: vt cum primum ille caſtra mo
ueret, ipſa e veſtigio conſequeretur, copiaſque ſuas cum mariti Regis exercito iun-
geret, aut ex communi conſilio altera fronte, alter a tergo hoſtem ancipiti pugna diſtra-
herent. Rex quoque non ceſſat interea obſidionem vrgere, tormentis ac machinis mu-
nitiones pertundere, cuniculos in arcẽ agere. At Luſitanus videns noſtrorum vigilã-
tiam, alterius in obſidione præmenda, alterius in auxiliaribus copijs vndiq; contrahẽdis,
ſeque duobus exercitibus futurum imparem, ſi foret illi collatis ſignis cum hoſte decer-
nendum: ſimul etiam, quod audiebat, Zamoranos velle ad hoſtes deficere, diuertit ab

inſtituto itinere, vt Zamoram Taurumq; validiori præſidio firmaret, putans illas duas vrbes eſſe regni futuri vel maxima fundamenta, propterea quod erant & ciuibus frequentes & Luſitanię ſuę confines, eoque conſilio Areuacum redijt. Erat Areuacorum Ducis coniux Leonora ex Pimentelorũ familia Beneuentani Comitis ſoror patruelis, quæ illis temporibus non modo omnem Ducatus adminiſtrationem ſuſtinebat, ſed etiam coniugis affectus moderabatur. Ea cum Luſitano agit, quemadmodum Comes cũ ſocijs, qui in eadem fortuna fuerunt, ex fide, quam victi victoribus dederant, ſoluerentur, ea conditione vt partis aduerſæ arma non iuuarent. Dantur obſides Comitis filius primogenitus, tria oppida ornatiſſima ſequeſtro ponuntur. Maiorica, Portellum Villa alba, quæ Luſitanus firmiſſimo præſidio inſtruxit. Comes itaque ſolutus fide, tametſi magnis conditionibus inuitaretur, vt ſtudia ſua in Luſitanum transferret, noluit acquieſcere, ſed in reliquum belli tempus medium ſequeſtremq; ſe exhibuit.

Marchio amiſſa Ocania, quam præſidio tenebat, Luſitanum hortatur, vt traiectis montibus ad Carpetaniam veniat.
Caput. VI.

ANNO inſequenti, qui fuit a ſalute Chriſtiana ſextus & ſeptuageſimus ſupra milleſimum quadringenteſimum, in ipſo ſtatim anni exordio Ocanienſes, quibus Marchio grauiſſimum impoſuerat præſidium, cœperunt agere cum Centifontano Comite cumq; Ioanne Ripario, qui eo tẽpore Tolꝫti commorabatur, de tradendo per illos municipio Regi & Reginæ, modo ipſi ad tempus adeſſent cum exercitu. Atq; imprimis oppidanos ob ſuſpicionem domo pulſos a Marchione reuocant, vnoque omnium conſenſu præſidiarios milites oppido pellunt. Accurrunt ex templo a Centifontano Comite ſubſidia, quẽ ſequitur cũ Toletanis cohortibus Ioãnes Riparius. Regina eius rei facta certior oppidum Roderico Manriquo Spathiferorum Magiſtro tradi iubet. Hoc nuncio permotus Marchio, ſimul etiam videns opes maximas & patrimonium, quod a patre acceperat ampliſſimum indies minui, cõmeatum a Luſitano petit, & quam maximis poteſt itineribus in Marchionatum ſuum peruenit, vbi comperit omnia multo deteriori conditione, quam ex nuncio acceperat. Vrgebat illum omni ex parte hoſtis acerrimus diui Iacobi militiæ Magiſter, nitebaturque paucis oppidulis, quæ ſupererant, ſpoliare. In qua rerum omnium difficultate poſitus dat litteras ad Luſitanum, commemorans quanto ſtudio & fide ſit illius ſigna ſecutus, quodque ſibi pollicitus fuerit eo tempore, quo illi vxorem nuptui tradidit, ſe pro illius capite ac fortunis dimicaturum, neq; paſſurum, vt quicquam detrimenti pateretur, non etiam ſi ſciret omnes vires ſuas fortunæ belli opponere, addebat inſuper, quod noluerit ſequi partis aduerſæ duces, quamquã magnis conditionibus inuitaretur. Nunc vero eo ſe calamitatis deueniſſe, vt parum abſit, quin non omne patrimonium a ſuis maioribus acceptum amittat. Quam iacturam non tam eſſe ſuam, quam ipſius Regis, ad quem pertinebat, ſuarum partium ſtudioſos tueri, atque ſeruare incolumes. Itaque orabat, obteſtabaturque Regem, vt cum exercitu copijſque omnibus quamprimum Taurinos montes traijceret, conferretque ſe Madritum, quod oppidum cum arce ipſe præſidio teneret, futurum namque, vt inde commodius aſſequeretur, quod concupiebat. Erant namque in ea regione Madrito proximi Archiepiſcopus Toletanus, atque Magiſter a Calatraua,

qui eſſent in tota prope Carpetania facile principes, ſuas quoq; vires non eſſe adeo exhauſtas, vt ex cæde, quam eſſet hoſtibus illaturus non ſequeretur ſanguis. Quod ſi Madriti vellet conſidere, fore vt Ocania imprimis recuperetur, atque deinceps Toletani, ac totius Carpetaniæ Luſitaniæq; proximę vrbes, municipia, & caſtella ſe illius fidei, maieſtatiq; dedant. Eſſe præterea in Bætica Marchionem Gaditanum, qui Aſindum armis, & equis, oppidum perquam nobile, firmiſſimo teneret præſidio, & Alphonſum Aquilarem, qui Cordubam, qua nulla eſt in Bætica ciuitas equitatu frequentior, quaſi vnum e ſuis municipijs poſſideret, vtrumq; duarum ſororum viros vtrumque rei militaris peritiſſimum. Eſſe alios complures, qui cum primum audierint ipſum cum præpotenti exercitu in Carpetania conſediſſe, declaraturi eſſent animi ſui ſenſum, quem ante hac occultauerint. Quod ſi ſuis rebus afflictis, vltimæq; neceſſitati non opitulatetur, neminem eſſe tam perditum, tamq; conſilij inopem, qui vellet ſequi ducem, cuius animum ſuorum cura non teneret. At Luſitanus exhortationes querelaſq; Marchionis ad proceres, ſenatumq; ſuum refert, illorumq; ſententiam exquirit. Omnibus viſum nullo modo illi montes eſſe trajciendum. Aſſerebantque rationes complures, cur illud neque cogitandum quidem eſſet, atq; illam imprimis, quod ſemper is habitus eſt Hiſpaniarum Rex, qui poſſideret citerioribus Hiſpaniæ oppida Valladolito & Methymnæ adiacentia, in qua ipſe obtinebat duas vrbes, & ſitu, & ciuium frequentia munitiſſimas, atq; Luſitaniæ ſuæ finitimas Taurum, Zamoramq;, quas haud dubie videbatur ire perditum, ſi præſidia inde transferret, aut cum exercitu longius diſcederet. Quid quod omnes interpretarentur illam non diſceſſionem, ſed fugam, cum eſſet hoſtis in conſpectu, iam iamq; decernendum eſſet ferro, vtri Deus victoriam vellet tradere. Reſcribit itaq; Marchioni, vt conſuleret interim rebus ſuis, qua ratione melius poſſet: ſe daturum operam pollicetur, vt cum primum per temporis occaſionē poſſet, omnia damna reſarciantur, amiſſa reſtituantur, ſeque illum ampliſſimis beneficijs cumulaturum. Hoc Luſitani reſponſo conſternatus Marchio, cœpit animo fluctuare, occaſionēq;, modo honeſte poſſit, ad Regem Reginamq; deſciſcendi quærit, modo ſibi amiſſa, ex quo Luſitanum ſequi cœpit, reſtituantur. Erat eo tempore Tauri Luſitanus, qui cum accepiſſet Zamoranos de prodenda hoſtibus vrbe cogitare, eo profectus coniurationē patefecit, quattuorq; ex primoribus oppidanis deprehēſis non eſt auſus in illos iure ſuo vti, metuens ne per tumultū populus concitaretur. Regina quoq; vidēs hoſtem a mittendis ad Burgenſem arcem auxiliaribus copijs deſtitiſſe, & ipſa Valadolitū redijt, pręſidiaq;, quā maxime poteſt, in vicinis locis diſponit, ne libere per agros vicoſq; Luſitani vagarentur. Neq; ceſſat interim blandicijs, donis, pollicitationibus, precibuſq; aduerſæ partis ſectatores pellicere.

Zamoram Pontis, atq; vrbis præter arcem Ferdinando facta deditio.

Caput. VII.

ERAT Zamoram, Pontis præfectus, quemadmodum in ſuperioribus dictum eſt, Franciſcus Valdeſius, qui fuerat quondam ipſi Regi atq; Reginę familiaris, & a quibus honoribus ampliſſimis, atq; muneribus fuerat donatus, Cum hoc agit Regina, vt ſibi Pontis munitionem tradat, aditufq; in vrbem patefaciat. Non abnuit ille conditionem. Cum Petro Mazaricco, quem ipſe Pontis præfecturæ ſubſtituerat,

de re commentatur, qui cum eſſet vir bonus, idemque pacis amator, Franciſcum impel- lit, vt Reginę per omnia obſequatur. Conſtitutum eſt, vt Rex ab obſidione Burgenſi adſciſceretur, ſine quo tantā rem non poſſe peragi exiſtimabatur. Neqꝫ enim ſola modo Pontis munitio, ſed & tota ciuitas cum Luſitanorum principe, vna opera videbatur tradi. Huius conſilij perpauci fuere conſcij. Rex eius negotij factus certior, ſimulat ſe minus recte valere, & quo valitudinē ſuam commodius curare poſſet, velle ſe intra cubiculum ad paucos dies continere. Obſidionis curam fratri Notho reliquiſqꝫ primoribus, qui cum eo tunc erant cōmunicata re commendat. Ipſe cum duobus tantum ex familiariſſimis, de media nocte Valladolitum arripit iter. Nec latere potuit Luſitanū ea res, ſiue quiſpiam ſecretum prodidit, ſiue quod audiebat exercitus ab hoſtibus conuocari, ſiue quod multis ſuſpicionibus, non nimium fidebat iam Franciſco illi Valdeſio. Quem iubet Rex ad ſe accerſiri. Reſpondēt ſui, abijſſe neſcio quo. Statuit ea nocte ſiue dolo ſiue viribus Pontis munitione potiri. Mittit Ioannem Porrium, qui erat Valdeſij propinquus, atque omnium conſiliorum ſocius, qui diceret Petro Mazarieco, qui præſidio Pontem obtinebat aperiret Pontis aditus, ſimulans ſe ea nocte milites transflumen velle mittere, qui hoſtium fines popularentur, re autē vera, vt intra munitionem recepti, præſidem cum præſidio loco deturbaret. At præſes id quod erat ſuſpicatus reſpondet, non eſſe illud tempus quo deberent armati intra arcem recipi, ſe tamen poſtridie ſub lucem imperata facturum. Quod reſponſum tametſi viſum eſt Luſitano ſuſpicionis aliquid habere, expectat tamen euentum rei prope diem declarandum. Interea præſes ex immani lapide ducit alterum murum a parte munitionis interiori, quæ ſpectat vrbem, nunciumqꝫ ad Ferdinandum Regem mittit, qui dicat conſpirationem eſſe detectam, Luſitanoqꝫ eſſe in animi Pontem oppugnare. Quamobrem properaret ferre ſuppetias, niſi mallet cum Ponte ſpem omnem potiundæ vrbis amittere. Prima luce mittit Luſitanus Ioannē Illum Porrium cum equitibus centū cataphractis, qui iuſſa exequerentur. Qui cum ad Pontis primum acceſſiſſent caput, ſagittis, ſclopetris, lapidibuſque, pulſi fugatiqꝫ ſunt, inclamatumqꝫ eſt a pręſidiarijs, Ferdinandum, atque Eliſaben ſe agnoſcere Hiſpaniarum principes, at præterea neminem. Quæ vox cum ad Luſitanum perlata eſſet, ira percitus omnes ad arma vocat, ipſeqꝫ armatus adeſt, Pontemqꝫ omni tormentorum genere oppugnari iubet. Milites vero partim indignatione, partim ſui Regis pudore, partim formidine commoti, teſtudine adacta, munitionis portas incendio corripiunt, putanteſqꝫ nihil eſſe aliud quod aditus intercluderet, non ſine maxima clade irrumpunt. Cumque negotium ſibi iam confectum exiſtimarent, offendunt alterum murum a parte munitionis interiori.

Pugnatur vtrinque vehementer, hi vt vallum quod obſiſtebat demolirentur, illi vt vallum cum vita propugnarent. Luſitanos tamen ab incepto arcebat fumus ex incendio, quod ipſi portis admouerant, quodqꝫ ex tanta ipſorum multitudine cum pauci pugnarent, plures vulnerabantur, nullum namque telum erat inane, cum ediuerſo Pontani præter laborem ſudoremque defendendi, nullum aliud detrimentum ab hoſtibus acciperent. Durauit ea oppugnatio, a prima luce ad horam eius diei veſpertinam, cum interim Luſitanus non ſuorum ſtrage permotus, non quod tanto diſpendio nihil proficiſcebatur, ſuos exhortari non ceſſat, quemque ex amicis nomine appellans, ſtimuloſque admouens, increpans etiam ſegniores, quæ res illos haud dubiam in mortem adigebat. Atque illum ſic affectum: Archiepiſcopus Tolenanus hunc in modum alloquitur. Non eſt mihi ignotum clariſſime Rex indignationem

iſtam in proditores illos eſſe iuſtiſſimam. Sed quid opus eſt tanta ſanguinis effuſione, vbi nihil proficitur? Quod ſi te in vltionem ira præcipitat, non minus commiſeratio in tuos reuocare debet. Audiui ego quendã ex numero illorum ſeptem, quos Græcia iactat ſapientes dicere ſolitum, victoriam non eſſe optandam, quæ ſanguine conflatura eſſet. Quid igitur ille diceret de pugna, quæ ſine effectu cruore redundat? Vides quanta fiducia, vel conſtantia potius, patientiaq; rebelles illi Pontis munitiones tuentur. An putas id futuros fuiſſe, aut te præſente tale aliquid auſuros, niſi expectarent quam celerrime ſibi auxilia miſſum iri? Noui ego hoſtium mores, neq; omiſſuros tantam ſibi oblatam occaſionem. Quod ſi a me princeps optime, ſententiam exigis, cenſeo tempori cedendum, neque expectandum quoad hoſtes robore ac numero plures intra mœnia recepti ſint, neque arbitror cum illis eſſe pugnandum, per vrbis vias, per domos, perque religioſa Deorum templa, cum præſertim habeamus ipſos ciues nobis infenſos, atque in partis aduerſæ ſtudia pronos. Luſitanus hac Archiepiſcopi oratione perſuaſus, iubet ab oppugnatione receptui canere, timensque ne quid per tumultum populus auderet, conclamatis vaſis imperat ſuos omnes in armis excubare. Comportatiſque in arcem ſarcinis, omnique precioſa ſupellectili, de media nocte cum noua coniuge Taurum proficiſcitur. Quem ſecutus eſt Porrius ille Ioannes, veritus iram principum, quos iampridem offenderat. Vix dum Luſitanus diſceſſerat, cum eueſtigio Aluarus Mendozius, cum exercitu per alteram portam vrbis ingreditur. Luſitanorumque reliquias per totam ciuitatem ſparſas, explorat, ſpoliat, comprehenditque, quorum bona pars ſe cum omni re ſua in ædem recipit maximam. At Mendozius templum obſidione cingit, ſummiſque viribus oppugnat, illi contra, ſe acriter defendunt. Adeſt ſub lucem ipſam Ferdinandus ipſe Rex, cum Archithalaſſo, Duceq; Albano, alijſq; principibus, viris eiuſdem cauſæ ſtudioſis. Quos Luſitani cum cernerent intra mœnia receptos, cœperunt ipſi priores, de deditionis condicionibus agere, vt ſoſpites cum rebus, quas poſſent comportare, ſecum dimitterentur. Quod Rex clementiſſimus haud difficulter indulſit, & quod natura mitiſſimus erat, & quod nolebat in tam parui momenti negotio tempus conſumere, cum præſertim ad arcis oppugnationem, cui potiſſimum intendebat, eccleſia illa, quod arci proxima erat, plurimum conducebat. Luſitani facultate abeundi data, ſe cum bonis ſuis omnibus ad Regem ſuum conferunt. Quos vt conſolaretur, ſimulat fiduciam, ſimul etiam vulgo iactare cœpit, totum hoc regni potiundi negotiũ non conſtare, capiendis, amittẽdiſque arcibus, caſtellis, aut vrbibus, ſed vno prælio, in quo decernendum foret in Hiſpania regnaturus. Mittitque continuo ad filium Luſitanorum principem deſignatum, literas cum mandatis, quibus imperat, vt omne Luſitaniæ robur, in vnum exercitum contrahat, ſibique quam cum maximis poſſit copijs, cum primum euocaretur adſit. Rex vrbe potitus, metati bona Ioannisque Porrij aliorumque rebellium publicat. Atque imprimis murum, vallo, foſſaque munitum, inter arcem & vrbem duci iubet. A parte quoq; vrbis extima, vndecim munitiſſimas ſtationes diſponit, firmiſſimiſque præſidijs inſtruxit. Imperat præterea ex locis finitimis omnia tormentorum, machinarumque genera conportari, & reliqua omnia parari, quæ obſidioni, oppugnationiq; futuræ vſui forent.

Burgen. Arcis obſeſſio continuatur, & quæ ab vtraque parte fiunt exponitur.

Caput. VIII.

DV M hæc ad Zamoram geruntur, Burgenſis interim arcis oppugnatio non ceſſat, ſed neq; præſidiorum crebræ in obſeſſores vrbemq; eruptiones, vnde crebri ab vtraq; parte milites cadebant. Sed cum viderent obſeſſi ſuorum numerum cotidie minui, hoſtium vero augeri, decreuerunt ſe intra munitiones continere, rem ſatis magnam ſe facere arbitrantes, ſi fidei ſuæ arcem commiſſam tuerentur. Quæ res obſeſſores admonuit, ſtationes arci ad iactum lapidis admouere. Ex qua viciſſitate, orta eſt ab vtraq; parte colloquẽdi familiaritas, illis iactantibus ſe in dies Luſitani auxiliũ expectare, idq; ſe pro comperto habere, Gallorũ quoq; Regem aduentare cũ ingentibus copijs, populaturũq; Vaſconum Cantabrorumq; fines, tandẽ longa obſidione feſſis opem laturum, quæ ſpes faciebat eos obſtinatiores, inclamitabantq; diu noctuq;, voce quadã ſtentoria geminantes identidem Alphonſi, atq; Luſitaniæ nomen. At noſtri contra, o ſtulti dicebant, qui ab vſq; Luſitania expectetis auxilium in Cantabrorum finibus poſiti, qui in Gallorum leuitate ſpes veſtras poſueritis. Operituri, atq; temeritatis veſtræ pœnam prope diẽ luituri, non pudet vos pro illis ſtare, quorum maiores maioribus veſtris ſemper fuere hoſtes? Ecquis putaret Zamoranos Luſitanio finitimos paucorum potentia oppreſſos, ad nos deciuiſſe, Burgenſes uero Caſtellanorum columen a ſuis principibus Caſtellanis ad Luſitanos deficere? Reſipiſcite miſeri ciues, atq; ad vos tandẽ redite. Reuocate in mentẽ ueſtram vulnus, quod vobis cotidie obijcitur, ſub Ioanne primo horum principũ noſtrorũ proauo acceptum, Qui cum Beatricis vxoris dotali iure regnaturus eſſet, vſq; adeo Caſtellæ Caſtellanorũq; nomen illis fuit odioſum, vt potius ſint paſſi Magiſtrum Auiſium, quãuis Nothum & ex profeſſione fratrẽ religioſum, nihilq; ad illum regni adminiſtratione pertinente, in Luſitania regnare, quã Regem Caſtellanorũ ipſis præſidere. Nunc vero vos cum habere poſſitis Regem Caſtellanũ, Caſtellaniſq; Regibus procreatũ, coniugaliq; fide cum vera indubitataq; Ioanni ſecundi Regis filia, legitimaq; hærede, potius ſequimini generis inuiſi Regem, præſertim coniunctũ matrimonio vxori ex turpi adulterio cõceptæ? Qui neq; vobis auxilio eſſe poteſt, neq; veſtri laboribus quos ipſius nomine exantlaſtis, gratiam referre, qui ex medio itinere, cum ad vos laturus auxiliũ properaret, noſtrorum principum timore reuocatus Zamoram quaſi ex limine ad ſui regni latebras fugituras ſe recipit, atq; inde iterum pulſus Taurum hoc eſt ad latronum ſpeluncam potentiſſimus iſte Rex veſter aufugit. Circumſpicite demum o miſeri ciues, & cernetis, bonam murorum partem tormentis machiniſq; labefactum impendere, quæ ſi vos deſtituerit nudos, ſaciabitis, opinor, ſanguine veſtro inimicorum hoſtiumque oculos, atque vxoribus, natis, cognatis, affinibuſque ſpectaculum perquam triſte exhibebitis. Itaque dum licet, ad victorum potius clementiam miſericordiamq; confugite. Mitiſſimi ſunt, erroribus veſtris ignoſcent. Neq; vos ſolum vobis reiq; publicæ veſtræ, ſed & opes, dignitates, & omnia ornamenta veſtra reſtituent, atq; etiam fortaſſe cumulabunt. His vocibus obſeſſi viſi ſunt paululũ acquieſcere. Videbãt nãq; propemodum vera eſſe, quæ ab hoſtibus dicerentur, atque illud imprimis, quod muri pars maxima, ruinam minabatur, quodq; auxiliorum nulla ſpes certa eſſet, quodque commeatus in dies minueretur. Erant tamen qui dicerent, potius illis eſſe parendum, quam faciendam turpem deditionem. Alij non poterant adduci, vt putarent ſe auxilio ab Areuacorum duce deſtituendos, aut conſilio ſaltem, aut admonitione quid eſſet illis faciendum. Plærique tamen cenſebant non eſſe illis vltimam neceſſitatem expectan

dam, cum victor daturus eſſet, quas vellet conditiones, non quas victi peterent. Dum tempus conſultationibus teritur, pars muri ad longitudinem paſſuum viginti repente corruit, alterumq; patefecit, quem illud ipſum metuentes, in ſubſidium ex terra fecerant, qui & ipſe cum tormentis pertundi cœpiſſet, alterius muri collapſi impeditbat, quo minus ſolo æquaretur. At præſes animo iam conſternatus, quod neq; muri poſſent illum ab hoſtibus dirimere, quodque præſidiarij milites partim vulneribus, partim langore, partim laſſitudine, atq; ſimul omnes cunctarum rerum penuria laborarent, cœpit aſſentiri illis, quorum ſententia fuerat, agendum eſſe conditionibus, quibus ſe victori dederent. Conuocatoq; ad id Comeſtabili, cui Rex diſcedens fratriq; Notho ſummam belli commiſſerat, pacti ſunt ſe tradituros arcem, ſi a Rege Reginaq; vitæ incolumitate atq; erroris venia & bonis amiſſis donarentur. Sub his pactis conuētis Regina ex Valladolito acceſſitur, illa properanter Burgos venit, arcem recipit, rebelles venia condonat, illiſq; bona reſtitui iubet. Compoſitiſq; ciuitatis clariſſimæ rebus, Valladolitum redit, atq; inde Tordeſellas, vt eſſet hoſti propior, ad incutiendū terrorem, captandumq; quid ille conſilij caperet, & qua ratione cum illo eſſet belligerandum. Per idem tēpus venit eodem, Petrus Stunica Ducis Arcuacorū filius primogenitus, qui diſſidebat plurimum a via, cui pater inſtiterat. Nam & ipſius obſequia in Regem Reginãq; fuerant non obſcura, ſemperq; de illis bene ſentiebat, honorificeq; loquebatur, quod ipſum princeps non latebat. Is cum primum facta eſt Reginam alloquendi copia, cœpit exponere quanto ſtudio ac diligentia, quanta abſeruantia & pietate, regalibus iuſſis obtemperauerit, quodq; nihil vnquam reliquerit faciendum, quod putaret ad ipſius Reginæ Regiſq; ſtatum pertinere, eaq; fiducia venire dixit, ut peteret patri veniam, ne filio plecteretur parentis culpa, ſi culpa dicenda eſſet, quæ ſenectutis delirio ſit commiſſa, addebat quoq; id, quod omnibus erat compertum, iam pridem illum fragilitatis propriæ conſcium, omnem rei domeſticæ curam adminiſtrationis ad vxorem, quæ ſibi eſſet nouerca, tranſtuliſſe. Ea quoq; Ioannem filium ab Alcantara Magiſtrum ordinis Ciſterciensis faceret, omne fas, atq; nefas, omnia iura diuina ſimul, & humana miſcuiſſe, omne Ducis patrimonium, vt id conſequeretur diſſipaſſe, omnemq; totius familiæ ſtatum, qui non ad illam, ſed ad ſeipſum pertineret, ſæpe maximis periculis obieciſſe. Nunc vero dicebat ſe veniſſe, miſſum a patre, qui illius nomine ſua omnia poneret in ipſius Reginæ poteſtate, vt omnibus rebus, quæ ad ſe, quæ ad patrem, quæq; ad nouercam pertinerent, pro arbitrio ſuo vteretur. At Regina tametſi ad condonandos errores erat paulo duriuſcula, tamē habita ratione ipſius Petri, ad quē ſpectabat familiæ illius hæreditaria ſucceſſio, quodque pater ſenio confectus, omnem domus atque voluntatis ſuæ adminiſtrationem ad vxorem tranſtulerat, quę cupiditate quadam omnibus parentibus ingenita filios extollendi viam illam inuaſit, omnes venia condonauit, ſibique eo beneficio reddidit impoſterum obſequentiſſimos. Areuacum eo pacto recuperatum eſt, ducatus titulo in Placentiam ciuitatem tranſlato. Magiſtratus Ioanni filio cum inſignibus, & titulo confirmatus, quem ob ſuffragatorum diſcordiā, ad ſedem apoſtolicam conferendi iure deuoluto, ſummus Pontifex illi contulerat. Dictum eſt in ſuperiori parte Ludouicum Galliarum Regem cum primum Ferdinandus & Eliſabe regni adminiſtrationem adierunt, renouaſſe cum illis antiquum fœdus, quod fuerat à multis annis inter Gallorum Hiſpanorūq; principes obſeruatum. Sed cum poſtea vidiſſet inter Tarraconenſem Luſitanūq;, de regni ſucceſſione diſceptari, iniecit animū in Ruſcinonis comitatū, quē Ferdinandus a Ludouico petebat debere reſtitui. Repudia-

toq; priori fœdere cum Luſitano fœdus nouum percutit. Quos cum videret bello implicitos, ratus illud eſſe tempus rei bene gerende, bellumq; hoſtibus inferendi, compoſitis cum Britannorũ Rege ſimultatibus, mittit Oeaſonem armatorum quadraginta millia, qui Vaſconum fines Hiſpaniæ contributos, ferro ignique vaſtarent. Imprimiſq; caſtellum & loci ſitu, & hominum ſtructura munitiſſimũ, fontem Rabiam noſtro ſęculo indigenæ appellant, quod in ipſo Hiſpaniæ citerioris Aquitanicæq; Galliæ colliſmitio ſitum eſt, habens portum in receſſu Britannici maris, atq; a latere flumen nomine Alduidam, quod in Cantabrorum iugis erumpens, caſtellumq; præterfluens, in ipſum portum influit. Itaq; Galli traiecto flumine, quod per æſtus reciprocationem non erat difficile, vicos populantur, caſtellaq; finitima diruunt. Erat ea tempeſtate Regina Burgis, nam Rex interea Zamoranam arcem obſidione premebat, quæ facta rerum omnium certior, mittit cum equitatu Iacobum Sarmentum Comitem a Salinis, cum facultate habendi delectus, conuocandiq; ad arma finitimos, & comportandi commeatus, faciendique alia, quæ forent vſui ad bellum gerendum. Ipſa præterea mittit literas, ad omnes Vaſconum Cantabrorumq; & Aſtorum populos, vt cuncti ad regni fines ab hoſtibus tuendos confluant, ſeq; Salinarum Comiti agglomerent. Ioannem quoq; Gamboam virum rei militaris peritum, præſidio caſtelli præficit, qui cum mille delectorum militum indigenarum numero ingreſſus oppidum, foſſas eruderat, vallum, ſtationes, turres & murorum propugnacula, ſcorpionibus, catapultis, tormentis, machiniſque inſtruit. Neq; Galli ſegnius omnia quæ ad oppugnationem caſtelli erant neceſſaria, vndiq; cõportant. Erãt cũ Gallis ex Vaſconũ finitimis Gregarij leuis armaturæ pedites complures, qui per anfractus deuioſq; tramites, calleſq; occultos, in noſtrorũ fines penetrabant, multaq; detrimenta inferebant. Horum præfecturam gerebat Ioannes quidam cognomento Purgeta vir ſtrenuus, atq; regionum illarum peritiſſimus, qui cum in vico fonti Rabiæ propinquo cum Vaſconibus ad mille numero conſediſſet, indigenæ ſtimulati, partim detrimentis, quæ ab illo acceperant, partim quod videbant ſe a tam paucis contemni, collecta manu trium millium leuis armaturæ peditum, nocte intempeſta illos adoriuntur, & ſomno, vinoq; ſepultos, alios trucidant, alios funduntt, fugantq;, in Gallorum caſtra, quæ non procul aberant. Domum in quam præfectus diuerterat, cum expugnare longum videretur, incendio corripiunt, ipſumque præfectum cum ducentis qui erant cum eo comburunt, ſeq; in fontem Rabiam ad ſuos recipiunt. Tribus milibus paſſuum ab oppido aberant Gallorum caſtra, nam bombardis, colubrinis, ſerpentinis, alijſq; ſulphurarijs machinis, propius accedere prohibebantur. Itaq; ſtatuunt ducere foſſam, decem pedum altitudinis, non rectam ne oppidanorum telis vulnerari poſſent, ſed flectentes nunc ad dextram nunc ad ſiniſtram. Id oppidani proſpicientes, & ipſi propugnacula contra foſſam opponunt, conſtituuntq; non ex loco ſuperiori, ſed ex æquo foſſaque, & vallo cum Gallis pugnare, quando loci anguſtia non his magis quam illis faueret. Murorum quoque altitudinem demoliuntur, ne ruinæ ex machinarum concuſſu labefactatæ, in ipſorum propugnatorum capita deciderent. Galli per foſſam illam tortuoſam, vallo & foſſę caſtelli admotam non tam oppugnabant, quam in medio veluti campo cum oppidanis confligebant. Ex vicis populiſq; finitimis confluebat maxima hominum multitudo, qui ex arduis præruptiſque montium iugis, in plana deſcendentes, pugna laceſſebant eos qui tuendis caſtris relinquebantur, pugnatur vtrobique, Galli pro caſtris, Hiſpani pro murorum defenſione, cadunt ab vtraque parte complu-

res. Sed oppidanis creſcebat ſpes, quod laceſſiti non referebant pedem. Gallis deſperatio, quod cum maxima ſuorum clade parum detrimenti hoſtibus inferebant, quodque non poterant obſeſſis auxilia, & commeatus intercludere, propterea quod per aeſtus pelagi, naues non poterant prohiberi ad muros, accedere. Ipſi e contrario, victus omniumque rerum inopia laborarent, quod ab Hiſpanorum claſſe commeatus ſibi importari vetarentur. Itaque cum dies nouem fruſtra, tumultuariis pugnis potius quam oppugnationibus conſumpſiſſent: Oeaſonem redierunt, quod oppidum a fonte Rabia millibus paſſuum viginti abeſt,

Gallorum Rex a fonte Rabia ſuo exercitu pulſo: maiori apparatu obſidionem repetit.

Caput. IX.

GALLORVM Rex indignatus tantas copias nihil effeciſſe, addit milites duceſq;, addit machinas omnium generum: iubet maiorem commeatus abundantiam comportari, ne ob eam cauſam, id quod antea fecerant, ab obſidiōe deſiſterēt: imperat ne ab oppugnatione diu, noctuq; ceſſent, quoad negotium conficiatur. Nec minus interea fonte Rabiani reditum verentes hoſtium, foſſas faciunt profundiores, muniunt vallos, propugnacula diſponunt, & ſtrenuiſſimum quemq; militem adſciſcunt. Regina quoq; mittit eodem grauis armaturae militum tres cohortes, quibus praeficit Xanthum a campo, Ioannem Lezcanum, Ioannemque Salazarum, ſulphurariamque ingentis magnitudinis machinam, aliaq; tormentorum genera machinarioſque praefectos, earum rerum peritiſſimos. Igitur cum nuncius attuliſſet, Gallos cum ingenti rerum omnium apparatu aduentare, oppidani magna ſpe attolunt animos, neque ſe intra munitiones continent, ſed machinas & tormenta extra muros diſponunt. Rex igitur vtrinque miſſilibus telis, machinarumque globis, lapideis, plumbeis, ferreis. Editur vtriſque caedes maxima: ſed Gallis multo maior, quod ex aperto pugnabant. Qui videntes ſuorum coaceruatas cadauerum ſtrages, caſtra reduxerunt ad vicum illum in quo diximus Ioannem Purgetam cum ſociis incendio conflagraſſe. Is aberat a fonte Rabia quatuor fere millibus paſſuum. Die poſtero Galli negotium repetunt, volentes experiri, an poſſent caſtra, proprius oppidum metari. At oppidani anfractuum, diuerticulorumq;, & tramitum peritiſſimi, magnā hoſtium partem circumueniunt, atque ex tutiori loco, miſeranda caede conficiunt, complureſque cum ſpoliis machinas ceperunt. Galli ea clade conſternati in heſterna ſe recipiunt caſtra. Dieque inſequenti cautius exercitum mouent, vitantque inſidias, perq; foſſam illam machinas oppido admouent, caſtraq; locant, neq; potuerunt ab oppidanis arceri, propterea quod hoſtium numerus erat multo amplior, & ex laſſitudine diei heſterni fatigati, ſtatuunt ſe intra munitiones continere, oppidumq; modo tueri, atq; ita per bimeſtre ſpacium, illi muros, hi caſtra, machinis pertundunt, nonnunquam etiam tumultuariis ſe pugnis laceſſunt.

Rex obſidionem continuat, neque a Luſitano laceſſitus deſiſtit: tandem Reginae ſuaſu in certamen deſcendens, ille non ſuſtinet.

Caput. X.

REX interim Zamorae non ceſſat hoſtes obſeſſos vrgere, atque metatum alia ex parte blandicijs pellicere, vt tradat ſibi arcem, pollicetur non modo erroris impunitatem omniumq; bonorum, dignitatumq; reſtitutionem: ſed etiam maximorum praemiorum acceſſiones. Ex parte alia praeconijs, & acclamationibus declarabat illũ, eoſq; qui cũ illo ſentirent, infidelitatis, proditionis, laeſaeque maieſtatis reos. Illi vero contra ſuorum ſcelerum conſcientia, nihil fidum ſibi fore putantes: ſimul etiam quod in horas expectabant Luſitanum ſibi auxilio venturum, perſtabant incoeptis, ſeq; in ſumma rerum omnium difficultate, patientia obdurabant. Videns itaq; Rex, tempus longa obſidione teri, iubet machinas validiores, aliaq; neceſſaria futurae oppugnationi comportari. Luſitanus certior factus, ingentis magnitudinis bombardas, aliaſq; ſulphurarias, ligneaſq; machinas Zamoram aduehi, omnes copias armari iubet, atq; ipſe proficiſcitur contra, vt illas intercipiat. Exploratum namq; habebat, hoſtis exercitum non eſſe tantum, qui obſidioni continuandae, & machinarum ſubſidio poſſet ſufficere. Itaq; alterum eduobus erat illi neceſſarium, aut machinas amittere, aut obſidionem ſoluere.

Cumq; a Zamora non amplius quatuor millibus paſſuum diſtaret, nuncium accepit, machinas omnes iam in hoſtium caſtra receptas. Ea ſpe Luſitanus deluſus, mittit caduceatores, qui dicant Regi ſe veniſſe, vt cum illo armis decerneret, medioq; illum campo expectare, niſi mallet ſibi regni poſſeſſione cedere, ſeq; in Tarraconenſem ſuam, cum coniuge recipere. Iuuenes & ſtrenuiſſimus quiſq;, ac bello viuida virtus, eam cõditionem oblatam libentiſſime accipiunt, pugnamque alacri animo depoſcunt. At Rex Luſitani mandata refert ad proceres, & quod reſponſum hoſti redderetur, exquirit.

Atq; imprimis placuit rogare ſententiam, Comitem Albenſem cuius fides egregia in principes, prudentia ſingularis, atque militaris diſciplinae admirabilis quaedam ſollertia fuit. Is pro conſuetudine ſua, hac breui oratione eſt vſus. Maluiſſem ego Clariſſime Rex aliorum ſententiam hac de re prius audire, quam dicere meam. Sed quando praeter ordinem a Celſitudine tua iubeor, paucis pro ingenio meo abſoluam, quid ego de praeſenti negotio ſentiam. Si nobis eſſent duo exercitus, optime Rex, vt altero poſſes obſidionem hanc continuare, & altero collatis ſignis cum hoſte confligere, adhuc ſubdubitarem, an vtrumque certamen nobis eſſet ſubeundum, propterea quod victoria propemodum parta fortunae belli committeretur. Nunc vero neque copiae ſunt tantae, vt vtrique negotio ſufficiant, neque vllo modo ſemel incoepta obſidio ſoluenda eſt. Tu Regum Clariſſime cinxiſti obſidione hanc arcem, quae ad hoſtes deſciuerat. Luſitanus cunctis artibus nititur obſidionẽ ſoluere. De hoc eſt inter vos certamen, vt tu perſtes incoeptis, ille vero ſuis opem ferat, quod quia non poteſt recta efficere, aliam aggreditur viam. Laceſſit te ad pugnam, quã ſi admiſeris ille aſſequitur quod vult: tu ab incoepto deſiſtis, ille fit voti compos, tu, operã & impenſam perdideris. Neq; eſt quod quis poſſet obijcere, tibi non eſſe animũ, & vires ad decernendum cum hoſte, quando quidem non audes credere te campo Martiq; cõmuni. Immo vero tu, o Rex, in medio campo ſtas, hoſtemq; in omnes horas illius arcem obſidens expectas.

Quod ſi tu non inuadis illum: cur ipſe non inuadit te? Iam vero ex diſciplina militari ſatis conſtat illũ eſſe victorẽ, qui perſtat in eo quod ſemel coepit. Tu niteris arcem oppugnare, ille vero arci opẽ ferre: de hoc inter vos nunc omnis cõtentio. Tu igitur victor ſi perſtas, ille victus, ſi quod profitẽ non efficit. Atq; vt vno verbo ſentẽtiã meã colligam, nullo modo cenſeo ab hac obſidione ceſſandum, quo ad negotium conficiatur.

Eo confecto, tunc poteris libere, quo velis exercitum ducere, atque alias cohortes quæ ad intercludendos hoſti commeatus nunc ſunt in præſidia diſtributæ, vt ſe tibi adiungant euocare. Conueniunt præterea ex obſidione Burgenſis arcis copię, & quas indies expectas ab amicis tuis auxiliares, & tunc bene iuuante Deo poteris hoſti facultatem pugnandi offerre. In hanc Albenſis Comitis ſententiã: quia videbatur tempori accõmodatior, omnes pedibus, manibuſq; ierunt. Per caduceatores vero reſponſum eſt Luſitano, ſi corde illi erat acie decertare, veniret opẽ ſuis laturus, & a parte vrbis extima experiretur armis, vter exercitus foret ſuperior. Nam Regi ſtatutum eſſe in obſidione perſiſtere quoad expugnaretur arx, pœnaſq; ab ijs qui illã præſidio tenerent exigere. Luſitanus videns ſe deluſum ea ſpe qua fuerat egreſſus, Taurum redijt, expectans Zamorenſis obſidionis euentum, ſimul etiam & copias, quas filius Princeps erat ex Luſitania ducturus. Complures interea frumentatorũ, pabulatorũ, lignatorum, exploratorũque vtriuſq; partis occurſationes, atque pugnæ tumultuariæ fiebãt, in quibus nunc hi, nunc illi euadebant ſuperiores, nunc illatis acceptiſque vulneribus mutua cæde conflicabantur. Vnum tamen prælium non eſt ſilentio diſſimulandum, quod ab Hiſpania duce Aluaro Mendoza, a Luſitania Comite Pinnamacorio cõmiſſum peractumq; eſt. Nam cum ad intercipiendos hoſtium commeatus hi a Tauro, a Zamora illi fuiſſent progreſſi, atq; ſe in medio campo procul conſpexiſſent, tanta ferocia inuicem irruerunt: adeoq; obſtinate pugnam ad horas quatuor produxere, vt neq; iam eminus haſtis, & miſſilibus, neq; cominus gladijs, & pugionibus: ſed pugnis, & lacertis rem gererent neutri alteris cedentes, cum ex quingentis vix iam ducenti ſupereſſent, qui poſſent arma tractare. Luſitanis demum fuſis fugatiſq;, hiſpani ſpolijs potiti ſunt, ipſumq; hoſtium ducem cum aliquot ex commilitonibus captum, Zamoram victores non incruenti deportarunt. Regina quæ eo tempore Valladoliti erat, cum accepiſſet Luſitani audaciam, vel potius temeritatem, eo progreſſam, vt etiam Regem coniugem fuerit auſus ad pugnam prouocare, verita ne ea fama, ſtudia populorum erga ſe alienaret, quod laceſſitus ad certamen non decenderit, iubet euocari prætorianas cohortes, & eas quæ fuerant ſparſæ per diuerſa præſidia, ad intercludendos hoſtium commeatus. Cardinalem Hiſpanum rogat, vt cum præſentibus copijs ad Regem proficiſcatur, ad quem dat literas, vt det operam quemadmodum non intermiſſa obſidione, detur ediuerſo hoſti pugnandi copia: id eſſe magnum momentum aſſerens, ad retinendos in fide animos illorum, qui leui opinione ducti, huc & illuc impelluntur. E Gallicia interim Petrus Aluarus Oſorius Lemnius Comes, miſit cataphractorum equitum cohortem, peditatumq; pulcherrimum ad duo millia hominum belli peritiſſimorum. Venit præterea Comes a monte regio cum alteris copijs ex eadem regione. Inſtructis itaq; ſtationibus, paratiſq; reliquis quæ ad premendam obſidionem videbantur neceſſaria, placuit ire queſitum hoſtes, qui ſe in Tauri latebris continebant. Proficiſcebantur acies inſtructæ ſine vllis ſarcinis, ſine impedimentis vllis. Neq; enim ibant ad ludicra feriati, ſed expediti ad pugnam. Cumq; iam abeſſet exercitus a Tauro duobus fere paſſuum milibus, miſſi ſunt caduceatores, qui offerent hoſti pugnandi facultatẽ. At ille vidẽs ſe prælio imparem, conditionem oblatam noluit accipere, ſeq; intra vrbis munitiones continuit, niſi quatenus quidam armaturæ leuis equites vrbe egreſſi, tumultuarias quaſdam pugnas proludentes inierunt. Hiſpanus vero cum per horas quatuor hoſtem in medio campo eſſet opertus: iuſſit canere receptui, ſeque Zamorã ad continuandam arcis obſidionem recepit.

PRIMÆ DECADIS LIBER QVINTVS, QVOD IOANNES PRINCEPS

ex Luſitania cum exercitu per grandi ad patrem venit, qui ſuis atq; filij copijs, & Archiepiſcopi cohortibus obſidionem Zamoræ parat ſoluere.

Caput Primum.

LVSITANVS cum videret ſe Burgenſi arce, Zamoranaq; ciuitate excluſum, atque proinde illorum ſtudia, qui ſibi fuerant autores alienos fines inuadendi, paulatim ad hoſtes deficere, euocat filium Luſitaniæ Principem, quem antea iuſſerat habere militum delectus, imperatque, vt cum exercitu quam maximo poſſit, ad ſe venire feſtinet. Qui patris iuſſui obtemperans, coactis ex omni regno equitum, peditumque ad viginti hominum armatorum millia, qua potuit hoſtem fallere, magnis itineribus Taurum contendit, copiaſq; ſuas paternis auxiliarijſq; & gregarijs coniunxit.

Auctus itaq; atq; recreatus Luſitanorum recenti exercitu Alphonſus, putanſq; ſe habere ſatis virium ad decernendum acie cum hoſtibus, antequam belli fortunam experiretur, mittit literas ad partium ſuarũ Duces, atq; imprimis ad Aluarum a Stunica Ducem Placentinum, quem neſciebat, aut ſe neſcire ſimulabat ad hoſtes defeciſſe, nuncians veniſſe ſibi ex Luſitania ſua filium cum ingentibus copijs, velleque ſe hoſtem ex latebris in medium campum elicere, aut ſi prȩlium recuſet, arctiori eum obſidione prȩmere, quam ipſe arcem obſideret. Sed quo firmiori exercitu rem conficeret, rogabat Ducem, vt ſibi adeſſet, aut ſaltem cohortes ſuas mitteret. Veniſſe namque dicebat tempus, in quo vel vno conflictu poſſet hoſtis profligari, & arx Burgenſis cum reliquis ſuis ornamentis in ſuam poteſtatem redigi. Ad hanc Luſitani poſtulationem, Dux, non pudet, inquit, Regem veſtrum ab eo petere auxilium, quem in ſumma rerum omnium difficultate deſeruit. Inde quærat ſibi ſuppetias, vbi non ſit cognitum quo pacto Burgenſis arcis præſidium reliquerit hoſti trucidandum, niſi victoris clæmẽtia prȩſidiarios noſtros, vt cumque meritos, ſeruaſſet incolumes. Itaq; ſe non agnoſcere nunc alios principes, niſi a quibus acceperit beneficia, neq; alios habere hoſtes, niſi a quibus acceperit tantam rei familiaris iacturam. Accepiſſe autem a Ferdinando Rege, atque ab eius conſorte Regina, non modo vitæ ſecuritatem, ſed etiam patrimonij ſui certam firmitudinem, ab illo autem veniſſe ſibi complura detrimenta. Quare ſe illum pro hoſte habiturum, ſi quidem ille hoſtis eſt habendus, qui nobis affert incommoda. In hæc verba Luſitani dimiſſus eſt nuncius. A Marchione Villenate reliquiſque vltramontanis nihil copiarum potuit accedere Luſitano, propterea quod & ipſi erant eodem bello implicíti, cum Regis & Reginæ præfectis. Conſtituit itaque cum ſuo, atque exercitu ſilq, cumque auxiliaribus Archiepiſcopi cohortibus, nam is ſolus cum Luſitano manſit, quærere hoſtem non qua debuit via. Nam cum ciuitas, ciuitatiſque arx obſeſſa poſita ſit in ripa Durij, quæ pertinet ad prouinciam Tarraconenſem, ipſe de prima nocte exercitum per aduerſam ripam ſecundo flumine adducit, & poſtridie a prima luce, cum omnibus copijs ad pontis caput exercitus hoſtibus apparuit, contra quod ſtationes oppoſuit, ne per pontem quiſquam ad ſua caſtra poſſet accedere. Rex cum vide-

ret hoſtem interpoſito grandi flumine caſtrametatum, non poterat perſpicere quid ſibi vellet illa caſtrorum diſpoſitio, aut quid ſibi detrimenti, aut hoſtibus emolumenti afferre poſſet. Nam neqꝫ poterat illac arcem obſidione liberare, neque ſuis commeatus intercludere, ſed neque cum ſuo exercitu etiam ſi cuperet decertare. Erant tamen complures ex noſtris, qui cuperent per ipſas pontis anguſtias in Luſitanorum caſtra erumpere, ſed balliſtis, & tormentis repellebantur. Conſilium autem Luſitani poſt ea fuiſſe compertum eſt, quod cum perſpiceret ſe imparem ſoluendæ arcis obſidione, volebat captare aliquid fauoris, ex Rumore qui ſolet per vulgum ſpargi. Mittit namqꝫ literas ad partium ſuarum ſtudioſos, atque etiam ad alieniores, quibus ſignificabat ſe veniſſe Zamoram, cinxiſſeque Regem hoſtem ſuum obſidione, quem Deo propicio putabat ſe tenere concluſum, quoad caperetur, aut ſe in ſugam proriperet. Neque ſolum fecit eum rumorem ſpargi in finibus Hiſpaniæ, ſuæque Luſitaniæ, ſed & dimiſit tabellarios ea de re ad Galliarum Regem, ad Italiæ principes, ad Imperatorem, ad ſummum denique Pontificem, quaſi poſſet ex mendacio illo credulitateque falſa, quicquam vtilitatis ſibi comparere, aut verbis & inani fama, non viribus & armis, res foret decernenda.

Ea fama, tametſi vana, nonnihil Hiſpanos mordebat, quod ea ex parte vellet hoſtis honorem aucupari, vnde ſi campi libertas daretur, eſſet reportaturus malam crucem.

Sed id multo ægrius Regina ferebat, quæ per id temporis Tordeſellis morabatur.

Mittit itaque Ducem a Villa formoſa, & Comitem a Triuinio, cum millenis equitibus, qui teneant præſidio fontem Sabuci, & Alahegios, quæ oppidula diſtant a Zamora ex ea parte qua Luſitanus caſtra metabatur, vicenis millibus paſſuum, vnde commeatus hoſti intercluderentur. Sed erat Luſitanorum condicio eo deterior, quod per mediam hyemem erat illis agendum ſub dio, nudoque ſub ætheris axe, noſtris vero ex domibus, & diuerſorijs, ſi quando eſſet opus ad pugnam exeundum. Cœptum eſt per quoſdam honeſtos viros agi de concordia inter duos Principes, conſtitutumque vt Luſitanus ſecreto per noctis tenebras, cymba traijceret flumē ad partem ripæ in qua Hiſpanorum Rex illum ad certam horā operiretur, cumque hora conſtituta fefelliſſet vtrunqꝫ ſemel atque iterum, ceſſatum eſt ab ea commentatione, neque defuerunt qui interpretarentur, non ſine diuina quadam prouidentia rem interturbatam. Eratqꝫ alioqui Reginæ in animo, quo auerteret mala quæ ſolent in bello contingere, cum Luſitano decidere ingenti ſumma auri & argenti: qua & Ioannę Principi dos conſtitueretur, & in Luſitani exercitus ſtipendium pars conſumeretur. Sed fata aliam quærebant viam, qua honorifiſcentius & minori diſpendio fieret tanti belli exitus.

Quod Luſitanus de mutandis caſtris cogitat, petitque inducias, quo id commodius agat.

Caput. II.

CVM eo in loco Luſitanus caſſo labore quindecim dies conſumpſiſſet, videretque commeatus ab hoſtium præſidijs interceptos, quodqꝫ alia ex parte aeris inclementia vexabat ſuos hybernantes ſub dio, ſtatuit mutare caſtra, ſeque in Taurum ſuam in hiberna recipere. Idqꝫ quo poſſet commodius exequi, excogitauit huiuſmodi commentum,

Mittit noctu clam Aluarum, Brigantini Ducis filium, atqꝫ Antonium Nunium iuriſconſultum per celebrem, qui procuratorio nomine conſtituat

cum Rege aliquot induciarium dies ſub eo prętextu, quod illo tempore poſſit agi de con cordia inter ipſos principes, re autem vera, vt ſine detrimento ſui exercitus poſſet caſtra relinquere, ſeque ad hoſpita nota conferre. Qui cymba per flumen traiecti adeunt Regem, mandata exponunt, offerunt, petuntque certas componendi belli conditiones.

Rex defert negotium ad ſuum illud auguſtius, ſecretiuſq; conſilium. Omnibus viſum eſt, nec iuſta, nec honeſta Luſitanum petere. Tunc ventum eſt ad id, cuius cauſa venerāt, vt darēt tēpus quo poſſet agi de concordia: conſtitueruntq; induciarū dies quindecim, quibus vtrique poſſent hinc inde libere commeare, conuentuſque ea de referri, tum etiam ipſius Reginæ, quæ tunc aberat ſententiam exquirere. Erant qui Regi ſuaderent concedendas inducias, eſſeque opus regium hoſti ſupplici petita condonare, cum vel eo ipſo ſe inferiorem fateretur. Quod ſi ea ex cauſa inducias petebat, vt ex eo loco tutius caſtra moueret, & illud quidem eſſe Regi per quam honorificum, ſi qui veniebat ſuis opem laturus re infecta rediret. Addebant præterea Luſitanum eſſe in ſolo alieno, ſibique alioqui infeſto: faceretque indies ſumptus maiores quam ſua vectigalia cenſuſque paterentur. Quare neceſſe erat illius neruos indies debilitari, atque aut illi tandem turpiter eſſe fugiendum in patriam, aut cladem maximam accipiendam.

At Cardinalis Hiſpanus, & quibus erat melior ſententia menti, nullo modo inducias eſſe concedendas decernunt, quas non alia ex cauſa hoſtis peteret, quam vt eo temporis interuallo tuto poſſet vaſa conclamare, impedimenta colligere, & cohortes ordine ſuo circuatas deducere. Quod vero altera pars dicebat, eſſe opus regium ſupplici poſtulata hoſti concedere. Immo vero inquiunt eſſe animi degeneris, atque dimiſſi ab hoſtis temeritate in tanta occaſione pœnas non exigere, qui ſit auſus caſtra caſtris con ferre, non quidem medio in campo, iuſto exercitu, Marteque communi, ſed ſola fretus loci commoditate, atque dolis, quibus non virtus vera, ſed ſimulata fortitudo confidit. Quod vero illi dicebant, ſi hoſtis re infecta diſcederet, vel eo ipſo ſe inferiorem, victumque fateretur, neque vnquam poſthac vires reſumpturum: immo vero iſti ſubijciunt, iam hoſtis aſſecutus eſt, quod ab initio concupierat, diſſeminare per omnes Hiſpanias, perque totum nominis Chriſtiani orbem ſe habere copias, quibus poſſet intercludere aduerſarium, qui tam & ſi arcem obſideret, ipſe arctiori obſidione premeretur.

Qui rumor, & ſi vanus erat, non nihil falſæ opinionis apud homines credulos rerumq; nouarū auidos generabat, qui ex leuibus huiuſmodi cauſis, aut in officio perſtant, aut a fide publica deſciſcunt. Quare non eſſe diſſimulandam tantam hoſtis temeritatem, qui penetret in regna aliena, metetur caſtra, & tollat vbi, & quando libuerit, atque dolo malo aucupetur honores falſos, vnde ſit ignominiam reportaturus. Quod ſi hoc eſſet in ipſis imperij noſtri limitibus dedecoroſum, neque vllo modo tolerandum, quin totis viribus, in tanti facinoris vltionem iretur: quid non faciendum eſt in illum, quem non puduit tumultuaria caſtra ſtatis, legitimiſque caſtris opponere, non quidem campo explicito, & aperto, & qua oportuerat ſuis inopia laborantibus opem ferre, ſed quaſi latro ex inſidijs, rem gerens occupatis anguſtijs, atque medio flumine interiecto ne poſſet cum illo equo marti confligi. Quas ob res inuictiſſime Princeps ſi nos conſulis, quid aduerſarij tui oratoribus ſit reſpondendum, non modo decernimus inducias non eſſe concedendas, qui pro arbitrio ſuo huc, atque illuc caſtra mouendo nos deludat, ſed in eo potius inſiſtendo, quo pacto temeritatis pœnas debitas, ſimul etiam, vt qui ex falſis rumoribus ab illo ſparſis acceperāt, tuas copias ab illius tumultuario exercitu obſeſſas: cognoſcant etiam non impune id ab illo attentatum, atque ſtultitiæ ſuæ iuſta

præmia tuliſſe. Nam quid opus eſt, inquiunt inducias illi concedere, cui velit nolit caſtra deſerere, ſeq; in latibula ſua, ſiue cedentem, ſiue fugientem conferre neceſſe ſit?

Neq; enim diu poſſunt durare, quibus omnia ſunt aduerſa, caſtra in media hyeme ſub dio, detrimenta ab hoſtibus in horas illata, &, quod omnium eſt difficillimum, commeatus intercluſi, atq; proinde rerum omnium penuria. Quod ſi tibi o clariſſime Rex, atq; dulciſſimæ coniugi animo ſedet pro communi vtilitate, id quod aduerſarius petit, quodq; tuis omnibus non diſplicet, cum hoſte decidere, modo pacis condiciones ſint tollerabiles, præſcribe illi tempus breue, intra quod negotium tranſigatur, ea tamen lege ne liceat illi interim loco vſquam diſcedere. Quæ ſententia, quia videbatur conducibilior, cum Regi placuiſſet, iubet ſecundum eam per Cardinalem Hiſpanum oratoribus reſponſſum dari. Quos in ſecretius, altiuſq; conſilium accitos, in hunc modum eſt allocutus. Quod Regis veſtri nomine poſtulatum eſt oratores nobiliſſimi de componenda ſimultate hac inter Hiſpanos, Lvſitanoſq;, non omnino diſplicet religioſiſſimis Principibus noſtris, neq; illorum ſenatui prouidentiſſimo, modo interueniant pacis condiciones honeſtæ, non quæ paulo ante ſunt a vobis expoſitæ, ſed quas vtriuſq; partis ratio exigit. Nam quis non videt, quo in ſtatu res Hiſpana, atq; proinde Luſitana ſit? nos numero plures, atq; robore præſtantiores, arcem veſtram obſidione premimus, cui vos infirmitatis veſtrę conſcij aperto Marte ſuppetias ferre non audetis: nos domi noſtrę omnibus rebus abundantes rem gerimus, vos omni commeatus genere deſtituti in ſolo alieno fortunam laceſſitis. Nos medio in campo expectamus hoſtem, vos veluti ex arce tumultuarias eruptiones facitis. Sed hac diſputatione in aliud tempus omiſſa, Princeps noſter iubet impræſentiarum hoc breuiter vobis dari reſponſum, Regi veſtro referendum. Si illius animo ſedet, vt de pacis condicionibus agatur, & quoq; ſibi placere dicit, quando tam prope ſunt, vt internuncij crebro commeare, atq; in horas ſingulas ire, & redire poſſint, conſtituatur breue induciarum tempus, in quo negocium tranſigatur. Alioqui, ſi de pacis condicionibus inter eos non conuenerit, ſe non permiſſurum, vt pro arbitrio ſuo caſtra mutet, bellumque de die in diem protrahat, quin prius experiatur, & ſentiat vter illorum viribus, & armis euadat ſuperior. In hæc verba oratores dimiſſi, in caſtra redierunt.

Quod Luſitanus caſtra mutat, atq; Hiſpani abeuntem perſequuntur.

Caput. III.

HOC reſponſo Luſitanus accepto, cernens omnia ſibi aduerſa, loci importunitatem, inclęmentiam temporis, commeatus intercluſos, ſtatuit medio noctis ſilentio caſtra mouere, ſeq; in Taurum ſuam recipere, & quia hoſtium excubitores, Pontiſque cuſtodes non longe aberant, imperat omnia clanculum, atq; ſine vllo ſtrepitu expediri. Itaq; præmittit calones, lyxas, cocos, & alia exercitus impedimenta. Ipſe interea equites, peditesq; in ſuos ordines redigit, ac tempore noctis ante lucano caſtra deſerit, impedimentaq; Taurum verſus ſubſequitur. At vigiles, excubitoreſq; ſub primam lucē caſtra, viris, equis, & iumentis vacua cernētes, Regi nunciant hoſtes abijſſe.

Qui extēplo imperat omnes armari, atq; per Pontis anguſtias, qua maxima poſſint celeritate, in aduerſa fluminis parte conſiſtere, atq; expectare, quoad diſpoſitis ordinibus hoſtē inſequatur. Obſtabant erumpere volentibus non modo Pontis anguſtiæ, ſed &

vallum, foſſæq́; & aliæ munitiones, tum caſtris, tum etiam Pontia noſtris prætentæ, obſtabat etiam ipſa erumpere volentium feſtinatio, qui quo magis properant, eo magis retardantur. Alij tam longas moras non paſſi, per fluminis lapideos obijces euadunt, aut flumen tranant, aut ſcaphis, & lintribus traijciunt; tanta erat cum hoſte congrediendi libido, ſed non potuit fieri quin in tanta difficultate tranſeundi bona pars diei laberetur, & quia, vt quiſque prior eruperat, ita hoſtem inſequebatur, atque agmine incompoſito procedebat, mittit Rex Iacobum a Caſtris Cæcilijs cum bis centum equitibus, qui præuertant, immorenturque temere incedentium profectionem, ipſe interim cohortes ordinari iubet, atque imprimis prætoriam inſtrui ex contubernalibus, & regijs amicis purpuratis, ac familiaribus, quibus adiungit copias auxiliares, quas a Gallia Comes Lemnius, quas Salmantica, Vlmetum, Methymna, Valladolitum cataphraſtis equis atque equitibus inſignes. Huic præfecit Enriquum Enriquez regiæ domus Oeconomum maximum. Inſtrui quoque imperat ſex alias cohortes, quas ad dextram prætorianæ ordine ſuo diſponit. Primam ductabat Aluarus Mendoza, quem Rex & Regina nuper Caſtri cognomento Xerićij comitē crearant, hanc quoque ſequebantur duo quæſtores maximi Gutterius Cardenius, & Rodericus Vlloa. Alteram cohortem ducebant patrueles duo Alphonſus Fonſeca Epiſcopus Abilenſis, & Alphonſus item Fonſeca, cuius oppida erant Cauca & Alahegi. Tertiam Petrus Guzmanus. Quartam Bernardus Francus. Quintam Petrus Veraſcus. Sextam Vaſcus Viuarius Gonſalui Salmanticenſis Epiſcopi frater, viri nobiles, ſtrenui, atque rei militaris periti. Ad cohortis prætoriæ ſiniſtram, Cardinalis Hiſpanus primam cohortem ducebat. Alteram Garcias Albanorum ad Tormim fluuium Dux. Tertiam Enriquus Enriquez Albenſium ad Aliſtem Comes. Quartam Garſias Oſorius, qui nepotis ſui Marchionis Aſturicenſis copias equeſtres, pedeſtreſq́ ad id bellum duxerat. Inter hæc duo cornua ſtlopetarios, ſagittatores, haſtatos, velites, omnemque peditatum collocat, atq́ ſic totum exercitum ſeruatis ordinibus iubet procedere, quoad ventum eſt ad anguſtias, quæ media regione inter Taurum, Zamoramq́, hoc eſt, decem millibus paſſuum, vtrinq́ ſitæ ſunt. Has cliuorum arduitas flumini a dextra incumbentium, atq́ a leua ipſius fluminis impetus facit, cum alioqui pars agrorum finitima ripæ plana ſit, latioreſq́ vias admittat. Et quia poſituri ſumus ante oculos inter potentiſſimos Reges duos pugnam illam memorabilem, ex qua victor regnandi auſpicia erat reportaturus, non importune locus, vbi tanta res geritur, impræſentiarum eſt a nobis explicandus, cum præſertim a nobiliſſimis hiſtoriarum ſcriptoribus huiuſmodi locorum deſcriptio non ſolum particularis, verum etiam totius regionis nunquam ſit prætermiſſa.

Quod Numantia non eſt ea, quæ vulgo dicitur Zamora, ſed Soria, aut vicus in agro illius.

Caput. IIII.

POST exactam ſtudiorum meorum rationem, cum primum in Hiſpaniam ex Italia redij, offendi opinionem diſſeminatam non modo inter homines omnium bonarum artium ignaros, verum etiam inter peritos, atq́ inueſtigandæ antiquitatis curioſos, qui dicerent, aſſeuerateq́ ſtultitiam ſuam defenderent, Numantiam illam nobilem, quæ per annos viginti Romanorum duces non ſolum ſuſtinuit, ſed pluries

fregit, profligauitq; eam eſſe, quæ ſit noſtra tempeſtate Zamora. Non alia ratione ducti, quam quod vulgus incertum, & Neoterici quidam ſcriptores hoc dicunt, & quod antiquiſſimi coſmographi, & hiſtorici ſcribunt Numantiam ad Dorium flumen eſſe ſitam. Sed ſi percontêris, qui ſunt autores illi, quos iſti ſuę peruicacię teſtes citant, obijciunt neſcio quem Lucam Tydenſem, & Fratrem quendam Aegidium Zamoranum, atq; alios eiuſdem claſſis viros obſcuros, quos ego nunquam legi, neq; me non legiſſe pudet. Atq; vt nos autoritate regia perterrefaciant, afferunt Hiſtoriam generalem, quæ ſit ab Alphonſo huius nominis decimo Hiſpaniarum Rege perquam illuſtri, aut illius iuſſu concinnata. Sed quantę ſit autoritatis imperita multitudo: alijs quoq; in rebus experimento cotidie diſcimus. Nam quod ad nouos attinet ſcriptores, ego non magis illorum dictis credam, quam illorum, qui meras fabulas fingunt, aut ægroti veteris imitantur ſomnia. Quod vero de Alphonſi afferebant hiſtoria, nemo reperiretur hodie, qui operis illius patrocinium ſuſciperet. Sed quid opus eſt in re tam manifeſta verbis contendere. Stant contra probatiſſimorũ autorum teſtimonia, qui manifeſte oſtendunt, neq; ſub vlla dubitatione relinquunt, quid hac de re tenere debeamus, atq; huius artis princeps Ptolemæus, qui Dorij fontes ad occaſum ſolis vergere facit, ſi ad Numantiæ ſitum comparentur, cum ſit Zamora illis occidentalior, atq; per longitudinem diſtet a Numãtia partibus quatuor, quibus in Parallelo, qui declinat ab æquinoctiali partibus duabus, & quadraginta, in quo ſitæ ſunt Numantia, & Zamora, reſpondent circiter biſcentum millia paſſuum, quę diſtantia nunc propemodum reperitur inter Zamoram, & Numantiã, quam nos Soriam interpretamur, vel Garrai potius in agro Soriano, vicum antiqui adhuc Pontis veſtigia ſeruantem. Eſt & alia ratio breuiter demonſtrans Numantiam non eam eſſe, quę ſit hodie Zamora ex Strabone, qui numantiam facit octingentis ſtadijs, hoc eſt, centum millibus paſſuum a Cęſarea Auguſta diſtare, & Antonini Pij itinerario duobus & nonaginta millibus, hoc eſt, octo minus.

Atqui Zamora, inquiunt, ad Dorium ſita eſt, id quod omnes de Numantia dicunt, eſto, ſed non ex eo colligitur eandem eſſe vrbem, cum alia complura oppida idem flumen præterfluat, ad dextram Septimancas, Turdeſellas, Taurum, & de qua nunc agimus Zamoram, quod vel ex eo nouum eſſe putamus, quod neq; Gothorum temporibus, ſed neq; Romanorum vſquam Zamoræ ſit mentio, niſi forte, quod alijs compluribus oppidis accidit in Ocelum, Dorij ſucceſſit. Sed vt eo, vnde digreſſi ſumus, tandem redeamus, qui Hiſpaniam in tres prouincias diuiſere, per Dorium amnem Luſitaniam a Tarraconenſi diſtingunt, atq; ita, vt fluuius ab ortu ſolis ad occaſum incedens Luſitaniam ad leuam, ad dextram vero Tarraconenſem relinquat, in qua poſita eſt Zamora, numeraturq; inter populos, quos antiqui vocabant Vacceos, hos a vectonibus Luſitaniæ populis Dorius amnis diſterminat, atq; vtroſq; per Pontem, de quo dictum eſt, ad commertia peragenda coniungit. Cumq; Luſitanorum ſtatiua Tauri reſiderent, atq; Zamoranæ arcis obſidio ex eadem fluminis parte fieret, oportuit illum, qui ſuis laborantibus opem ferre volebat ſecundo flumine, atq; eadem ripa exercitum ducere.

Sed quia ſe, vel militum numero, vel robore, vel vtroque hoſtibus imparem putabat, Taurinum Pontem traiecit, & quod ad dextram fluminis ripam faciendum erat, in leuam traſlatum eſt.

Deliberatur a noſtris vtrum in caſtra ſit redeundum, an potius hoſtis Taurum vſque perſequendus.

Caput. V.

CVM itaq; ventum eſſet in fauces illas, in quas paulo ante diximus coarctari viam, quæ a Zamora Taurum ducit, quia non admittebat amplius quam binos, aut ternos milites: ſubſtitit exercitus, atq; in ſe conglobari cœpit. Regiq; nunciatum eſt hoſtes iam eo progreſſos, vt prius ſe poſſent in Taurum ſuam recipere, quam noſtros anguſtias illas euadere. Iubet itaq; uocari proceres, cohortiumq; præfectos, & quid pro tempore locoq; faciendum ſit, exquirit. Quibuſdam videbatur redeundum eſſe in caſtra, & diuerſoria nota, quoniam antea quam tantus exercitus fauces trajceret, iam foret nox, in qua nihil aliud ageretur, quam ſuos fruſtra vexare, & viros, equiteſq; fame, ſitiq; confectos periculo exponere. Nam quod ad vulgi opinionem attinet, nemo futurus erat, qui non diceret, & Luſitanum fugiſſe, & Hiſpanum eo vſq; perſecutum, quoad illum in latebras ſuas occultaret. Ad hæc Cardinalis, non dum inquit ſatis liquet Rex clariſſime, hoſtis ne fugiat, an agmine compoſito proficiſcatur, & quoniam adhuc neq; exercitus noſter vidit hoſtem, neq; ille nos, non deerit, qui dicat, neq; hoſtes fugatos, neq; noſtros fuiſſe auſos abeũtes proſequi. Liceat itaq; mihi per tuam Celſitudinem, anguſtias illas euadere cum paucis equitibus, vt colle hoc ſuperato: poſſim libere de hoſtium copijs iudicare atq; inde ea dere meã ſententiã dicere. Alioqui nõ auſim decernere fugiant ne hoſtes, an potius læti, exultanteſq; ſe in tabernacula ſua recipiant. Aſſenſus eſt Rex Cardinalis ſententiæ, hortaturq; illum, vt id quod decreuerat, exequeretur. At ille Petrum Guzmanum cum parte cohortis, quam ductabat, acciri iubet, cliuumq; faucium illarum ſuperat, ad verticemq; montis peruenit, vnde Luſitanorum copias æſtimare poſſet quam facillime. Videt omnia per ſuos ordines incedere, nihil turbulentum, nihil temerarium, nihil deniq; per tumultum fieri. Igitur ad Regem redit. Quæ viderit exponit: atq; ſententiam ſuam præter aliorum opinionem dicit. Vidi, inquit, inuictiſſime Rex atq; meis oculis contemplatus ſum Luſitanorum acies ordinatas incedere, magiſq; expectare inſequentes, quam fugere. An non Luſitanorum ſuperbia, verbaq; magnifica ſunt omnibus nota? Pudet certe magna locutos cedere, atq; timidiſſimo cuiq; aliquãdo redit in præcordia virtus. Eſtq; credibile veroq; ſimilimum Luſitanum animo extimare quantum ſubiturus ſit dedecus, ſi hoſtem fugiat, quẽ vltro ad certamen laceſſerit. Idq; nunc agit pedetentim incedens, vt poſſit aliquando dicere, ſe non fugiſſe ſed medio in campo expectaſſe hoſtem, cum præſertim nemo fugientem poſſit vere appellare ab eo, quem non videt. Quod ſi hoc ex loco noſtræ copiæ domum redierint, anteaquam hoſtem videant, atq; ab hoſte videantur: relinquetur in dubio apud abſentes, eoſq; qui naſcituri ſunt, vter veſtrum ex hoc die victoriam reportauerit. Quid quod ante hac ex militibus noſtris ſtrenuiſſimis, quiſq; illum diem ſibi dari optabat, in quo decerneretur quæſtio illa inter Hiſpanos, Luſitanoſq; diu agitata, vtri forent viribus animiſq; pręſtantiores. Quod ſi nunc in tanta occaſione ſubtrahãtur a pugna, refrigeſcet profecto ardor ille, virtuſq; in exercitata languebit. Atqui dicet quiſpiam, ſi citra cruorẽ victoria ex hoſtibus comparari poteſt; quid opus eſt acies in pugnã committere? Immo vero Rex optime ſi hodie in fortunã prelij non deſcẽdis: bellũ hoc de die in diẽ protrahetur, neq; vnquã tuto in Hiſpania ſolus regnabis. Nunquã Cæſar imperiũ orbis obtinuiſſet, ſi non cũ Põpeio cõfluxiſſet, nunquã Auguſtus cum Narchiã, ſi non cũ Antonio. Atq; vt eſt in fabulis, Cœlũ ſuo

ſeruire tonanti. Non niſi ſæuorum potuit poſt bella Gigantum. Sed vt vetera illa omittamus, non hoc in Hiſpania noſtra experimento ſæpe didicimus? Si Ioannes ſocer tuus non cum patre patruiſque tuis ad Vlmetum conflixiſſet: neque regnaſſet vtique poſtea ſecurus, neque Enriquus, coniugis tuæ frater regnum illud ſuum qualecumq; continuaſſet: ſi non cum Alphonſo germano item fratre in eodem loco fortunam quoq; belli fuiſſet expertus. Quid igitur reliquum eſt clariſſime Rex: niſi vt bene iuuante Deo tuiſque auſpicijs hoſtem regni alieni affectorem inuadas, ex quo ſiue fugerit trophæum, ſiue expectauerit triumphum haud dubium ſis hodie reportaturus?

Quemadmodum exercitus vterq; ſe parat ad pugnam.

Caput. VI.

ATQVI Rex cui non minus erat curæ ſalus & vita ſuorum, quam rei bene gerendæ voluntas, viſus eſt aliquantulum Cardinalis ſententiæ aſſentiri. Sed cum cerneret ſuorum omnium alacritatem, atque animi præſtantiam, clamoreſq; dari ſibi hoſtem depoſcentium: iubet exercitum anguſtias illas euadere, atq; rurſus in ſuum ordinem redigi. Vocatiſq; ducibus cohortiumq; præfectis, admonet illos, ut magno animo ſint, meminerintq; verborum, quæ cotidie in aula iactabant, quoties de Luſitanorũ arrogantia, temeritateq;, ſermo exoriebatur, iubet deinde illos ad ſuam quemque prouinciam bonis auibus ire, atq;, vt rem bene gerant, hortatur. Illi in ſuam quilque cohortem profecti, quid cuiq; faciendum ſit docet, atq; ita euaſis faucibus eodem in ordine, quo prius ſteterant, conſiſtunt, deinde agminatim hoſtem ſubſequuntur. Luſitanus cum intellexiſſet Hiſpanos aduentare, reputans ſecum quantum dedecus eſſet in fuga, potiuſq; pulcherrimam mortem eſſe obeundam, quam turpe aliquid committendum, iubet ſtare acies, atq; in hoſtem conuerti, & collatis ſignis cum illo dimicare.

Pollicebatur illi magnam victoriæ ſpem, quod equitum numero erat ſuperior, atq; hunc in modum diſponit exercitum. Cohortem prætoriam conſtituit ex amicis, & familiaribus, atq; aulicis purpuratis, ac præterea ex Hiſpanis, viros quoſdam non obſcuros, qui ſub illo ſtipendia faciebant, quibus addit Comitẽ Phariũ, qui & ipſe turmã equitum ex ſuis adduxerat, his omnibus præfecit Pereiram cohortium prætorianarum ducem. Huius ad leuam erat cohors, quam Ioannes Regis filius idemq; Luſitanorum princeps ductabat, in hac erat robur totius exercitus firmiſſimum. Hanc ſequebatur Eborenſis Epiſcopi cohors, quibus duabus accedebat ingens ſtlopetarum, & ſagittatorum numerus, atq; diuerſorum generum tormenta, & machinæ carris impoſitæ.

Ad dextram cohortis regiæ erat Pharij Comitis manus ex ſuis, atq; fratris Guimarani Comitis militibus ſtructa, hanc ſequebatͬ Archiepiſcopi Toletani cohors, poſt quã villę Regię, montiſq; Sacri comitum cohortes duę. Peditatus omnis quattuor in partes diſtributus non procul a prætoriana cohorte ad fluminis ripam diſpoſitus erat. Tunc Rex acciri iubet duces, primoreſq; exercitus, quos in hanc ſententiam dicitur allocutus.

Quo in ſtatu res noſtræ ſint commilitones videtis, venit dies, in quo decerneretur quæſtio illa inueterata inter vos, aduerſarioſque veſtros: vtri ſint armis, animiſq; potiores. Sumus numero non pauciores, ſuperamus equitatu, habemus cauſam pugnandi iuſtiorem, decertandum eſt cum illis, quorum maiores a maioribus noſtris ſunt

ad Aliubarotam ſuperati. Neque obſtiterit, quod illi intra patriam: nos extorres: illi omnibus rebus abundantes: nos omni commeatu deſtituti ſumus. Neceſſitas hæc debet facere vos ad pugnam alacriores, & rabiæ concitatos in hoſtem ire præcipites, vt poſt victoriam, bonis illorum iuſte fruamur, quibus nunc illi iniuſte abutuntur.

Sic animati Duces a Rege diſcedunt, ſuos quiſq; hortatur, vt forti magnoque ſint animo. Quæ præmia victores maneant, aut quæ victos detrimenta ſequantur, illis ante oculos ponunt. In hunc igitur modum exercitus vtriuſq; cohortes, militari gradu contra ſe inuicē tendunt, quoad ventum eſt ad ſpaciū, vnde a ferentarijs res agi poſſet.

De pugna inter Hiſpanos Luſitanoſq; ad Taurum.

Caput. VII.

INTERIM Alphonſus Fonſeca, quem diximus ad Regis Hiſpani dextram ſecundæ cohortis præfectum, petit a Rege dari ſibi primas certaminis ineundi partes, idem petit Aluarus Mendoza, idem alij eiuſdem ordinis, quibus erat incurrendū in Luſitanorū principis aciem. Quibus Rex, immo ſimul omnes inquit, inuadite: cuius agmen video equitatu peditatuque confertiſſimum. Sex igitur ille cohortes quas diximus, ad Hiſpani dextram poſitas, ſigno vtrinque tubarum dato, in Luſitani principis atque Eborenſis Epiſcopi cohortes, ſignis collatis incurrunt, ſed magna pars tormentorum globis, ſtlopetarumque glandibus excepta, aut cecidit, aut ictibus ſaucia ex pugna diſcedit. Alij cum in hoſtium robur firmiſſimum incidiſſent, facile pulſi ſunt, ſeque partim ad cohortem prætoriam, partim ad cornus ſiniſtri cohortes receperunt.

Igitur cornu noſtrorum dextro fuſo, fugatoque in ſiniſtro, quod erat ad fluminis ripam, meliori euentu pugnatum eſt. Nam cohors prætoria cum eiuſdem cornus reliquis cohortibus, hoſtem ſublato clamore inuadit, ęditur hinc, atque illinc magna ſtrages, pugnatum eſt ad tres horas nuſquam inclinante victoria. Sed fortuna tandem cœpit aſpirare noſtris, atque hoſtem cedere cogit, quem neque pudor retinere, neque perſequentium illata cædes, neque princeps ſuus integro adhuc exercitu ad pugnam reuocare. Itaque fuſi pallanteſque alij alia via Taurum petebant, alij ſe in flumen præcipites dabant, mortemque timore mortis oppetebant, quorum cadauera ſecundo amni deuecta, poſtridie eius diei, cum armis ſpolijſq; viſa ſunt.

Illud pro certo compertum eſt, ex Luſitanis multo plures flumine abſorptos, quam ferro cæſos occubuiſſe. Luſitanus cum fuſas fugataſq; cerneret copias ſuas, hoſtemque fugientibus inſtare, nec; ſubſidij quicquam a filio ſuperuenire, ne in aduerſæ partis armatos incideret, viam, quæ Taurum ducebat, declinans cum paucis, dubia iam luce ad Caſtrūinui tendit, vbi ab arcis præſide ſuarum partium fautore excipitur, magnificeque tractatur. Captum eſt Luſitani vexillum, cuius erat inſigne vultur, ſed Petri Veraſci, & Petri Vaccæ ignauia, quibus traditum eſt, vt aſſeruaretur, ab hoſtibus poſtea eſt receptum. Vnde non ſine cauſa inter Hiſpanos Luſitanoſque in hunc vſque diem diſceptatur: captum ne fuerit, an non, vexillum illud regium.

Illud certe inter vtroſque ſatis conſtat, ſigniferum ipſum in prælio comprehenſum: Zamoramque deuectum, armiſque ſpoliatum, quæ Regis & Reginæ iuſſu in Hiſpanorum Regum conditorio, quod eſt Toleti in maximo diuæ Mariæ, vſque in hunc diem ſuſpenſa cernuntur. Capta ſunt & alia quoque octo ſigna, & cum Anteſi-

gnano complures alij viri nobiles. Eorum qui ex alterutra parte deſiderati ſunt: non potuit certus numerus colligi, fuiſſe autem cæſos multo plures, quam toto huius belli tempore nemo vnquam dubitauit. Ex noſtris vnus tantum captus eſt, Enriquus Enriquez Albenſium ad Liſtim Comes, qui putans ſe non deſerendum a ſuis, dum perſequendi fugientes ardore fertur, ad Taurini pontis caput exterius vſque progreſſus eſt. Vbi circumſpiciens, an ſe quiſquam ex ſuis ſequeretur, a Luſitanis eſt comprehenſus: Taurumque perductus. Atqui Luſitanorum Princeps cernens patris copias fuſas, profligataſq; contrahit ſuam cohortem, atque locum editiorem occupat, vt fugientibus ſubſidium præſtet. Ea quamquam nocte iam aduentãte, dubiaq; luce ſupererat animus quibuſdam ex noſtris Ducibus, cohortem illam euadendi, non potuerunt in ordinem redigere equites, pediteſque, per omnem campum ſparſos, partim in hoſtibus perſequendis, partim in cadaueribus occiſorum ſpoliandis, inſtabatque nox, in qua nihil inſigne agi poterat, cum præſertim in horas pluuia increbreſceret. Tum Hiſpanus cum intelligeret in campo nihil iam hoſtile, nihil infeſtum, ſed victoriam penes ſuos manere, iubet receptui canere, atque relictis Cardinale, atque Albanorum Duce, qui campum colligerent, ipſe per noctis tenebras, pluuiaque vrgente, ad inceptam obſidionem redire properat. Erat namque ſuſpicio Luſitanum per alteram fluminis ripam: copiarum partem potuiſſe præmittere, quæ ſtationes raris cuſtodibus munitas diſturbarent, & obſeſſis cum commeatu recentes armatos immittere.

Quid Luſitani fugati fecerunt Tauri, Rege ſuo amiſſo.

Caput. VIII.

QVO tempore Luſitanus acies ducebat eo conſilio, de quo in ſuperioribus dictum eſt, reliquit Tauri Guimaranorum Ducem cum præſidio, interim oppidani ad hoſtem deficerent. Qui videns Luſitanos ſuos fuſos, fugatoſque, inermes, cæſos, mutilatis membris truncos, atq; interrogatos quo modo ſe Luſitanorũ haberet, aut vbi eſſet, nihil certi reſpondere, ſuſpicatus proditionis aliquid ab Hiſpanis ſubeſſe, iubet portas obſtrui, muros, turreſq; præſidio firmari, ne cũ Luſitanis Hiſpanos quoq; intra munitiones admitteret. Toletanus præſul, & qui ſub illo militabant Hiſpani, & qui ex prælio fugerant Luſitani, Ducem orabant, ne de Rege ſuo benemeritos excluderet, ſimul etiam a perſequentibus imminere periculum dictitabant, ſi non intra mœnia reciperentur. Vulneratique imprimis ad cælum vſque clamores tollebant, crudelitatem in ſe a ſuis exprobrabant. At Luſitanus Princeps poſteaquam ex ſuis, quos potuit, in ſuam cohortem recipit, Taurum repetit, & intra muros admiſſus Archiepiſcopum deducit ſecum, atque alios omnes in ſuum quemque diuerſorium excipi iubet.

Qui poſteaquam partem ſuorum numero abeſſe comperit: vt erat ingenti animo, vix diſſimulat Regis amiſſi damnum, premitq; altum corde dolorem. Sed quod magis illum torquebat, erat præſulis Toletani fides ſuſpecta, atque aliorum Hiſpanorum, qui in partibus ſuis merebant. Nam quæ poteſt miſerior eſſe condicio, quam illorum, qui neque amicis audent confidere? Iubet itaque vulneratos curari, feſſos recreari, mœſtos bene ſperare, atque in dubia fortuna ne deficiant, hortatur. At non Guimaranus Dux, cui fuerat a Rege cuſtodia vrbis credita, poteſt ſe continere, quin omnibus manifeſta doloris ſigna depromat, prorumpit in lachrymas, pulſat pectus, comam vellit,

veſtes dilacerat, atq; in quoſcunq; obuios deſerti Regis inuidiam concitat. O degeneres, inquit, & ingrati, beneficiorumq; immemores. Vbi eſt Dux veſter? vbi Rex? vbi Dominus? vbi ſpecimen? vbi Luſitanæ reip. columen? Non potuiſtis ſeruare vnum, in quo ſalus omnium continebatur, vitaque omnium ſita erat? Non pudet vos venire, poſtq; Ducem veſtrum deſertum, proditumque, hominum conſpectum intueri?

Ab apibus ſaltem cõdiſcere debuiſtis obſeruare Regem, quę ductorem circumſtant ſuũ fremitu denſo, ſtipantq; frequentes, & ſæpe attollunt humeris, & corpora bello obiectant, pulchramq; petunt per vulnera mortem. At non hæc illa ſunt, quæ in pace quondam pollicebamini? in Regis aula frequentes & officioſi, ſed nunc in prælio ignaui, & deſertores. Itaq; non ſolum facti eſtis læſæ maieſtatis rei, ſed etiam amicitiæ legem violaſtis, quæ iubet amicos in aduerſis, antea quam vocentur, adeſſe, in proſperis non niſi vocatos. Hæc & huiuſmodi mœſtus, ac lugubris Dux iactitabat. Illi vero præ pudore, ſceleriſq; admiſſi conſcientia, nihil reſpondebant: ſed fortunam ſuam lamentabantur, quæ illos tali in tempore obcæcauit. Sed Hiſpanos, atq; imprimis præſulem Luſitanum non tam res male geſta, damnaq; in prælio accepta cruciabant: quam quod relicta potiori cauſa, pro transfugis ab omnibus habebantur, & quod ab ijs, in quorum partibus erant, ſuſpecta fides haberetur. Dum hæc Tauri peraguntur, Luſitanus apud hoſpitem ſuum varijs ſermonibus noctẽ producit, quid de filio, quid de cohortium præfectis, quid de tanto exercitu ſit actum ignarus: & quamquam animi dolorem vultu diſſimulabat, ſtupor tamen illi omnem abſtulit mentem, quippe qui non ſtatim ſuos fecerit certiores, quo illum pugnæ tempeſtas appulerit. Sed iam primo diluculo reſpiciens, omnibus de rebus dat literas ad filium perferendas, quas deinde ſubſequitur ipſe, ſeq; ſuis expectatum reddit. Hiſpanus interim exercitum victorem laudat, gratulantibus ſe hilarem, benignũq; exhibet, atq; Reginæ literas tantę victoriæ nuncias mittit, quæ Turdeſellis eo tempore morabatur, belli euentum expectans. Supplicationes itaque ſolenneſq; pompas decernit: puluinaria in templis iubet ſterni. Ipſa nudis pedibus ex aula regia ad ædẽ vſq; diui Pauli extra muros progreditur, laudans, & magnificãs Deum, atq; gratias agens pro tantis in ſe, cõſortemq; ſuum, omnẽq; exercitũ collatis beneficijs.

Zamorana arx capitur. Magiſter a Calatraua, & Vrenatium
Comes a Luſitano deſciſcunt, a quo Toletanus diſcedit.
Caput. IX.

INTEREA Rex imperat obſidionem arctari, ſtationes & machinas arci admoueri, vtque ſe ad oppugnationem parent, voce præconis edicit. Quod Alphonſus Valentinus arcis præfectus cum videret a Luſitano nihil auxilij amplius expectãdum, quippe quẽ acceperat in aciem profligatum, agit per Cardinalem, cui erat conſanguinitate propinquus, vt priſtinis erroribus ſibi condonatis, in obſequium, famuliciumque Regium reſtitueretur: dicebat velle ſe, omniaq; ſua vitæ, neciſq; arbitrium regię maieſtatis dedere. Cardinalis propinqui miſericordia cõmotus, excuſare apud Regẽ ętatis leuitatem, omnem culpam in Ioannem Porrium illius ſocerum conferre: reſpondere pro illo fidelem deinceps operam, perpetuamque in Reges Hiſpanorum obſeruantiam. Annuit Rex Antiſtitis tam bene de ſe meriti precibus, condonat adoleſcenti reratum, omnia bona reſtituit, arcem recipit, in quam Luſitanus precioſas veſtes, aurum, argentum, ac pulcherrima quæque domus ornamenta congeſſerat. Erant qui a Re-

ge peterent illa omnia ſpolij nomine in manubias redigenda, vnde reſarcirentur damna in eo bello a multis accepta. At Rex neque ſibi quicquam inde accepit, neque alijs habendum ſibi permiſit, ſed omnia fide ſumma Luſitano reddi iubet. Accepta arce validiorique præſidio, commeatuque munita, Methymnam ad campum proficiſcitur, quo ſe venturam ad certam diem ex Turdeſellis Regina conſtituerat. Comeſtabilis interea non minus apud Regem, & Reginam laborat de reconciliandis obſequio regio duobus egregijs fratribus, altero a Calatraua Ciſtercienſis militiæ magiſtro, altero Comite Vrenati, quos Villenatium Marchio patruellis natu maior ad Luſitani partes illexerat, & quo citius rem conficeret, deſpondet Comiti filiam, atq; a principibus impũnitatem erratorum pollicetur. Principes vero noſtri tam & ſi intelligebant ex ignoſcendi facilitate, quantum mali ſequeretur, reputantes tamen ſi duos iuuenes ætate florentes, armis inſtructos, opibus copioſos ab aduerſario ſubtraherent, ſibique obſequentes redderent, magnum fore momentum in vtramque partem, & ſuas augendi vires & hoſtiles debilitandi, Comeſtabilis precibus acquieſcunt, errata condonant, illoſque deinceps ſuorum numero eſſe iubent. Toletanus quoque Archiepiſcopus cum fieret quotidie certior, omnia quæ ad ipſum præſulatus ratione pertinebant iura impediri, atq; oppida, municipia, caſtella, & arces partim a circumſtantibus præſidijs vexari, partim deficere, aut de defectione cogitare, petit a Luſitano cõmeatum, facultatemq; ad ſuos abeundi, antea quam noui quicquam molirentur. Petit præterea turmam equitum, quæ illum comitetur, quoad ſe, ad ſuos reciperet. Id cum Hiſpano Regi compertum eſſet: mittit Petrum Marriquuum Comitem a Triuinio cum ſua, cohortiſq; prætorianę parte, qui illũ perſequeretur, præhenſumq; ad curiã perduceret. Sed ille antea ſe Complutum, quod erat ſuę ditionis oppidum, recepit, quam Comes eum conſequi potuiſſet. ea itaque fruſtratus ſpe, ad Regem, Reginamq; redit. Inter illos, qui Luſitani partibus fauebant, erat Attencię arcis præſes, natura hominumq; labore munitiſſimę, qui nõ contentus regijs vectigalibus, quos ex Salinis opima percipiebat, finitimos populabãt agros, atq; in remotiores quoq; excurſiones faciebat. Erat pręterea terræ illius indigena Garſias quidam Brauus ordinis equeſtris vir acer, & ſtrenuus. Is agit cum famulo quodam pręſidis, vt qua nocte ſortiretur vigiliam, ex muro demitteret funem, per quem ſcalę ſurſum attollerentur: quod cum ex voto proceſſiſſet, ſcandit primus omnium Garſias ipſe, tum alij centum inſtructi armis quos ad negotium peragendum duxerat, comprehẽſoſq; pręſide, vxore, omniaq; familia potitus eſt opimis ſpolijs, quibus propter inſignem viri operam in arce recuperanda, a Rege, atque Regina donatus eſt: æſtimata ſunt ſpolia centum millibus ducalium aureorum. Idem Brauus paucis poſtea diebus oppugnat Camarenam, opidulum id erat, quo ſe recipiebat Ioannes quidam Touarius famoſus alter latrunculus, atque viarum graſſator inſignis, qui & ipſi Luſitani partes ſeq̃bãtur. Quibus duobus mõſtris emedio ſublatis, pax regionibus illis reſtituta eſt.

Luſitanus redit in regnum auitum, petiturus inde Galliæ Regem: & quæ Madriti geſta ſunt.

Caput. X.

LVSITANVS cum videret ſe acie ſuperatum, amiſſis duabus arcibus, quibus plurimũ fidebat Burgenſi, ac Zamorana debilem, & ab ijs qui fuerunt autores tanti belli inchoãdi deſertum, ſuarum quoq; partium fautores indies minui, quid conſilij caperet ignarus: huc atq; illuc mentis aciem vertebat. Pudebat illum reditus in patriam, quam itu-

rus ad bellum peregrinum pecunijs exhauſerat. Turpe putabat venire in condiciones, quas victor hoſtis proponebat. Vires ſuas impares iam prelio expertus erat. Pecunię vnde nouum exercitum cōduceret, aut ſtipendia preſenti ſolueret, non ſuppetebant. Placuit tandem ab externis gentibus auxilium petere. Sed vnde peteret niſi ab eo, cum quo nuper fœdus inierat, & qui pro Ruſcinonis Comitatu repetendo, iam bis noſtros bello laceſſerat? Sed antea quam in Galliam proficiſceretur, ſtatuit Luſitaniam ſuam repetere, vnde facilius, tutiuſque nauigare poſſet. Itaque partem copiarum per arces, caſtella, & munitiones, quæ adhuc pro ſe in officio perſtabant, in præſidiarias cohortes diſtribuit, partem ſecum in patriam reducit. Et quia interim Ioannes ille Vlloa, qui ſibi Taurum vrbem cum arce ad futuri belli vſum tradiderat, diem ſuum obierat: Marialbanorum Comitem in vrbe cum validiori præſidio relinquit. Pręſidiorumque pręfectus edicit, vt quam diu ipſe abeſſet, hoſtium agros populentur, ferro & igni omnia vaſtent, ſeque breui ex Gallia cum auxiliaribus copijs venturum pollicetur. Erant eo tempore Madriti, quod oppidum nos Carpetanorum Mantuam interpretamur, erant, inquam, duę factiones, quarum, altera cuius caput erat Ioannes Zapata vir, qui inter indigenas nobilis, & factioſus Marchionem Villenatem ſequebatur, qui non modo arcem, verumetiam totum oppidum firmiſſimo pręſidio tenebat, cui pręfecit Rodericum Caſtanetum Ciſontani Comitis fratrem, pulſiſque alterius factionis principibus propterea, quod Regis, & Reginæ partes tuebantur, ſoli Marchionarij oppidum habitabant. Nam plebs ſequitur fortunam, vt ſemper, & odit pręſentem ſtatum, & concupiſcit nouum. Erat pulſæ factionis caput Petrus Nunius a Toleto equeſtris ordinis vir. Is agit cū clientibus, & amicis, quos in oppido habebat quam plurimos, quemadmodum intra mœnia reciperetur, ſi maiores copias, quam eſſent præſidiariæ, conduceret. Communicat rem cum Petro Ario, atque vterque cum Duce Infantatus, omnibus viſa eſt res digna, in quam omnes intendant neruos, putantes ſe in eo ſingularem operam non ſolum Regi, & Reginæ: ſed etiam vniuerſæ Hiſpanæ reipub. nauaturos. Dux Reginam conſulit, quid ſibi in tali negotio faciendum eſſet. At illa, vt ad rem conficiendam totis viribus inſiſtat, non modo hortatur, verum etiam atque etiam rogat, obteſtaturque. Mittit præterea ex cohorte prætoria tres cataphractorum equitum turmas, cum ſuis quamque præfectis, Iacobo ab Aquila, Ioanne a Roboribus, Ioanne item a Turribus: quibus imperat, vt Ducis iuſſa faceſſant, atque omnibus in rebus illi obtemperent. Dux igitur auctus copijs a Regina miſſis, ſimul etiam cum Petro Nunio, & Petro Ario, qui & ipſi magno poterant eſſe adiumento, cum omnibus ſuæ domus grauis, & leuis armaturæ militibus rem aggreditur. Id cum Marchionis pręfectus ſenſiſſet, neque enim tantus belli apparatus latere potuit, fugat ex oppido, quos ſuſpicabatur partis aduerſæ fautores, plebem in partes regias procliuem minis terret, muros, portaſque oppidi præſidio validiori firmat, ſubſidiarios milites opportunioribus in locis diſponit. Atqui Dux ea ſpe fruſtratus in oppidi ſuburbio metatur: oppidum arctiſſima obſidione cingit, commeatus intercludit, vt quos non potuit viribus expugnare, caperet fame. Iubet preterea cuniculos agere ad portā, qua itur Guadalaiarā, cui pręſidebat Petrus Aiala ex ordine equeſtri diui Iacobi commendatarius, qui ſuſpicatus id quod erat, portæ munitiones cum muri parte ſuffoſas iam lignis incumbere, atq; ſuppoſito igni non magno negotio ruituras, ne hoſtis irrumpens oppidum diriperet, atque factio extorris, quę inter obſeſſores merebat, in aduerſæ factionis partes acrius ſæuiret, cœpit agere cum

Duce de tradendo oppido certis cōditionibus, quibus præcipue de oppidanorum indemnitate cauebatur, illorum maxime, quibus cum erant inimicitię ex inueterato factionis aduerſæ odio. Duce igitur cum ſuo exercitu intra muros recepto, Marchionis præfectus cum omni pręſidio ſe in arcem recipit commeatu, armis, tormētiſq; munitiſſimam.

Sed nihilo ſecius illam Dux arctiori obſidione prēmit. Muſculoſque duplices a parte arcis extima ducit, atq; viris, armis, machiniſq; munit, vt non modo quiſquam ingredi, aut egredi non poſſet, verum etiam ſi grandior exercitus aliunde veniret auxilio nihil obſeſſis vſui eſſe poſſet. Alterum quoq; murum duxit per arcem, quæ eſt inter arcem, oppidanorūq; domos intermiſſis, quibuſdā aditibus per quos tumultuarijs, pugnis ſe inuicem laceſſerent. Ibi cecidit Iacobus ab Aquila, vnus ex tribus illis Ducibus, quem diximus ad hoc bellum miſiſſe Reginam. Ceciderunt & alij complures viri nobiles, & obſcuri, tam ex obſeſſis, quam ex obſeſſoribus. Ex munitionibus præterea, quas in agro Madritano inſederant Ioannes ille Zapata, & Petrus a Corduba, cotidie fiebant excurſiones, incendia, cædes, populationeſq; pecudum, & armētorum, vſq; ad oppida, loca ſuburbana, quoad profectum eſt a Duce, vt certis in locis equitum præſidia diſponerentur, qui latrunculos illos paſſim exultantes in latebras ſuas cogerent ſe recipre, atq; hunc immodum obſidio in duos menſes protracta eſt.

PRIMÆ DECADIS LIBER SEXTVS, MATRICALI PANHISPANION

celebratur, vbi cœptum eſt de ſocietate, quam fraternitatem vocant conſtituenda agi.

Caput Primum.

CVM hæc Madriti geruntur, curia, hoc eſt, Rex, & Regina ſenatuſq; regius Matricali citra montes in vectionibus oppido celebri erat. Ibi quoq; panhiſpanion, id eſt, omniū ciuitatum, municipiorumq; Hiſpaniæ conuentus agebatur, curias in numero multitudinis indigenæ appellant, in quibus cum aliæ res cūplures decretæ ſunt, tū vel maxime quod Eliſabe iunior vno omnium conſenſu declarata eſt Hiſpaniarum Princeps, atq; hęres regnorūq; ſucceſtrix, quod et iure iurādo ſanxerūt ciuitatū, municipiorumq; procuratores, ſi modo proles virilis Regi & Reginæ non contigiſſet.

Cœptum eſt agi præterea de fraternitatibus, ita Hiſpani vocant populorum inter ſe ſocietates ad hoc potiſſimum inſtitutas, vt latrocinia cædeſque in vijs publicis, & agris perpetratæ vindicarentur, quę mala, in vrbes quoq; & municipia vicoſq; tyrannorum arcibus ſubiectos adeo ſerpebant, vt domi foriſque nihil eſſet tutum, ſed vbiq; terror, vbiq; pauor, & plurima mortis imago, eoq; miſeriarum deuentum eſt, vt graſſantibus ſceleratis hominibus, nemo iam eſſet vir bonus, & pie, iuſteq; viuendi cupidus, qui pro recuperanda libertate non libentiſſime dimidium fortunarum ſuarum non paciſceretur. Idque cum omnes vellent, omnes cuperent, deq; nulla re alia frequentius alter ad alterum loqueretur, quam de inueniendo tantis malis aliquo remedio, nemo tamen erat,

qui negotium aſſumeret,atq; rem tam deſperatam aggrederetur, & morbo tam pernicioſo medicamentum aliquod inueniret. Primus omnium quaſi ſignum aliquod ad bene de Hiſpana rep. ſperãdum ſubſtulit Alphonſus Quintanilla equeſtris ordinis vir nobilis,ingenioſus,acer,& vehemens: idemq; fiſci rationumq; regiarum quæſtor maximus. Hic ortus ex aſturibus montanis facile oſtendit,ſummos viros in obſcura quoq; patria plærumque naſci,at econtrario ignobiles in patria illuſtri. Et quo maior tantæ rei peragendæ accederet autoritas, aſſumit ſibi ſocium Ioannem Ortegam.

Ambo Regem, Reginamq; conueniunt,quo in ſtatu res Hiſpana ſit,commemorant, quod in tanta rerum omnium perturbatione debeat,& poſſit fieri demonſtrant,hoc bonos omnes, hoc in commune populos expoſcere, nil aliud deeſſe,quam regiam facultatem, vt bene iuuante deo negotium perageretur. Placuit iuſtiſſimis principibus opportunus ſermo,ad rem exequendam hortãtur,autoritatem ſuam omnibus in rebus decernendis pollicentur. At illi oppidorum procuratores adeunt. Mala, quæ ſuſtineant impræſentiarum,quæq; in ſuturum expectent,ante illorum oculos ponunt,ex negligentia quot pericula impendeant,atq; ediuerſo ex prouidentia quot bona ſequantur, identidem repetunt. Sed quia de tanta re conſulendi erant ij, quorum procuratorio nomine res agebant; placuit conſtitui diem,& locum,in quibus hæc diſputanda eſſent.

Locum in quem vndiq; confluerent,placuit eſſe Donias,quo poſteaquam ad conſtitutum tempus conuenerunt,cœptumque eſſet de re cuius cauſa venerant diſceptari,alij aliud ſentiebant,altercationibuſq; tempus conſumebant fruſtra, & contentio illa eo tandem eſt deducta, vt omnes in eo iam eſſent articulo,vt quiſq; ad ſuos re infecta rediret.

Quorum diſſenſionem cum Alphonſus Quintanilla ſenſiſſet, videns omnes ſuos conatus ceſſiſſe fruſtra, ne quid inexpertum relinqueret, hac, aut non multum diſſimili oratione, illos in concionem vocatos aggreſſus eſt.

Alphonſi Qnintanillæ concio, pro incunda Hiſpanorum ſocietate.

Caput. II.

SI quiſquàm ex vobis eſt viri Hiſpani,qui miretur: cur ego qui neq; ingenio,neq; doctrina,neq; multa rerum experientia prœditus deſumpſerim mihi, vel potius arrogauerim hoc dicendi munus,deſinet profecto mirari,cum vitæ meæ rationes,inſtitutaq; ab ineunte mea puricia ſuſcepta cognouerit. Ego viri optimi,cum ſtatuiſſem omne tempus meum in aula regia conſumere,atque ſine æqualium meorum inuidia, obſequium meum infœliciſſimo Regi primum,ac deinde inuictiſſimis his principibus meis præſtitiſſem, nunquam deſtiti cogitare,ſi qua in re Hiſpanis meis acommodus eſſe poſſem. Habeo huius animi mei teſtes cum alios quam plurimos, tum maxime ex veſtro numero non paucos, qui ex me ſæpe audierunt partim publicę in huiuſmodi loci verba facientem,partim priuatę in ſermone familiari,quam me hic ſtatus reip. non delectaret,in quo bonorum nulla,aut certe per quam exigua ratio haberetur. Malorum vero paſſim graſſaretur impunitas. Neq; id quidem principum noſtrorum vitio, quibus nihil iuſtius, nihil indulgentius,nihil humanius excogitari poteſt: ſed temporum culpa,quæ non ſinunt illos animaduertere in facinoroſos: atq; pro dignitate bonos præmijs afficere, & quod ad commutatiuam pertinet iuſtitiam,ius ſuum cuique tribuere.

Itaq; cum nuper ego cum hoc collega meo honeſtiſſimo viro retuliſſemus ad illos

de ſermonibus,

de ſermonibus, quos de ineunda inter Hiſpanos ſocietate Matricali habere cœpimus, per quam omnia in meliorem ſtatum reformari poſſent, incredibile dictu eſt, quanta ſint voluptate affecti, quãta geſtierint lætitia, quãta nobis diligentia, ſtudio, & cura cõmendarint, vt vobiſcum de tanto, tamq; inopinato bono ageremus operam omnem, atq; autoritatem ſuam polliciti, ſi quibus in rebus opus eſſet. Sed ad rem, cuius cauſa huc veniſtis redeamus, negotium eſt, quod non modo animos veſtros a ſummo excitare, verumetiam ad facinoroſorum hominum vltionem inflammare debeat. Agitur de priuatis facultatibus veſtris, quas in agris, in paſtionibus, in mercaturis, in veſtris domibus habetis, quarum bona pars aut pactione, aut vi ab his latronibus intercipitur. Agitur de amicorum oppreſſione, de filiorum integritate, de filiarum pudicicia, de vxorum caſtitate, declientum veſtrorum incolumitate. Agitur de fiſco, regijſq; vectitigalibus, quæ ſi non fide ſumma, & ſine fraude exigantur, neceſſe eſt per capita ſiue cenſum veſtrum diſtribui omnia, quæ ad illorum ſumptus neceſſaria ſunt. Agitur de veſtra omnium ſecuritate, qui neq; per noctem domo egredi, neq; per diem extra vrbium munitiones prodire audetis. Agitur de pietate, de religione, deq; omni cultu diuino, quem videmus in dies refrigerari, atq; indubitatum tendere interitum. Quid igitur reliquum eſt viri Hiſpani, niſi vt bonis auibus ineatur ſocietas, quæ tot nobis calamitates propulſatura ſit, totq; commoditates paritura, quæ dabit vitam cum tranquillitate iucundam, reſtituet virtutes, quæ nos Deo, atq; proinde hominibus faciant beniuolos, quæ nos ira, atque proinde libidine ſuperatis duabus animi peſtibus ingenitis reddant nobis ipſis amicos, & quoniam ſatis demonſtratum eſt hanc ſocietatem ſiue illam libet fraternitatem appellare, debere fieri, ſupereſt vt oſtendamus an poſſit fieri, & a nobis quidem fieri, ac præterea facile & a nobis fieri. Nam de impoſſibilibus aut ſimpliciter aut a nobis fieri, quia in poteſtate noſtra non ſunt, nemo deliberat per ſe, neque alios in conſultationem admittit. Quod autem id de quo eſt præſens conſultatio poſſet fieri, & a nobis quidem fieri, & facile fieri notius eſt, quam quod demonſtrari debeat. Suppetunt namque pecuniæ, neque deeſt placiſque omnibus conferendi voluntas, abundamus viris, armiſque, neque opus eſt aliunde illa accerſere. Habemus autoritatem principum, qui noſtris inceptis fauent.

Habemus cauſam potiorem, hoc eſt, iuſtam contra iniquos, quietis amatorum contra ſeditioſos multos, & fortes viros contra paucos, & ex ſcelerum conſcientia pauidos. Hoc experti ſumus in ipſo ſtatim initio, quo iuſtiſſimi noſtri principes regnare cœperunt, cum iuſſiſſent in huiuſmodi homines acriter animaduertendum, id quod eſt Segouiæ geſtum. Mirum dictu, vno atque altero ad ſuſpendium adacto, repente omnes alij aufugere, neque vſquam deinde viſi ſunt. Qui ſtatus in hunc vſque diem permanſiſſet, ſi non Luſitanorum illa tempeſtas quietem noſtram interpellaſſet. Nam quid ego de ſocietatibus illis dicam, quæ ſub Enriquo Rege fuerunt inſtitutæ, cum omnes viæ latrunculis, & graſſatoribus eſſent obſeſſæ, cum viatores agminatim, ac nec ſic quidem iter facere auderent, nonne ad primam præconis vocem ſubito latuerunt? Durauit certe mos ille, quo ad ipſi adminiſtri ſuis legibus abuſi ſunt, atque dicionis ſuæ terminos tranſgreſſi. Ex quo neceſſe fuit ab Enriquo ſocietates illas diſſolui, quod certe nobis accidere non poteſt, quibus non eſt alia cura, quam itinera pacare, latrocinia, furta, homicidia cõercere, ac præterea nihil. Erunt fortaſſe nonnulli, qui huic ſententiæ meæ obſiſtant, dicantque non poſſe ijs de rebus facile conuentus fieri, ex tam longinquis regio-

nibus, aut ſi fiant, non conferendis ſtipibus non fore concordes. Erunt præterea qui dicant huiuſmodi ſocietates non poſſe diu conſiſtere, quod in alijs quoque huiuſmodi ſocietatibus factitatum, ſumus experti. Et quos interim æquo iure cogerimus venire, aut illi, in quos fuerit acrius vindicatum, reddentur multo peiores, quam antea fuerint.

Immo vero ſi opus fuerit non magna erit difficultas ſemel, aut bis in anno, per prouincias certis in locis conuentus, aut nundinas ſi fieri, quẽadmodũ paſtores meſtruas faciunt, quas vocant meſtas, atqꝫ etiam nunc annuas, quæ ſunt ſolenniores. Illi pro re tantum pecuniaria hoc faciunt, nos pro omni ſubſtantia noſtra, pro vita, pro libertate, pro religione non faciemus? Nam quod ad ſtipium collationem attinet, nemo eſt, qui paruo ære mercari nolit, quod alioqui ſit omni patrimonio redimendum. Nemo eſt, qui cũ hac de re ſum locutus, qui nõ geſtiat, q̃ nõ pruriat, qui non percupiat, vndecũqꝫ depromere, æſtuare, extricare, quod ſit tanto operi erogandum. Quód vero nonnulli timent, neſi aliquando diſſoluantur iſtæ ſocietates, acrius inſurgant arcium præſides in ſubiectos populos, in quos ante hac exercebant iniquam dominationem, qui receptabant latrones, qui facinoroſos tuebantur: Quin potius ſi nos intra dicionis noſtræ terminos continuerimus, ſi nos nobiſmet ipſis non defuerimus, ſi condiderimus leges, quibus ſacrum hoc collegium ſanciatur, non modo non diſſoluetur, ſed manebit, æternumque durabit, quandiu peſſima hominum ſeges ſuborietur. An inter ciuitatis regiæ incolas Talabricenſeſqꝫ potuit per annos quam plurimos permanere, qualiſcumqꝫ illa fraternitas ab hominibus obſcuris inſtituta, quæ tot commoditates per omnem regionem illam graſſatoribus refertam attulit, & vos Hiſpani, proceres illos ſaltem imitantes, non facietis in toto, quod illi fecerunt in parte? Expergiſcimini aliquando viri Hiſpani, & a maioribus veſtris ingentes animos concipite: quam iuſtam habeatis cauſam recogitate: cum quo hoſtium genere vobis res gerenda eſt intelligite: in facinoroſorum hominum vltionem inſurgite: pro quibus meritis non ſolum in hac vita mercedem opimam laborum veſtrorum conſequemini, ſed etiam in beatorum numero veſtra nomina tranſcribentur.

Hiſpanorum ſocietatis leges, legumqꝫ executores conſtituuntur.

Caput. III.

POSTEA quam dicendi finem Quintanilla fecit, viſi ſunt omnes propemodum illius orationi, atque ſententiæ acquieſcere, poſtulatumqꝫ eſt vna omnium voce, vt conderentur leges, quibus ſacra ſocietas illa ſanciretur, atque ſtipis conferendæ ſtatueretur modus, & militum numerus, qui decreta exequerentur. Sed ne in ius regium contributio illa æternum cederet, cautum eſt, vt eſſet temporaria, duraretqꝫ in æternum, Summa concilij ad principes deuoluta eſt, & ab illis ad ſecretius illud Auguſtumqꝫ ſenatum, quo res Hiſpana gubernatur. Principio quod ad condendas leges pertinebat, data eſt facultas optimis quibuſdã viris ex ordine equeſtri, atqꝫ vtriuſqꝫ iuris agendarũqꝫ rerum peritis, numerus militũ decretus bis mille equites, per claſſes vero ſtipibus diſtribuendis, præfecti ſunt viri boni ſuarũ rerũ frugales, alienarũ vero abſtinentiſſimi. Conſtitutũ eſt præterea collegiũ ex bonis, prudentibuſqꝫ viris, quos Hiſpani conſueuere deputatos appellare. His præſidere voluerunt Lupum Ripariũ Carthaginenſem Epiſcopum, Nemo vnquam a principio putauit ſocietatem illam tandiu per-

manſuram, ſiue quod in primo illo triennio putabant à viarum latrocinijs, graſſationibuſque poſſe Hiſpaniam purgari, ſiue quod populi grauate ferrent tam crebras fieri exactiones, ſiue quod antiquarum ſocietatum exemplo, aliqua ex leui cauſa hæc quocꝫ poſſet diſſolui. Conſtitutæ itaque ſunt ab initio tumultuariæ quædam leges, quippe quas putabant non longo tempore duraturas, ſed qualeſcumqꝫ ille fuerint, nihilominus confirmatæ ſunt, additumqꝫ robur, regiaque autoritas, cum eſſet curia Matricali Anno ſalutis ſexto & ſeptuageſimo ſupra milleſimum quadringenteſimum. Cumqꝫ poſtea ex triennio in trienniū & deinceps, ſocietas illa propagaretur, & ex negociorum varietate cotidie noui caſus emergerent, opus quocꝫ fuit nouo principum remedio.

Fuerunt autem caſus, in quibus ſocietas illa iuris dicendi, exequendiqꝫ iudicij facultatem haberet, quinque. Primus in illos, qui furtum, aut latrocinium, aut mortem, vulnuſqꝫ, aut vim aliquam in loco deſerto intuliſſent. Secundus in eos, qui illa eadem facinoroſa in populo commiſiſſet, perpetratoqꝫ ſcelere ſolum vertiſſet, in fugamqꝫ ſe proripuiſſet. Tertius in eos, qui aut fores effringerent, aut domorum parietes effoderent, aut incendia ualuis apponerent, aut ſcalis admotis dictas noctu conſcenderent. Quartus in eos, qui ſtuprum in cuiuſqꝫ ætatis, aut ſexus, aut conditionis hominem inferrent.

Quintus in eos, qui iuris, iudicijqꝫ executores impedirent, quo minus rem demandatam exequerentur. Conſtituuntqꝫ, vt in omnibus ciuitatibus, oppidis, municipijs, caſtellis, viciſqꝫ grandioribus, bini pedanei iudices quotannis crearentur, & executor vnus, qui haberent facultatem iudicandi, determinandi, abſoluendi, condemnandi, ſententiamqꝫ exequendi in ijs dum taxat caſibus quinque. Si quid autem præter hos quincꝫ caſus legibus expreſſos emerſiſſet, de quo merito dubitari poſſet, ad ſocietatem ne illam an ad ordinarios recurrendum eſſet, placuit rem integram ad ipſos principes deferri, ex quorum arbitrio ea de re, aut nouæ leges conderentur, aut ſi videretur iuri communi definiendum relinquerent. His itaqꝫ ordinatis omnes ciuitates, oppida, populiqꝫ ſanctam & ſalubrem illam fraternitatem inierunt, præter quam illi, qui dominos priuatos habebant, veriti ne inde ſibi exactiones geminas exigerentur, alteras, quas priuatis dominis dependerent. Quæ res cum ad Comeſtabilem Hiſpaniæ delata eſſet, non modo non renuit, ſed vltro illos, qui dominationi ſuæ ſubditi erant, hortatus eſt, ne tam vtilem, iuſtam, honeſtamqꝫ ſocietatem recuſarent. Huius exemplo reliqui omnes Hiſpaniæ proceres ſecuti ſunt, necꝫ ſecutos fuiſſe poſtea pœnituit.

De Cantapetra, Regis & Reginæ iuſſu obſeſſa, Deqꝫ Beneuentani Comitis liberatione.

Caput. IIII.

POST victoriam partam ex ea pugna, qua in agro Taurino Dorij fluminis pugnatum eſt, Luſitani partes paulatim defluere, Regiſque, ac Reginæ procedere in melius cœperunt. Amiſſæ namqꝫ munitiones, quæ pro Luſitano ſteterant, ad Hiſpanos principes accreſcebant & ij, quibus autoribus ille tantum negocium inchoauerat, partim ſuis difficultatibus impliciti, partim fortunam ſecuti victoris auxilia præmiſſa non mittebant. Sola itaqꝫ Taurus cum paucis adiacentibus caſtellis, & oppidulis in fide permāſit, inter quę fuerūt caſtrum inui, ſeptem eccleſię, Cantapetra, vnde Luſitani excurſiones crebras in agros finitimos faciebant. Quas vt compeſce-

rent, viſum eſt principibus noſtris Cantapetram in primis debere obſideri, propterea quod & captu facilior videbatur, & ad res deinceps gerēdas locus opportunior, & qđ impræſentiarum latrones, graſſatoreſq; plura nocumenta quam aliunde inferebant, non ſolum in vicos, agroſq; finitimos Salmanticenſium, Methymnatium, Matricalenſium, ſed etiam in longinquiora loca, excurſiones, populationes crebras facientes. Erat oppidum illud non ingenio loci. quippe quod erat in planicie ſitum, non arte, neq; hominum cura munitum, cuiuſmodi ſunt epiſcopia, hoc eſt, epiſcoporum prędia, quorum vſus fructus non perpetuus, ſed temporarius eſt, & cum illorum vita terminatur, neq; tam futuris proſpiciunt, quam præſentibus vtuntur, fruunturq;. Hoc tamen Luſitanus quanta potuit diligentia muniuit, atque aggere, vallo, foſſaque præcipiti, & cuniculis rectis, tranſuerſiſq;, & murorum cauis inexpugnabilem reddidit, ex equitibus, peditibuſq; addit ſtrenuiſſimum quemq;, quibus præfecit Alphonſum Petridem Viuarium, paris ſtrenuitatis, & audaciæ virum, At noſter balliſtas, tormenta ſulphuraria, machinaſque eo comportari iubet, ſtationes a tergo, & a fronte munitas diſponit, militeſq; per illas diſtribuit, præfectoſq; accommodat, quid cuiq; ſit agendum præcipit. Contra caſtrum Inui ſeptemq; eccleſias certis in locis præſidia diſponit: ad compeſcendas latronum excurſiones per agros, ne pabulatorum, lignatorumq; ac framentatorum miniſteria interciperent, & quia neceſſe erat Regem ipſum Panhiſpanio, quod Matricali agebatur intereſſe, obſidionis curam Duci a villa Formoſa fratri Notho, & comiti a Triuinio commendat, ipſe itq; reditq; viam, toties quoties vtrobiq; illius præſentia opus erat.

Nullum interea tempus ocio dabatur, quin ſtationarij milites ſtationes muris promouerent, machinarij tormentis mænia quaterent, ſtlopetarij glandibus, arcuarij ſagittis, fuſtibularij lapidibus obſeſſos laceſſerent. At illi contra eruptionibus crebris non ceſſant ex improuiſo ſecuros impetere, tumultuarijſq; pugnis medio in campo cum illis decertare. Editur vtrinq; cædes maxima, ſed in Luſitanos proportione multo maior, quia ex paucis numerus minuebatur, qui ſuppleri non poterat, niſi auxilia mitterentur. Scribunt itaq; ad Regem ſuum, quo in ſtatu res ſit, certiorem faciunt, niſi ſupplemētum cohortibus reficiendis mittat, nonpoſſe diutius obſidionem ſubſtineri, neq; fieri, quin ſe aut victori dedant, aut ferro, fameq; mors oppetenda ſit. At Luſitanus recenſitis copijs, quas habebat imminutas, tum ſuorum abitu, qui deſiderio domus ſine commeatu in patriam redierunt, tum morbis ex laboribus, victuq; maligno, tum quod ex auxiliarijs nemo apud eum remanſerat, cum non auderet ad ſoluendam obſidionem recta proficiſci, ad alias artes ſe contulit, exercitum ſtatuit in Salmanticenſem agrum ducere, vicos igni, ferroque vaſtare, eo conſilio, vt noſter intermiſſa obſidione, ſuis laborantibus opem ferret, & obſeſſis reſpirandi locum daret, & ad commeatus, aliaq; neceſſaria importanda, & ad permutandos bene valentibus ægrotos, vegetis, integriſq; ſeſſos, atque vulneribus confectos. Erant qui Regi dicerent huiuſmodi populationibus inſiſtere non eſſe opus regium, ſed latronum, graſſatorumq;. Illud vero magnificum, generoſum, atq; ingentis animi opus: ſuis laborantibus opitulari, in ſummis periculis poſitos media ex morte recipere. Quod ſi non ſuppetebāt vires, vt cū hoſte ſignis collatis decertare poſſet, vaſtationē illam vicorū, agrorumq; populationem honeſtius, tutiuſq; per prefectos fieri poſſe dicebāt. Erant qui ſuaderēt, vt ad Gallorū Regis pacta, ꝓmiſſaq; recurreret, quādo inclinatis rebus ac propemodū perditis, nō erat vnde ſubſidiū maius, certiuſq; ſperari poſſet. Alij cōtra, leuitati Gallicę non multū eſſe fidendū, cū pręſertim quo tēpore fœdus illud initum fuerat, Luſitanis rebus fortuna aſpirare videbatur, quæ nunc ad-

uerſa refragaretur. His ſententijs Luſitanus incertus quid faceret, pergit, vt id exequeretur, quod ab initio conſtituerat, in agrumq; Salmanticẽſem ducit exercitum. Quod vbi noſter comperit, cum parte exercitus comitem a Triuinio mittit, qui Luſitani conatibus aduerſetur, ſeq; cum Salmanticenſibus iungat. Id cum Luſitanus ex interceptis exploratoribus accepiſſet, ſimul etiam & Hiſpanũ, cui non erat par, comitem ſubſequi, reputans ſecum non eſſe e dignitate regia cum comite pugnare, neq; prudentis cum ſuperiore confligere, cœpit ſe paulatim in Taurum ſuam, hoc eſt, in latebras notas recipere.

Sed ne ſuos in tanto periculo deſereret, cœpit cum victore de permutandis captiuis agere, vt ipſe Beneuentanum comitem data fide abſolueret, oppidaq;, & caſtella, quę ſecreto data erant, redderet, noſter Comitem Pinnamancorum liberum ex vinculis abire iuberet, obſidionemq; Cantapetræ tolleret, ea lege, vt præſidiarij milites anno ab armis ceſſarent id quod Pharij comitis interuentu peractum eſt. Beneuentano comiti in damni accepti compenſationem, a Rege & Regina aureorum ducalium millia decem dono data, la coruña quoque ciuitatis, cum portu iampridem illi facta rurſus confirmata eſt, imperatumq; arcis præſidi, vt illam comiti traderet. At oppidani, tametſi ſeditionibus inteſtinis erant diſcordes, ad hoc vnum facta conſpiratione arcem in comitis poteſtate poſitam videntes, ſeq; a regali corona alienatos, pro communi libertate acriter inſurgunt, arcem obſident, terra, mariq; oppugnant. Cæterum comes ex familiaribus cognatiſq;, & amicis, ac gregarijs militibus cohortes parat, quas in auxilium obſeſſis mittat. Oppidani vero ex inſtanti periculo facti acriores, obſidionem premunt, ſtationes a terra, marique muniunt, diu, noctuq; obſeſſis negocium faceſſunt. Comes denique, cum eo, quod ſemel intenderat, nihil proficeret, ſpe fruſtratus, cum oleum perdidiſſet, & impenſam, ab incœpto deſiſtit. At ciues magna cum ſua ex comitis ſeruitute, in perpetuam ſe libertatem vendicarunt.

De profectione Regis ad patrem, deque fontis Rabidi obſidione ab eodem Rege obiter ſoluta.

Caput. V.

CVM hæc apud Vectones in Hiſpania geruntur ſuperiori, Ioannes Tarraconenſium Rex, huius noſtri Ferdinandi pater, per literas ſæpe cum mandatis filium pellexerat, vt cum ſibi per inſtantium negociorum intermiſſionem liceret, veniret ad ſe commentaturus de rebus, quæ ad vtriuſq; cõmoda, regniq; gubernationem pertinerent. Erant eo tempore Rex & Regina Valladoliti. Sed Rex vt patris voluntati obſequeretur, in Tarraconenſe regnum proficiſcitur. Regina vero Turdeſillas cum præſenti exercitu, vt ſe Luſitani conatibus, ſi quid incerta moliretur, opponeret. Per idem quoq; tempus Gallorũ Rex fontẽ Rabidum obſideri iuſſerat, atq; in Bardulos finitimos vicorũ direptiones agrorũq; populationes fieri. Cuius rei accepto nuncio Rex noſter, poſtea quã patris deſiderio ſatisfecerat, & rebus, propter quas venerat ordinatis, ad Cantabrorũ vrbem, victoriã venit, atq; ex Aſturibus, Bardulis, Cantabris, Vaſconibus, ſuperioriſq; Hiſpanię populis, ad quinquagita peditũ millia diuerſorũ generũ armaturę cõegit, omniq; hoc belli apparatu ad fontis Rabidi obſidionẽ proficiſcitur. Iam Galli de aduentu Regis cum exercitu intellexerant, Regemq; ſuum quid illis faciendum eſſet conſulerant, illiſque reſponderat, vt cederent tempori, ſeque Oeaſonem reciperent, ibique hibernarent, vere proximo eandem obſidionem redintegraturi, nec ſecus

atq; ſunt iuſſi, faciunt. Noſter vero de Gallorum habitu factus certior, & ipſe quoq; ſuas copias dimittit. Vtroſq; Bardulos, Montanoſq; populos luſtrat, imperio ſuo legibuſq; obſequentes laudat, in criminoſos animaduertit, totamq; prouinciam pacatam relinquit, atq; ad res inchoatas Reginamq; rediens, controuerſias procerum ex regno Nauariæ obiter componit. Nam erant ex illis, qui Pompeiopolim vrbē totius regni Metropolim, aliaq; oppida, & caſtella vellēt illi tradere, atq; ſe ipſos omneſq; fortunas ſuas illius fidei permittere. Quod Rex auerſatus renuit, Phœboq; ex ſorore ſua nepoti adiudicauit. Inter Lermatem comitem, Petrumq; Peraltanum ſimultates compoſuit, & cum æternam pacem non poſſet, inducias tēporarias indixit. Cardinalis interea pontificalis officij partes eſſe ratus operam ſuam interponere, literas cum mandatis ad Gallorum Regem mittit. Hiſpanorum, Gallorumq; antiquam ſocietatem amiciciamq; commemorat. Bardulorum officia in Gallos, inimicicias in Britannos ex profeſſo narrat, in quos nunc ſæuire, armaq; inferre iubeat in illorum fauorem, qui quondam fuerint illi hoſtes acerrimi. Rogat, immo obſecrat, obteſtaturq;, vt a tanta rei indignitate ſe abſtineat, neq; velit amicos veteres inimicis permutare. Nam, quod ad Ruſcinonis comitatum pertinebat, nō erat tanti, vt tam inueterata ſocietas ſolueretur, cū præſertim ſi quid fractum, aut diſſutū erat, facile poſſet refici, ac reſarciri, ſi ad vtriuſq; regni collimitium mitterentur vtrinq; viri boni, & ſapientes, quorum arbitratu, & ſententialitates contentioneſq; ſedarentur. Per eundem Cardinalis familiarem Gallorum Rex reſcribit, non diſplicere ſibi reditus in gratiam cum principibus Hiſpanis, ſi condicionibus ęquis, negocium tranſigeretur, & Luſitani quoq;, qui ſe illi commendarat, ratio haberetur. Ad perficiendam rem incohatam vltro citroq; internuncius commeat, remeatq;, quoad ventum eſt ad illud, vt in annum induciæ conſtituerentur, quo tempore diſſenſiones inter Hiſpanorum, Gallorumq; reges tranſigerentur, ex qua tranſactione totus Luſitani conatus pendebat.

Parietinus Comes Veleſium capit, arcem obſidet, ac deinde in dedicionem accipit.

Caput. VI.

QVO tempore in Hiſpania ſuperiori a Rege noſtro hęc gerebantur, Dux infantatus in Carpetania Madriti arcem, quę adhuc pro Marchione ſtabat, iuſſu principum obſidione cingebat. Comes Parietinus, qui, vt ſæpe dictum eſt, diui Iacobi Magiſtrum militiæ ſe profitebatur: Veleſium oppidum illius ordinis alterum caput, proficiſcitur, oppidoque potitus arcis præſidem hortatur, quando ratione Magiſtratus ad ſe pertineret, eam ſibi traderet, & cum ſæpe antea precibus, blandicijs, & pollicitationibus nihil profeciſſet, minis agere cœpit, & niſi pareat, ſe arcem obſeſſurum, neq; quieturum, quoad illam expugnet, pœnaſq; ab illo exacturum, quas proditores ſolent pendere. At præſes vir conſtans, fortiſq; nihilo magis quam antea mouetur, arcemq; armis & omni commeatus genere munit, ſeq; ad omnem belli fortunam aptat. Cæterum Magiſter hominis pertinaciam cernens arcem obſidet, perq; bimeſtre ſpacium obſeſſos eo anguſtiarum redigit, vt iam & ad victum neceſſaria, & ad ægrotantium medicamenta, & ad vulneratorū remedia oīa, quibus erat opus, deficerēt. Quo in ſtatu ſit res Marchionem præſes certiorem facit, & niſi quam primum ſuppetias ferat: nullam eſſe moram quin qualicunq; conditione faciat deditionem. Erat eo tempore Marchio Com-

pluti cum Archiepiſcopo Toletano,cuius vtriuſq; idem erat ſenſus de re communi.

Qui videntes ex illa arcis cum oppidulo amiſſione,quam magnũ detrimentum ſequeretur, ad impendentis,ac futuri belli opportunitatem:ſimul etiam quod Lupus Vaſcus Archiepiſcopi frater,atque eiuſdem factionis perquam ſtudioſus, qui præſidio tenebat optum ciuitatem finitimam, reddebatur infirmior, ex familiaribus, & amicis, propinquiſq; & alios eiuſdem ſectæ participes cogunt grauis & leuis armaturæ equitum ad tria millia,qui numerus multo ſuperabat obſeſſores. Non potuit Magiſtrum latere tantus belli apparatus qui contra ſe fieret. Rem ad commendatarios, cohortiumq; præfectos,ac primarios viros refert,quæ ſit eorum ſententia exquirit. Omnibus viſum tempori eſſe cedendum, neq; expectandum,vt tanta ſpes fortunæ belli committeretur,poſſe namq; alio tempore obſidio illa commodius repeti, & tutius continuari.

At Magiſter,vt erat natura ingenti animo,& ex magnitudine rerum,quas geſſerat magnam ſui fiduciam habens:fretus quoq; meliori cauſa,& cui non dubitabat diuum Iacobum,cuius teſſeram,belliq; inſignia gerebat:propiciũ fautorẽq; fore obfirmat animum, cõmilitonibuſq; reſpondit ſe velle in obſidione perſtare: vitamq;, ſi opus ſit, pro laude, atq; maiorum ſuorum dignitate paciſci. Cum vidiſſent illum commilitones animo tam obſtinato,vt neq; paſſum ab incoepto retrocedere vellet, alacres operi ſe accingunt, foſſas murorum eruderant,aggeres,valloſq; erigunt propugnaculis moenium, pinniſq; pluteos appendunt. Stationes vero crebras vallo,foſſaq; munitas contra arcem diſponunt,& fortiſſimo quoq; milite complẽt. Nunquã putarant Archiepiſcopus,& Marchio Magiſtrum tantas copias expectaturũ. Sed cum ad oppidi muros acceſſiſſent, ſtlopetrarum glãdibus ſcorpionumq; ſagittis repulſi:per extrariam arcis portam, poſticumq; admiſſi,in ſtationes agmine facto irrumpunt. Pugnatum eſt vtrinq; vehementer ab ortu ſolis ad occaſum. Cadebant ex vtraq; parte multi,ſed a Marchionis, & Archiepiſcopi multo plures: ꝓpterea quod iniquitas loci hos impediebat,illos vero adiuuabat,& quia ſuccincti venerant putantes Magiſtrum non expectaturum hoſtes, neq; machinas ad oppugnandum neq; victum ad permanendum,neq; commeatum,& neceſſaria ad arcem inſtruendum:opus intermittunt,atq; in tempus aliud differunt, receptiſq; vulneratis,& ægrotis,atq; in eorum locum validis, robuſtiſq; ſuffectis ad ſuos quiſq; reuertitur:intra paucos dies cum machinis,& tormentis,magnoq; commeatu grandiorіq; exercitu redituri. Eodem tempore,quẽadmodum paulo ante diximus,Dux Infantatus Madritanam arcem Regis & Reginæ iuſſu obſidebat. Qui factus certior Toletanum,Marchionemq; a Compluto Veleſium verſus copias ducere, carriſq; & paluſtris,numeroſas grandeſq; machinas,magnamq; vim commeatus ſecum vehere, partem exercitus retinet ad continuandam obſidionem,partim Magiſtro mittit in auxilium ad diſtribuendos Marchionis,& Toletani præſulis conatus,copijſq; Furtatũ fratrem præfuit,monetq; quid illum facere oporteat. Ille,qua hoſtes venturi erant, locum opportunum occupat. Magiſtrum de aduentu ſuo, & qua de cauſa venerit certiorem facit.

Ille vero refectus,recreatuſq; tam inſperato auxilio:munitis ſtationibus tantum relicta obſidione cum reliqua exercitus parte auxiliaribus ſe cohortibus adiungit. Iamq; hoſtes aduentabãt,iam ſe medio in cãpo mutuo conſpiciebãt,neq; amplius inuicẽ aberãt, quam quo telorum ictus poterant pertingere. Continuerunt ſe tamen & neutri in alteros irruerunt: quia orto iam veſpere non ſupererat lux ad decernendum armis.

Itaq; locum tutiorem ad pernoctandũ vtriq; ſibi eligunt, ordinatiſq; cohortibus in armorum procinctu,vtriq; expectant,quid alteri molirentur. Marchio vero & Ar-

chiepiſcopus cum perſpicerent ſe non poſſe exequi id cuius cauſa venerant, niſi armis viam aperirent, veriti ſummam omnium rerum ſuarum, fortunæ vnius prelij committere, ſub ipſum mediæ noctis ſilentium in caſtellum quoddam quod pro ipſis ſtabat, neq; longe aberat, ſe recipiunt, poſteroq; die ſine vlla ſpe arcis recuperandæ, complutum rediere. Atqui præſes præſidiarijq; milites cernentes ſe omni auxilio deſtitutos, neque in rerum omnium penuria poſſe diutius famem tollerare, deditionem faciunt, rebus proprijs quæ ante obſidionem poſſederant, & vita quæ iam in poteſtate victoris erat conceſſa.

Luſitanorum Rex Tauro relicta in regnum ſuum redit, atque inde ad gallorum Regem proficiſcitur, & quid illic egerit. Caput. VII.

LVSITANVS Rex cum videret ſe deluſum ab ijs, quibus autoribus, tantum negocium ſuſceperat, atq; omnia ceſſiſſe aliter, quam ab initio putauit, Mari albano Comiti arcis vrbiſq; tauri præſidium cōmendat, nam Ioannes vlloa ille qui ſibi urbem tradiderat, repētina morte interceptus erat, diſpoſitiſq; præſidijs per caſtella & arces quæ pro illo ſtabant, ducta ſecum Ioanna ex ſorore nepte ſua, Luſitaniam ſuam repetit. Diuq; ſecum reputans quam turpe illi foret non modo apud ſuos, ſed etiam apud amicos & alieniores, quorum aures falſis rumoribus impleuerat, neq; iam ſpes vlla eſſet reliqua, niſi in gallorum Regis fœdere quod pepigerat, pollicitationibuſq; quas illi iure iurādo ſanxit, ſtatuit iam non per literas nō per nuncios legatoſque, ſed per ſe ipſum res ſuas agere, ordinataque regni adminiſtratione claſſem armat, & omnibus ad viaticū neceſſarijs implet, conſcenſa naue, prætoriam galliam Narbonenſemq; nauigat, Maſſiliæq; urbis portum ſubit, Regemq; gallorum qui in turonenſibus turribus eo tempore morabatur, de ſuo aduentu certiorem facit. Gallus eo nuncio lætus, aut lætitiam vultu ſimulans: honorifice hoſpitem excipi benigneq; tractari iubet, & pro regia dignitate omnia miniſtrari. At Luſitanus iter ſuum eo dirigit, vbi Rex gallorum eſſe dicebatur. Ruſticabatur autem tempore non longe a turribus Turonenſibus, qui factus certior Luſitanum aduentare, oppidoque propinquum eſſe, mittit in occurſum qui rogēt dicantque vt ex nauigationibus viæque laboribus in oppido quieſceret, ſeque ad breue tempus venturum dicit, & venit quidem, dataque & accepta ſalute, ſe comiter atque honorifice alloquuntur tractantque, & multis verbis vltro citroque habitis rerum ſuarum commentationem in aliud tempus differunt. Poſt aliquot dies gallorū Rex Pariſios proficiſcitur, quem ſubſecutus eſt Luſitanus, qui videns Regem alijs negocijs implicitum, ſua vero quorum cauſa tam longam viam terra marique fuerat emenſus, de die in diem protrahi, adhibet bonos & graues viros Regiſque amicos, qui exponant illi cauſam ſui aduentus in galliam, commemorentque ictum fœdus ſpemque auxilij quam ſit pollicitus ad gerendum bellum contra communes hoſtes ipſius Regis, quo Ruſcinonis comitatum repetere audent, ſuos cuius dotale regnum contra omnia diuina & humana iura retinent. Eſſeque tanti Regis etiam ſi non de ſua vtilitate ageretur, prohibere iniurias, ſubleuare lapſos, ſupplicibus opem ferre, atque regno expulſos in priſtinum ſtatum erigere. Hoc eſſe Regum opus honorificentius quam regnare. Quare oblitus ſe Regem, genuaque amplectens orabat, obteſtabaturque ne in cauſa tam iuſta & honeſta deſereret, fortunæque Regum miſereretur, eorum maxime qui vim paterentur iniuſte.

Sed neq; fortunas ſuas tam eſſe perditas, vt non haberet regnum auitum adhuc incolume, atque in ipſo vnde ſummo verētur vrbes, oppida, caſtella, proceres, viros, principes ac primarios, quorum idem ſit cum illo ſenſus de rep. Hiſpana. Ad rem tamen conficiendam vnum tantum deeſſe caput ducem, moderatoremq; cuius auſpicijs omnia gererētur, eum eſſe regem galliarum ac præterea neminem. Ad hanc Luſitani petitionem, ac potius promiſſi ac debiti exactionem gallus per eoſdem inter nuncios reſpondet, non debere mirari Luſitanum, ſi homo tot tantiſq; negotijs implicitus ad res illius non reſpexerit. Sum (inquit) o amici ſolicitus bellorum, quæ mihi (vt videtis) impendent, alterū hinc a Burgūdionum Duce, alterum illinc a Britannorum Rege, quorum conatibus reprimendis binæ copiæ ſunt comparandæ, quas iam oportebat fuiſſe conſcriptas præter eas quæ ſunt Ocaſone contra Bardulos Hiſpaniæq; ſuperioris incolas, quibus erat ſibi animus alias adiungere. Vt tamen cauſa pro qua bellum erat gerendum fieret iuſtior, debere ipſum imprimis neptem ex ſorore iuxta conſuetudinem Romanę eccleſiæ vxorem ducere. Alioqui neq; ille poſſet eſſe Rex, nec ſe illi poſſe iure opem ferre. Et quia intercedat illi cum ducenda vxore propinquitas ſanguinis quæ eſſet impedimento, quo minus iure poſſet fieri, ſupplicandum eſſe a ſummo Pontifice, vt illos a legibus ſolueret, quem prohiberent in iura connubij matrimoniumq; cōuenire. Hoc Regis Gallorum reſponſo Luſitanus non multum lætus; exequitur tamen quod Gallus monebat. Literæq; ſupplices ab vtroque ea de re ad ſummum Pontificem date, cœptumque in curia de negocio diſceptari, neque defuerunt vtriuſque partis aduocati, qui rem in ſummam difficultatem deducerent. Vrgebant Pontificem Regis & Reginæ Hiſpaniarum Legati, dicentes ex illa diſpenſatione, ſi cōcederetur, ſequerentur multa detrimēta per omnē Hiſpaniam, cædes, latrocinia, agrorum populationes, viarum graſſationes, atque dari materiam vnde religio mortalium & cultus diuinus minueretur. Cumque diſpenſationes huiuſmodi, conciliandæ pacis, & tollendarum litium contentionumque cauſa concedi debeant, nunc concederetur, in ſeminarium diſcordiæ, ac ſimultatis, non modo ipſorum Regum, ſed etiam ſummatum, & infimatum, & mediocris conditionis hominum odia, inimiciciæ, diſſenſiones orirētur, & quę bello implicitos ſequi conſueuerūt. Inſtabant ex altera parte Gallorū Regis Legati & procuratores: dicētes iniuſte ſibi denegari quod alijs concedi ſolet, neque Regem ſuum ita meritum eſſe de ſede Apoſtolica, vt eius petitiones in caſſum cederēt. Quibus Pontifex videbatur fauere: propterea quod opera Gallorum Regis indigebat, ad certas quaſdam res ad Cameram Apoſtolicam pertinentes. Tandem vicit vtilitas, diſpenſationem concedit, datque Luſitano perferendam, ſecreto tamen ne res aduerſarijs nunciaretur. Interea Luſitanus ad Burgundiæ Ducem proficiſcitur, cum quo erat illi arcta ſanguinis propinquitas: experiri volens, ſi poſſet illum cū Rege Gallo in concordiam reducere, quo facilius auxiliares copias a Gallo poſſet habere. Erat eo tempore Burgundionum Dux occupatus, in bello quod cum Lotoringiæ duce gerebat. Locutique inter ſe multa de conditione reditus in gratiam ducis cū Rege Gallo: Luſitanus partes negocij peragendi ſuſcipit, rediensque Pariſios nuncium accipit de morte Burgūdionum Ducis, in prælio quo pugnatum eſt, cum Lotoringiorum Duce. Burgundiæ Ducatus propterea quod Dux ſine liberis deceſſerat ſexus virilis: ex Gallorum legibus ad coronam corpuſque regnorum Galliæ deuoluebatur. Rex occaſionem ex morte Ducis Ducatus capiendi arripit, hoc unum agit, Luſitanum dimittit in Hiſpaniam vt redeat hortatur, ſeque confecto Burgundiæ negocio miſſurum maiores copias, quæ ſe limitaneis coniungant, qui erant Ocaſone pollicetur. Luſitanus

omni iam ſpe fraudatus,eo miſeriæ fortunarum ſuarum deuenit,vt de religionis ingreſſu cogitaret,idque Hieroſolymis vt eſſet longius, quam quo rerum Hiſpanarum nuncius peruenire poſſet,feciſſetque niſi a familiaribus atque imprimis a Phario Comite:qui illum in tota peregrinatione illa fuerat ſecutus,mutare ſententiam fuerat coactus. Tunc abeundi copia a Gallorum Rege petita,& obtenta,eadem via remenſo mari in Luſitaniam ſuam qua venerat,reuerſus eſt.

De Segouienſi Arce dolo à Maldonato capta, & a Regina rurſus in poteſtatem ſuam redacta. Caput. VIII.

ANDREAS Caprarius,quem in parte ſuperiori ſæpe diximus,ſub Enriquo Rege fuiſſe Regiæ domus villicum,atque Segouienſis Arcis præſidem,ex quo tempore Luſitanus in mediam Hiſpaniam irruperat, Regi & Reginæ familiariſſimus fuit, propterea quod fortuna belli adhuc ancipiti,Luſitano relicto partes illorum ſecutus eſt,theſauroſque Regis Enriqui quos in Arce ſeruandos depoſuerat, oportuno tempore illis tradidit. Quo facto ita principum voluntatem demeruit, tantamque ab illis gratiam inierat,vt non modo nihil ex ijs quæ antea poſſidebat,immutarent,ſed illum poſtea multum beneficijs & honoribus accumularent,inter quę arcis præſidium vrbiſque tutelam & quod grande pignus amoris erga illum, & illius erga ſe fidei fuit, quod vnicam filiam Eliſaben iuniorem iam principem deſignatam, nondum enim Ioannes erat natus, illi ad ſeruandam educandamque commendarunt. Erat Alphonſus quidam cognomento Maledonatus,cui Caprarius Arcem ſui loco tenendam crediderat, qua poſtea Petro a Bouadilla ſocero ſuo Beatricis bouadillæ vxoris ſuæ patri tradi iuſſerat. Maledonatus ſenſit eam honoris diminutionem,indoluitꝗ amplius quã pro materia decebat. Habitaque temporum ratione, in quo non modo ſceleris quod parabat,impunitatem aſſequeretur, verumetiam grande aliquod ſibi prouenturũ, cœpit cogitare quẽadmodum Arcem prenderet. Eliſabenque principem in poteſtatem redigeret,quibus obſidibus cum Rege & Regina ſi poſſet, proditionis precium paciſceretur, quod ſi nõ liceret,ad Luſitanum confugeret. Erat illi tanta familiaritas in ea domo:vt ingrediendi Arcem & exeundi,facultas ſemper pateret. Fingit ſibi opus eſſe ſaxo quodam magno quod erat in Arce. Id ſibi Maledonatus petit,ad neſcio quos domus ſuæ vſus,& cum vix a pluribus verſari poſſet,armat quattuor facinoris quod incipit conſcios. Arma fuerunt occulta, & quæ facile tegi poterant, cum preſertim ab illis nulla poſſet oriri proditionis ſuſpicio. In Arcis portas irruunt,Ianitorem trucidant, Præſidem in vincula conijciunt. Cuius ſatellites cum putarent tantum ſcelus nõ potuiſſe niſi a plurimis attentari, in turrim perpulchre munitam,vbi Eliſabe Princeps erat, ſe recipiunt. Cum illam proditores oppugnarent,nihilꝗ proficerent, reliquas Arcis munitiones & propugnacula occupant,& quia pauci erant ad tantam rem tuendã,ex ciuibus qui alterius erãt factiones,complures admittunt. Ioannes Arius ciuitatis præſul, qui propter ſimultates,quas cũ villico habebat, eo tempore aberat, ad rei actę nunciũ accurrit, ſeꝗ vrbis primoribus agglomerat. Ciuitatis portas quę villico ſtabãt, nõ magno negocio capiunt. Regina certior facta earũ rerũ quę Segouię gerebãtur, eo iter arripit. Iamꝗ vrbi aducẽtabat, cũ ciuitatis ꝓceres,legatos ad illã in occurſum mittũt,qui ſupplicẽt illi ne admittat ſecũ in vrbẽ comitẽ beneuẽtanũ, quippe qui pedibus manibuſꝗ fauebat villico, eiuſꝗ

vxori Beatricis Bouadellæ. Quod niſi prohiberetur vrbem intrare, poſſe fieri vt populus ira percitus aliquid auderet, quod in ipſius Reginæ offenſam & villici atque eius vxoris perniciem cederet. Ad quam petitionem Regina reſpõdet, iniquum eſſe quod Segouienſes ciues, vellent imponere leges principibus, quas ſubditis conſueuerunt imponere Reges, victoreſque victis. Ite igitur (inquit) atq; meis verbis dicite illis, vt deſinant inſanire, moliantur q; aliquid, quod poſtea in ipſorum caput retorqueatur. Hæc dicens, vrbem cum vniuerſo comitatu ingreditur, atque deinde arcem petit. Cumq; arcis pars a ciuibus teneretur, pars ab ijs qui in auxilium villici præſidiiſq; confluxerunt, neque ceſſarent miſſilibus ſe laceſſere: Cardinalis, & beneuentanus Comes, alijq; quibus Regina auſcultabat, ſuadebant illi vt arcis portas claudi iuberet, ne ſi furor populi frequentis, arcẽ occuparet, pugna conſeretur, quã nemo, nec ipſa quidẽ, poſſet dirimere. At illa contra, iubet omnes portas aperire, populumq; admitti: quantum arcis impluuium capere poſſet. Quos Regina ex ſuperiori loco comiter allocuta: Dicite (inquit) o amici: quis furor agitat vos, aut quid ſibi vult in media rerum omnium trãquillitate hic armorum tumultus? Si quid eſt quod in rem veſtram ſit, aut male tractationis aliquã habetis in villicum actionem, en ego adſum: quę remediũ ponam, neq; patiar a quoquam ex ijs quibus iuſtitiam, aut partem aliquam reip. adminiſtrandam commendaui, iniuriã fieri. Omnes vna voce conclamant, excludatur villicus, cuius inſolentias, atq; ſuorũ, pati non poſſumus. At illa iubet omnes qui a ciuibus ſtabant, & qui ab Andrea Caprario ex munitionibus pelli, eiuſq; præſidium Gonſalo Aconi Regiæ domus Oeconomo & quęſtori maximo, ſub publica fide tradit. Ciuibus autem imperat, vt deputent certos, bonos ſapienteſque viros, qui deferant ad ipſam aut ad eos: quibus ipſa cauſæ cognitionem commiſerit, querelas illorum quos Caprarius aut ſuorum quiſpiam læſerit. Ille vero innocentiam ſuam purgauit, & ſi quid obiectum eſt, & omnem culpam in ſuos reiecit. Nam compertum eſt poſtea, totum illud inuidia & maliuolentia quorundam nobilium eſſe conflatum. Quare Regina, & arcis pręſidium & alia ornamẽta dignitatis, illi reſtitui iubet.

De Archiepiſcopi Toletani & Marchionis villenatis cum Rege & Regina reditu in gratiam.

Caput. IX.

QVANTA pertinacia & rebellione Archiepiſcopus Toletanus & Villenatum Marchio, Luſitanorum Regis partes ſecuti ſunt, in libris ſuperioribus demonſtratum eſt, eoq; fortunæ illos deduxerat, vt nihil iã quęrerent, niſi honeſtam viam ab officio male promiſſo diſcedendi, ſeq; ad melioris cauſæ principes transferendi. Spem vero omnem fiduciamque rei conficiendæ magnam Tarraconenſium habebant, qui de illorum reditu in gratiam cum Rege & Regina ſæpe egerat. Sed interim mittunt bonos prudenteſq; viros & religioſos, qui errata excuſent, poenitẽtiamq; erratorum exponãt, & petant veniam, voluntatemq; impoſterum, intermiſſa obſequia emendandi, declarẽt. Acta eſt cauſa diligenter apud Regem & Reginam per amicos, quorum orationi & pręcipus acceſſerunt litteræ a Tarraconenſium Rege, qui conficiendo negocio plurimum ſtudebat. At principes noſtri habita ratione temporis & fortunæ, quæ in tebus bellicis plurimum dominatur, & paruo momento huc & illuc impellitur, deinde quod meminerant officiorum Archiepiſcopi, quæ apud ipſos fuerunt illuſtria, quo tempore in

multarum rerum difficultate laborabant: & quod Marchio trahebat ſecum multas nobiliſſimaſq; familias propinquorum & affinium amicorumq;: qui illum ſequebãtur, ſtatuunt illos donare venia, vt hoc vno beneficio: & Rex patri & Regina Socero obſequeretur, ſimul etiam vt illos ex hoſtibus amicos facerent, exequerẽturq; Vergilianum illud, quod fuerat Romanorum peculiare parcere ſubiectos, & debellare ſuperbos. Atq; vt beneficium beneficio comularent, vectigalia & bona quorum vſu illis fuerat interdictũ, reſtitui iubent. Sed & Lupus Vaſcus Archiepiſcopi frater Optum vrbem cum Arce tradidit, tametſi ab Enriquo Rege hęreditario iure fuerat ea donatus. Madriti quoq; Arcem quam Dux infantatus longa obſidione premebat, Regis & Reginæ arbitrio relinquit. Caſtrorum etiam Iuliorum Arcem quæ Præſide Petro a Beatia pro ſe ſtabat, ſequeſtro tradendam Gonſalo ab Auila pollicetur, quo ad ſibi ſatisfiat quibuſdam de rebus ex pacto conuento quod cum illo pepigere. His in hunc modum peractis iureiurando ſanxerunt, ſe permanſuros in fide atq; obſequio Regis & Reginæ, ſeque pro hoſtibus habituros, quos illi hoſtes eſſe, & pro amicis, quos illi amicos eſſe decreuerint. Archiepiſcopus inſuper ad ſummum Pontificem, ſedemq; apoſtolicam dat literas de ſuo reditu in gratiam cum Rege & Regina, partim excuſans ſe quod fecerit tot mutationes in exhibendo ſuis principibus obſequio, partim accuſans, pœnitentiamq; agens quod abiurata Eliſabe Principe ac deinde Regina, quam antea iurauerat, Ioannam ſubdituam Enriqui Regis filiam iureiurando Principem Reginamq; poſtea deſignauerit. Nunc vero ſe bona fide rediſſe in ipſorum gratiam, quos læſerat, idq; aſſecutum non tã ſuis meritis, quã illorum ſingulari humanitate atq; clementia, quare a ſanctitate ſua pręcabatur ſupplicabatq;, vt quod a ſe factum erat boni conſuleret, atq; in bonam partẽ acciperet. Per idem vero tempus Othomanus Turcarum Rex trecentarum & eo amplius nauium Euboeam Inſulam Boeotiæ adiacentem petit, & primo aduentu Storam & Baſilicon oppida non magno negotio expugnat, captaq; funditus delet, deinde Chalcidem vrbem nobiliſſimam obſidet, atq; poſteaquam triginta diebus oppugnat, tandem per totam noctem tormentis machiniſq; muros quatiens, atq; viciſſim militibus oppugnans, ſub lucem acrius inſiſtit, ſecundaq; diei hora capit. Turci victores debacchati ſunt, in omnem ſexum & ætatem, eo vel maxime irati quod in ea oppugnatione ingentem cladem acceperant,

PRIMÆ DECADIS LIBER SEPTIMVS. QVA RATIONE TAVRVS CIVItas, quæ pro Luſitanorum Rege ſtabat paſtoris cuiuſdam induſtria rececepta eſt.

Caput Primum.

CVM adhuc per ea tempora Rex eſſet cum Ioanne pàtre in prouincia Tarraconenſi, Regina vero Segouiæ, quo venerat, pacificandæ ciuitatis cauſa ex turbulenta illa ſeditione quam induxit Maledonatus de quo dictum eſt in ſuperioribus. Venit ex inſperato nuncius, qui fecit ipſam ipſa lætitia lætiorẽ. Taurum vrbem in poteſtatem Præfectorum ſuorum veniſſe ſine vllo militum ſanguine, ſine vllo diſpendio, ſine detrimẽto deniq; vllo. Quæ res in hunc modũ geſta eſt. Paſtor quidam ouiũ Bartholomeus nomine ipſius ciuitatis incola, venit ad Alphonſum Fonſecam

Abilenſem Epiſcopum, dixitq; daturum ſe viam, qua vrbs illa caperetur, ſi ei auſcultatum fuiſſet. Quonam, inquit, modo Epiſcopus, aut vnde id compertum haberet? ego, inquit, iam inde a puero paſtor ſum, qui in ſuburbanis paſcuis ſemper oues meas paui, atq; abſeruaui, frequenterq; illas egi paſtum in cliuum illum arduū, qua eſt ad murum aſcenſus adeo præceps, & anfractibus conciſis interruptus, vt nemo vnquam attentarit, nec reptando quidem per eum aſcendere. Sed neque vnquam in vrbe fuit ſuſpicio ea parte muros ſuperari poſſe. Itaq; Luſitani ab illa murorum parte ſecuri non vigiles, non circitores, non excubias adhibent. Mittit Epiſcopus armatos decem expeditos cum paſtore qui illum ſequerentur, viderentq; an eſſet credibile, poſſe fieri, quod paſtor promittebat ſe præſtaturum. Eunt itaq; cum illo, & reptando ad murorum radices euadunt, aſcendunt, deſcendunt, mediaq; in vrbe conſiſtunt, non canis, non gallus, non anſer, non denique vllus mortalium ſtrepitus auditur. Neque id mirum, quod illa pars vrbis erat deſerta. Redeunt itaq; ad Epiſcopum, quid viderint, quid ſenſerint, immo quod nihil ſenſerint, narrant, Epiſcopus munitionum duces, qui in locis finitimis erant, conuenit, qui in longinquioribus, per literas facit certiores. Omnibus placuit rē debere experiri. Mittunt itaq; ſexcentum armatos, qui paſtorē ſequantur, & quid agere illos oporteat, monent. At illi duce ſuo præuio reptando per cliui ardua eunt, qua poſſunt. Sed inter eundum venit illis in mentem poſſe fieri, vt oportunitas illa, tantumq; rerum omnium ſilentium ex compoſito cum paſtore fuiſſet factum, neque committendum, vt vnius hominis dicto, ſiue ſimplicis, ſiue ſubdoli tantæ copiæ periculo exponerentur. Tumultuantibus itaque omnibus, & quid facerent dubijs, Petrus Veraſcus vnus ex ijs, qui partem copiarum ducebāt, in hunc modum locutus eſt.

Audite obſecro vos commilitones mei, eſto, iſtam cautionem veſtram laudo, atque probo, neque enim vnquam nocuit proſpicere, vnde pericula poſſint ingruere, ſed in hoc homine quo duce nunc vtimur, ego non video vnde ſuſpicer dolum aliquem ſubeſſe? In eum ſtatum res iam deducta eſt, vt non poſſimus niſi magna cum ignominia negocio inexperto redire. Audendum igitur eſt, & aliquid fortunæ arbitrio relinquendū. Nam audaces fortuna plærunq; iuuare ſolet, quēadmodū & timidū perdere, & ingens gloria ſine magno labore, atq; periculo, cōparari minime poteſt. Cūq; omnes hærerent inter ſpem, metūq;, interdubij neſcirent quid facerent. Antonius Fonſeca adoleſcens animoſus ætatis feruore percitus in muros tēdit, ſequitur illum Petrus veraſcus, atq; hunc Vaſcus Viuarius, puduit reliquos non ſuū quenq; ducē ſequi, neq; ceſſatum eſt, quoad omnes in vrbem ſunt recepti. Fuerunt autē hi ſexcenti milites, reliqui omnes iuſſi ſunt tenere locum, qui erat contra certam quandā ciuitatis portam, vt cum illi fuiſſent admiſſi, hi quoq; fracta porta reciperentur intra vrbē. Qui vrbē tenebāt, in partes duas diſtribuii. Altera forū occupāt, altera portā vrbis inuadunt, portarum clauſtra, ſeraſq; refringūt, ſuos qui expectabant admittūt. Prima cotio fuit cū Luſitanis, qui vrbē circūibant armati. Sed cum cognouiſſent omnia teneri ab hoſtibus, & ciues omnes putaſſent eiuſdē facti conſcios, cū comite, ac duce ſuo in arcē ſe recipiūt. Qui cum uidiſſet totam vrbem in poteſtatē hoſtium redactā, arce deſerta ſe cum ſuis in caſtrū Inui recipit.

At Maria Sarmēti Ioannis Vlloę vxor arcē occupat, cumq; notis & domeſticis familiaribuſq; ſuis propugnat. Non quo propoſuerit ſibi a Luſitanis aliquam ſpem, ſed vt cum ipſa Regina meliori cōditione arcis deditionē faceret. Ad hui⁹ rei nunciū Regina accurrit. Vrbem magno omnium plauſu, atq; lętitia ingreditur, ciuibus qui exulabant bona reſtitui iubet. Paſtori, qui tā pręclari facinoris autor fuit, in alimēta hæreditario iure, &

quod ad poſteros illius tranſiret, decreuit, quantum ad honeſtum victum ſufficeret, illum præterea, omnemq; illius poſteritatem ab omni exactione liberauit. Maria Sarmenti, quæ arcem tenebat, erat ſoror Iacobi Sarmenti Comitis Salinarum, qui in toto illo bello Regem, Reginamque ſecutus, non vltimam operam nauauit. Erantq; multi alij affines, & propinqui, qui in eodem bello merebant. Hi ſuſceperunt partes ſupplicandi pro illius vita fortuniſque. Cauſaſq; ſupplicandi præferebant, quod erat fœmina, quod vidua, quod mariti cauſa omnibus inuiſa, quodq; omni tempore belli, nunquam maieſtatem Regiam verbo læſiſſet, nam re qui poterat? cum eſſet in poteſtate mariti, quo nihil fuit importunius, neq; minus ſuorum amicus. Non poſt illius mortem cum arcem Luſitanus occupauit. Nunc vero cum munitio illa videretur eſſe in eius poteſtate, illamque armis tueri, non eſſe cauſam, vt aliquid eorum, quæ in hoc bello gerenda eſſent, impediret, ſed vt fidei, & miſericordiæ illius ſe dederet. His precibus Regina commota, illius viduitati, & fratris Salinarum comitis, & affinium, propinquorumq; obſequijs omnem culpam condonauit, omneſq; illius clientes domeſticoſq;, ac familiares ſcelere abſoluit. Arcem capit. Munitionem molis quam in agro Taurino Ioannes Vlloa maritus vi, atq; iniuria tenebat, Iacobo Benauidio metatori regio iubet reſtitui. Atq; in hunc modum ciuitate compoſita; omnibuſq; rebus in ordinem redactis, Valladolitum proficiſcitur. Nam eo Rex dicebatur eſſe venturus, vt reliquias belli omnes in illis locis conficerent.

Mortuo Comite Parietino Ferdinandus Rex pro Magiſtro creatur, & Luſitani bellum renouant.

Caput. II.

EO tẽpore Regina nunciũ accepit de obitu Roderici Enrici Manriqui Comitis Parietini, qui ſe Magiſtrũ dici malebat diui Iacobi. Nam partem illam Magiſtratus, quæ pertinet ad prouinciã Caſtellæ poſſidebat. Accipit etiam, Alphonſum Cardeniũ prouinciæ Legionẽſis commendatarium maximũ cum multis cohortibus Veleſiũ properare, vt a tredecim cõmẽdatarijs, qui ex inſtituto illius ordinis antiquo ſoli habẽt ius nouum creandi Magiſtrum, eodem iure & ipſe crearetur, id quod ex ordinis inſtituto fieri deberet. At quia Regi & Reginæ omnes tres regni Hiſpani magiſtratus Regio cenſui annumerare animus erat, quod & poſtea fecerunt. Regina vt inſtantis electionis comitia impediret, triduo Veleſium ex Valladolito venit, quo iam ſuffragatores illi tredecim conuenerãt, quos Regina iubet aduocari, atq; illos in hunc modũ alloquitur.

Scitis ſpathiferi immo vero cruciferi milites, qđ Magiſtratus diui Iacobi ab initio conſtitutus eſt tuendæ, atq; ex occaſione ampliandæ religionis cauſa, & ad hos vſus tot oppida, tot caſtella, tot arces, tot munitiones a regibus, prælatis, a bonis viris, & honeſtis ſunt conceſſæ. Sed quoniam aliquando ad eoſdem vſus hoc magiſtratu fuit opus, illis maxime qui cum Granatenſibus Mauris bellum gerebant, autoritate Sedis apoſtolicæ adminiſtrationem eius inierunt, aut concedi filijs Regũ primogenitis, aut viris illuſtribus procurarẽt. Nunc vero cum ſit nobis in animo, poſtea quã Hiſpaniarum bella quieuerint, omnẽ armorũ impetum in Mauros transferre, e re publica noſtra eſſe duximus, vt interim Magiſtratus iſte collocetur in Rege, quo facilius ab vno Imperatore viribus aucto vniuerſa res bellica gubernetur. Quod vero ad cõmendatariũ maximũ attinet, ego curabo vt boni conſulat, & pro fide, qua erga me, Regemq; habet, non ægre laturus ſit.

Ad hoc vero perficiendū duas modo a vobis res peto, primū, vt ſuffragationē iſtam impręſentiarū differatis, alterū, vt ab apoſtilica ſede per libellos ſupplices petatis, vt pro Magiſtro, ſine quo ordinis corpus eſſe nō poteſt, det vobis Hiſpanorū Regē, quod nō modo erit vnicuiꝗ veſtrū vtile, ſed & vniuerſo ordini honorificū. Conſilij huius ſui commendatarium maximum facit participē, idꝗ vt æquo animo ferat ab eo petit, ſeꝗ pollicetur ſi de iure ſuo experiri vellet, non obſtaturā, quo minus ius ſuū perſequeretur.

Commendatarij quod a Regina ſunt iuſſi faciunt libēter, nam & comitia diſſimulant, & a ſummo Pontifice pro adminiſtratione ordinis Regem ſibi depoſcunt. Commendatarius vero maximus, vtcumꝗ Reginæ imperium acceperit, aſſenſus eſt illi, Et vultu hilari nihilo ſegnius ad bellum cum Luſitanis gerendū in ſuam prouinciā redit. Interim dum hæc Veleſij a Regina geruntur, Rex e Bardulia Taurū venit, recenſitiſꝗ cohortibus, quæ erant in ſtationibus, & præſidijs contra caſtrum Inui, aliaꝗ caſtella, & munitiones, quæ pro Luſitano ſtabant, commendataꝗ bellicæ rei ſumma Duci a Villa formoſa fratri Notho, & Comiti Phario Hiſpaniæ Comeſtabili, ipſe Ocaniam proficiſcitur, vbi Regina erat, & inde vterꝗ Toletum ſe confert, vbi pro victoria toties parta, & periculis euaſis in bello Luſitano concepta vota perſoluunt. Diui Franciſci cœnobium, & templū illi annexum ſub nomine diui Ioannis ædificant, & omnia quidem magnificentiſſime, & pro dignitate Regia abſoluta. Inde Madritum profecti accipiūt nuncium, per fines pacis Auguſtæ, & ciuitatis Roderici duobus exercitibus Luſitanos in Hiſpaniam rurſus hoſtiliter irruere, atꝗ omnia ferro, igniꝗ vaſtari. Scribunt itaꝗ ad commendatariū maximum Legionenſis prouincię, & ad Laurentiū Suarium comitem Emporitanum, quibus commendant tuendorum finium cuſtodiam, cum facultate quoties opus eſſet euocandi ad arma omnes, qui aut ſtipēdia regia merebant, aut ex ea cauſa immunitatibus fruebantur. Fiunt vtrinꝗ in aliorū finibus excurſiones, agrorum populationes, mortalium captiuitates, vulnera, cædes, captiuorum venditiones permutationeſꝗ, & multo maiora facinora, quam ab hoſtibus nominis Chriſtiani fieri conſueuerunt. Nec ſegnius in ciuitatis Roderici finibus res agitur. Nam ex munitionibus, quæ pro Luſitano ſtabant, erumpebant latrones, graſſatoreſꝗ eo audacius, frequentiuſque, quod audiebant Luſitanos intra fines Hiſpaniæ verſari. Negocio itaque in regium conſilium miſſo, cum alij aliud ſentirent, & a qualibet deliberationis parte pericula & incommoda ſequerentur, placuit tandem, vt Regina in partem illan Luſitaniæ, quæ ad pacem Auguſtam pertinet. Rex vero traiecto monte Tauro contra caſtrum Inui, & eiuſdem factionis reliquos proficiſceretur.

Ferdinandus Rex caſtella, quæ pro Luſitano adhuc ſtabant, ſimul obſideri iubet.

Caput. III.

CVM primum Rex Madrito in Methymnam ad campum venit, conuocatis fratre Notho, & Comeſtabili cum cohortibus, quibus illos præfecerat, de obſidēdis caſtellis illis vnde tot mala oriebātur, animū intendit, & quo modo id fieri poſſet cōmodius in cōſultationē mittit. Euocatiſꝗ equitibus, peditibuſꝗ omnis generis armaturę, ex ciuitatibus, oppidiſꝗ finitimis, vno die quatuor caſtella diſtributis cohortibꝰ obſidione cingi iubet. Alphonſo Fōſecę Abilēſi Epiſcopo, & alteri Alphōſo Fōſecę Caucēſiū, & Alahegiorum domino, & Vaſco Viuario Salmāticenſis Epiſcopi fratri Cantapetræ

negocium mandat. Septem eccleſiarum munitionem fratri Notho, Cappularum Petro Guzmano. Caſtri vero Inui Ludouico Hemerobij comitis filio, & Frederico Manrico. Paucis poſt diebus Cappularũ pręſes cõceſſa ſibi, et vita, & fortunis deditionẽ fecit pręfectumq; obſidionis illius ad caſtrum Inui ire iubetur. Dux a Villa formoſa poſteaquam ſeptem eccleſiarum munitionem bimeſtri tempore tormentis, machinis, crebriſq; oppugnationibus afflixiſſet, adeo concuſſit, eoq; anguſtiæ rem deduxit, vt tantum vita cõceſſa cogeret obſeſſos in deditionẽ venire. Omnes latrocinio infames, atq; ſceleribus inſignes, quos interim poterant intercipere Rex iubet patibulo ſuſpendi. Quo terrore perculſi, qui Cantapetram præſidio tenebant, & ipſi de deditione facienda cogitare cœperunt, quod & factum eſt illis facultate libera in Luſitaniam ſuam redeundi. Solum reſtabat iam caſtrum Inui, in quo Rex transferri iubet totam belli, & aliarum obſidionum molem, iuſſitq; metari bina caſtra, altera ad Dorium flumen, altera in agro ſuburbano, quæ prohiberent, ne terra, aut aqua commeatus in oppidum importaretur. Poſt aliquot dies Regi videbatur oppidum debere oppugnari, quia ita erat omnibus neceſſarijs inſtructum, vt longo tempore obſidio eſſet duratura. Erant qui oppugnationem illam in aliud tempus eſſe differendam cenſerent, quo ad obſeſſorum vires, & victui neceſſaria deficerent, & rumor ad eos perueniret, de ſociorum deditione. Ediuerſo alij inſtandum eſſe oppugnationi dicebant, propterea quod inſtabat hyems, in qua neq; milites ſub dio hyemare, neq; equi paſci, neq; machinæ, puluiſq; Nitrarius defendi poſſet, quin corrumperetur. Capto vero oppido poſſe obſidionem arcis continuam quoad caperetur a militibus facile tolerantibus ſub tecto temporis iniuriam. Huic ſententiæ Rex accedit, iubetq; poſtridie ſub primam lucem tormenta, & machinas intendi, foſſas ea parte, qua oppugnatio erat incunda rudere, atq; materia compleri, teſtudines, pluteos, arietes, ſcalaſq; parare. Erumpunt, obſeſſique hoſtes, accedere prohibent, miſſilibuſq; ſubmouent, pugnatur aliquando quominus. Editur vtrinq; cædes maxima, durat pugna per totum diem, quo ad nox aduentans vtroſq; dirimit, poſtridie repetunt idem opus, atq; deinceps idem faciunt vſq; in decimum diem, quoad & foſſæ ſunt oppletæ, valli, & propugnacula diruta, ſcalæ admouentur muris, quos præſidiarij feſſi, laboribuſq; confecti deſerunt, atq; in arcem moliuntur, diu noctuq; pugnatur, erant qui arcẽ præſidio tenebant plures quã quadraginti ſtrenui milites, & ex ſcelerum conentia fortes, & qui nullum periculum formidarent. Rex hoc in ſtatu obſidionem relinquens, cæteraq; præfectis commendans Methymnam ad campum ſe confert res alias creaturus.

Rex Ferdinandus Montis Leonis munitionem in agro Salmanticenſi recuperat.

Caput. IIII.

ERAT Salmanticæ prætor maximus Garſias Oſorius, is detulit ad Regem Rodericum quendam Maledonatum ordinis equeſtris virum eundemq; Salmanticenſem ciuem tenere pręſidio arcem munitam, quę ad ciuitatem pertineret, cognominatũ Leonis montẽ, vnde in finitimos agricolas, paſtoreſq;, atq; in viatores interdum longinquius iniquam exerceret dominationem, quem nihil puderet iura diuina, & humana violare, non æquo iure cum ſuis ciuibus viuere, non maiores obſeruare, non a minorum iniuria ſe abſtinere. Accedebat his omnibus falſarij crimen, quod monetam au

toritate ſua ſcribat, veraque permutabat, fugitiuorum denique receptator erat, & facinoroſorum omnium aſylum. Quod vbi Rex pro comperto habuit, cum paucis comitibus Salmanticam iter arripit, ad prætorem clanculum diuertit. Vbi ſit Rodericus ille Maledonatus requirit. Domi ſuæ aiunt cum alijs ordinis ſui eſſe. Conſcendit equum Rex, prætorem cum executore officiali ſatellitibuſq; ianuam obſideri iubet.

Atqui Maledonatus intercluſam ſibi viam qua fugeret cernens, per ſolaria, tabulataque, perq; tectorum imbrices elapſus, in diui Franciſci ædem ſe recipit. Rex imperat monaſterium obſideri, & niſi a fratribus dedatur, templi ianuas reuelli, atq; ſi fuerit opus effringi. Egreditur cum fratribus ſacræ domus cuſtos. Regis genua complectitur, ſupplicat vt ignoſcat homini, vel ob eam cauſam, quo ad religioſam domum confugerit. Atqui Rex, vt erat ingenio facilis, naturaque indulgentiſſimus, precibus fratrum commotus, hominem quantumvis criminoſum vita condonat, modo arcem quam iniuria tenebat, Regiæ poteſtati traderet. Fratres Regis iuſſa exequuntur, fugitiuum ex latebris produnt, cum Regis miniſtris in vinculis ducunt, quo arcem tradat, ducitur ad Leonis montem. Cui Rex quid ſuis dicere debeat, præſcribit. Ille ſuos ex arce ſub fide publica egredi ad ſe iubet, & vos inquit, o amici quo me mea traxerit fortuna videtis. Libertas mea in poteſtate Regis eſt, ſed uita in manibus veſtris. Nunc experiar an quo tempore vos mihi autoraui præſtatis fidem, quam mihi dediſtis, ijdemq; permanetis, quos fore vos eſtis polliciti. Dicite hæc meo nomine vxori, atq; vt Regi ſuam arcem quia iam mea non eſt, ſine mora tradat, niſi mauult & maritum perdere, atq; omnem familiam noſtram proditionis ignominia æternum notari. Cæterum illi in arcem recepti, ſiue vxore volente, ſiue nolente clamant, ſe nolle arcem tradere, niſi magnis, atq; inſignibus donentur præmijs. Quod ſi Rex in præſidem ſæuierit, ſe facturos minantur, vt ille non inultus ad Manes deſcenderet.

Nam Luſitanorum res non vſq; adeo erant deperditæ, vt non poſſent redintegrare bellum in Hiſpania, ſeq; non adeo parui eſſe momenti, vt quo ipſi inclamarent, non & eodem ſtatera propenderet. Hæc & huiuſmodi verba ex munitione homines perditi blaterabant. Cumq; iam vinctis manibus, & lugubri veſte, vultuq; miſerando eo loci deduceretur Maledonatus, vnde crudele ſpectaculū ex arce videri poſſet. Iam iamq; carnifex gladium ſtringeret, iuguliq; partem tentaret, qua ferrum immergeret, clamabat identidem, miſerabilis homo, perfidiamq; ſuorum exprobrabat, ſed præcipue in vxorem querelas ſuas referebat. Hæc eſt illa fides, inquit. o Vxor, qua matrimonij fœdus iniuimus? hic amor, hæc pietas eſt illa, quam te mihi exhibituram in proſperis & in aduerſis pollicebaris? Nunc demum experior, quanti viuum feceris, cum ſic morientem parui facias. Neq; me Rex iubet occidi, cum ſuum repetit, neq; carnifex hic, qui iuſſus ligauit manus, mucronemq; iugulo intentat, ſed familiares, & amici mei, ſed tu ſimul cum illis, quibus fortunas meas credidi. His vocibus, qui munitionem tenebant commoti deditionem faciunt, atq; ex pacto preſidem ſuum a morte redimunt, ſibiq; libertatem, abeundi quo velint, a Rege impetrant. Arce tradita, & in Regis poteſtatem redacta, Rex Salmanticam, & e Salmantica Inui caſtrum regreditur obſidionis ſtatum reuiſendi cauſa.

Caſtrorum Iuliorum arcem, quam Preſes adhuc pro Marchione tenebat, Regina tandem obtinet.

Caput. V.

qs cuiqꝫ magiſtratui cederet, et cui ſors cõtingeret, eius officiũ cũ vita finiretur, atqꝫ deinde in eius locum is ſufficeretur, quẽ Rex & Regina atqꝫ deinceps qui pro tẽpore regni culmen obtineret, ſufficiendum eſſe decreuerint. His peractis Regina Hiſpalim verſus molitur viam, quo eundi neceſſitas vrgebat.

Regina Hiſpalim adit, & quid illic egerit multis verbis enumerat.
Capur. VI.

CAVSA tam longam viam adeundi Reginæ fuit, quod lumen illud non modo Bæticæ, verum etiam totius Hiſpaniæ propemodum erat extinctum bello cum finitimis vrbibus, quæ alioqui ſibi fuerant contributæ, & quaſi vrbis Metropolitanæ hoc eſt matricis filiæ & parnta membra Aſindum, Aſtygi, Carmonia, diſſenſionibus duorum eiuſdem ciuitatis qui totum populũ in duas partes diſtrahebant, a Methymna aſindica Enriquus Guzmani Ducis. Roderici Pontij a Germanica Legione Marchionis Gaditani. Non erat plebis a patribus diſſenſio illa non ordinis equeſtris a ſenatu & plebe, non ſacrorum ordinum a profanis, ſed omnia totius corporis membra in factiones binas quæqꝫ partita, inter patrem & filium, inter virum & vxorem, inter fratres propinquos & affines diſcordiæ & ſimultates, hinc odia & inimicitiæ, quæ non ſinebant illos eſſe quietos. Latius adhuc ſerpebat malum, quod ſe ad aliarum ciuitatũ dicionem extendebat. Nam cordubæ duæ quoqꝫ erant factiones, altera quæ Alphonſum Aquilarium Montillæ dominum, altera quæ Iacobum a Corduba Egabrenſem comitem ſequebatur. Atqꝫ hic ducem a Methymna aſindica, ille Marchioni Gaditano fœderatę. Igitur Regina partem illam Bæticæ, quæ non ſolum vectigalia Regibus pendere conſueuit ad belli ſupplendas neceſſitates, verumetiam ad ornamenta pacis extra ordinarioſqꝫ ſumptus ſufficit, Hiſpalim venit. Quæ ciuitas ex gentis illius cõſuetudine ludos magnificentiſſime parat, vrbem ſertis & coronis, auleis & tapetis, velis & cauſtis, fontibus aqua & vino ſcaturientibus ornat, magnaqꝫ omnium ordinum lætitia excipitur Regina omnium votis expetita, omnium præcibus a deo immortali poſtulata. Deducitur deinde ad templum illud inſigne virgini Deiparæ dedicatum, ex cõſortio cum diuo Clæmente martyre atque Pontifice Romano, cui ædes illa fuerat a Ferdinando dicata, propterea quod in die illius feſti vrbem illam ex Maurorum poteſtate ceperat, atqꝫ ad Chriſtianam religionem reſtituit. Diua igitur Dei genitrice eadẽqꝫ virgine ſalutata, habitiſqꝫ gratijs pro tot tantiſqꝫ erga ſe coniugemqꝫ ſuum Regem beneficijs, ad palatia Regum perducitur, quæ fuerant a maioribus ſuis pauimento vermiculato, parietibus muſeacis, laquearibus cedrinis, in pœnorum morem arte punica conſtructa. Cumqꝫ ex itinere laboris per aliquot dies quieuiſſet a negotijs, audiſſetqꝫ ciuium querelas, de ciuilibus criminalibuſqꝫ cauſis a multis temporibus non deciſis, iubet inſtitui ſeptimum quemqꝫ diem veneris, in quo ipſa pro tribunali ſedens ius diceret. Sedebant ex altera parte Præſules qui curiam comitabantur, & ex altera Regij Senatores & ciuilis Pontificijqꝫ iuris peritiſſimi, ante ſe ſubſidebant tabelliones, Scribæ, Secretarij & qui præerant a commentarijs, aſtabãt & qui inſignia Regia præferũt lictores, nullæ dilationes, nullę nũdinæ niſi in diẽ perẽdinũ tergiuerſantibus reis concedũtur, ſi qua lis adeo implicita quæ non poſſet breui tẽpore finiri, delegabat diffiniendã alicui ex iuriſcõſultiſſimis. Mirum dictu, intra bimeſtre tempus omnes quæ impendebant compẽſitæ lites, aut per ſeipſam, aut per illos quibus cauſæ delegabantur. In ſceleratos facino-

roſoſq;, in depeculatores decoctoreſque, in adulteros & ſtupratores, in graſſatores & latrones animaduerſum eſt, præterquam in eos qui vertere ſolum, aut in exilium timore aufugerunt. At ciues cum viderent vrbem malefactoribus plenam, & eſſe neminem fere quem non labes aliqua tangeret, ſi iuſtitiæ rigor in vniuerſos ſæuiret, fore vt ciuitas deſolaretur, adiungunt ſibi Alphonſum ſoliſium Epiſcopum Gaditanum: qui eo tempore pro Petro Mendoza S. R. E. Cardinali atq; Archiepiſcopo Hiſpalenſi Vicariũ Prouiſoremq; agebat in illa eccleſia. Is cũ magna populi multitudine ex omnibus ordinibus collecta Reginam adit, proq; venia impetranda longam orationem habet, lociſq; communibus vtitur in commendanda iuſtitia, & miſericordia, veritate & pace, ita tamen vt ſit propenſior in pacem & miſericordiam. Afferebatq; illud ex Pſalmographo. Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi, iuſtitia & pax oſculatæ ſunt, & de Samaritano (hoc eſt) de Ieſu Saluatore noſtro, qui vulnerato a latronibus in quos inciderat, infudit vinum & oleum, ſed plus olei quod leniret dolorẽ, quam vini, quod excitaret. Itẽq; illud, vt ſitis filij patris q in coelis eſt, qui facit ſolẽ ſuũ oriri ſuper bonos & malos. Quodq; et ſi nulla hominũ ſocietas ſine iuſtitia diu ſtare nõ poſſet, tamẽ cũ iã flagitia & facinora crebreſcãt, iuſtitię mun⁹ reſtringẽdũ eſt, niſi quaten⁹ exẽplo aliorũ temeritas eſt, coercẽda. Sed qd faciaſ cũ omnes pariter in eãdẽ labẽ trahũtur qd cũ in eodẽ ſunt? Quid igitur faciemus inquies, o Regina omniũ mortalium clariſſima atq; proinde indulgẽtiſſima? Nimirum vt confugias ad ſententiam illam Poetæ quæ iam abijt in Adagiũ, quidquid multis peccatur, inultum eſt. Nam ſi iuſtitia (inquit) gladium non expreſſerit, omnia in antiquam ſolitudinem redigentur. Audacius aliquid dicã optima Princeps, quę hanc mihi copiam dicendi concedere dignata es. Si in hoc lachrymabili bello in quo cũ Luſitanorũ Rege non de gloria, ſed de ſumma imperij decertaſtis, inclamãte iam ad vos victoria, omnia pro iure veſtro pſequi velletis, nõne incideretia in illud prouerbium etiam vulgo comprobatum. Summum ius, ſumma iniuria eſt? an non potius illam ſequeremini ſententiam Senecæ Poetæ tragici in Hercule furenti.

Si æterna ſem per odia mortales agent.
Nec coeptus vnquam cedat ex animis furor.
Sed arma foelix teneat, infoelix paret,
Nihil relinquent bella. Tum vaſtis ager
Squallebit aruis, ſubdita tectis face
Altus ſepultas obruet gentes cinis.
Pacem reduci velle victori expedit:

Victo neceſſe eſt. Adiecit tandem in peroratione miſerationis fomẽtã, quę Reginã faciẽdæ iuſtitiæ cupidam cõpeſcuit, eoq; deduxit, vt omnes donaret venia, omniſq; a crimine abſolueret, præterquã eos, qui aut Ereſeos impietate, aut ęris alieni debito erant obnoxij.

Ducis a Methymna Oratio apud Reginam contra Marchionem, & Marchionis excuſatio.

Caput. VII.

POSTEAQVAM priuatorum lites quieuerunt, duo illi principes duces, omnium malorum cauſa, inuicem ſe apud Reginam criminãtur, altero in alterum omnem culpam reijciente. Dux a Methymna Aſindica occaſione arrepta priorem locum occupat, atq; in hunc propemodum eſt allocutus. Quanta Guzmanorum domus obſeruantia & fides erga Hiſpanorum Reges deceſſores tuos chariſſima Prin-

ceps fuerit, quam illuſtria in vniuerſam Hiſpanam remp. beneficia extent, neminem eſſe
opinor, quem lateat. Nam vt omittam illa vetera, non eſt ſilendum quod prodigio ſi-
mile videtur, vnde familia noſtra nobilitata eſt. Alphōſus petrides Guzmanus, qui prę
ſidio Mellariam quam exiſtimo eſſe quem nūc dicitur Tarifa pro Sancio Hiſpanorum
huius nominis Rege quarto tuebatur, cum obſideretur a Ioanne Regis fratre exule auxi-
liaribus copijs Bellamarinorū Regis Abeniuza copijs adiutus, admoneretur qꝫ vt mu-
nitionem traderet in Maurorum hoſtium poteſtatem, niſi mallet filium ſuū qui a Mau-
ro Rege in vinculis tenebatur, ante ipſius patris oculos trucidari, non modo Arcem non
tradidit, ſed & per muros pugionem proiecit, quo filius confoderetur. Quo miracu-
lo ſtupefactus hoſtis & filium iugulari iuſſit, & deditionis ſpe ſublata obſidionem ſoluit.
Illud quoqꝫ omnibus notum, quo pacto Enriquus Guzmanus nebulæ Comes ſecun-
dus Ioannis Alphonſi primi Comitis eiuſdē oppidi filius, idemqꝫ Alphōſi Petride Guz-
mani nepos, cum terra mariqꝫ oppugnaret Gebeltaricum a terra Ioannes filius pater me
us, a maris Oceani parte ipſe pater idemqꝫ auus meus claſſiarijs oppugnatoribus, æſtu
ſuperueniente vndis obrutus eſt, cumqꝫ ſe in ſcapham recepiſſet, potuiſſetque incolumis
euadere, dum miſericordia pereuntium plures admittit quam nauigium potuiſſet ſuſtine
re, ipſe cum omnibus perijt. Quid de patre meo primo a Methymna Aſindica Du-
ce Ioanne Guzmano dicam? qua fide, qua conſtantia, qua vigilantia bello plus quam
ciuili quod pater tuus geſſit cum fratribus ſuis patruelibus Ferdinandiqꝫ Tarraconen-
ſium Regis patrui ſui filijs, hanc ipſam vrbem defendit, cum reliquæ omnes ciuitates fi-
nitimę ad illos defeciſſent? Qua fœlicitate immo qua celeritate Gebeltaricum illam
familiæ noſtræ fatalem poſt centū & triginta annos a Mauris poſſeſſam recepit, Chri-
ſtianęqꝫ fidei reddidit. Sed nolo Maiorum meorum obſequia in Reges ſuos debita cō
memorare, nam genus & Proauos & quæ non facimus ipſi, vix ea noſtra voco, ſed tan-
tum mea quæ quia omnibus nota ſunt, paucis perſtringā. Quanta labes vniuerſam
Hiſpaniā inuaſit poſtea quam Enriquus frater tuus gubernationis habenas remiſit, ſeqꝫ
totum paucorum amicorum arbitrio tractandū dedit, noſti clariſſima Princeps omnes
ciuitates ſiue volentes, ſiue nolentes aliquem ſibi ducem ex primoribus finitimis aſciue-
runt, malueruntqꝫ tyrannorum impotentiam pati, quā ſuo Regi ſeruire. Huic ciuita-
ti duo imminebant qui de principatu parati erant decertare, ego vt ingenue fatear & Ro
doricus Pontius Marchio Gaditanus, ſed diſpari ex cauſa, ego vt patriam mihi clariſſi-
mam conſeruarem atqꝫ in obſequio regi ſuo debito cōtinerem, atqꝫ in eo ſtatu quo illam
a Maioribus meis accepi, perſtare ſuaderem, ille vero vt quacunqꝫ ratione poſſet, eā labe
factaret. Vterqꝫ quidem noſtrum ciuis & indigena, ſed qua pietate fuerimus in remp.
Hiſpalenſem, non dico me & illū qui in hæc tempora incidimus, ſed mei atqꝫ illius maio
res qui fuerant contemporanei ciues ipſi ſunt teſtes, cum mei ſemper coluerint hanc vr-
bem quaſi matrem, illius vero tractauerint quaſi Nouercam.. Et nunc vterqꝫ noſtrū
in ſuo ſtudio permanet, acqꝫ maiorum ſuorum inſtituta perſequitur. Omitto Enriquo
Rege quid vterque noſtrum egerit, ego pro hac vrbe, ille contra. Sed poſtea quam Cel
ſitudo tua Hiſpanarum rerum potita es, facta Regni diuiſione per Marchionem Ville-
natem, ego prior pro vobis in hac vrbe ligna acclamationemqꝫ ſubſtuli, ille vero ſiue ſce-
lerum ſuorum pœnas timens, ſiue quod eſt ingenio rerum nouarum cupido, ſtatim ad-
hęſit ijs ducibus, qui primi ſumpſerunt arma contra vos Reges clariſſimi, atqꝫ guberna
tionis veſtrę initia interturbare, ſunt conati, & ipſe quoqꝫ per ſe cū Luſitanorū Rege coe-
pit agere, quemadmodum illi hanc vrbem traderet. Habet Aſindum equis & armis no

biſem ciuitatem grandi præſidio oppreſſam, pulſis ciuibus qui illius audaciæ non obtēperabant. Habet Arcem cum Oppido Alcala ad fluuium iram in agro propemodū ſuburbano huius ciuitatis. Habet complures facinorum ſuorum adiutores & conſcios, qui nihil magis ſpectant, quam huius vrbis direptionem, atq; imprimis Ferdinandū Ariam metatorem, qui Tariſam in freto gaditano Caſtellum munitiſſimum & Vtrariam pergrande municipium cum Arce munitū tenet. Quid autem hoc tempore cogitet, argumento eſt, quod neq; per litteras quicquam benignum ad Celſitudinem veſtrā ſcripſerit, quo ſe excuſaret, neq; nunc quidem, cum ſit tam prope, obſeruantiam ſuā erga vos declaraturus venit. Erit igitur iuſtitiæ tuæ Regina clariſſima bene de te deque patria ſua meritos premijs afficere, male vero meritos male perdere, atq; imprimis hanc ciuitatem vobis atq; maioribus veſtris obſequentem, malis pernicioſiſq; ciuibus purgare, bonis autem paciſq; amatoribus quietam relinquere. Ad hanc Ducis orationem Regina comiter & benigne reſpondet, obſequia ſua erga Regiam celſitudinem & Maiorum ſuorum benefacta in remp. Hiſpanam ſibi eſſe gratiſſima, atq; eo nomine ſe habituram rationem, vt non fruſtra fecerint ea, quæ ex officio boni viri facere tenebantur. Quod vero ad Marchionem pertinebat, ſe ea cauſa potiſſimum Hiſpalim veniſſe dixit, vt illius vrbis ſtatum componeret, pacificaretq;. At Marchio videns ſe eo Fortunæ delapſum, vt ſi quid antea ſimulauerat, iam ſimulare non poſſet, cum præſertim nihil vnquam palā fecerit, quod poſſet dici factum in quo Regia maieſtas imminueretur, Hiſpalim venit vno tantum familiari comitatus, atq; a Ianitoribus in conclaue admiſſus, quo ſe iam Regina receperat, ſuſpicatus, longa Ducis oratione & cauſa quæ videbatur eſſe melior perſuaſam, alia via ſe inſinuauit, breuiterq; illam ſic allocutus eſt. En tibi Regina, præpotens Marchio ille Gaditanus quem aduerſarij mei apud te criminati ſunt, in manibus tuis eſt. Veni non vt crimina illorum in ipſos autores retorquerem, delicatiſſimas aures tuas obtundens, ſed vt in me ab illis obiecta purgarem, atq; innocentiam meam oſtenderem, quæ me ſecurum facit, vt ſine vlla fide publica huc venirem. Veni inquam, non vt alios accuſem, ſed vt me ipſum a ſuſpitione de me concepta excuſem. Dicunt aduerſarij mei, me tenere armis oppreſſam Aſindum & Alcala ad Iram fluuium, ex hoc loco faciam tradi cui Celſitudo tua iuſſerit. Quod ſi etiam ijs quæ mei patrimonij ſunt, opus eſt ex hoc loco & tēpore tibi trado, quando meipſum quoq; tibi tradidi. Quod vero ad ſuſpicionem de me habitam attinet, ſi vllum fuerit repertum factum aut dictū in quo Celſitudinem veſtram læſerim, ecce me paratū vt læſę maieſtatis crimen tuę Celſitudinis arbitrio luā. Quod ſi fui negligētior in declarādo hūc animi mei ſenſum, hic ipſe aduerſarius meus fuit in cauſa, qui mihi domi negociū fa[illegible]eſſebat. Hac Marchionis oratione Regina placata ad tradēdas munitiones illū omni crimine abſolutū dimiſit.

Quod Regina receptis munitionibus quæ ad Hiſpalim pertinebant totam regionem illam pacauit. Caput. VIII.

NVNQVAM putarat dux a Methymna Aſindica, Marchionē Gaditanū eo venturū, ſed neq; familiares amici opinati fuerāt, quod obſequiū exhiberet Reginę, arcēq; Aſindicā traderet, cui Regina tradendā eſſe iuberet. Nūc vero cū viderēt omnia cecidiſſe aliter quā exiſtimarāt, omnes ſpes ſuas inaneſq; cogitationes abiecerūt, atq; ſe paulatim ad alia ſtudia trāſtulere. Nam antea toti a ſpe belli gerēdi contra Marchionem pendebant, ſeque locupletes facturos expectabant ex diuitijs agreſtibus, quas Ruſtici Agricolæ & Paſtores illius iuſſibus ſubditi poſſidebant. Nunc vero

alios curare mercaturam, alios prædia colere, alios rem pecuariam exercere, & ex opificibus turbaq́ꝫ vrbana ſuam quiſq́ꝫ artem repetere. Itaq́ꝫ Arce Aſindica a Marchione tradita Ioanni a Robreto & munitione Alcala ad iram fluuium imperat Duci a Methymna, vt Marchionis exemplo & ipſe tradat munitiones, quæ ad ciuitatem Hiſpalenſem pertinebant, idq́ꝫ non eſt cunctatus facere, ne videretur in exequendis Reginæ iuſſis ſegnior, quam fuerit Marchio. Fuerunt autem munitiones trans montes marinos Fraxinetum, Arechium, Aracena, Alaniſum, Conſtantina, citra montes Nebriſſa, capita ſancti Ioannis, Ponticulus, quibus præſidere bonos viros ciues Hiſpalenſes, qui modo fuiſſent alterutrius factionis exortes. Iuſſit quoq́ꝫ nomine ſuo Ferdinando Ariæ metatori qui præſidio Vtrariam tenebat, vt Oppidum cum Arce Hiſpalenſibus redderet. Mellariam quoq́ꝫ quam iuniores in Tarifam commutarunt, reſtitueret Alphonſo Enriquo Hiſpaniarum Architalaſſo, cuius præſidiũ hæreditario iure ad illum pertinebat. Ad hæc Reginæ iuſſa premeditatus reſpõdet, iniuſte ſecũ agi, ſi qđ ſemel iure poſſedit, ſibi inuito ſubripiatur, Arces illas ab Enriquo Rege ſub fide publica Gonſalo Saauedræ patri ſuo perpetuo iure traditas, ſeq́ꝫ illius hæredem eſſe indubitatum, ſimul etiam Præſidi qui pro illo vtrariæ Arcem tenebat, iubet vt ſe muniat tueaturq́ꝫ, polliceturq́ꝫ ſi Regina obſidionem tentauerit, ſe tempeſtiue ſuppetias laturum. Arcis præſes non minori animo iuſſa metatoris accipit, quam illi fuit imperatum, parat omnia quibus opus erat ad ſe comitesq́ꝫ ſuos propugnandos, qui & ipſi parati erant aut munitionem creditã tutari, aut indubitatam mortem oppetere. Regina hominum pertinatiam audiens iubet illos magna cum diligentia obſidione cingi. Cohortes prætorianas & qui ex curialibus armari potuerunt, & eos qui ſponte ſua huic ſe neceſſitati obtulerunt, eodem mittit, tormentis & machinis muros quati præcipit, atq́ꝫ ita per dies circiter quadraginta nihil prætermittitur eorum quæ inter obſeſſores & obſeſſos in obſidionibus fieri conſueuerunt. Igitur Regina cum videret negocium in dies protelari, Guterrium Cardenium Quæſtorem ſuum maximũ mittit, vt quo in ſtatu ſit res inquirat, & quibus eſſet opus cognoſcat. Is cum primum Vtrariam acceſſit, præſidem hortatur vt deditionem faciat, antea quam Reginæ indignationem in ſe conuertat. Quod niſi faciat, atq́ꝫ potius Fortunam quam rationem experiri mallet, ſe pro comperto habere illi breuiter eſſe pereundum. Ad hæc præſes cum diceret nullas ſe deditionis cõditiones uelle audire, quin potius malle omnia perpeti quæ victi a victoribus perpeti conſueuerunt, Queſtor maximus videns ſe nihil proficere, neq́ꝫ a peruicacia ſua hominem poſſe reuocari, oppugnationem a quattuor partibus parari iubet, eo tormenta, machinas, ſclopetras & ſcorpiones, arietes teſtudinesq́ꝫ intendi præcipit, atq́ꝫ ſub primi lumina ſolis & ortus negocium incipi: quod ſine vlla intermiſſione ad veſperam vſq́ꝫ perdurauit. Cum ex vtraq́ꝫ parte plures cecidiſſent, neq́ꝫ iam obſeſſi oppugnantium vires ſuſtinere poſſent, cum recentes ex pppugnatoribus feſſis vulneratiſq́ꝫ ſuccederent, neq́ꝫ obſeſſis requies ulla daretur, tandem victi ſuccubuerũt. Omnes cæſi, aut ad mortem vulnerati preter duos & viginti, qui poſtridie Hiſpalim ad Reginam in vinculis tranſuecti ſuſpendio vitam finierunt. Nam Præſes imprimis pugnans miſerabiliter & digne iam perierat.

Quod Regina dum eſſet Hiſpali Ioannem peperit, qui fuit deinceps Primogenitus Princeps atq́ꝫ hæres deſignatus.

Caput. IX.

DVM hæc adminiſtrantur a Regina Hiſpali, Rex non ceſſat Caſtri Inui obſidionem interuiſere, atq; mittere in conſultationem frequenter, ſi quo modo arx illa ſiue dolo, ſiue pactione, ſiue quocunq; alio modo ſine viribus capi poſſet. Nam cum ratione ſitus oppugnatio foret periculoſa, velletq; Rex non multo ſanguinis diſpendio negocium confici. Reficit cohortes, præfectos inſtruit, ſtipendia militibus ſoluit, & cætera quibus ſe abſente opus eſſet, imperat fieri, ipſe ad Reginam properat, in Bæticis rebus occupatam. Vbi cum per aliquot dies fuiſſent immorati, Regina quæ ex longo temporis interuallo non peperat, atque ea ex cauſa iam ſe inter effœtas numerabat, ex inopinato pregnans eſt inuenta, peperitque filium ſuum primogenitum Principem Regnorum hæredem, ex puncta Eliſabe iam ſeptenni, quam, deſperata virili prole, futuram Hiſpaniarum Principem iurauerant, atque ab alijs iurari fecerant. Natus eſt igitur Ioannes princeps Anno a ſalute Chriſtiana Milleſimo quadringenteſimo duo de octogeſimo tertio. KL. Iulias. Ingens ex eo Nuncio ſecuta eſt lætitia per omnes terras Hiſpanorum principum imperio ſubiectas, quoniam natalis ille tranquillitatem pacemque perpetuam omnibus pollicebatur. Illo eodem tempore Alboacen Granatenſiũ Rex per Legatos petijt inducias a Rege & Regina, reſponſumque Legatis, induciarum condiciones placere, ſibi modo ſoluerent cenſum a Granatenſium Regibus Hiſpaniarũ Principibus pendi ſolitum. Legati rurſus miſſi eadem de re, quo ad exactionem cẽſus pertinebat, reſpondent. Reges illos, qui ſoliti erant cenſum illum tributarium pendere, mortuos eſſe, neque iam in monetarijs officinis cudebatur aurum & argentum, nunc vero non fabricari niſi ferreas cuſpides & ſpicula, quæ præfigerent hoſtibus, quibus ſe ab exactione illa tributaria liberarent. At noſtri, tametſi reſponſum illud ſuperbia arrogantiaque plenum videbatur, quia tamen induciæ illę vtriſque conducebant, & Luſitanorũ temeritas & audacia pendebat adhuc, temporarias inducias concedunt. Reſtabat rebellionem vlciſci Metatoris Ferdinandi Saauedræ, principio illius bona publicantur, ſpoliatur honoribus, declaratur perduellionis reus, mittuntur Cohortes cum Præfectis qui illum quęrant, quęſitumque vndecumque ad vltimum ſupplicium trahant. Sed cum eſſet vir nobilis, haberetq; complures propinquitatis & affinitatis iure coniunctos, quorum obſequía in Luſitanorum bello fuerant illuſtria, vt cumque merito venia donata, bona honoreſque reſtituti, præſidium Tarifæ cum Arce Alphonſo Enriquo Hiſpaniarum Archithalaſſo reſtitutum. Petro Godoi qui tres Carmonenſes Arces pręſidio tenebat, imperatum, vt illas traderet, qui aliquandiu cunctatus dum rependi ſibi neſcio quos ſumptus exigit, tandem Regis & Reginæ iram veritus nulla conditione tradit, traditaſque Guterio Cardenio Quæſtori maximo ſub fide publica credunt. Commendatarius quoque maximus Legionenſis prouinciæ, qui Luſitano bello quemadmodum ſæpe dictum eſt, inſignem operam nauarat, obſequiorum ſuorum fiducia petit a Rege & Regina, ſupplicatque, velint ius ſuum in magiſtratus petitione ſibi ſeruari, ſe fuiſſe tredecim commendatariorum ſuffragijs creatum, Magiſtratu atque totius ordinis cõſenſu pro magiſtro experi, ſeque ita meritum de re publica Hiſpana vt repulſam pati nõ mereretur. Regina vero & ſi cupiebat dignitatem illam in Regis capite collocari, tamen habita ratione commendatarij maximi tam præclare de ſe meriti, a Rege petit, vt illi cedat, neq; vllam eſſe rationem, vt in tam obſequentem amicum ingrati eſſe viderentur. Iubent itaq; illum a tredecim illis ſuffragatoribus & totius ordinis cõſenſu & vna omnium voce magiſtrum creari, mittuntq; libellos ſupplices ad Pontificem Max. vt electio

illa

illa apoſtolicę Sedis autoritate confirmetur, id quod eſt a ſummo Pontifice conceſſum. Quęſtor vero maximus in locum Magiſtri in commendatariũ maximũ eſt ſuffectus.

Rex Victoriam proficiſcitur, vt cum Ioanne patre quaſdam res commentaretur, & inde Hiſpalim ad Reginam redit. Caput. X.

PACATIS Bęticæ contẽtionibus, munitionibuſq; receptis, Rex, animo reuiſendi patrẽ Tarraconenſiũ Regẽ a Regina digreſſus, ad caſtra Iulia venit, quorũ arcem, quã Gonſalus ab Abila ſequeſtro tenebat, in Xanthũ ab Aquila ciuẽ, equitẽq; Abilenſem trãſferri iubet, pręſidioq; & neceſſarijs alijs rebus inſtruit. Inde Victoriã recta proficiſcitur, quo iam pridẽ conſtitutũ erat, Tarraconenſiũ Regem eſſe venturũ, & quidem iam aduentabat, cum filius in occurſum patri progrediens, iam cõgrederentur, filius patris dextrã manu prenſans conatur illam exoſculari, atq; ille diu reluctatus manũ ſubducit, ſeq; ad filij ſiniſtrã locat. Cumq; ad Tarraconenſis diuerſoriũ ſic veniſſent, Hiſpanus equo deſcendẽs patrẽ volebat in domũ deducere. At ille abſit, inquit, a me, atq; a dignitate tua fili chariſſime, vt cum ſis Rex Hiſpaniæ, vnde mihi eſt origo, & cui omnes ex eadẽ ſtirpe propagati obſequiũ, & obſeruantiã debent, ego ſim tibi dexter, & tu mecũ ſiniſter, hoc eſt exterior incedas, atq; ita pater filiũ comitatus eſt vſq; ad illius diuerſorium, & inde ad ſuum redijt. Ortus eſt deinde ſermo inter Palatinos, vt fieri ſolet, an recte pater primas partes filio ceſſerit, & filius acceperit. Nam vterq; Rex erat, & Tarraconenſis hoſpes Hiſpani filij, atq; idcirco maiori honore afficiendus, & ijs accedebat, quod erat pater. At alij dicebãt recte factum eſſe, quod tametſi Reges erãt, ſed tamen ita diſpares, quod filius ex toto, ex parte vero pater erat. Erat eo tempore præſens vir iuris conſultiſſimus, & orator ſatis vehemens & probatus, atq; antiquitatum, & exemplorum memoria præclarus, qui ea de re conſultus ab hominibus ijs de rebus ignaris reſpondit recte ſe feciſſe vtrumq; Regem, & patrem, qui filio primas conceſſerit, & filiũ, qui acceperit, atq; imprimis afferebat illud quod. Q. Fabius maximus conſul cum pater proconſul equo vehens illi obuiam proceſſiſſet, imperauit Lictori, vt iuberet patrem ex equo deſcẽdere, qui iuſſus paruit, filiumq; collaudauit. Atq; hunc tenorẽ vterque, in deferendis alteri honoribus, per totos illos viginti dies, quibus Victorię ſunt commorati, in ſedendo, & aſſurgẽdo, in deducendo, & reducendo, & cęteris in rebus omnibus, in quibus vita humana prioris, & poſterioris ordinẽ poſuit, ſeruauit. Igitur cũ primũ de re communi cœpiſſent inter ſe commẽtari, primum de regno Nauariæ conſtitutum eſt, vt decerneretur Phœbo ex filia nepoti Regis Tarraconenſis, conſeruareturq; in eo tanquam vnus familię Regum Tarraconenſis prouinciæ, tametſi non per agnationem, ſed per cognationem eſſet ex eadem familia ortus. Decreta quoq; ſunt multa alia ad regni Tarraconenſis, & Siciliæ, & Inſularum noſtri maris adminiſtrationem pertinentia. Inde digreſſi, Tarraconenſis Tarraconenſem ſuam, & Hiſpanus Caſtri Inui obſidionem reuiſit, quam offendit ex voto perpulchre inſtructam, & obſeſſos iam ad deditionem clamantes, & libenter iam de ſe dedendi condicionibus audientes. Erant enim iam & numero multo pauciores, & viribus exhauſti, atq; omnium rerum, quæ ad victum pertinebant copia defecti. Cum enim res in eo eſſet ſtatu, vt facile tranſigi poſſet, cœptum eſt agi de arcis deditione, & Rege cupido ad maiora eundi, & illis vltimum exitum timentibus ſic conuenerunt, vt præſes cum ſuis ſatellitibus, boniſq; liberi abirent quocumque vellent, arcemque Regis arbitrio relinquerent, traditamque

demoliri, atq; ſolo æquari iuſſit, illi vero in Luſitaniam tranſmigrarunt. His peractis Rex Hiſpalim ad Reginā proficiſcitur, atq; inde Cordubam ire conſtituunt, vt quēadmodum res Hiſpalenſes, ita & Cordubenſes, quæ eodem morbi genere laborabant, aduentu præſentiaq; ſua pacarēt. Sed antea quam inde diſcederēt, vt futuræ ciuitatis tranquillitati proſpicerent, Marchioni poſtulanti, vt liceret ſibi per regiam poteſtatē, æquo iure cum duce a Methymna in patria cōmuni viuere, reſponderūt non eſſe e rep. Hiſpalenſi, ut reditus in vrbē illi pateret, quod cum Marchio ægre tuliſſet, vt ipſo exulante æmulus in vrbe maneret, Duci quoq; a Methymna idem imperarunt. Illis namq; abſentibus facile poterat ciuitas eſſe quieta, cum cauſæ diſceptandi tollerentur.

Decadis primæ & Libri ſept. Finis.

Reliqui tres temporum iniuria deſiderantur.

ÆLII ANTONII NEBRISSENSIS AVTORITATE REGIA HISPANARVM

atq; Hiſpanienſium rerum Hiſtorici in ſecundam Decadem, quæ eſt de bello Granatenſi Præfatio, in qua oſtenditur, neq; Principibus Hiſpanis fuiſſe vnquam ad bellum inferendum vires maiores, neq; hoſtibus ad propulſandum auctiores.

SEQVITVR bellum Granatenſe, quod & tēporis ſpacio, & expeditionū apparatu, & hoſtiū robore, & locorum difficultate fuit maximū omniū, quæ poſt deletas Gotthorū opes in Hiſpaniā vnquā geſta ſunt. Superiorū nāq; Regū in Mauros expeditiōes partim tumultuarię, partī interciſſę multorū annorū intercapedine fuerūt. At poſteaq; ſemel Prīcipes nr̄i bellū hoſtibus inferre decreuerunt, nunquā ceſſatū eſt, quoad per continentes annos prope decem omnia ſunt confecta. Nulla propemodum interea quies data militibus, non in domibus ſuis, non in æſtiuis, non deniq; in hibernis, quin potius prioris cuiuſq; victoriæ finis, principiū erat ſequentis. Quod ſi te ad belli apparatū conuertas, nihil defuit, quod ad maximæ potētiæ vires oſtentādas pertineret, non peditū, equitūq; cataphractorū, non leuis armaturæ numerus incredibilis, non carrucariorū, mulionum ſuffarraneorū, non calonū, lixarū, pabulatorū copioſa multitudo, non tormentorū, machinarūq; genus vllū, non cōmeatus vſq; ad ſatietatē terra, mariq; aduecti. Nam quod ad hoſtes attinet, nunquā ad ea tēpora res Maurorū fuerunt auctiores, & militū numero, robore, exercitatione armorū, atq; ad exercitus, ſtipendiaq; perſoluenda ditiores. Ad ſepties mille ſtipendiarios equites e publico in belli procinctu ſemper habebāt, pręter euocatorū, gregariorūq; innumerā multitudinē. Nam peditum tantus erat numerus, vt Granata ipſa in medio totius regni ſitu poſita, neq; ad bellicos tumultus parata, vti ferebatur, ſolita ſit per ſingulas vrbis portas, quæ numero erāt ſeptē, ferentariorū, ſagittatorūq; ternos millenos effundere viros. Quod vero ad publica vectigalia pertinet, ad ſtipendia militū perſoluenda, arces muniēdas, machinas aptādas, aliaq; ad tantū bellū neceſſaria, ſi quis tractus illius anguſtias, & ſoli malignitatē, præruptaq; montiū cōſideret, incredibile, quod ſum dicturus, videbitur, dicam tamen nihilominus, ſepties centū mille aureos patrios Regi ſuo Granatę regnū quotannis pēdebat, qui numerus ratione pōderis in ducales noſtros aureos in decies centū mille excreſcit. Vnde igitur

dicet quiſpiā ſub principibus noſtris tāta fiſci diminutio regni illius facta eſt? Quia nimirū alia tributorū ratio ſub illorū Regibus quondā fuit, quā nūc eſt ſub noſtris. Illorum imprimis agricolæ & paſtores frugū pecuduqꝫ Regi ſuo pēdebāt ſeptimas, quēadmodū noſtri ſacerdotibus, & eccleſiæ, atqꝫ ipſi etiā tantū decimas. Illis quibus nō erāt filij, neceſſe erat Regē ex aſſe relinquere hęredē, & quibus erāt, pro virili portione cū illis cohæredē inſtituere. Quo prærerea die nouellæ pecudes, aut armēta cuiuſqꝫ ſigno inurebātur, tertiā partē ualoris quāti æſtimabāť, fiſco annotabāt. Iā vero ex portorijs, vecturis, delationibus, calūnijs, innumeris exactionibus, incredibile dictu eſt, quantū regius cēſus augeretur. At vero apud noſtros nihil tale, aut ſi quid eſt, perquā modicū eſt. Quare nihil mirandū ſi tātis copijs, tātiſqꝫ rerū omniū facultatibus hoſtes freti tandiu potuerūt principum noſtrorū potentiā ſuſtinere. Sed bene, quod tandē penes illos victoria fuit qui erant, quēadmodū iure, ita & armis potiores.

Enumerat cauſas, cur iuſte Hiſpani principes bellum Granatenſibus Mauris intulerunt. Et quemadmodum Zahara caſtellum in collimitio ſitum a Mauris captum eſt. Caput Primum.

COMPOSITIS Hiſpaniæ rebus, quēadmodū in ſuperioribus decem libris præſcriptū eſt, iam Principū noſtrorū fortuna laborabat in inueniēdis cauſis, quę illos ocio, ac lōga pace indormiētes excitarēt. Etſi enim iam inde ab ineūte regni ſui exordio illa maxima cura eorū animis inſederat, quo pacto delere poſſent dedecus illud Hiſpanię, atqꝫ proinde totius Chriſtianę religionis inſigne opprobriū, ingruētia tamē negocia nō ſinebāt illos de tāti belli magnitudine cogitare, cū pręſertim ex ſuperioribus bellis atqꝫ rerū oīm perturbatione Hiſpana reſp. eſſet penitus labefactata. Et quamqꝫ nulla belli iuſtior poterat videri cauſa, ꝙ pro religione cōtra noīs Chriſtiani hoſtes arma corripere, cū aliqui philoſophi tradāt, eos, ꝗ intellectu vigēt, atqꝫ ratione ſuapte natura, Barbarorū eſſe dn̄os, atqꝫ eodē iure bellū illis iuſte inferri poſſe. Accedebāt tamē aliæ ꝓpiores cauſę, quæ nō tā patiebātur noſtros tā longo tēpore deſidere, atqꝫ illa imprimis, quod ab heſternis nationibus iāpridē probro nobis obijciebatur, qđ nō modo hoſtes in cōſpectu noſtro, atqꝫ ante oculos poſitos nō ſubmoueremus, verū etiā crebris nos iniurijs vltro laceſſentes vix poſſemus ſuſtinere. Quis enim ab orbe noſtro tā remotus, atqꝫ rerū noſtrarū tā ignarus erat, ꝗ neſciret agrorū populationes, armentorū, greguqꝫ cū ſuis paſtoribus direptiones vicorū, caſtellorū expugnationes ab immaniſſimis hoſtibus illatas?

Erat & altera cauſa, quę nos propēſiori quodā mō ſtimulabat, ea q̄ maiorū noſtrorū ſocordia fuerat abalienata, quęqꝫ ad nos hęreditario quodā iure ꝑtinebāt, iuſta clarigatione, ac longi poſtliminij iure nō repetere. Quid? quod hoſtes cotidie magis magiſqꝫ inualeſcebāt, & in dies plura minabātur, atqꝫ p̄clare nobiſcū agi putabamꝰ, ſi æquo cū illis iure Hipanarū rerū imperio potiremur. Superioribꝰ his cauſis acceſſit alia propinquior adhuc, quę belli hoſtibus inferēdi occaſionē adhuc faceret iuſtiorē. Nam principes noſtri dū ſtudēt bella inteſtina, diſſēſioneſqꝫ ciuiles cōponere, atqꝫ piratarū, graſſatorūqꝫ latrocinia cōercere, ac prætet ea leges ferre, ꝗbus futuræ trāquillitatis, paciſqꝫ fundamēta iacerenť, permiſerāt tēporarias cū hoſtibꝰ inducias fieri. Erat ea tēpeſtate Maurorū Rex Hali Abēhazā vir in bellicis artibꝰ apprime doctꝰ, nec minus rerū nouarū cupipidus. Is cū intelligeret, noſtros alijs ī rebꝰ accupatos, factꝰ certior Zaharā, caſtellū id erat media regione inter Aſindū, Arundāqꝫ ſitū, negligētiꝰ cuſtodiri, ac p̄ſidio eſſe vacuū, arripit occaſionem, & cōtra fas, iuraqꝫ fecialia, ac induciarū pacta conuenta caſtellū noctu oppugnat, ac

non multo negocio capit, arcis præſidẽ præſidiarioſq; obtrũcat, matres, virgines, viros, pueroſq; vinctos cũ armẽtis, & gregibus pecudũ in ſpeciẽ triũphi ducẽs arce, caſtelloq; validiori pręſidio munitis victor ſe ad ſuos recipit. Eo tẽpore Rex & Regina Methymnæ ad campũ agebãt, qui, eorũ quę ad Zaharam geſta ſunt accepto nũcio, nihil cunctandum eſſe rati, omnia cõſilia in hoſtes vertunt, arma parãt, exercitus cõſcribunt, pecunias vndecũq; honeſte poſſunt, magna cũ diligẽtia cõquirunt, cũ primũ fieri poſſit bellũ hoſtibus illaturi, illa maxime fiducia lęti, quod violati fœderis, iuriſq; gentiũ nefas ab hoſtibus primũ ſteterit. Et ne quid interea detrimẽti Limitanei paterẽtur, ſcribũt ad ciuitatũ præfectos, ad arciũ, caſtellorũq; præſides, & ad eos duces quibus prouincię Bæticæ, atq; Murgitani regni ex antiqua Hiſpanorum conſuetudine finium tuendorũ cura demandata eſt, vt excubent in armis, arces, atq; oppida muniant, limiteſq; ſumma vigilantia tueantur. Alphonſo præterea Cardenio equeſtris ordinis, qui ſub diui Iacobi noĩe dicatus eſt, Magiſtro per literas imperant, vt quã maximo poſſit equitatu Aſtygitanã Coloniam inſideat. Alterius quoq; militię a Calatraua Ciſterciẽſis Magiſtro Roderico Tellio Gironi, vt Menteſam præſidio teneat, omnibuſq; in cõmune edicũt, vt non modo hoſtiũ excurſiones per agros compeſcant, verum etiam ipſorum fines populentur, ac ferro & igni vaſtatos reddant. Quæ omnia nihilo ſecius quam illis ſunt imperata, exequuntur.

Quemadmodum Alama Duce Marchione Gaditano, & Iacobo Merulo ciuitatis Hiſpalenſis præfecto expugnata, & capta eſt. Caput. II.

DVM hęc per vtriuſq; partis Limitaneos agũtur, Iacobus Merulus, quem Rex & Regina ciuitatis Hiſpalẽſis prętoribus, ſenatoribuſq; aſſeſſorẽ dederant, atq; impẽdentis belli neceſſitatibus pręfecerãt, agit per exploratores, ac ſemitarũ, diuerticulorũq; viros peritos, vt pertentẽt oppidũ aliquod, ſiue caſtellũ hoſtile, ſi quo modo poſſit a noſtris intercipi. Paucis poſt diebus referũt Malacã vrbẽ maritimã, atq; mediterraneã ſegniter, Alamã negligẽtius ab hoſtibꝰ obſeruari. Merulus rẽ oẽm ad Rodericũ Pontiũ Marchionẽ Gaditanũ refert, atq; vterq; Petrũ Enriquez prouincię bęticæ prefectũ in cõſiliũ adſciſcũt. Cũq; de alterutra vrbe petẽda diutius cõſultaſſent, placuit tandẽ Alamã debere peti, propterea qđ videbatur expugnatu, captuq; facilior. Omnibus viſum facinꝰ pręclarũ, atq; omni laude digniſſimũ, & in quod eſſet totis viribus incũbendũ. Sed quia grãdiori exercitu opus erat, hortãtur alios proceres, arciũq; pręſides, vt veniãt ipſi, aut auxiliares mittãt copias. Enriquũ Guzmanũ a Methymna a Sindica ducẽ huiꝰ cõſilij nõ fecere participẽ ob antiquas ſimultates, quę illi cũ Marchione Gaditano interceſſerãt. Coiere ad negociũ peragendũ leuis armaturę equitũ ad tria milia, peditũ aliquãto numerꝰ amplior, ꝗ per montiũ anfractus, perq; iuga, valleſq; depreſſas, noctu magis ꝙ die iter faciẽtes nõ ſine magna difficultate peruenerunt tandẽ nocte intẽpeſta in cõuallẽ, quę aberat ab Alama paſſuũ circiter duo millia. Trecẽti ex omni numero ſtrenui milites iubẽtur ſeq duces itineris. Cũq; vrbẽ propius acceſſiſſent, pręmittũt excubias, vt captẽt, qđ apud hoſtes agatur. Referũt ab arcis parte omnia eſſe quieta, nõ circitorũ exhortationes, non vigilũ acclamationes, non deniq; vllum audiri ſtrepitũ. Igitur per amicę noctis ſilentiũ ſcalas muro exteriori admouẽt, ſcandit primus omniũ Ioannes Ortega, qui ſe profitebatur ſcalariũ, vir paratus in vtrumq; facinus, ſiue rem conficere, ſeu certę occumbere morti. Sequebatur illum Martinus Galindus paris audaciæ vir ab Aſtygi vrbe nobiliſſimus eques, ſed a quodam familiari ſuo inſtantis periculi admonitus locũ cedit. Ille gradũ occupat, qui ab Scalario inter

rogatus,quis tu es,qui me ſequeris? Ioannes,ait, ille Toletanus. Subijcit Ortega, a Toleto in tãta re aliquid boni? Perge,inquit ille, nã paulo poſt experieris. Tum ſequit̃ Martinus ipſe Galindus,& poſt illos cõſcendũt alij triginta , qui occupato exteriori arcis pomerio trãſiliunt murũ interiorẽ, vigiles ſomno ſemiſepultos trucidant,aliosqꝫ ex eadẽ arce auxilio ſubeũtes pari ratione cõficiunt. In quo Toletanus ille quẽadmodũ erat pollicitus egregie rem geſſit. Capiuntur mulierculę cum pueris, præſidiarij ex muro deturbantur. Noſtri arce potiti ſeras poſtici in agrũ ſpectantis frãgunt , ſocios in arcẽ ad ſe recipiunt. Oppidani,qui in media vrbis parte ſiti, ſumma in pace ſecuri agebãt nihil tale formidantes,terrore ſubito perculſi corripiũt arma,vt arci, quam primũ ſuppetias ferant.

Quam ab hoſtibus occupatã vidẽtes murorũ turres, & propugnacula , ciuitatis portas,& tẽpla pręſidio muniũt, vias ad arcẽ ſpectantes vallo, & foſſa, beronibuſqꝫ occludunt, eoqꝫ ferreos arcus,ſcorpiones,balliſtas, ſclopetras,& alia tormentorũ genera comportant,ſagittas,catapultas,phalaricas,glandes plũbeas,& ſaxeos orbes in arcis portã pariter intendunt, metuẽtes id quod erat futurũ, vt inde hoſtes ad vrbẽ diripiendã erumperent. Augebat illis animũ ad obeundos labores,quod ad paucas horas expectabãt ſuorũ auxilia tum a caſtellis,oppidiſqꝫ finitimis,tum etiã a Granata ipſa equitũ, peditumqꝫ egregia altrice,quę nõ amplius quã triginta millia paſſuũ aberat,& quę vnius diei itinere poſſet longe maiorẽ exercitum auxilio ſubmittere quã noſter eſſet. Quod ipſum noſtros vehemẽter angebat,intelligebãt namqꝫ,ſi eo die tota vrbs in poteſtatẽ ſuam non veniſſet, omnes ſuos labores fruſtra ſuſceptos,atqꝫ poſtridie tantã hoſtium multitudinẽ ſuperuenturã, vt neqꝫ arcẽ tueri,neqꝫ cum illis confligere, neqꝫ illorũ impetus ſuſtinere, neqꝫ ſe demum niſi maximo accepto detrimẽto poſſe ad ſuos recipere. Interim dũ quid cõſilij capiant duces exquirunt. Xanthus ab Abila Carmonẽſis arcis præfectus, vir nobilis, atqꝫ animi pręceps,qui & ipſe inſignẽ equitũ cohortẽ ductabat,eſt ne quiſqꝫ ex vobis, inquit, viri fortiſſimi qui me in hoſtes erũpere volentẽ ſequatur? Aderat forte pari magnitudine animi vir Nicolaus Rogius,& ipſe arcuẽſis arcis pręſes,qui ait, Ego, te mi Xanthe & ſi nemo alius,ſequar. Vnũ & cõmune periculũ vna ſalus ambobus erit. Qui alios vt ſequerentur exhortati vix prima portarum limina attigerãt,& in medio ſtatim eruptionis conatu hoſtiũ telis obruuntur. Eorũ cæde noſtri animo cõſternati diffidere rebus,incerti quid agant,quo ſe cõſilio ex tãtis anguſtijs explicẽt. Viſum eſt quibuſdã arcem demoliri,ſeqꝫ ante quã hoſtes auxilio veniãt,debere ad ſuos recipere. Sed Marchio, & prouincię Bæticę præfectus,& Iacobus Merulus, & quibus erat animus præſens, ac bello viuida virtus,arcẽ nullo modo deſerendã eſſe cenſent,Cauſabãtur illi imprimis difficiles in vrbẽ aditus, hoſtiũ auxilio ſubeuntiũ in breui tẽpore aduentũ, ac præterea rerũ cõmeatus penuriã. Hi vero cõtendunt ab incœpto nullo modo eſſe deſiſtendũ, & quando in arce capienda ſemel ſibi bene ceſſit,vrgendos eſſe ſucceſſus,atqꝫ viam inueniendã, qua tota vrbs capiatur,& quo alacrius rem adoriãtur,ciuitas diripiẽda militibus proponitur , vt quod cuiqꝫ ex præda ceſſerit, extra ſortẽ poſſideat,neqꝫ in manubias redigatur. Itaqꝫ placuit demoliri partẽ muri, qui arcẽ ab vrbe dirimebat. Per vrbis ruinas noſtri duce Marchione agmine facto erũpunt,alij per arcis partẽ,alij per muros, qua parte erãt arci cõtinẽtes. Alij domorũ culmina cõſcendũt,alij parietes cõmunes ſuffodiũt, pars viarum anguſtias obſident, pugnatur vndiqꝫ vehemẽter eminus telis,cõminus gladijs. Hos prędæ acqꝫ victoriæ ſpes alit,illos vrbis amiſſæ deſperatio agit præcipites , vtroſqꝫ auxiliorũ aduẽtus acuit,noſtros, vt ante hoſtiũ aduentũ rem peragãt, illos,vt partẽ vrbis captæ integrã ſeruent,qua ſuos opem laturos recepten̄t,pugnatũ eſt tota die ad veſperam. Mauri deinde

paulatim pugnà cedere, ſeq; in templum quod non longe a muris erat recipere. At noſtri,ne quid intra muros eſſet hoſtile, oppugnationem templi non differunt, teſtudines, pluteoſq; parietibus admouent, arietibus limina quatiunt, apponũt incendia, obſeſſi tandem partim capiuntur, partim trucidantur. Atq; ita noſtri prȩda ingẽti, & grandi captiuorum numero,& quod iam inde ab initio petierãt,florentiſſima vrbe potiuntur. In Alama expugnata damnũ Zaharæ ab hoſtibus illatũ compẽſauimus, præterquã quod ad futuri belli momentũ plus detrimenti in eius expugnatione intulimus, quam in illius amiſſione accepimus,quod poſtea totius belli exitu intellectũ eſt, parua Zaharæ amiſſæ in limitibus prȩſertim accepta iactura, atq; ingens Alamæ in hoſtilis regni viſceribus illata,futuri euentus omen fuit, quod paruo noſtrorũ detrimento dira calamitas, atq; pernicies erat hoſtibus accipienda. Quod & fanaticus quidam ſenex non diſſimulauit,qui cum primũ de Zahara expugnata nũcius Granatam eſt allatus, aut me, inquit, mea fallunt oracula,at de regno Maurorũ in Hiſpania,quod per tot annos poſſederant actũ eſt.

Quod Granatenſium Rex ex Alamæ nuncio cum ingenti exercitu venit, atq; oppidum a noſtris captum oppugnat.

Caput. III.

EX Alamæ captæ nuncio ingens trepidatio Granatæ conſecuta eſt. principio nemo erat, qui crederet noſtros tantũ facinus aggreſſuros,vt vrbem in medijs regni penetralibus ſitã attentarent. Sed poſtea quam vnus & itẽ alter rem certiorẽ facit, atq; alius tantũ arcem,alius partem quoq; vrbis,alius totã vrbem captã nunciat, omnes in cõmune fortu. nam ſuã lamentari, lugere regnũ,quod tanto tẽpore poſſederant, breui periturũ. Rex ipſe tanti mali nuncio perculſus rẽ ad populi primores refert, quod poſſit eſſe tantæ calamitatis remediũ exquirit. Placuit totis viribus incũbendũ,aut quã primũ ſuis laborãtibus, atq; in vltimo periculo cõſtitutis ex prȩſentibus copijs ſuppetias ferat. Deinde cũ omni equitatu, peditatuq;,atq; tota regni mole laborandũ, vt hoſtem in medij regni viſceribus exultantẽ abigãt. Miſſi itaq; ſubſidio mille armaturȩ leuis equites, qui poſtridie eius diei quã vrbs capta eſt ſub primã lucẽ viſi muros bis, terq; obequitarunt, vidẽteſq; omnia iam in hoſtiũ poteſtatẽ redacta, neq; quicquã auxilij ſuis prȩſtare poſſe redierũt. Rex interea ſcribit ad omnes omniũ prȩfectos, atq; arciũ prȩſides, vt pro negocij magnitudine cogant exercitus quã maximos poſſint, atq; ad Alamã obſidendã quatriduo cõueniãt. Intelligebat nãq;,omnẽ ſpem vrbis recuperãdæ in celeritate poſitã eſſe,antea quã hoſtes ſe validiori præſidio muniãt, & maiores Chriſtianorũ copiæ confluant,atq; tormẽta, & machinæ cũ grandiori cõmeatu eo cõportentur. Qui nihiloſecius quã ſunt iuſſi ad locũ,tempuſq; conſtitutũ omnes conueniunt. Erat equitũ ingens numerus, ſed peditũ incredibilis multitudo,inter quos ſagittatores, ſtlopetarij cõplures.

Caſtris poſitis cõſtituunt ab omnibus ſimul partibus vrbẽ inceſſere, non diu, non noctu ab oppugnatione deſiſtere, vt noſtri ancipiti periculo diſtracti, atq; vigilijs, & laboribus defeſſi cederent. At duces noſtri multitudine hoſtiũ cõmoti nihilo ſegnius agunt, milites per murorũ pinnas,propugnaculaq; partiũtur, cohortes quæ laborãtibus opem ferant certis in locis diſponũt. Ipſi per vrbis pomeria propugnatores hortãtur, ne in tãto diſcrimine rẽ ſomniculoſe,negligẽterq; agãt. At hoſtes tametſi nõ venerãt inſtructi machinis,ſulphurarijſq; tormẽtis, magno tamẽ animo, vel potius temeraria quadã deſperatione, muros vndiq; adoriũtur, pluteos,ac teſtudines murorũ radicibus admouẽt, funda

menta ſuffodiunt, arietant portas, ſcalas admouent, nullūq; tēpus intermittūt in quo non hoſtibus obſeſſis negociū faceſſant. At noſtri & ſi numero pauciores erāt, non modo ſuperfuit animus ad deturbandū hoſtes, verū etiā auſi portas erūpere, oppugnantes vltro inceſſebant. Cadebant ex illis complures propterea quod auſu temerario, vel potius præcipiti quadam rabie concitati ad muros accedebant. Oppugnatū propugnatūq; eſt oppidum eo die ſummis vtrinq; viribus. Sed Mauri cernentes nihil ſe ea oppugnatione proficere ſtatuunt flumen, quod vrbem præterlabitur, per inciles foſſas diuertere. Noſtri vero ne aquationis vſus interciperet, cū alioqui non eſſent in vrbe fontes, nō putei, nō ciſternæ, coacti ſunt pro aqua cū hoſtibus pugnā conſerere. Cūq; ex vtraq; parte complures caderent, non potuit effici quo minus hoſtes magnam fluminis partem alio diuerterent. Erat cuniculus ex vrbe pertendens ad flumen aquationis vſui iam pridem ab Oppidanis comparatus. Sed cum ex diuerſa fluminis ripa ſagittis & miſſilibus aquatores ſummouerentur, non potuit euitari, quin pro vſu rei tam neceſſariæ ab vtriſq; diu noctuq; pugnaretur, atque plures vtrinq; caderent. Laborabant prætererea noſtri aliarum rerum multarum inopia. Nam cum iam inde ab initio vrbs capta diriperetur, multitudo ignara conſiliorum putans vrbem non eo expugnatā vt muniretur præſidio, ſed vt direpta dirutaq; deſereretur, frumenta equis proculcanda ſpargunt, dolia & ſerias mellis & olei frangunt, atq; corrumpunt alia, quæ poſſent aliquando vſui eſſe futura. Duces noſtri in tanta rerum omnium difficultate poſiti ab vrbibus finitimis per litteras auxilia petunt, proceres primoreſq; populorum ad ferendas ſuppetias hortantur, quanto in periculo ſint exponunt. Ducem a Methymna Aſindica ob memoratas ſimultates veriti ſunt commonere, ne rogatum facerent deteriorem ſibi implacatioremque, cum præſertim de tanta re illum a principio non conſuluerint. Ad Regem præterea Reginamq; ſcribunt, quo in ſtatu res ſit enarrant, atq; vt copias auxiliares quamprimū curent mittendas, hortantur.

De auxiliaribus copijs cum comeatu obſeſſis miſſo, & quod Rex ex Methymna profectus magnis itineribus properat, vt negocio intereſſet.

Caput. IIII.

NVNCIO eorum quæ ad Alamam gerebantur ad finitimas noſtrorum ciuitates allato, omnes ſe incredibili ſtudio ad arma capeſſenda concutere, atq; ſuis in tanto periculo poſitis ad auxilia ferenda cohortari. Sed imprimis Enriquus a Methymna Aſindica Dux ſimultatum quæ illi cum Marchione Gaditano interceſſerant, aut obliuione ſempiterna memoriam delens, aut ad tempus diſſimulans equites pediteſq; aut ſuæ dicionis, aut ſua æra merentes euocat, amicos rogat, omnes in commune ad ferendam laborantibus opem accendit. Exponit præterea publice apud Menſarios ingentem pecuniarum aceruū, vnde ſtipendia Gregarijs militibus perſoluerentur. Atq; in hunc modum quam maximo exercitu comparato, accedunt alteræ copiæ a Corduba, Aſtygi, Hiſpali, Aſindo, cæteriſq; Oppidis & municipijs in hoſtium collimitio poſitis. Conueniunt præterea eodem comes Egabrenſis & Alphonſus Aquilarius atq; Limitaneorum Præfecti, qui omnes grandi rerum omnium commeatu &. qui poſſet ſibi obſeſſiſque ſufficere iumetis impoſito Alamam contendunt. Mirum tam breui tampore tantam equitū peditumq; multitudinem potuiſſe vnum in locum conuenire, atq; tanto omnium conſenſu tanquā animi alacritate ad præclarum facinus peragēdum coniuraſſe. Erat ea tem

peſtate Rex & Regina Methymnæ ad campũ, qui nuncio accepto de Alamā a noſtris expugnata & deinde ab hoſtibus obſeſſa nihil cunctādum eſſe rati cunctis viribus opitulandum eſſe intercluſis decernunt, Ad bæticæ prouinciæ ciuitates, Oppida, Caſtella, arciumq; præſides,& ad limitaneorum præfectos ſcribunt,vt ſint in armorum procinctu. Ipſe vero Rex quo die nunciũ accepit,a Regina digreſſus magnis itineribus Cordubam contendit. Erant in illius comitatu Beltranus dux Alburquerquerus, Petrus Manriquus comes a Triuinio,Enicus Mēdoza comes quoq; a Tendilla,quibus ſe deinde adiunxit Ioannes Siluius Ciſontanus comes ex Toleto vrbe regia progrediens in occurſum. Cumq; perueniſſent ad Amuzum,oppidum eſt id a Corduba diſtans ſeptentrionem verſus paſſuum circiter millia viginti:mittit literas ad ducem Methymnęum, ad comitem Aegabrenſem,ad Alphonſum Aquilarium:& ad alios cohortiũ præfectos, imperans illis ne properēt,ſeq; expectent,velle ſe dicit ferendo ſubſidio intereſſe. Atqui duces,qui iam intra hoſtium fines exercitum ductabant cum grandi armorum commeatuſq; impedimento putātes iam non eſſe integrum,ſed neq; tutũ retrocedere, tum quod obſeſſi laborabant in ſumma rerum omnium inopia, tum etiam quod tantus exercitus non poterat diutius contineri,propterea quod ad paucos dies erat conductus,& paucorum dierum cibaria comportabantur,reſcribunt ad Celſitudinem ſuam ſe voluiſſe illius iuſſis obtemperare,ſed rem eo loci deductā,vt iam non ſit in ipſorum poteſtate, vt ſaluis rebus poſſent repedare. Orabant, obteſtabanturq; illum quando aliud fieri non poterat,id quod feciſſent,boni conſuleret. At Rex nihilo ſegnius inſtitutũ iter peragit,quod ad ventum eſt ad locũ,quem accolæ Pontonem magiſtri vocant. Vbi certior factus exercitum procedere,neq; poſſe illum ob memoratas cauſas expectare, properabat tamen vt copias conſequeretur, niſi periculi a finitimis hoſtibus imminentis admonitus fuiſſet. Itaq; ſtatuit Ramblæ rei euentum expectans immorari. Vbi vero poſtridie nuncium accepit de hoſtium fuga, deq; Alama obſidione ſoluta Cordubam redijt, quo venturam eſſe Reginam cōuenerat,cum qua de futuri belli ratione conſultaretur. Conſtabat namq; Granatenſes Mauros dum haberent hoſtem in agro propemodum ſuburbano nunquam quieturos,ſed neq; ceſſaturos ab obſidione repetęnda,quo ad vrbē amiſſam recuperarent. Ex quo alterum e duobus erat neceſſarium, aut vrbem relinquendam,aut bellum eſſe continenter gerendum. Nam quod erat tertium alternis menſibus tam grandem exercitum cogere, qui ſufficeret ad commeatus importandos infiniti cuiuſdā erat ſumptus,& vnde multo maius detrimentũ noſtri,quam hoſtes acciperent.

Soluitur Alamæ obſidio,commeatus in vrbem importatur,Dux a Methymna cum Marchione ex antiqua ſimultate in gratiam redit.

Caput. V.

MAVRVS deſerta obſidione cum ſe Granatam recepiſſet, noſtri ſumma rerum omnium inopia laborantes ſpem,metumq; interdubij pendebant,cum ſpeculatores nunciant auxiliares noſtrorum copias aduentare. Erumpunt portis bipatentibus omnes, atq; in occurſum venientium hilares procedunt. Ruunt vtriq; in amplexus, & oſcula,dicunt accipiuntq; ſalutem. Hi percontari,illi narrare pericula geſtiunt. Hos iuuat,beneficia in tam bene meritos collocaſſe,hi conſeruatores,atq; vitæ,ſalutiſq; ſuæ autores venerantur. Iam Gaditanus Marchio acceperat quanta animi ala

critate dux a Methymna ſe geſſit principem in contrahendis auxilijs,quantaq; liberalita te in ſtipendio militibus perſoluendo fuerit vſus, quantos præterea labores in ductando exercitu ſubierit,cum alioqui potuiſſet iure ſuo in aduerſarij calamitate,aut lætari,aut ſaltem diſſimulare. Ipſe prior ducē adit,atq; poſt arctiſſimos amplexus dicta, acceptaq; ſalute huiuſmodi verbis eſt vſus. Hic dies clariſſime Dux,mihiq; imprimis obſeruan de controuerſijs,ſimultatibuſq; noſtris finem impoſuit,idemq; ſpero initium dabit neceſſitudinis,amoriſq; inter nos ſempiterni. Nam & ego ſemper meminero beneficij a te hodie accepti,atq; ſalutis,quam tibi vni acceptam refero,& tu e diuerſo cum de me cogitabis,de tua erga me benignitate memineris, & te meæ ſalutis autorem fuiſſe lætabere.

Sed quando neq; fortuna tua deſiderat, vt tuis in me beneficijs gratiā referam, neq; pro tui animi magnitudine id a me exigis,reliquum eſt,vt Deus immortalis,& mens ſibi conſcia recti prēmia digna ferant. Ad quę breuiter Methymneus dux miſſa,inquit,iſthæc fac perquam illuſtris Marchio. Neq; enim decet in cauſa maxime religionis Chriſtianæ bonos viros priuatarum ſimultatum meminiſſe, quin potius omnes offenſas, ſi quæ hinc inde,aut illatę, aut acceptę ſunt,condonemus patrię,atq; nomini Chriſtiano, æternaq; obliuione ſepeliamus. Nunc quando bene vtriſq; ceſſit,genialis agatur iſte dies, ſitq; inter nos gratiæ reconciliatæ teſtis ſempiternus. Iunguntitaq; hoſpitia,& quemadmodum eſt in adagio illo veteri,pares cum paribus facillime congregātur. Sed quid non mortalia pectora cogit auri ſacra fames? Cernens auxiliaris miles hoſpitem ſuum ſeruis,ancillis, armis, omniq; precioſa ſupellectili adauctum, cœpit inuidere, atq; alius alium muſſans extimulare,cur non inquiens, & nos quoq; ex præda pro virili portionem petimus,qui non minus in ferendo auxilio,quā iſti in capienda vrbe laborauimus?

Neq; enim minor eſt labor,quam quærere parta tueri. Itaq; cum poſtridie de relinquendo in vrbe preſidio,deq; reducēdo exercitu a ductoribus ageretur,cœptum eſt non iam obſcure,ſed palam atq; pro concione publica diſceptari de præda inter præſidiarios, ſubſidiarioſq; diuidenda. Hi namq; dicebant deberi ſibi non modo partem ſpoliorum, ſed & omnem prædam,quando vt ait poeta, non minor eſt labor, quam quærere,parta tueri. An qui in ſumma rerum omnium difficultate,atq; anguſtia poſiti iam iam in hoſtium poteſtatem venturi erant,aut cædem miſerandam ſubituri,non dederent ſe cum ſuis omnibus bonis, vitæ,ſalutiſq; ſuę autoribus? pellem,inquit ſcriptura ſacra,pro pelle dabit homo pro anima ſua. Illud inſuper addebant ex limitaneorum iure, legibuſq; iam inde ab ipſa hominum origine obſeruatis,qui in hoſtium poteſtatem deuenerunt ſui iuris omniumq; bonorum ſuorum facultatem amiſerunt,atq; ſui ipſorum dominium in victores tranſtulere. At vos, inquiunt,omniaq; bona veſtra,tā ea quæ antea iure poſſidebatis,quam ea quæ nunc ex belli huius manubijs obuenerunt, veſtri iuris eſſe deſiere, cum iam iam in hoſtium poteſtatem ventura eſſent,niſi nos auxilium tuliſſemus. Quę igitur inuidia eſt,non concedere partem illis, qui vobis omnia reddiderunt vitam, libertatem,fortunaſq; omnes,tam iure antea poſſeſſas,quam nunc ex bello aduenticias? Illi vero contra,immo inquiunt,quæ æquitas,quod iure noſtrum ſemel eſſe cœpit, quodq; vigilijs,& laboribus,atq; inſuper vitæ periculo nobis acceſſit,atq; in cenſum noſtrum iuſte numerari debet,nobis inuitis velle præripere? At liberaſtis obſidione detentos,aperuiſtis viam,qua ciuibus veſtris in patriam reditus pateret,feciſtis quod ex iure diuino,& humano facere debuiſtis. Nunc vero pro eo mercedē exigere,quod vltro bene feciſtis, quæ humanitas eſt? immo quis pudor,atq; inciuilitas, beneficiū ſemel bene collocatum exprobrare? His ſe ſtimulis,atq; iurgijs in rixam,& ex rixa ſe in pugnam prouocan-

tes Dux à Methymnà ſic alloquitur. Quo pergitis o comilitones mei, quis furor, iraq;
mentem præcipitat? hoc tãtum obſecro prohibete nefas, ne velitis pro parua bonorum
fortunæ acceſſione tantã rei bene geſtæ gloriam cõmaculare. Et quid aliud hoſtes no-
ſtri contra nos facerent, quam quod vos facere incipitis? Nunquid ea ex cauſa huc veni
mus, vt cum ciuibus noſtris pugnã confereremus, an potius vt ex periculo, & obſidionis
anguſtia explicaremus? Sinite igitur, rogo vos, habeant illi parua, atq; minuta fortunę
bona, quæ ſibi forte ſua obtigerunt, dum modo vos beneficẽtiæ veſtræ conſciencia frua
mini, quæ ſola bonis, atq; ſapientibus viris pręmium recte factorum ſemper fuit iudica-
ta. Hoc clariſſimi, deq; omnibus benemeriti Ducis ſermone mitiores facti milites
auxiliarij ceſſerunt, puduitq; illos incœpiſſe, quod non fuerunt conſecuti. Tum exer
citus parte cum omni commeatu, quem importauerant, in vrbis præſidio relicto, cæte-
ri cum Duce, & Marchione in domos quiſque ſuas læti redierunt.

Maurus Alamæ obſidionem repetit. Regina Cordubam ve-
nit. Bellum Mauris apparatu maiori decernitur.

Caput. VI.

GRANATENSIVM Rex audito Ducis & Marchionis ex
Alama diceſſu, obſidionem maiore belli apparatu repetit, atq; die no-
ctuq; omni ex parte oppugnari iubet. At Iacobus Merulus Hiſpalen
ſis ciuitatis prefectus, & Martinus a Corduba ex familia comitis Aega
brenſis, & Ferdinãdus Carillus vir nobilis, qui relicti fuerãt vrbis tuen
dę cauſa prefecti, ſtationes diſtribuunt, vigiles, circitoreſq; partiũtur, &
qua parte murus erat infirmior ſtrenuiſſimus qſq; miles collocatur. Cũq; per aliquot
dies cõtinuos omne tempus mutatis oppugnatoribus noſtros ad laſſitudinẽ vſq; oppu
gnãdo defatigaſſent, ſtatuũt in matutino quodam diei crepuſculo, qua parte munitionis
nulla erat ſuſpicio, ſcalas admouere. Iamq; vigilibus trucidatis ad ſeptuaginta intra vr
bem recepti erant, atq; aſcendentiũ numerus magis magiſq; augebatur. Ad clamorem
teſſerę noſtri excitati arma corripiunt, admiſſoſq; intra mœnia hoſtes cædunt, fugant,
atq; impulſos ex muris deturbant. Actum erat de retinẽda vrbe, deq; omnibus qui il-
lam pręſidio tenebant, actum quoq; de omni ſpe regni illius recuperãdi, quod per ſeptin
gentos annos hoſtes poſſederant, ſi non Hiſpanæ reip. fortuna vnum ex militibus po-
liendi, atq; aptandi ſpicula ſagittis peruigilẽ ſeruaſſet, qui, hoſtium ſciens ſtrepitũ, ſocios
dormiẽtes ad arma capiẽda excitauit. Fuit nobis tam ſatalis ſagittarũ ille politor, quam
Romanis anſer ille Capitolinus, qui Senones mœnia ſubeũtes, iamq; pinnas murorum
prenſantes primus omnium ſenſit, atq; clangore ſuo vigiles, propugnatoreſq; excitauit.

Maurus cernens ſe ea oppugnatione nihil proficere, obſidionem intermittit in aliud
tempus, quo machinis, & oppugnatoribus, atq; tota illius regni mole auctus vrbẽ amiſ
ſam recuperet. Regina interea quam Rex Methymnę reliquerat, cum ad bellũ, quod
cum Mauris gerebatur, in Bęticã proficiſceretur, ad primores regni, ad ciuitates, & muni
cipia, vnde poterat exercitus cõparari, & ad euocatos, qui regia ſtipẽdia merebant, literas
dat, quibus oẽs hortatur, vt ad certũ diem ſint in armorum procinctu, & ſe cũ Rege ag-
glomerent, vt quã maximo fieri poſſit exercitu, hoſtiũ fines adoriãtur. Comeſtabilem
quoq; Hiſpaniarũ accerſiri iubet, vt ſupioris Hiſpanię citra Taurũ mõtem ꝓ ſe, & pro
Rege gubernationẽ cõmẽdet. Qui veniẽs & qua ex cauſa iuſſus ſit venire fact⁹ certior,
hac vna in re dicit ſe cogi nõ poſſe, neq; debere, vt Rege ſuo militãte, atq; cũ hoſtibus rem

gerente, Comeſtabilis in pace quietus & extra fortunam belli poſitus vitam agat. Non potuit Regina illius ad obſequium pronã volũtatem non laudare, laudatumq; vt ſuum in bello munus exequeretur, ſeq;, vt ad Regem quamprimum fieri poſſit, conferret, hortatur. Prouinciæ deinde adminiſtrationem in Archithalaſſum Regis transfert, quem regij conſilij iure conſultis præficit, atq; prætoribus maximis, quibus in locis opus erat conſtitutis, quam magnis poteſt itineribus Cordubam ad Regem proficiſcitur, niſi quatenus paucos dies dominicæ reſurrectioni dedicatos Toleti immoratur. Quo tempore Regina Cordubam venit, nihil aliud fere ad regium ſenatum verſabatur, quam de Alama capta quid eſſet decernendum. Erant complures ex ordine equeſtri, atq; ſenatorio viri rei militaris periti, quibus natura regionis, & loci ſitus erat notus, qui Regi & Reginæ ſuadebant, vt demolirentur vrbem, quæ niſi magno totius Hiſpaniæ diſpendio retineri non poſſet. Nam cum eſſet in medijs hoſtium penetralibus ſita, eſſe opus quot annis quater, aut quinquies commeatus importari, quod tuto fieri non poterat, niſi toties equitatus ingens cogeretur. Quare belli gerendi ratio potior videbatur, vt euerſa funditus Alama, conſilia verterentur omnia quemadmodum Loxa poſſet capi, quæ minori ſumptu capta retineri poſſet. Sed quia ciuitas illa grandior erat, & quæ, vt obſideretur, maiore belli apparatu indigeret, quam pro tempore illo eſſet in promptu, in aliud tempus obſidionem eſſe differendam, cum præſertim illa tempeſtate Bætica rei frumentariæ penuria laboraret, ſatiſq; eſſet quod Rex cum præſenti exercitu commeatum importaret Alamam, ſiue placeret vrbem dirui, ſiue muniri, præſidiarios milites omnium rerum egeſtate laborantes eſſe recreandos. At Regina, quæ propagandi fines Hiſpaniæ ingenti cupiditate flagrabat, non probauit illorum ſententiã, qui dicebant Alamam eſſe diruendam, nec vlla ex cauſa ceſſandum a gerendo bello, quod ſemel inchoauerant, & cuius cauſa quo tempore alijs rebus eſſent impliciti, ipſa cum Rege illuc venerant. Et quando illud oppidum fuit primum, quod ex hoſtium poteſtate in ſuam dicionem venerat, & vnde totius belli futuri auſpicia erant capienda, nullo modo eſſe deſerendum, ſed potius in eo laborandum, quemadmodum caſtella, & oppida, munitioneſq; finitimæ caperentur, vnde hoſtibus damna inferrentur, & Alamæ noſtræ quies trãquillitaſq; perueniret. Huic Reginæ tam pię, honeſtæq; voluntati Rex acceſſit. Tum regni proceres & qui aderant, & qui abſentes poſtea aduenerunt aſſenſi ſunt, ſeq; ad bellum, quod impendebat, parant, atq; alacri animo ſe ad arma accingunt, Rex cum proceribus, qui aderant, & cum præſenti exercitu Aſtygitanam Coloniam petit. Fuerunt in illius comitatu ordinis eccleſiaſtici Petrus Mendoza Cardinalis Hiſpanus, qui poſtea ex Archiepiſcopo Hiſpalenſi, fuit Toletanus Antiſtes, Ex eadem familia Iacobus Furtatus ex epiſcopo Pallantino Archiepiſcopus Hiſpalenſis, & Alexãdrinus Patriarca &. S. R. E. Cardinalis. Ordinis equeſtris Magiſtri, Alphonſus Cardenius militiæ diui Iacobi, Rodericus Tellius Ciſtercienſis militiæ a Calatraua, A ponte Traiani, hoc eſt ab Alcantara Magiſter Ioannes Stunica non adfuit, quia ætate pupillari ſub patre Placentini Ducis erat poſitus. Ex ſęculari militia Dux a villa formoſa Regis frater Nothus, Ludouicus Cincinnatus a Methymna coeli Dux, Aenicus Lupides Cardinalis Hiſpani frater Infantatus Dux, Beltranus a Cauea Alburquerquerus Dux, Petrus Veraſcus Hiſpaniarum comeſtabilis, Rodericus Pontius a legione Gaditanus Marchio, Iacobus Lupides Patiequus Villenatium Marchio, Alphonſus Tellius Vrẽnatum Comes, Iacobus a Corduba Aegabrenſis comes, Petrus Manriquus a Triuinio comes, Aenicus Lupides Mendoza Tendillanus comes, Ioannes Siluius Centifontanus comes, Guterius a

ſcepto maiori, Caietanus comes. Alphonſus a Corduba domus Aquilariæ dominus. Alij quoq; ex equeſtri ordine viri principes, qui partim acciti a Regina, partim rogati, partim ſponte, partim vltro venerunt. Nec defuerunt duo queſtores maximi, Ioannes Chaconius & Rodericus Vlloa. Regij preterea cenſus, & fiſci procuratores, domuſq; regię Villicus maximus Enriquus Enriquides. Tũ luſtrato exercitu cenſi ſunt equites ad octo millia, peditũ vero numerus amplior, ordinatiſq; cohortibus ex Aſtygi colonia cum ingenti cõmeatu Alamam petit. Iacobum Merulum alioſq; duces, & milites, qui cum illo erant, laudat, laudatoſq; a pręſenti militia ſoluit. In Meruli locũ Ludouicum Ferdinandũ comitem a Palma ſufficit, & quadringentorum equitum cum ſuis ducibus pręſidium illi relinquit, vrbem, quibus in locis erat opus, munit, atq; omnium rerum copia, quæ ſunt ad victum neceſſaria in trimeſtre tempus inſtruit. Erant in ea vrbe tria Maurorum fana, mezquitas illi vocant, quas ex profano ritu expiatas Cardinalis Hiſpanus Regis & Reginæ iuſſu Chriſtianæ religioni dedicauit. Primam Dominicæ incarnationis nomine. Alteram diui Iacobi Hiſpanorum patroni. Tertiam Michaelis archangeli. Has Regina vaſis aureis, argenteiſq;, veſtibus, & auleis, libris, cymbalis, tintinnabulis, & omnibus quæ ad cultum diuinum neceſſaria ſunt adornauit. Ipſa quoq; religionis ardore commota ſuis digitis textilia quædam velamina laborauit, quæ adhuc in templo illo primo manuum ſuarum monumenta extant.

Rex Granatenſium agros populatur. Loxam obſidet, atq; obſidionem intermittit.
Caput. VII.

HIS ad Alamam peractis, Rex antea quam Cordubam rediret, campos Granatæ adiacentes obequitat, agrorum fruges in herba metit, arbores ſuccidit, & omnia vaſta reddit. Interea Regina non ceſſat, alios principes, qui Regem non fuerant ſecuti literis conuocare, vrbes, oppida, municipia, & populos, vt ſe futuro bello, quod in Loxam parabatur, accigant, hortatur. Ex omnibus quoq; locis vndecunq; fieri poterat, commodius frumenta, vina, ſuccidia, reliquumq; omnem commeatum in certum tempus, locumq; comportari, machinas quoq; & tormenta, cæteraq; omnia, quibus ad obſidionem opus erat, aptari iubet. Interea Mauri cum intelligerent noſtros omni bellico apparatu in illorum perniciem conIuraſſe, & ipſi vires, & conſilia, quibus ſe tueantur, arceantq; noſtros, excogitant, aggeribus, foſſis, vallis, & propugnaculis muris, & pinnis, vrbes, oppida, & caſtella muniunt. In quanto ſint periculo tranſmarinos Mauros faciunt certiores, atq; auxiliares ab illis copias, & ad victum neceſſaria implorant. At Principes noſtri illorum conſilia præuertunt, nam ingenti omnis generis nauigiorum claſſe, in freto Gaditano comparata vtriuſq; Mauritaniæ littora, portuſq; & ſtationes luſtrari iubent, ne quiſquam ex illis ad ſuos iuuandos tranſmeare, aut aliqua in re opitulari poſſet. Igitur Rex cum exercitu, quem Regina parauerat, dum ipſe Alamam inſtruit, Granatenſiumque agros populatur, cumq; omni commeatu, quem vnum in locum comportari iuſſerat, ad alterum exercitum proficiſcitur, atq; vtriuſq; exercitus ordinatis cohortibus Loxam petit, atq; inter oliueta ſuburbana, quæ in vallibus, & collibus conſita Singilis amnis præterlabitur, caſtrametari iubet. Erat prope vrbem cliuus ex Loxenſium religione ſancto Alboacemi ſuo dicatus, qui propterea, quod vrbi impendebat, & ſtationes in eo diſpoſitæ videbantur poſſe hoſtium eruptiones compeſcere, &

gcere, & caſtra redere tutiora, iubet Rex conſidere Rodericum Tellium militiæ a Calatraua Magiſtrũ, & Vrenatium Comitem illius fratrẽ, Gaditanũ quoq;, Villenatemq;, Marchiones, & Alphonſum domus Aquilariæ dñm, ſtrenuos duces, & qui pulcherrimum equitatum, peditatumq; ductabant. Cęteros, pro commodo quemq; ſuo, atq;, obſidionis, quæ parabatur, tabernacula figere, & tentoria collocare iubet. Erant in vrbe ad tria millia armatorum ex omni Maurorum numero delecta ſub duce rei militaris experientiſſimo, alatarum, hoc eſt Aromatopolam, illi vocabant. Hi eruptionibus crebris laceſſebant noſtros, multaq; illis damna inferebant. Et quia caſtra erant anfractibus, præruptiſq; montium interciſa, non poterant ſibi inuicem auxilia mittere. Quarto die, poſtea quam Mauri ſunt obſeſſi, bonã armatorum partem in inſidijs collocant, partem in eos mittunt, qui ſancti Alboaceni cliuum inſederant. Committitur pugna cum ſtationarijs, atq; his militibus, qui erant in præſidio poſiti contra ſubitas Maurorum eruptiones, accurrunt ſubſidiarij, hoſteſq; ſubeuntes in fugam compellunt, fugienteſque perſequuntur immemores caſtrorum, quæ ſine defenſoribus, & deſerta reliquerant. Interea ex inſidijs Mauri prodeuntes ex altera parte cliuum conſcendunt, caſtra oppugnant, capiuntq;. Quod cum noſtris eſſet nunciatum, in caſtra iam capta redeunt, eos hoſtes ex vrbe inſequuntur, noſtri ancipiti pugna diſtracti, & cum illis, qui caſtra deripuerant, ad horam integram pugnant, quoad ex alijs caſtris auxiliaribus copijs ſubeũtib⁹ hoſtes fundũt, fugãt, atq; intra ſua mœnia includũt. In ea pugna cõplures primarij viri ceciderunt, ſed imprimis Rodericus Tellius a Calatraua Magiſter duabus ſagittis confixus interijt. Cuius mors non modo Regi & Reginæ, ſed quia curialium iuuenum erat Princeps, vniuerſæ iuuentuti flebilis fuit. Rex vero cum intelligeret, quanto in periculo eſſent, non modo ij, qui Alboaceni cliuum, ſed etiam illi, qui alia loca inſederant, cum neutri poſſent in hoſtium ſuperuentu alijs auxilium ferre, ſtatuit caſtra in locum tutiorem procul ab vrbe reducere, quoad geminatis copijs bina aut terna caſtra poſſit vrbi admouere. Neque enim aliter poterat obſidio coarctari, quo minus obſeſſi ſocios auxiliares poſſent admittere, & ea quæ ad victum neceſſaria erant in vrbem importari, itaq; ſtatuit poſtridie eius diei caſtra mutare. Sed antea quam præconis voce conclamari caſtra iuberentur, plebei, & turbæ, & gregarij milites, & qui ſub nullo certo duce militabant, cum viderẽt procerum tentoria reuelli, ſarcinas, & impedimenta inuehes aptari, cliuumq; Alboaceni ab inſeſſoribus deſeri, atq; ab hoſtibus occupari, ſuſpicati auxiliares copias nocte heſterna intra vrbem admiſſas hoſtium numerum auxiſſe, omnem ſpem ſuæ ſalutis in fuga poſuerunt. Non illos pudor retinuit, non deſertorum, caſtrorumq; ignominia, non timor, qui plærumq; degeneres animos arguit, quemadmodum generoſos fiducia ex periculo explicat. Supererat hoſti animus ad perſequẽdos fugientes, niſi Rex equum conſcendẽs procerũ cohortes luſtraſſet, acies trepidantium ſtetiſſet, labenteſq; animos in pugnã reuocaſſet. Iu eo conflictu Comeſtabilis tria vulnera in facie accepit. Dux a Methymna cœli equo deiectus ab ijs, qui illũ obſeruabãt, pugnę reſtitutus eſt. Comes Tẽdillanus, qui ſtationẽ habuit vrbis munitionibus proximã prætermodũ telis hoſtiũ impetit⁹ ceſſiſſet in interitũ, niſi Frãciſcus Stunica, q patris ſui Placẽtini Ducis cohortes ductabat, accurriſſet, atq; in ſũmo periculo poſitũ vitę, pugnęq; reddidiſſet. Gaditanus Marchio illa die inſignẽ operã nauauit, q cũ ſuis pugnãs non ſolũ hoſtes repreſſit, verũ etiã cędẽ in eos ingentẽ edidit, atq; in vrbis muros impegit. In hũc itaq; modũ mulionib⁹, & lyxis, calonibuſq; ſpaciũ, atq; tẽpus datũ colligẽdi ſarcinas, & impedimẽta, iumẽtiſq;, & carris imponendi, niſi quatenus vehicu

lorum defectu magna rei frumentariæ copia eſt relicta. Regina earum rerum, quę ad Loxam nõ ſatis fœliciter geſta ſunt, facta certior indoluit, pluſq; pro materia decuit, ſed premens altum corde dolorẽ, ſpem vultu ſimulat, ſeq; maiori animo erigit ad ea quæ reſtabant peragenda.

Maurus Alamam iterum obſidet, noſter obſidionem ſoluit, vrbemq; commeatu inſtruit. Caput. VIII.

QVI Alamę pręſidio cum Palmẽſi Comite, alijſq; ducibus a Rege ſunt relicti, cum audiſſent Loxę obſidionem Solutam, Regemq; copias inde mouiſſe, ex cuius captiuitate ſperabant ſibi faciliorem futuram militiam, nunc ex liberatione difficilem, periculoſamq;, quod pro comperto habebant, hoſtes non quieturos, quoad Alamam in ſuam redigerent poteſtatem, muſantes inter ſe dicebant, non eſſe expectandum, donec hoſtes venirent, eoſq; obſidione cingerent, quin potius vrbem eſſe diruendam, ipſos cum ſpolijs, atq; omni præda debere ſe ad ſuos, tutioraq; loca recipere. At Comes, & qui cum eo duces in vrbis pręſidio erant intelligentes, quam ignominioſum, ac turpe facinus eſſet, vrbem ſuæ fidei creditam deſerere, diſſuadent, hortanturq; ne tale aliquid cogitarent, nunc precibus orant, nunc minis deterrent, nunc admonent, vt in Regis aduentum rem integram referuent, neq; quicquam interea ea de re ſtatuant. His rationibus milites confirmati obfirmant animos ad ſe, vrbemq; ſibi commiſſam tuendam, aut mortem pulchram ſibi oppetendam. Et ecce Maurus cernens Loxam obſidione liberatam, Regemq; noſtrum cum exercitu ſe Cordubam recepiſſe, cum duobus equitum millibus, & ingenti peditum numero Alamam inuadit, diu, noctuq; oppugnat, noſtri propugnant, in eoq; dies aliquot inſiſtitur. Sed obſeſſos alimenta, vireſq; deficere, atq; in dies propugnantium numerus minui, vigiliarum, laborumq; viciſſitudo creſcere. Illos tamen recreabat, reficiebatq; vna, & ea quidem certiſſima ſpes, quod breui Rex ſuppetias eſſet allaturus cum ingenti rerum omnium commeatu, neq; illos ſua opinio fefellit, nam & ad conſtitutum diem venit. obſeſſores impugnanteſq; fugauit, vrbem alimentis, & aliarum rerum copia inſtruxit, duces, militeſq; feſſos recentioribus permutauit. Nam Palmenſis Comitis in locum, Ludouicum Oſorium eccleſiæ Aſturienſis Archidiaconum, qui poſtea menteſanus Præſul fuit, virum probum ſuffecit.

Hiſq; rebus peractis alteram per Granatenſium agros excurſionem facit, prædiorum villas, ſpeculatorumq; turres diruit, frumenta, frugeſq; in herba corrumpit, pecora, armentaq; abigit, paſtores, agrorumq; cultores in ſpeciem triumphi ante ſe captiuos agit, atq; ſic cum integro exercitu Cordubam Victor redit. Quanta eſſet principum noſtrorum potentia, quantaq; animi magnitudine bellum hoc inchoarunt, vel ex eo animaduerti poteſt, quod hoc eodem anno quater cöegerunt exercitum, quam maximus poterat ex vniuerſa Hiſpania comparari, quater hoſtium fines hoſtiliter ingreſſi omnia illius regni penetralia proculcarunt: vnde ſecuta eſt tanta rerum penuria, quę ad victum pertinent, vt niſi gens illa cibi parciſſima, vini abſtemia, frigoris, caloriſq; patiens, propoſitiq; tenax fuiſſet, vel ſola huius anni diligentia potuiſſet illos in ſui, rerũq; omnium ſuarum dedicionem cogere. Sed neque in aduerſis deerat illis animus, non ſolum ad impetus noſtrorum ſuſtinendos, verum etiam cum magis afflicti eſſe viderentur, ad hoſtes laceſſendos ſupererat audacia. Oſtenderũt hoc in obſidine Canneti, quod erat caſtellum noſtrum in collimitio vtriuſq; regni poſitum, namq; dum hoſtes intra ipſorum fines omnia vaſtant, populanturq;, illi intra noſtros Cannetum oppugnant, ca-

piunt, diripiuntq;, & cum præda vtriuſque ſexus, atq; omnis ætatis, condicioniſq; mortalibus, in patriam victores redeunt. Quid? quod eodem ipſo tempore, cum inter patrem & filium de ſumma regni certamen eſſet, omneſq; ciuium, populorumq; vires in duas factiones eſſent diuerſæ, quarum altera patrem, altera filium ſequebatur, neutra tamen a nobis in perniciem alterius auxilium petijt, ſed ipſi inter ſe priuatas inimicitias, nobiſcum vero vno omnium conſenſu, conſilioq; bellum publice gerebant.

Nam cum pater in regni ſui primores quoſdam nobiles ſęuiciam exerceret, proximi, & affines non auſi alium ſibi Regem creare, filium loco patris delegerunt, ſtatueruntque in regni culmine, Granata vrbe Metropoli cum ſuis munitionibus illi tradita. Pater regno pulſus Baſtam vrbem amicam ſe contulit, inde ſimultates inter patrem & filium ortæ, atq; inde cædes, morteſq;, & odia conſecuta. Interea pater per temporis occaſionem Alambram vrbis arcem, quæ pro filio ſtabat, admotis ſcalis intercipit, præſidioq; munit, inde per uias publicas erumpit, ciues, ſuas quiſq; partes, ſecuti vrbe in media vbiq; pugnant. Sed factio, quæ filium ſequebatur, ſuperior euadit, aduerſarioſq; tota ex vrbe fugat, Alambram captam recipit, ſuoque Regi reſtituit.

Et quamquam concordia illa diſcors hoſtium inter ſe victoriam noſtram ex illis per aliquot annos remorata eſt, fuit tamen eis tandem exitio vltimo, quo ſine multo ſanguinis diſpendio, minoriq; negocio ſe, omniaque ſua tam ſacra, quā profana nobis tradiderunt. Sed quia iam tempus erat, vt Rex & Regina alijs quoque rebus proſpicerent, quam illis, quę ad inſequentis anni bellum pertinebant, antea quam e Corduba diſcederent Limitaneos, duceſq; Limitaneorum certis in locis diſponunt. Petrum Comitem a Triuinio, quem paulo ante Anagarenſium ducem creauerant, Menteſanis finibus præeſſe voluerunt. Alphonſum Cardenium diui Iacobi militiæ Magiſtrum in Aſtigitanis conſidere. His duobus maximis imperatoribus iubent cęteros duces, Comites, Marchiones, & pręfectos, ciuitatum, oppidorumq; pretores, & arcium, caſtellorumq; pręſides obtemperare. Commendantq; non ſolum, vt fines ab hoſtium incurſu tueantur, ſed etiam vt pro temporis opportunitate hoſtem adoriantur, atq; omnia ferro, & igni populentur. His rebus ita compoſitis cum Regina conualuiſſet e partu, quo Ioannam regnorum poſtea hęredem ſucceſtricem fuerat enixa, Cum Rege Madritū proficiſcitur.

Rex & Regina Madriti Hiſpanas ſocietates reformant, pecunias vndecunque honeſte poſſunt æruſcant, Nauariæ res nouas inchoant.

Caput. IX.

PRIMA noſtrorum Principum, poſtea quam venere Madritum, cura fuit reformandi, atq; in priſtinum ſtatum redigendi ſocietates, ſiue vt Hiſpanorum vulgus nunc loquitur, fraternitates, quæ pro viatorum ſecuritate fuerant in Matricalenſi Panhiſpanio conſtitutę. Legum autem illarum, quibus ſocietates illæ fuerunt ſancitæ, tranſgreſſores, violatoreſq; multandos, aut repetundarum damnatos cum ignominia eijciendos imprimis eſſe iuſſerunt. Procuratores deinde illarum fraternitatum ex omnibus prouincijs iuſſi in vnum locum conuenire, is fuit Pintum, quod eſt oppidulum Diœceſeos Toletanæ. Ii detulerunt quęrelas earum rerum, quæ vſquam in Hiſpania perpetratæ ſunt, quod facinus manſit impunitum, in eos vero prætermodum eſt animaduerſum, qui magiſtratus fraternitatis ærarium depeculati ſunt, qui partem adminiſtrationis ſibi commiſſæ negligentius exercuerunt.

Dati quoque iudices, qui repetundarum accuſatos, aut damnarent, aut abſoluerent. Eiſdem quoq; data facultas rogandi nouas leges, atq; abrogandi veteres, prout reipublicæ vtilitas exigere videretur. Et quia reconditum ærarium, neque fiſcus, regiuſque cenſus erat ſatis ad tantæ maieſtatis molem ſuſtinendam, ſtatuunt, vndecumq; honeſte poſſent pecunias æruſcare. Ab Hiſpanæ ſocietatis procuratoribus petunt ſedecim millia iumentorum, atq; mulionum octo millia, qui iumenta omni genere commeatus onuſta agerent, quo Alama inſtrueretur. A Sede quoq; apoſtolica auxilium implorauere ad ſtipendia militibus perſoluenda, tam ijs, qui contra nominis Chriſtiani hoſtes in limitibus gerebant bellum, quam ijs, qui in certis Hiſpaniarum partibus, quæ nondum ſatis erant pacatæ, in præſidijs agebant, quam ijs etiam, quibus erat opus ad cuſtodiā principum, & quicquid decreuiſſent executioni mandandum. Ad ſupplendos hos ſumptus miſſa eſt a Pontifice ſummo cum ſenatus apoſtolici aſſenſu facultas diſtribuendi centum millia ducalium aureorum per vectigalium eccleſiaſticorum claſſes, vt in redditibus onerandis ex iuſticia diſtributiua nemini fieret iniuria. Ex eccleſiæ quoq; theſauro bullas mittit, quæ, cruciferis in Chriſtianorum hoſtes euntibus, concedi ſolent, ea lege vt ſtipes ex fidelibus emendicatæ, non alia in re, quam in ipſo bello cum hoſtibus gerendo inſumerentur. Ad extra ordinarios vero ſumptus a mercatoribus, opitecenſibuſq;, & aſſiduis ciuibus mutuo accipiunt, quod ad certum tempus eſſet reddendum. Et quia Regiæ domus inopia omnibus erat nota, ea contributio nemini viſa eſt iniqua, cum præſertim illud mutuū, quod impræſentiarum dabatur, ſuo tempore ad dominos eſſet rediturum. Per ea tempora nuncius Regi & Reginæ allatus eſt Phœbum Phœbi Nauarienſis Regis filium, atq; Foxani Comitis pronepotem, ad quem regni ſucceſſio pertinebat, in ætatis flore diem ſuum obijſſe, ex cuius morte in Catharinam ſororem regni hæreditas eſt tranſlata. Ea in matris erat tutela. Cumq; ad eas ſimultates, quæ inter Gallos, & Hiſpanos oriebantur, magnum eſſet momentum, in quas partes Nauariæ regnum cederet, quod dotis nomine tradendum erat ei, quem Catharina maritum ſortiretur, cœptum eſt in ſecretiori curiæ ſenatu agi, quemadmodum inter Ioannem Hiſpaniarum Principum, & Catharinam Nauariæ Reginam ſponſalia fierent. Decretumq;, vt ad hoc perragendum, mitterentur legati ad Reginæ matrem, qui illam de recenti obitu filij conſolarentur, & de filiæ matrimonio cum illa agerent. Mittendas quoq; cenſuerunt copias, quæ Nauariæ vrbes, oppida, caſtella, munitioneſq; occuparent, firmarentq; præſidijs, vt pro nobis ſtarent, ſi quod de matrimonio cœptum eſſet, tranſigeretur. Miſſus itaq; ex ſenatu regio Rodericus Maledonatus a Talabrica iuris conſultiſſimus, qui legationis ſummam Nauariæ Principi exponit. Quot, & quanta inde commoda ſequerentur, enumerat, enarrat præterea quanta honoris acceſſio Nauariæ Reginæ fieret, ſi Hiſpaniarū Principi nuptui daretur. Ad quæ Nauariæ Princeps, tametſi affectu Gallis quam Hiſpanis erat propenſior, comiter, tamen oratori reſpondet, ſe eo nomine poſſe fœlicem appellari, ſi contingeret ſibi, Hiſpaniarum Principem ſortiri generum, atq; parentes illius Regem & Reginam tot, tantarumq; rerum dominos inter affines numerare.

Sed ea de re inconſulto Rege fratre ſuo, quicquā certi reſpondere, non eſſe honeſtum. Illo tamē cōſulto ſe miſſurā Regi & Reginæ reſpōſum ad ea, quę propoſita legatio continebat, atq; ita legatꝰ re infecta redijt. Interea Ioannes Riparius, qui Hiſpanarū cohortiū pręfectus erat, miſſus in Nauariam, vt ſe iūgeret Lerinatium Comiti, cui Regis ſpuria ſoror nupta erat, Pompeiopolimq;, & magnam illius regni partem affectu, præſidioq;

obtinebat, vtq; communi vtriuſq; conſilio rem gererent, ſeq; adexcipiendos Gallorum impetus pararēt, ſi forte aliquid interea molirentur. Et ne inchoatū in Mauros bellum refrigeſceret, & res in Nauaria inchoatę ceſſarent, Rex & Regina prouincias inter ſe diuiſerūt. Hęc ſuperiorē Hiſpanię partē, quæ Nauarię finitima eſt. Ille Bęticā eſt ſortitus.

Rex in Galliciam proficiſcitur, contentiones inter Comites, Lemnium, & Beneuentanum componit.

Caput. X.

ANTEA quam Rex in Bęticam proficiſceretur, res nouæ in Gallicia ortæ illius iter remoratæ ſunt. Nam cum Ferdinandus a Cunia, cui Rex & Regina illius regni gubernationem commiſerant, inter cætera oppida, & caſtella, quæ ſuperioribus annis a corona regia fuerant abalienata, in cenſum regalem redegiſſet, arcem quoq; Auguſti Luco impoſitā, quæ cum oppido ad Lucenſem eccleiiā pertinebat, ſiue iure, ſiue iniuria dicioni regiæ ſubegit. Erat Epiſcopi frater Petrus Aluarus Oſorius Lēni Comes, Pōtiſq; Ferrati dominus, atq; illius regni totius omniū facile princeps. Qui ſpoliati fratris dolore commotus arcem obſidet, tametſi Regis & Reginæ præſidio teneretur.

Quorum iuſſibus, vt ab incœpto deſiſteret, cum excuſationes quaſdā ineptas afferens non obtemperaret, ne illius audacia relinqueretur impunita, Rex magnis itineribus in Galliciam contendit. Et quamquam inter eundum accepiſſet nuncium de arcis obſidione ſoluta, nihilominus ire pergit, ſed antea quam Aſturicam vrbem acceſſiſſet, de Comitis morte certior factus eſt, ibiq; per aliquot dies ſubſtitit, quoad tumult⁹ quoſdā ſedaret, qui ex illius obitu oriebantur. Comiti Lemnio virili ſexus non fuerant liberi, prætérquam vnus, qui viuo patre vnum tantum procreauit nomine Rodericum, & eum quidem ſpurium, quem auus hæredem inſtituit. Iſq; viuens in bonorum poſſeſſionem miſit, oppida, caſtella, arces, munitioneſq; tradidit. Mortuo igitur Comite Lemnio, Rodericus nepos aui titulum aſſumit, bonorum poſſeſſionem continuat, quem propinqui, & affines, domeſtici, & familiares, ſocij, & amici, quos auus habebat quamplurimos, atq; vniuerſa propemodum Gallecorum iuuentus ſequitur. Erat altera ex parte Rodericus Pimentellus Beneuenti Comes, cuius filio ex Comitis Lemnij filiabus vna erat deſponſata, & quia filia erat legitima, Rodericus autem nepos ſpurius, & ex ſpurio filio natus, eodem iure aſſeuerabat omnia defuncti Comitis bona ad nurum ſuam pertinere. Idq; ſe non ſolum iure, ſed etiam ſi opus foret, armis perſecuturum. Comes Lemnius ſe iure potiori eſſe, & quod bona ex aui teſtamento poſſideret, & quod natalium defectum per apoſtolicæ Sedis literas iam eſſet ſuppletus. Itaq; cum alter iam poſſideret, alter de perturbanda poſſeſſione certaret, non experiri legibus, ſed armis potius decernere maluerunt. Vterq; ſuos conuocat, ad arma omnia ſpectant.

Atqui Rex, quod ad bellum in Bætica gerendum properabat, ne inter duos illuſtres viros pugnandi occaſionem relinqueret, paucos dies alios Aſturicæ immoratus eſt. Iubet imprimis, vt Comites, vterq; ſuos, quos habebant in armis, domum quemque ſuam remitterent, deinde vt ad ſe veniant, iuſque coram ipſo perſequantur, interponit inducias in tempus, quo lis tota componi poſſet, ſe rediturum cuique quod ſuum eſſet pollicetur. Comites non ſecus, ac iuſſi ſunt, faciunt, nam & quiſque copias dimittit, ad Regem venit, cauſamque ſuam apud illum defendit, aduerſarij rationes impugnat. Rex litem arbitrio iudicum dijudicandam remittit,

alijſq; rebus ordinatis Madritum ſe ad Reginam confert, vt quod antea decreuerant, alter ad bellum cum Mauris in Bæticam, alter ad id quod in Nauaria inceperāt exequendum, proficiſceretur. Et ecce interim ab Italia negotium aliud exortum eſt, quod tamet ſi honeſte poterant diſſimulare, noluerunt tamen, quibus in rebus auxilio eſſe poſſent, operam ſuam non interponere. Erat in armis vniuerſa Italia, propter ignominioſam mortem Archiepiſcopo Piſano a Florentinis illatam. Erant præterea duæ factiones, altera Pontificis, & venetorum: Florentinorum, & Ferdinandi Regis Neapolitanorum altera. His accedebant reliqui omnes Italiæ principes, & ciuitates, quæ ſub reipublicæ forma gubernantur. Ferdinandi, Florentinorumq; copiæ in agro Romano caſtra metantur, ciuitatem eo anguſtiæ deducunt, quam obſeſſi perpeti conſueuerunt.

Superuenit deinde Pontificis, Venetorumq; exercitus, hoſteſq; ex improuiſo adortus, fundit, fugatq;, caſtra diripit. Ferdinandus copias fuſas recipit, bellumq; inſtaurat. Hinc cædes, agrorum populationes, villarum incendia per totam Italiam fiunt, neq; erat vnde tantis malis remedium afferri poſſet, niſi Principes noſtri partim obſeruantia erga Pontificem, partim Ferdinandi Regis cognatione, partim etiam populorum omnium miſericordia permoti, componendæ diſcordiæ curam ſuſcepiſſent.

Mittunt itaq; oratores ad Pontificem Maximum, ad Venetos, & Florentinos, & ad alios principes, & ciuitates, quæ illos ſequebantur, rogantq; vt relictis armis concordię potius, & paci acquieſquant, ſe velle, inter vtroſq; de pacis conditionibus agere. Miſſi igitur legati Ioannes Gerundenſis Epiſcopus, & Bartholomeus Berrius iuris, legumq; peritus. Qui ab omnibus, ad quos miſſi fuerant, comiter excepti, hos, & illos ambiendo Principum noſtrorum nomine nunc exhortationibus, & monitis, nunc precibus, & promiſſis, ita omnium animos flexerunt, vt non ſolum concordię, pacisq; faciendę ſint aſſenſi, verum etiam Regi & Reginæ eo nomine per literas gratias agerent, quod illos ex tantis moleſtijs, curiſq; liberauerint. Miſſæ hac de re literæ breues a Pontifice, miſſę & ab apoſtolico Senatu, miſſę quoq; à populi Romani gubernatoribus, ex vrbe Roma poſtridie Calendarū Ianuarij datæ. Anno a ſalute Chriſtiana Tertio & Octogeſimo ſuper Milleſimū Quadringēteſimū. Paucis diebus poſtea quā negocium peractum eſt in hunc modū, procuratoribus principū vocatis in ſenaculū, Pontifex pacē, paciſq; con diciones pronūciare facit, Regis & Reginæ legatos cæteris omnibus nudis capitibus, genibuſq; flexis, ſedentes pileatoſq; laudat, principibuſq;, a quibus miſſi ſunt, pro tam benigna opera gratias agit, Inter pacis cōdiciones vna fuit, vt bello ſpoliatis ablata bona redderentur. Venetorum procurator neq; venit vocatus, neq; condicionibus acquieuit, ex quibus Ferraria Venetorum armis occupata Marchioni erat reddenda. Cæteri omnes in Venetos arma mouent, qui timentes in ipſorū excidium omnes Italiæ principes coniuraſſe, Turcarum ſocietatem inire incipiunt, vt eorum auxilio, & ſe tueantur, & reliquis omnibus non modo Italis, ſed etiam Chriſti nomine ſignatis bellum inferant. Eoſdem Turcas Neapolitanorum Rex in Venetorum perniciem allicere tentat. Ad Regem & Reginam Treuentinum Comitem mittit, qui pro ſuſcepto labore gratias agat, certioreſq; faciat, quemadmodū Veneti concordiā totius Italię auerſati, cum turcis ſocietatem inire parant, vt Italię bellum inferant, atq; imprimis Siciliæ, inſuliſq; adiacentibus, quæ periculo maiori eſſent expoſitę. Quare huiuſmodi homines pro publicis hoſtibus habēdos, quippe qui ex aliorū iactura viuāt, atq; cum aliorū detrimento vires ſuas augere conētur. Ad hanc Treuētini Comitis legationē Rex & Regina reſpōdēt, ſe Venetos, Venetorumq; Ducem, inter amicos numerare, neq; illos adhuc feciſſe quicquam, cur eſ

ſent ex amicitia ſemel inita ſubmouendi, ſe tamen miſſuros ad Venetorum ciuitatem legatos, qui ſuaderent, vt modeſtius agerent, ſeq; intra fines ſuos continerent. Quod ſi nolent aſſennri, atq; in meliorem viam redire, tunc ſe, non modo illorum amiciciam abdicaturos, verum etiam illos pro hoſtibus habituros, atque ita orator dimiſſus ad Regem ſuum reuerſus eſt.

ÆLII ANTONII NEBRISSENSIS HISPANARVM ATQVE HISPANIENſium rerum hiſtorici Decadis Secundæ Liber ſecundus, De Canaria inſula Regis & Reginæ auſpicijs a Petro vera duce expugnata.

Caput Primum.

QVASI deeſſent Principibus noſtris domeſtica negocia, quibus intenderent, ita nulli parcentes labori animum ſuum huc atq; illuc diuidunt, in parteſq; rapiũt varias, perq; omnia verſant. Nam cum eſſet in manibus, atq; inter oculos haberent Granatenſe bellum, in quo tam de gloria, quam de ſumma imperij certandũ erat, haberentq; res in Nauaria inchoatas, quæ cum Gallorum Rege præpotenti erant implicitæ, curas tamẽ ſuas in alterum orbem mittunt, non modo ſæculi noſtri hominibus, verum etiam quantum ſuſpicamur antiquis omnibus incognitum. Et quemadmodum in hiſtoriæ huius apparatu diximus, in oceano Atlantico, qui Europæ, atq; Aphricæ latera occidentalia abluit, complures ſunt inſulæ partim adiacentes continenti, partim in altum remotæ, atq; rurſus, adiacentes duplices ſunt, alteræ ad Europam, alteræ ad Aphricam pertinentes, de remotis Hiſpaniæ adiacentibus alijs diximus, & fortaſſe dicturi ſumus, nunc de adiacentibus Aphricæ littori occidentali, inter quas numerantur Canariæ, de quibus hoc in loco ſcripturi ſumus, pauca dicenda ſunt. Canarias a Canum magnitudine dictas fuiſſe, Plinins in hiſtoria naturali autor eſt, ex quibus Iuba Rex duos perduxit huiuſmodi Canes. A Græcis fortunatæ ſunt cognominatæ, de quibus tam poëtæ, quam hiſtorici multa fabulantur ad hunc locum minime pertinentia. Earum nomina Ptolomeus, Martianus, Plinius, atq; alij autores, tam Græci, quam Latini explicant, ſed quibus non poſſumus nomina reddere, quibus noſtro tempore nuncupentur. Nam & antiqui eas nouerunt, earumq; ambitus, & incolarum mores deſcriptos reliquerunt. Sed qua ex cauſa illarum celebritas ex memoria hominum oblitterata eſt, ignoratur, nauigationis defectu id eſſe factum credibile eſt. Illud certẽ conſtat, illarum noticiam ad nos perueniſſe ab hinc annos circiter Viginti ſupra Centum, ſub initium regni Ioannis huius nominis ſecundi, qui ſub Catharina matre, & Ferdinãdo patruo tutoribus regnare orſus eſt. Anno a ſalute Chriſtiana Milleſimo quadringenteſimo quinto. Eo tempore Bethancor quidam Gallus, vt aiuut, natione, Infantis Regis tutores adit, ab illis impetrat facultatem explorandi maris Atlantici partem illam adhuc incognitam, quæ occiduum Aphricæ latus abluit. Is igitur ſiue quod ab ijs, qui ante illum nauigarunt, aliquid audierat, ſiue quod fortunã ſuam experiri voluit, paratis nauibus eo nauigare cœpit, atq; in primam incidit, quam noſtro tempore Lanzarotam corrupte, pro eo quod eſt lanceam ruptam,

ſiue fractam, aut ipſe ex facto vocauit, aut ab alijs ſic antea vocatam acceperat, deinde illi proximam expugnauit Fortem fortunam. Nam inter cognomenia fortunæ vnum eſt fortis, de qua Columella in horto. Et celebres fortis fortunæ dicite laudes. Varro quoq; de lingua Latina. Dies, inquit, fortis fortunæ dicti a Seruio Tullo Rege, quod is fanum fortis fortunæ ſecundum Tiberim extra vrbem Romam dedicauerat.

Has duas inſulas Bethancorus in cultum vitæ melioris, Chriſtianamq; religionem conuertit. Huius Bethancori hæredes Hiſpalenſibus quibuſdam ciuibus precio mancipiarunt, ex his deinde in alios, & ex alijs in alios, dominium in Ferdinandum Perazam, & Ferdinandum Arium deuolutum eſt. Horum maiores Gomeram, & Ferream non magno negocio expugnarunt, in eundemq; cultum, religionemq; reduxerunt, nunc Guillelmus Paraza illas ſub comitis titulo poſſidet. Reſtabant adhuc ex ſeptē inſulæ tres, Canaria magna, Teneriphion, & Palma, barbarorum quidem ſitu, & inertia turpes, ſed ingenio loci, & bonorum naturalium copia opulentæ. Has Rex & Regina cum vellent quaſi prędia ſuburbana Hiſpanijs iungere, claſſem parari, armis, cōmeatuq; inſtrui iubent. Petrum a Vera, & Alphonſum Moxicam viros ſtrenuos, atq; terreſtris, naualiſq; pugnę expertiſſimos pręficiunt. Inſulam de repente inuadunt. Barbari ſe more ſuo pręparant, non haſtilibus ferro prætentis, ſed ſudibus præuſtis, non ſaxis, & lapidibus ex fundis, & fuſtibulis, ſed lacertorum viribus, quaſi ex balliſta, aut tormento aliquo ſulſurario contortis. Nullum oculis ſignum deſignabant, quod non telo contingerent.

Iam vero ad excipiendos, euitandoſq; ictus tanta erat dexteritas, vt teli venientis plagam ſola corporis declinatione eluderent. Vidi ego Hiſpali, id quod mihi fuit miraculo, non ita cæteris, qui illud fieri ſæpe viderant. Erat quidam ex ea inſula Canarius, qui in eodem veſtigio ſiniſtri pedis inſiſtens, ab octo paſſibus volentibus illum ſaxo petere, ſe exponebat, fugiens plagam, nunc facta in alterutrum latus parua admodum capitis declinatione, nunc totius corporis ſubtractione, nunc alterna crurum permutatione venientem ictū fugiebat, tantoq; periculo ſe toties percuſſori exponebat, quoties illi æreum quadrantem porrexiſſet. Quod ad victum, veſtitumq; pertinet, tanta cibi, potuſq; parſimonia, tanta omnium membrorū nuditas, vt facile & in promptu habere poſſent omnia, quibus ad propulſandas naturæ iniurias hominum fragilitas indiget. Cum huiuſmodi hominum genere ducibus noſtris habendum erat negocium. Quibus accedebat altera difficultas ex inopia commeatus, qui longa nauigatione ex Hiſpania vſq; aduehendus erat, & quod bellum non collatis ſignis gerēdum erat, vt ex vno prælio breui tempore victoria in alterutram partem declinaret, ſed quod expectādum erat, quo ad hoſtis pugnare vellet, ita ſe in cryptas, & cuniculos, in cauernas, & ferarum latibula abdiderant, vt nulla arte, nullis viribus elici inde poſſent. Sed principum noſtrorum fortuna, quorum auſpicijs res gerebatur, occaſionem attulit, qua negocium compendio finiretur. Erant in ea inſula Reguli duo, ex multis cædibus, & iniurijs vltro citroq; illatis ita diſcordes, vt nulla ſatisfactio poſſet illos in concordiam reducere. Ex his, alterum noſtri duces ſibi conciliant, eiuſq; opera vtuntur ad alterum Regem profligādum, atq; ita paucis diebus tota inſula in Regis & Reginæ poteſtatem venit. Ciuitas qualiſcumq; tunc erat, in metropolim omnium ſeptem inſularum erigitur, in eamq;, ex Rubicone quod erat Lanceæ ruptæ promontorium cum oppidulo, Epiſcopij ſedes transfertur. Rex, cuius ope noſtri Duces vſi ſunt, cum vxore Regina ad Principes noſtros Madritum miſſi. Adhuc duæ aliæ reſtabant inſulæ debellandæ Teneriphion, & Palma, de quibus ſuo in loco dicemus, & quo pacto Alphōſo ab Auguſti luco rem

gerente aliarum quinque numero, & cultu, & religione acceſſerunt.

Strages noſtrorum in præruptis ad Malacham iugis accepta Magiſtro diui Iacobi & Marchione Gaditano ducibus.

Caput. II.

REGEM & Reginam ex tot,tantiſq; victorijs exultantes,ne ex continuis ſucceſſibus arrogãtiores fierent,fortuna, vel potius diuina quędam prouidentia,dignata eſt admonere illos,vt meminiſſent ſe mortales eſſe, atq; iuxta illud Pſalmographi, non in curribus, non in equis, ſed in nomine Domini eſſe fidendum, hoc Regem admonuit, cum ad Loxam caſtra metatus obſidionem vrbis parabat,& perturbato exercitu rem inchoatam reliquit. Hoc iterum in memoriam illis reduxit illa calamitas,quam ad Malacham ſuis in ducibus experti ſunt. Erat,quemadmodum in libro ſuperiori dictum eſt, in Aſtigitana colonia Alphonſus Cardenius,diui Iacobi militiæ Magiſter, quem Rex & Regina limitibus illis tuendis præfecerant. Erat præterea finitimis in locis Rodericus Pontius a Germanica legione Marchio Gaditanus. Hi ab exploratoribus facti ſunt certiores,eſſe montes non procul a Malacha mari noſtro impendentes,Axarquiam Mauri ſua lingua vocant, qui incolerentur ab agricolis, & paſtoribus, vnde magna præda ex hoſtibus auehi poſſet. Eſſe præterea Malacham equitibus exhauſtam,& loca,per quæ noſter exercitus permeare, & remeare ſine vllo impedimento poſſet. Et quia ad loca penetranda exercitu grandiori opus erat, rem ad finitimos duces,& præfectos rei militaris deferunt,hortanturq;,vt ad tam inſigne negocium peragendum,omnes coeant. Hi fuerunt Ioannes Siluius Centifontanus comes, qui prætoribus,decurionibuſq; populi Hiſpalenſis aſſiſtebat,Alphonſus a Corduba domus Aquilariæ dominus, Petrus Enriqui prouinciæ Bæticæ præfectus,Garſias Manriqui Cordubæ,& Ioannes Roboreus Aſindi prætores maximi,arcium quoq; præſides, & regij exercitus duces. Qui omnes cum ſuis,& cum ciuitatum,& oppidorum populis,quibus præſidebant,ex compoſito ad diem certum Antiquariæ,quæ ciuitas eſt in hoſtium collimitio,conueniunt,partim armati,partim inermes. Neq; enim omnes bellum hoſtibus inferendi cauſa coierant,ſed alios res nouas videndi ſtudium,alios emendi,vendendiq;,aut merces permutandi cauſa deduxerat,paucos Chriſtianæ religionis amor, aut ex re bellica honoris amplificandi cupiditas exciuit. Erat itaq; non tã exercitus ad pugnam paratus, in qua plęrunq; pauci ſuperant multos, quam hominum quædam multitudo inordinata,numeroſitas,& frequentia,quę impedimento ſibi eſſe ſolet,& quamq; iam decreuerãt,Axarquiam eſſe petendam,denuo cœptum eſt conſultari,in quas potiſſimum partes copiæ ducerentur. Nam erant,qui dicerent Axarquiam eſſe confragoſam, atq; præruptis montium amfractibus interciſſam, tandem placuit ire, quo illos fortuna ſua trahebat,hoc eſt,quo illos exploratorum error impegerat. Ordinatis igitur cohortibus primæ partes obtigerunt Alphonſo domus Aquilariæ domino, & prouinciæ Bæticę prefecto,qui exploratores ſequebatur,poſtremos tuebatur militiæ diui Iacobi Magiſter,Medię comiti Centifontano,quem Hiſpalenſes multi ciues nobiliſſimi comitabantur,Marchioniq; Gaditano cui Aſindenſes accedebant. Cæteri omnes in ternas has copias diſtributi, ab Antiquaria in auſpicatis auibus profecti, die inſequenti ad veſperam locum deſtinatum attinguunt, & quia tanta hominum turba in tam longo tempo-

ris interuallo non potuit hoſtes latere,iam receperant ſe cum pecoribus,& armentis in loca tutiora. Pylas,fauceſq; montium,& ſemitarum diuerticula occupant:armatiſq; muniunt,copiarum noſtrarum primi in finitimos locos ſparguntur, villas, vicoſq; cultoribus vacuos incendunt,ſaltus ab armentarijs,paſtoribuſq; deſertos reperiunt. Extremorum equites, quos Magiſter diui Iacobi ductabat, cum in cōfractuoſa quędam loca incidiſſent,neq; ſe ſatis explicare poſſent, ex caſtello proximo, quod Moclinetum appellant,erumpentes hoſtes inuadunt, turbatos,atq; quo ſe vertant incertos cædūt cominus,& ſaxis,ſagittiſq; & telis eminus petunt. Magiſter ab anterioribus auxilium implorat. Accurrit Marchio cum equitatu, quem habebat paratiſſimum, illoſq; ex anguſtijs, in quibus hęrebant, in patentiores expedit campos. Superueniunt etiam, qui omnem exercitum ductabant principes. Quid conſilij capiant in commune conſultant, inter omnes conuenit, ſe ab exploratoribus, & itinerum menſoribus fuiſſe deceptos, qui in loca illa deduxiſſent, vnde plus detrimenti, quam emolumenti eſſent reportaturi,relinquendam eſſe prędam,quam pertenuem & exiguam collegerant, deniq; conſulendum eſſe ſaluti,quocumq; modo poſſent,nam honeſte iam non poterant, cum illis tanquam in viuaria cōcluſis hoſtium arbitrio eſſet pereundū. Nam quid facerent bidui inedia confecti, diei, noctiſq; laboribus & vigilijs defeſſi, ab hoſtibus vndiq; circumuenientibus intercluſi? Superuenit aliud malum, quod fuit omnium perniciosiſſimum, quod in tenebris res eſſet gerenda,& in locis,quos ipſi ignorabant,hoſtibus erant noti.

Itinerum duces iuſſi,vt exercitum,qua melius ratione fieri poſſet,ex illis anguſtijs in apertos campos perducerent,vbi aut collatis ſignis cum hoſtibus ſit pugnandum,aut vnde reducibus in domum cuiq; ſuam eſſet redeundum. At illi contra ſiue quod iter ignorabant,ſiue quod illis dei volūtas omnem mentē abſtulit,incipiunt ducere per arduum, & ſaxis,dumiſq; cliuum inęqualem,qua non pediti,nedum equiti patebat iter. Iamq; oboriebantur tenebræ,cum ſentiunt iuga montium, qua illis eundum erat, ab hoſtibus occupata. Regrediuntur itaq;,& in vallem,quam mediam torrens quidam prçruptus ſecabat,inopes conſilij deſcendunt. Erant a tergo prçterea montes in prçcipiti ſtantes, atq; vallibus impendentes,quos iam hoſtes occupauerant. Noſtri ancipites,& quo ſe potiſſimum verterent dubij,ſtabant attoniti:expectantes quid hoſtes facerent. At illi perpetem noctem clamoribus more ſuo montes,& valles implent,crebros excitāt ignes, ſaxa rotatilia,rupeſq; in hoſtes deturbant,atq; interim auſi cominus accedere in illos,tanquam in ſignum poſitos,ſcorpionum ſagittas,ſtlopetarum glandes,fundarum,& fuſtibulorū ſaxa dirigunt,neq; veniebat telū,quod in caſſum mitteretur, atq; ita ad mediā vſq; noctem nulla quies data. Cum Magiſter,quouſq; degeneres patiemur pro hoſtium libidine,quaſi pecudes ad lanienam vinctæ,necari? At ſi deſunt vires o viri,non deſit animus ad aperiēdam viam,qua nobis aut ſaltem ſalutem conſequamur,aut honeſtam mortem oppetamus. Et ſimul hoc dicens cliuum aſcendere cœpit, quem ſignis prætentis reliqui omnes,qui ſub illo merebant,ſecuti ſunt,quo ad ventum eſt ad montis iuga, quæ iam hoſtes inſederant:ibi pugnatum eſt acriter,compluresq; vtrinq; ceciderunt. In ea pugna cæſus ſignifer,ſignumq; cum eo amiſſum,cæſus quoq; Ioānes Oſornius ipſi Magiſtro arcta ſanguinis propinquitate coniunctus,cæſus & Ioannes Bazanus,& alij eque ſtris ordinis complures viri nobiliſſimi. Marchio Gaditanus Magiſtri exemplum ſecutus duce itinerum altero,atq; alia ex parte eundem cliuum conſcendit,atq; incolumis in alterum montis decliue latus euadit,in eoq; locum eligit,in quo ſubſidiariam diſponit aciem,qua & ſe tueretur, & eos qui ſequebantur palantes, ſparſoſque ad ſe reciperet.

Magiſter vero ex montium iugis repulſus ad eos duces, qui ſe a tergo ſequebātur, adglomerat, & quod reliquum erat noctis in excipiendis hoſtium telis conſumunt. Neq; illis profuit in alteram ſe valle recipere: nam & in eiſdem iugis hoſtes ſe medios interpoſuerunt, ne ſe Marchioni cōiungerent. Qui tametſi iuga montium euaſerat, ocioſus non erat. Dum enim expectat illos, qui a tergo ſequebantur, non potuit effici, quo minus cum hoſtibus eſſet pugnandum. Sed quę potuit eſſe pugna, in qua ex altera parte vegeti, & recentes, ex altera defatigati, & laſſi erant? alteri alacres ex pręſenti victoria, alteri ex accepta calamitate animo deiecti. In ea pugna Marchio tres fratres amiſit, Iacobum, Lupum, atq; Beltrandū, duos quoq; ex fratribus nepoies Laurentium, & Emanuelum, quibus vero ſuperfuerant vires, non illas ad pugnam, ſed ad fugam collegerunt. Reliqui omnes aut cæſi, aut capti ſunt. Magiſter militiæ ſancti Iacobi, & Alphonſus domus Aquilariæ dominus, & Bæticæ prouinciæ præfectus nacti priuos quiſq; ſuos itinerum duces per loca teſqua, & inuia, & qua neq; hoſtes quidem ſequi poterant, incolumes euaſere. Centiſontanus comes in anguſto quodam loco deprehenſus. cum aliquandiu paucis comitatus pugnaſſet, victoribus tandem ſe dedidit, captuſq; cum Petro Siluio fratre ſuo in vrbem Granatam in vinculis eſt ductus. Capti quoq; ſunt pręſides arcium Antiquariæ, Moronis, & Aſſindi, Bernardinus Manriquus, Ioannes a Pineto, & Ioannes Montiſaluus, & alij complures viri nobiles, quos erat infinitum numerare. Illud quoq; non omittendum, quod ſuperat omnem fidem, binos, aut ternos ex hoſtibus ante ſe duxiſſe in vinculis captos, ſenos, aut octonos. Quid memoro viros? Mulieres quoq; ex vrbe Malacha egreſſæ ante ſe captiuos agebant, vt liqueat illud non hominum fuiſſe opus, ſed Dei, cuius officium eſt deponere potētes de ſede, & exaltare humiles. Id quod Lacedęmonius Chilon ſciſcitāti Aeſopo quid Iupiter faceret, reſpōdit, extollit mites, atq; ſuperbos deprimit. Hic eſt Iuppiter noſter, id eſt, iuuans pater, hic & ſol iuſticię, qui vt ait Macrobius, fulgentia obſcurat, & quæ ſunt in obſcuro illuminat. Idem eſt Nemeſis, hoc eſt indignatio, qui virginis effigie contra ſuperbiam colitur.

Maurorum Rex iunior ab A Egabrenſe Comite, & regij miniſterij præfecto in pugna capitur.

Caput. III.

EX tanto mœrore, & luctu recreauit, refecitq; gentem Hiſpanam Dei benignitas, ne acceptæ calamitatis deſperatione langueſcens ad inchoatum bellum fieret remiſſior, caſtigauit namq; Hiſpanorum ſuperbiam, non vt animos ad pugnam remitterent, ſed ne per inſolentiam hoſtes contemnerent. Nam & pro nobis diuinum ſtare fauorem, vel his duobus argumentis demonſtratum eſt, quod, vt paulo ante diximus, ex vno, atq; ſimplici regno duos Reges excitauit, quodq; nunc dicturi ſumus, alter illorum in noſtrorum principum venit poteſtatem. Quis enim non videt, ex diſcordia illa patriſcum filio factum eſſe diſſidium, vnde victoria noſtra de hoſtibus originem duxit? Saluatore noſtro prędicente. Omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur. Quæ res in hunc modum eſt geſta. Ex duobus Maurorum Regibus, iunior, qui patre potentior erat, cernens ſe apud ſuos, vel ex ea cauſa maiorem in modum amari, quod Chriſtianorum nomini eſſet infenſior, atq; belli gerandi cupidior, quam maximum poteſt equitatum, peditatumq; tam ex ſua, quam ex patris factione comparat. Neq; ita enim deſt-

debant animis, vt non maius odium in Chriſtianos, quam ipſorum inter ſe eſſet. Itaqꝫ parato exercitu, quos potiſſimum fines hoſtium inuaderent conſultantibus, placuit in Cordubenſes, & Aſtygitanos irruere, propterea quod ex ſuperiori ſtrage ad Malacham accepta, totus ille tractus erat equitum, peditumque numero exhauſtus. Lucenam itaque, & Aquilare, caſtellaque finitima petunt, agros populantur, arbores frugeſque ſuccidunt. Nuncius ad Aegabrenſem Comitem venit, qui ex Vaena oppido ſuo pergrandi equitum, peditumque ſemper habebat cohortes ad huiſmodi repentinos caſus paratas. Is iungit ſe miniſterij regij præfecto, qui Lucenæ oppidi erat dominus, qui duo comparato, nolo dicere exercitu, ſed exercitus ſpecie in hoſtes eunt. Non credet poſteritas, quod ego nunc ſcripturus ſum, ſed neque præſentes credent, ſi qui ſunt, ad quos ſcripta mea peruenient, ſed neqꝫ ego crederem, ſi quis alius mihi narraret, ſed habeo mille teſtes, qui mihi atteſtabuntur, quorum aliqui interfuerunt, alij ab ijs, qui interfuerunt, audierunt, aut ſi adeo ſunt curioſi ab ipſis audire poſſunt. Si acie iuſta, ſigniſqꝫ collatis fuiſſet dimicandum, cuiqꝫ noſtrum cum denis, decem cum centenis, & centum cum millenis res fuiſſet peragenda. Mauri cum audiſſent noſtros aduentare, caſtra tollunt, equos conſcendunt, pedites, Rex iubet, ex armentis pecoribus, & captiuis collectam prædam agere Loxam verſus, ipſe cum ſuis copijs expectat, an ſe hoſtes perſequantur, interdum dum pedites, quos præmiſerat ſubſequitur. Iamque tranſierat locū, quē indigenæ Martini Condiſali torrentem appellant, qui ſex paſſuum millibus a Lucena diſtat, cum ſe hoſtes inuicem conſpiciunt, ſubſiſtunt vtrique, Mauri, quid noſtri auderent, nam contemnebant illos, quia multo pauciores erant, Noſtri, quo ad ſe pedites, qui ſequebantur, ſibi adiungerent. Equites auxilio peditum aucti ex vtriſque agmine facto ſignis infeſtis inuadunt hoſtes, qui ex tribus equitum turmis vnam faciunt, quæ a tribus ducibus ordinaretur. Primus erat Rex ipſe, alter exequendi iudicij prætor maximus, tertius quem Mauri lingua ſua vocabant Alatar, hoc eſt Aromatariū. Qui barbaricum illud more ſuo inclamantes, quo etiā nos clamore cū hoſtiū vires extenuare volumus, vti ſolemus, excipiunt noſtros ex aduerſo venientes tanto conatu, tantiſque viribus irruentes, vt neque primos quidem incurſus ſuſtinere potuerint. Hoc eſt illud grande miraculum, & quod alijs incredibile viſum iri præfatus ſum, verſi deinde omnes in fugam dimiſſa præda vni tantum ſaluti proſpicientes. Aſt alia ex parte Alphonſus a Corduba domus Aquilariæ dominus, qui eo ipſo tempore Antiquariæ morabatur, ad hunc nuncium cum præſenti equitatu ſuperuenit, hoſteſque fugientes anteuertit, ſeque venientibus opponit in anguſto quodam loco. Quos ipſe a fronte, comes Aegabrenſis, atqꝫ regij miniſterij præfectus a tergo ferientes magnā in illos ſtragem ędunt. In eodem loco inuenta ſunt poſtea mille hoſtium cadauera, præter illos qui paſſim fugientes ceciderant. Rex ipſe captus, Alatar & duces alij hoſtiū cęſi, atqꝫ ita victores noſtri ex eo conflictu redierūt in morem triumphi cum captiuis, & præda, quam ex hoſtibus auerterant, quæ in manubias redacta in commilitonibus diſtributa eſt. Rex ipſe captiuus extra ſortem Comiti donatus, apud quem honorifice, atque pro dignitate regia tractatus eſt. Et ne tantæ rei geſtæ monumentum aboleretur a Rege & Regina Comitis inſignibus additum eſt coronatum regis caput catenis vinctum, & in ora clipei vexilla nouem, quæ in prælio fuerant ex hoſtibus capta. Et quia eiuſdem victoriæ miniſterij Regis præfectus fuerat particeps eadem inſignia, atqꝫ inſigniorum ornamenta ab eiſdem Principibus, & ob eandem cauſam illi communicata ſunt.

Belli apparatus cenſus illorum, qui cum Rege ad Granatenſis regni populationem profecturi erant.

Caput. IIII.

INTER cætera negocia, quæ ad ſenatum regium cotidie referebantur nihil erat frequentius, quam quemadmodum in Mauros bellum inchoatum ordine procederet, & quæ belli gerendi ratio imprimis eſſet ineunda. Cumq; ea de re ſæpe conſultaretur, nulla potior inuenta eſt, quam vt ora maritima numeroſa claſſe obſideretur, ne quid auxilij, aut commeatus a Mauritania inueheretur, atq; in finibus adhiberentur cuſtodes, ne a terra aliquid alimenti ad hoſtes perueniret, aut per commercium, aut captiuorum redemptionē, aut furtim, aut alio quouis modo. Tertium reſtabat, vt per omnia regni hoſtilis penetralia fierent agrorum populationes, villarum, vicorumq; incendia: arborum, frugumq; ſuccisſiones, vt qui ſine multa Chriſtiani ſanguinis effuſione expugnari armis non poſſent, fame cogerentur in deditionem venire. Diſpoſitis itaq; a terra, mariq; cuſtodibus conuocantur omnes Hiſpaniæ principes, trium ordinum Magiſtri, Duces, Comites, Marchiones, Comeſtabilis, Metati, prouinciarum, vrbiumq; præfecti, arciumq; præſides, utq; veniant cum ſuis cohortibus regia autoritate monentur, atq; in diem, locumq; certum, vbi Rex eſſet, omnes cōuenire iuſſi. Coierunt itaq; in loco, qui ab incolis appellatur Carectum, vbi facto cenſu, inuenta ſunt equitum cataphractorū, atq; leuis armaturę decē millia, peditū armatorū ad pugnam, ad ſuccidendas arbores, frugeſq; inſtrumētis ruſticis armatorū triginta millia, fabrorum, & machinariorum ingens numerus, mulionum, agaſonumq;, & carrucariorum, qui iumenta, aſinos, boueſq; agerent quadraginta millia, præter lyxarum, calonum, pabulatorum, frumentatorum, piſtorum, coquorum, dulciariorū numeroſam multitudinem, meretricum proſtibularumq;, & eorū qui exercitu nulli ſunt vſui, ſed magno potius impedimento magnam turbam. Exercitus vero a rége in hunc modum eſt diſtributus. Magiſtro militiæ diui Iacobi, & Marchioni Gaditano, & Alphonſo domus Aquilariæ domino, & Ludouico Ferranti, qui poſtea fuit Comes a Palma, priores ſunt cōmiſſæ partes. Poſteriores vero Hemerocallio Comiti, & Ioanni Septo maiori Conchelli domino, & cohortium a Duce Infantatus miſſarū, & quas Dux a Methymna cæli miſit præfectis, & Martino Alphonſo Montis maioris dño, Mediarum partium cohortes hunc in modum diſpoſitę. Primā ducebat Garſias Lupides Patellanus Ciſtertiēſis militię a Calatraua Magiſter. Secundā a monteregio Comes. Tertiā Frāciſcus a Stunica prefectus copiarū, quas Dux placentinus pater, & quas eiuſdē Ducis filius Ciſterciēſis militiæ a Ponte Traiani Magiſter. Quartā Guterius a Septo maiori Caietanus Comes, & Fredericus Ducis Albanorū filius. Quintā Dux Triciēſis, cū ijs q ſub illo merebāt, & qui a Menteſa, & Vbeta, & Biacia venerāt. Sextā Dux alburquerquerus, & Ioannes a Methymna Aſſindica Ducis filius, q ducebat copias ab Enriquo patre miſſas. In ſubſidiaria cohorte, quę alijs omnibus maior, atq; firmior erat, Rex ipſe medius ibat ſtipatus mille equitibus, quingentis cataphractis, totidēq; leuis armaturæ, qui ex cohorte prætoria Regis & Reginę fuerāt delecti, hanc ducebat Iacobus Lupides Patiequus Villenatium Marchio. Signū vero regiū pręferebat Alphōſus Siluius, nā Ioānes Siluius cuius hæreditario iure illud erat munus, Granatę in vinculis adſeruabatur, ex clade, quam ad Malacham accepimus, quemadmodum in ſuperiori parte dictum eſt, captus. Ex alia quoque parte pedites cum ſuis centurionibus in cohortes diſtributi locos opportunos tene-

ri iuſſi, balliſtas, & tormenta, aliáſq; machinas obſeruabant equites, peditéſq; ab Hiſpali, & Corduba, atq; Aſtygitana colonia, & reliqua omni Bætica miſſi. Copijs hunc in modum ordinatis ventum eſt in locum, quem Indigenæ equitem Collem appellant, vbi ea nocte ſubſtiterunt. Poſtridie eius diei hoſtium fines ingreſſi prope Illoram oppidum arte, & ingenio loci munitiſſimum caſtrametati ſunt, oppidani ex munitionibus erumpunt, & cum primis ex cohortibus noſtris tumultuariam pugnam prætentant. Sed noſtrorum viribus impulſi cedunt; inſequuntur noſtri, atq; vtriq; ſimul oppidi ſuburbia intrant. Inde quoq; hoſtes repulſi in caſtellum, arcémq; ſe recipiunt, vnde ſagittis teliſq; petebant eos, qui frumenti areas mœnibus propinquas incendebant, inde quoq; tormentorum ſaxeis orbibus, & ſtlopetarum glandibus, miſſilibuſq; fugantur, atq; ita incendium peractum eſt. Et quia oppidum expugnari non potuit incenſa quoque ſuburbia, miſſi quoq; a Rege Comes Aegabrenſis, & domus Aquilariæ dominus, qui cum parte exercitus Montis frigidi, caſtellorumq; agros vaſtarent. Atq; ita non modo Illora, & Illoræ finitima prædia igni, ferroq; corrupta ſunt, ſed & omnia, quæ intra quatuor millia paſſuum erant, in cineres, fauillaſq; abierunt.

Tagara oppidum capitur. Alama commeatu inſtruitur. Tendillanus Comes præſidio ſufficitur. Caput. V.

HIS rebus ad Illoram, Montémq; frigidum peractis caſtra mutãtur in locos, vnde poſſent maiora detrimenta hoſtibus inferri. Nam quacumq; tantus exercitus procedebat, non ſolum pedites ad hoc munus deſignati, vt runcinis, falcibuſq; meſſorijs, & fœnarijs, atq; ruſticis ſecuribus omnia arborum genera, frugeſq; vaſtarent, ſed & ipſe caſtrorum tractus omnia ſternebat, & milites e caſtris egreſſi villas, vicoſq; finitimos, & molas equarias, molendináq; dolabris demoliebantur. Erat Tagara oppidum non minus quam ſuperiora munitum, quod inter Alamam, & Loxam poſitum noſtris pernicioſum, hoſtibus vero accõmodũ. Hoc iubet Rex oppugnari, fabri lignarij, & ferrarij operi ſe accingunt. Teſtudines, arieteſq;, pluteos, vineas, turreſq; ligneas aptant, oppugnatores ab omni parte machinas muris admouent, atq; murorũ fundamenta rutabulis, & bidẽtibus ſubruere tentant. Extra muros, & intra mœnia vehemẽter laboratur, neq; vllũ interea telorũ ceſſat genus, oppugnatores balliſtis, & tormentis, propugnatores cæmẽticijs lapidibus, & ollis ſulfure, ac pice plenis, & admoto igne ardentibus rem ſuam agunt. Obſeſſi tandẽ noſtris inſtãtibus cedunt, atq; deſerta murorũ defenſione in caſtellum, arcémq; ſe recipiunt, oppidum hoſtibus diripiendum relinquunt. Capto oppido cœptum eſt deliberari de arce oppugnandi. Erant qui dicerent abſtinendum eſſe ab oppugnatione, propterea quod muri erant craſſiores, atq; ſignino opere ex calce, & harena compacti, neq; aderant ſulfurariæ machinæ ita grandes, quibus tam ſolida materia dirui poſſet. Alij dicebant admouendas eſſe machinas, atq; tentandum putres ne eſſent muri? an ita firmi, vt præſentes machinæ non poſſent illos demoliri? Placuit Regi arcem debere oppugnari, propterea quod tanta erat vtriuſq; ſexus & ætatis multitudo, quæ eo ſe receperat, vt deficientibus alimentis breui cogerentur ſe dedere. Iubet itaq; arcẽ a quatuor partibus oppugnari, Magiſtro militiæ diui Iacobi, & Marchioni Gaditano, & domus Aquilariæ domino primã cõmendat. Tricienſi Duci, & Ludouico Ferranti Palmæ Comiti alterã. Garſię Ferrãti Mãrico cũ copijs Cordubenſibus tertiã. Ferdinando Veraſco, qui Ducis infantatus copias ducebat, alterã ex turribus,

quæ pro arcis porta ſtabat, oppugnandam committit. Quiſq; illorum, quibus ea cura demandata eſt, eodem temporis momento negocium rapit, pugnatur, propugnaturq; pro uiribus ab vtriſq;, durat ea pugna ad horam diei nonam. Vulnerati ex vtraque parte complures viri nobiles, inter quos Enriquus Enriqui Regiæ domus maximus Oeconomus. Intermiſſa eſt ea oppugnatio, quod vtriq; erāt defatigati, vt amplius durare non poſſent. Poſtero die repetita eſt oppugnatio tam acri, & vehementi conatu ac tam frequenti grandine telorum, vt Mauri non valentes impetum ſuſtinere cœperint cum oppugnatoribus de deditione agere. Induciæ in paucas horas datæ, quoad negocium cum Rege transigeretur, & ſub fide publica miſſus illorum ſacerdos, Alfaqui vocant illi, qui ipſorum nomine Regi arcem traderet, ſi vellet miſeris vitam, atq; libertatem cum bonorum retentione concedere, vitam Rex facile concedebat, libertatem & bona condonare noluit, propterea quod auſi ſunt bis oppugnationem expectare.

Et erant Mauri, qui dicerent mortem potius oppetendam, quam vt ſe ſine vlla condicione dederent. Alij nihil excipientes, & Regis miſericordiam ſpectantes, volebant ſe dedere. Interea noſtri cum intellexiſſent hoc diſſidio vires hoſtium, atque animos defeciſſe, inſtant oppugnationi, irrumpunt in arcem, repugnantes trucidant, nihil reſiſtentes capiunt, bona diripiunt, præda Regis arbitrio pro cuiuſq; dignitate, & rei beneę geſtæ merito diſtributa, arcem cum caſtello, & oppido placuit dirui, atq; ſolo adæquari. Inde Rex cum exercitu Alamam proficiſcitur, quam triginta mille iumentorum vehibus inſtruit, quibus commeatus importabatur, atque vrbis præſidio milites mille, partim equites, partim pedites reliquit, quibus præficit Enicum Lupidem Tendillanum Comitem, commendatq; vt non modo arcem tueātur, ſed & pro temporum occaſione hoſtibus etiam bellum inferant.

Granatenſium agrorum vaſtatio, atq; Regis in Cordubenſem coloniam reditus. Caput. VI.

INSTRVCTO Alamæ penario, & vrbis munitionibus refectis omnis cura Regis in vaſtandos Granatæ agros traducitur. Illa enim fuit cauſa cur tanto exercitu, tantoq; rerum omnium apparatu hoſtium fines ingreſſus eſt, vt vrbem, quę erat totius hoſtilis regni caput, & ciuitatem Metropolim ad alimentorum præcipue inopiam redigeret. Erat Granata quemadmodum in Decadis huius præfatione diximus, tanta equitum, peditumq; armatorum multitudine referta, vt niſi pergrandi noſtrorum exercitu illa vaſtatio agrorum ſine magno periculo fieri non poſſet. Ex Alama igitur profecti, non modo ſternunt obiter omnia, quæ in via, aut viæ proxima erant, ſed etiam longinquiora, quæ a dextris, ſiniſtriſq; intra quatuor milia paſſuum ab vtroq; latere continebanī, vt erāt vici, villæ, armentorū ſtabula, magalia pecorū, ſpeculæ, & turres, quo ſe paſtores, & agricolæ temporibus dubijs, atq; ſuſpectis recipiebant.

Die tertia poſtea quam ab Alama diſceſſerunt, in oppidulo Alendino, quod a Granata quatuor milia paſſuum diſtat, caſtra figunt. Eſt illud oppidum ad radices Oroſpedæ montis poſitum cōtra collem Niuoſum, ab eo ſic dictum, quod niuibus ſemper obrutus eſt. Ager illius in circuitu oliuis, & vitibus, atq; omnium generum arboretis conſitus, vbi non ſunt arbores, ſata omni frumentorum genere, atque leguminum & panici culta ſunt. Hęc omnia Rex iubet ſuccidi, & ſterni, atq; lumarijs & meſſorijs falcibus meti. Dum hæc a peditibus fiunt, equites, vt illos a quocumq; ſuperuentu ſe-

curos reddant, certis in locis diſpoſiti tumultuarias pugnas cum hoſtibus exercent, qui deinde armatorum peditum auxilio aucti oppidum irrumpunt, diripiuntque, & frumenti areas oppido propinquas igni corrumpunt. Die inſequenti Rex cum omni exercitu cohortibus ordine ſuo diſpoſitis ſuburbanos Granatæ agros populandus inuadit, atque proxime vrbem cum ſubſidiaria cohorte tota die ad veſperam vſque conſiſtit, dum arborum, meſſiumque ſtrages conficeretur. Et quia totus ager ille foſſis incilibus, atque voraginoſis aquæ ductibus interciſus eſt, quorum diuerticula noſtris incognita, hoſtibus explorata erant, certis in locis præſidiarias cohortes exponit, quæ vni ſuccidendarum arborum, meſſiumq; ſtudio intentis pericula prohibeant, ſecuritatemq; præſtent. Populatione itaq; agrorum peracta hoſtes cum viderent ſe nulla ex parte calamitatem illam prohibere potuiſſe, ad alias ſe vertunt artes, aquarum incilia perturbant, fontes veneno corrumpunt, pontones, & omnia, quæ noſtris vſui eſſe poterant intercipiunt. Peracta igitur agrorum vaſtatione ex voto, atque Regis ſententia iubet mutari caſtra. Et cum adhuc tempus ſupereſſet, in quo aliquid fieri poſſet, quod ad bellum inchoatum noſtris conduceret, hoſtibus nocumento foret, deficiente tamen commeatu earum maxime rerum, quæ ad victum pertinent, coacti ſumus domum quiſque ſuam repedare. Rex igitur Cordubam petit, vbi ſtipendia militibus, atq; arborum, meſſiumque ſucciſſoribus pactam mercedem perſolui iubet. Mauri cum viderent ſe omni ex parte circumuentos a mari claſſe ingenti, a terra crebris præſidijs, regni penetralia ferro, igniq; deſolata, mittunt ad Regem legatos, qui pollicerentur ſuo, atq; regis ipſorum nomine ſe rediituros quotannis vim maximam Granatenſium aureorum, atque in eius tributi pignus impræſentiarum ſe daturos obſides nobilium filios, atq; ex regio ſanguine procreatos. Rex negocium in quo de re tanta agebatur, ad Reginam refert, quæ eo tempore in Cantabris Victoriæ morabatur intenta rebus, quas in Nauaria inchoarat, & quæ ad prouinciæ illius adminiſtrationem pertinebant. At Regina tametſi nihil magis optabat, atque ab immortali Deo precabatur, quam vt videret diem, in quo vrbe Granata, & Granatæ regno potiretur, ad Regis conſultationem reſpondet, non placere ſibi vllas hoſtibus inducias concedi. Sed quia multa ſimul reſtabant peragenda non modo in Hiſpania, ſed cum finitimis Nauarienſibus, & Gallis, cum quibus de Ceretaniæ, deq; Ruſcinonis comitatu iam pridem lis pendebat, atque de Nauaria quoque ſpectabatur, non deſplicere tamen temporarias hoſtibus inducias concedi, dum modo ſequeſtro deponerent arces, & caſtella, quo pignore tributum illud, quod ſe reddituros quotannis pollicebantur, eſſet certum, neque dubia fide ſoluendum. Nam quod de obſidibus dicebant, apud illos, qui non multi obſides faciunt, nihil certi afferebat. De caſtellis, & oppidis ſequeſtro deponendis non placuit hoſtibus, ſed neq; Regi & Reginæ de dandis obſidibus condicio. Res itaq; infecta manſit, & Reginæ iuſſu, quæ in huiuſmodi rebus erat ſcrupuloſior imperatum, vt fines diligentius vtique obſeruarentur, & quod in redimendis captiuis nullum fieret commercium, vnde aliquid alimenti hoſtibus accederet, quin potius ipſa patiebatur, ex re ſua pecuniarum partem contribui, quam huiuſmodi in rebus colluſionem aliquam cum hoſtibus fieri.

De reddenda libertate Maurorum Regi iuniori deliberatur, & primo quod non ſit reddenda.

Caput. VII.

CVM adhuc Rex Cordubæ &, Regina in Cantabris Victoriæ moraretur, Maurorum Regis iunioris mater, & qui factionem illius ſectabantur, miſerunt legatos, qui agerent cum Rege noſtro quemadmodum Rex, qui apud Aegabrenſem Comitẽ in vineulis erat, donaretur libertate, quam non gratis, ſed ingenti precio dicebant ſe velle redimere. Imprimis perpetuo obſequio ſui ipſius, & illorum, qui ſe in Granatæ regno ſequebantur. Deinde certo aureorum vectigalium numero, qui tributi nomine quotannis Hiſpanorum Regibus penderetur. Tum Chriſtianorum, qui in Granatæ regno captiui erant, certo quocꝫ numero eorum, quos Rex ipſe nominaret. Rex audita legationis ſumma, dat literas ad Aegabrenſem Comitẽ, vtcꝫ ducat, aut mittat ad ſe Maurorum Regem, petit. At ille non grauate iuſſis Regis obſecutus, Regem captiuum deducit. Laudatur Comes, atque honorifice ab Hiſpanorum Rege accipitur, gratiaſcꝫ illi agit, quod tam impigre illius voluntati obtemperarit, Regem captiuum Martino Alarconi Porcunatis arcis præſidi adſeruandum tradit, ipſum Regem afflictum videre noluit, quoad decerneretur quid de illo ſtatuendum eſſet, ſed bene vt de ſe, decꝫ Regina cõiuge ſperaret, illi nũciari iuſſit, vtcꝫ interim hac vna ſpe captiuitatẽ ſuã cõſolaretur. Ad hæc tam benigna regiæ volũtatis oracula Maurus reſpõdet, ſe non poſſe ſub tantis, ac tam beneficis Principibus in luctu, atcꝫ mœrore eſſe, & quod vna tantum res in calamitate ſua dolebat illi, quod videretur nunc neceſſitate compulſus facere id, quod cum eſſet liber ſummopere concupierat, hoc eſt, ſubijcere ſe illorum poteſtati, vt ab illis acciperet regnum Granatenſe, quemadmodum auus paternus ſuus illud acceperat ab immortalis memoriæ viro Ioanne Hiſpanorum Rege ſecundo ſocero ſuo, atcꝫ Reginæ ſuæ conſortis patre fortunatiſſimo. Et quia Regis præſentia alijs compluribus in locis deſiderabatur, non modo in rebus, quas Regina in Nauariæ finibus inchoauerat, ſed etiam in ijs, quæ in prouincia Tarraconenſi per vrbium præfectos, atque ciuitatum gubernatores adminiſtrabantur, antea quam Rex ex Bætica proficiſceretur, proſpiciens bello, quod cum Mauris acceptum, atque deinceps gerendum erat, diſpoſuit, quibus in locis oportebat, Limitaneorum militum cohortes, quibus præfecit & duces, qui fines ab hoſtium incurſibus tuerentur & quoties illis videretur bellum inuicem inferrent. Quod vero ad Regem Maurorum iuniorem attinebat, retulit ad ſenatum, qui tunc frequens erat, non ſolum ex togatis ciuibus, atcꝫ ciuilis, & Pontificij iuris conſultiſſimis, ſed eccleſiarum etiã prælatis, & totius Hiſpaniæ principibus viris. Mauri Regis procuratores pro libertate illius iudicanda offerebant quemadmodum paulo ante diximus perpetem Hiſpanorum Regibus ſubiectionem, & aureorum quotannis duodecim millia, & ex captiuis Chriſtianis, qui in Granatenſi regno inuenirentur, tercentum eorum, quos Rex noſter nominaſſet. Daturos quocꝫ ſe impræſentiarum pollicebantur obſides, filiũ vnicum Regis legitimum cum alijs Maurorum illuſtrium filijs, eorum ſcilicet, qui eſſent factionis euiſdem ſtudioſi. Poſtulabant etiam captiui Regis nomine auxilium ad ea expugnanda oppida, & caſtella, quæ poſt catiuitatem ſuam ab illo deſciuerant ad Regem ſeniorem patrem ſuum, idque niſi mature fieret, alios ex deſperatione ſuæ libertatis illorum exempla ſecuturos. Sententiæ procerum, atque infimatum etiam ea de re fuerunt variæ. Alij dicebant nulla condicione reddendum eſſe, qui ſemel in vinculis teneretur. Alij contra, non modò redendum eſſe libertati, verum etiam auctum

præmijs, & honoribus dimittendum, afferebantq; vtriq; rationes, quibus ſententiam ſuam tuerentur. Eorum, qui priorem deffendebant, Princeps erat diui Iacobi Magiſter, qui poſt longam in ſenatu regio diſceptationem huiuſmodi apud Regem habuit orationem. Tria, inquit, ſunt clariſſime Rex, quæ veniunt in dubitationem, quoties de bello hoſtibus inferendo deliberatur. Primum de genere belli. Alterum, quibus medijs conatus noſtri victoriam conſequantur. Tertiũ, quo pacto ea, quæ victoria nobis peperit, quam diutiſſime conſeruari poſſint. Genus belli eſt ita iuſtum, & honeſtum, vt nullum magis eſſe poſſit, ita vtile & neceſſarium, vt nullo modo ſit diſſimulandum. Nam quid honeſtius excogitari poteſt, quam pro Chriſtiana religione contra nominis Chriſtiani hoſtes arma induere? Quid iuſtius, quam repetere armis ea, quæ iniuſte nobis fuerunt erepta? Quid magis neceſſarium, quam aduerſarios noſtris iugulis intentos funditus perdere? Quid vtilius, quam fines noſtros propagare, atq; hoſtium limites compeſcere? Sed hac de re nulla mihi controuerſia eſt cum ijs, qui huic meæ ſententię refragantur, idem ſentimus, in eodem ſtatu cauſæ ſumus, de hoc omnis contentio eſt, ſit ne reddendus libertati Rex captus, an potius æternum in vinculis retinendus. Ex his duobus vtrum ſit impendenti bello conducibilius nunc diſceptamus. Eſt autem hoc bellum, cui nunc inſiſtimus non ita difficile, vt ſit extimeſcendum, non ita facile, vt ſit contemnendum. Quare pro belli magnitudine non omnia, neq; ab omnibus auxilia ſunt quærenda, ſed ea tantum, quæ nos honeſte iuuare poſſunt. Nunc autem penſitatis vtriuſq; partis viribus, omnia ſunt nobis potiora, militum numerus copioſior, corporis, atq; animi vires multo alacriores, belli gerendi duces præſtantiores, machinæ, & quibus hoſtes petantur, & quibus nos ab hoſtibus tueamur, magnitudinis, & multitudinis incredibilis apparatus. De exitu vero huius belli quid illi timeant, & quid nos ſperemus, vel hoc eſt argumentum maximum, quod ſæpe tentarunt emere pacem, vel ſaltem inducias, pollicentes maria, & montes auri, atq; tributi nomine perpetuam ſeruitutem. Quam oblatam condicionem quaſi turpem reieciſtis, quia vobis erat in animo non per partes, ſed totam ſimul extinguere gentem Mahumeticam ex Hiſpania. Et quid prodeſt, poſtea quam hoc bellum inchoatum eſt, tot feciſſe belli apparatus, tot expeditiones, toties congregaſſe populos, tot adijſſe labores, & pericula, ſi nunc in medio rerum conatu negocium infectum relinquitur? Quod ſi hunc Regem, quem in vinculis habetis, iuri ſuo reſtituitis, omnia hæc perdidimus, vt de nobis dici poſſit illud, quod eſt in Græcorum prouerbio: oleum perdit, & impenſam, qui bouem mittit ad ceroma. Atqui, inquiunt iſti, pro libertate ſua offert duodecim millia aureorum annua, dicant mihi obſecro, quanta portio eſt hæc ex ſumma illorum millionum, quæ in hoc ſuperiori biennio exhauſta ſunt in huius belli ſumptus? non dico ex vectigalibus regijs, & fiſco, ex mutuis, & exactionibus, impoſitionibus, & tributis, ex cruciatis, & apoſtolicæ Sedis ſubſidijs, ſed ex violenta conuocatione, & delectu ciuitatum, oppidorum, ex coactione angariarum, & perangariarum, per omnes totius regni populos. Atq;, vt iam veniã ad vltimum ex tribus, illis quę propoſui me dicturũ, quomodo poſſint, quæ in bello parta ſunt, quã diutiſſime retineri; quæro ab iſtis, ſi captiuo Regi libertas redditur? an cum libertate etiam pars illa regni, quam nunc poſſidebat, condonanda eſt? & altera pars, contra quam geſturus eſt bellum, cui ceſſura eſt, illi ne? an vobis? a quibus in auxilium belli copias petit. Reſpondebitis, opinor, quod vtraq; pars vobis eſt ceſſura, quoniam ſemel ſeruitio ſuo libertatem emit, &, vt iuriſconſulti dicunt, quicquid ſeruus acquirit, domino ſuo acquirit. Ita ne o cæci

fidendum eſt libertati alicuius, quam neceſſitas dedit? Omnis ſeruitus violenta eſt, nihil autem eſt violentum, quod diutius permanere poſſit. Cum viderit ſe liberum, dicet ſe non teneri reddere, quæ neceſſitate coactus pollicitus eſt ſe daturum. Eſt igitur vero quam ſimillimum, quod libertus hic veſter non nobis, ſed ſibi ipſi militabit? Quid? quod neutra Maurorum factio iſti obtemperabit. Non quæ patrem ſequitur obſeruantia ſuæ religionis, & obſequij, quod illi debent, non quæ ipſum ſequitur, cum eum viderint deuinctũ regibus, qui alienam religionem ſequuntur. Atq;, vt vno verbo ſententiam meam tibi o clariſſime Rex oſtendam, ita ſentio, bellum hoc proſequendum eſſe, Regem captiuum retinendum eſſe in vinculis, ne ex hoſte vno, & eo quidem ſenecta ętate confectum, nobis faciamus duos integros, & geminatis viribus robuſtiores, neq; in libertate nomine tributi pendant vobis quantum, & quandiu ipſi volent, ſed in ſeruitute, & ſub munitionibus veſtro præſidio inſtructis reddant quot annis, quantum Celſitudo veſtra reddendum eſſe ſtatuerit.

Marchionis Gaditani oratio, quod Rex Maurorum iunior ſit reddendus libertati.

Caput. VIII.

EORVM, qui in ſenatu regio partem alterã tuebantur, ſentiebantq; captiuum Regem libertate donandum eſſe, princeps erat Rodericus Pontius a Germanica legione Marchio Gaditanus, qui hac de re iuſſus a Rege ſententiam dicere, huiuſmodi habuit orationem. Ex tribus rebus, quas Magiſter militiæ diui Iacobi vir perquam illuſtris, de prima nullum eſt mihi cum illo certamen, nam de bello hoc proſequendo quid ego in ſecretiori ſenatu veſtro, atq; hoc in loco publice, & alijs in locis cum familiaribus meis, & amicis priuatim dixerim, tu es mihi teſtis clariſſime Rex, & illi, quibus cum hac de re ſæpe ſum locutus. De quo nunc diſceptamus, videndum, atq; imprimis diſcernendum, an ex miſerandi huius Regis captiuitate Celſitudini regiæ, ſi detineatur in vinculis, aliquid honoris acceſſerit, magis quam gloriæ, & veræ laudis accederet, ſi libertate donaretur. Fuit quidem regiæ maieſtatis veſtræ, ab vno, atq; altero ex ſubditis Regem hoſtium prælio ſuperari, captiuum in pompam triumphi duci, ſed in vinculis detineri, per Deum immortalem obſecro, quid habet honoris? Quid? quod apud genus hoc hominum non eſt ita ſanctum, ac venerabile nomen regium quemadmodum apud nos, itaq; pro libidine, atq; leui ex cauſa Reges abdicant, proſcribunt, occidunt, atq; in eorum locum alios ſufficiunt. Quod ſi in viuos, & incolumes, atq; in ſua poteſtate conſtitutos hoc audent, quid non in captiuos facient? Et vt ex eis exempla petamus, ab eo quod ſæculo noſtro fecerunt hoc ipſo Rege capto, quem nunc in vinculis habemus, pleriq; omnes ſuę factionis ad Regem patrẽ deſciuerũt obliti, & nominis, & fidei, quam ſuo Regi obſtrinxerant, vt Celſitudo veſtra exiſtimet, ſe non habere captiuũ Regem, ſed ex media plebe obſcurũ hominẽ. Sed videamus nunc, & æqua lãce perpendamus, quid vtilitatis ex hac Regis captiuitate nobis accreſcat, aut e diuerſo quid detrimenti ex eius libertate. Dum inter ſe pater, & filius diſſidebant, atque de principatu belligerabant, vterq; negocium noſtrum agebat, vterq; nobis militabat. Neq; enim erant tantæ illorum vires, vt & nobis reſiſtere, & inter ſe decertare poſſent. Nunc vero poſteaquam iunior hic Rex captus eſt, & in vinculis tenetur, ex duobus ad monarchiam res eſt redacta, maius negocium nobis acceſſit, quam prius erat, quoniam duplices illorum vires in

vnum corpus coierunt. Quid igitur, inquies optime Rex, tu faciendum cenſes? nimirum vt redintegretur diſcordia inter patrem, & filium Reges, & ſe mutuis vulneribus conficiant, vt non ſit nobis cum vno duplici bellum gerendum, ſed cum altero ex duobus, quorum alter pro nobis militans, faciat aduerſariŋ noſtri partem debiliorem. Reſtat nunc ſuſpicio illa, & timor, ne pater, & filius nomina pietatis, & naturæ pignora inter ſe redeant in gratiam. Hoc inter priuatos paſſim fieri ſolet, inter Reges vero nunquam, ſi ſemel regnandi dulcedine ineſcati ſunt. Quoties legimus, non ſolum apud poëtas, ſed etiam apud hiſtoricos, partim externos, partim domeſticos, patres a filiĳs regno eiectos in exilio vixiſſe? Nam fratres a fratribus vulgare eſt, vſq; adeo, vt, quod ait poëta, Nulla vnquam poteſtas conſortem patiatur. Quare pater, & filius nunquã ceſſabunt inter ſe certare ille de regni poſſeſſione tuenda, hic de patre ex regni culmine diſturbando. Alenda eſt igitur inter eos diſcordia, atq; non ſolum hic dimittendus, ſed etiam ſi poteſt fieri tertius aliquis ſubmittendus, vt ſi vnum e tribus ſors interceperit, nunquam deſint regni competitores. Neq; multifaciendum eſt, quod de rebellione iſti formidant, ſi non permanſerit in officio, nam & ingrati crimen apud illum manebit, ſi fidem violauerit, apud te vero beneficentiæ, atq; magni animi opus immortale, cuius nunquam pœnitebit. Simul etiam & eodem facto apud omnes gentes potentiæ magnitudinem oſtendes, cum audiuerint, Regi, cum quo bellum geſſeris, dediſſe libertatem, & in regni partem reſtituiſſe. Duabus igitur in rebus vno opere te cæteris pręſtare monſtrabis, quas antiquitas Ioui tribuebat, quas & nos Deo noſtro viuo, & vero tribuimus optimum, & maximum appellantes, optimum propter beneficentiam, qua erga cunctos mortales vtitur, & maximum propter omnipotentiam, quæ non per partes, vt cætera, ſed per omnia ſe extendit. Per beneficentiam igitur captiuum donabis libertate, per potentiam non timebis rebellionem. Dicant igitur nunc iſti, qui huic meæ ſententiæ aduerſantur, vtra ſit fauorabilior, & magis ad pulchritudinem, honeſtatemq; accedens, mea, in qua dico Regem captiuum libertate donandum, an ſua, in qua dicunt in vinculis, ac ſeruitute detinendum? Cumque tria ſint genera bonorum, propter quæ omnes omnia faciunt, vtile, iucundum, & honeſtum, quæ vtilitas prouenit ex vnius non Regis iam, ſed hominis in ſeruitute, & vinculis poſiti captiuitate, cui' neq; tu poſſis vti opera, neq; ſui precio redimere? Quæ voluptas ex eius vinculis? an ſtridor ille catenarũ, & manicarũ, compedumq; ſtrepitus delectat? Quæ pulchritudo, & honeſtas, vt te iuuet benefeciſſe, & benefactorum frui conſcientia, atq; vnde ſpectare poſſis gloriam immortalem? Hæc Marchionis ſententia plęroſq; mouit, non ſolum ex partis ſuæ ſtudioſis, ſed ex ĳs etiam, qui antea refragabantur, atq; imprimis Rex ipſe viſus eſt propenſior in eandem ſententiam. Sed quia Magiſtro aliud videbatur, & plures quoq; illi aſſentiebant, placuit rem integram ad Reginam referri. Quæ reſpondit, non diſplicere ſibi, quæ Marchio ſentiebat, pręſertim cum de captiuorum redemptione ageretur, & quod maiorũ ſuorum exemplo multi Maurorum Reges olim illi fuerint ſubditi, atq; tributarĳ. Iuſſus itaq; Rex iunior venire Cordubam, Regis noſtri ad genua ſupplex cum dextram manum auerſam exoſculari vellet, eamq; vt porrigeret ab aſtantibus admonetur, propterea quod ſubditus, & tributarius, facerem, inquit Rex noſter, ſi in illius regno mihi faciendum eſſet, nunc vero in noſtro, quia hoſpes eſt, & libertate donatus comiter, atq; honorifice tractari oportet. Factus igitur ex ſeruo libertus conceptis verbis iurauit ſe ſtaturum pactis conuentis rerum omnium, quæ tranſacta fuerant, atque intra certum tẽpus omnia executurum, atque ita liber, & multa ſupellectili, & veſtium

ornamentis donatus in regnum ſuum rediјt, ex cohorte prætoria adhibitis cuſtodibus, qui illum in patriam proſequerentur, incolumenque reducerent.

Maurorum Regis ſenioris copiæ a Palmenſi Comite ad Lupariam turrim deletę,

Caput. IX.

MAVRORVM Rege iuniore dimiſſo, ordinatiſq; rebus, quæ ad limites Beticæ tuendos, & ad bellum hoſtibus inferēdum pertinebant, Rex e Corduba profectus iter ſuum ad Reginam tendit, quæ per id tempus Victorię in cantabris morabatur, atq; obiter illuſtrauit fanum illud per omnes Hiſpanias celebre, quod ad amnem Lupi diuæ matri Deiparę dedicatum eſt, in quo nouendialibus vigilŷs ex noſtro religionis more operatus eſt. Interea Mauri, qui Regem ſeniorem ſequebantur, cum audiſſent iuniorem impetraſſe a Rege noſtro non modo inducias, & pacem, ſed etiam copias in auxilium contra partes illas, quæ patrem ſequebantur, ad odium, quod antea illius habebant ex publica ſimultate, acceſſit aliud ex religione, dicentes illum rem impiam, atq; nefariam, & contra Mahumeti legem feciſſe, quod cum Chriſtianis fœdus percuſſerit in perniciem ſuę gentis. Sed & plęriq; illorū, qui eum antea ſequebant̄, ſuę religionis amore ducti ab illo ad ſeniorem Regem defecerunt. Cumq; audiſſent Regem noſtrum ad ſuperiores Hiſpanię partes profectum, coegerunt totas Granatenſis regni vires, & vno omnium conſenſu ex equitibus, & peditibus facto pergrandi exercitu ſtatuunt Beticæ noſtræ fines inuadere, populari agros, & ferro, atq; igni omnia vaſtare. Erat genus hominum tam ex Chriſtianis, quam ex Mauris, qui prædandi, atq; homines capiendi ſtudio ſemitas obſidebant, atq; inde in viatores, & pecudum, armentorumq; paſtores, & ruſticos agrorum cultores graſſabantur, Almogauares lingua punica vtriq; vocant, ex ŷs Chriſtiani ſeptem fines hoſtium tranſgreſſi, dum ex vertice quodam montis interdiu ſpeculantur, quo in loco noctu graſſarentur, ex ſpecula proſpiciunt Maurorum copias agminatim procedentes contra limites, qui ad Hiſpalim, & Aſſindum pertinent. Hi omiſſa ſpeculatione, cui erant intēti, partiti inter ſe locos, quo quiſq; illorum eſſet iturus, vt noſtros certiores faceret de hoſtium ſuperuentu, alius ad Ludouicum Portucarrerium Palmæ ad Singilim dominum eo tempore, ac poſtea comitem, alius ad Aſtygiſtanam coloniā, alius ad Aſindū, alŷ ad arciū præſides, & cohortiū præfectos eunt, illoſq; monent, quo proficiſcantur, & quid eſſent facturi. Palmenſis comes eiuſdem rei finitimos duces facit certiores, vt cum præſentibus copŷs in certum locum coeant, ipſe cum amicis, & familiaribus, atq; domeſticis ſuis, & alŷs, qui ſe illi agglomerarāt, pergit in occurſum, eo quo ſuſpicio erat hoſtes eſſe venturos. Qui tripartito exercitu pylas, fauceſq; montium peditum præſidio munierūt, ne poſtea occupatas a noſtris confecto negocio reditus in patriam intercluderetur. Equites in partes diuiſi duas, altera ad agrorum excurſiones, populationeſq; miſſa, altera quę firmior erat in inſidŷs collocata eſt. Excurſiones in Vtrariæ agros faciunt, per cāpoſq; ſparſi p̄das gūt. In eos Portucarrerius cum ſocŷs, & cōmilitonibus exercitū mouet, in eoſq; palantes irruit, ipſi ſe ad inſidias recipiunt. Noſtri cedentibus inſtant, quoad ventum eſt ad inſidias. Et quia in partes duas erant diuiſi in anteriorē Moroni, & Vrſinæ oppidorū pręſides, & cohortium Magiſtri a ponte Traiani, & Hiſpanæ ſocietatis pręfecti, in hos inſidiarum ſubſeſſores erumpunt. Pugnatur ęquo Marte ab vtriſq;, fractiſq; haſtis iam cominus gla-

diȷs,& pugionibus res agebatur,ſuperuenit Portucarrerius cū recentibus copȷs,& non magno negocio hoſtes in fugam vertit, atq; in duas partes diuiſos, alteram perſequitur, altera in Marchionis Gaditani caſu incidit,cum adhūc nuncium auxilio veniret Aſidenſibus,& ſuis comitatus. Cęſi ſunt complures ex hoſtium principibus,& capta ſigna quindecim.quę Portucarrerius cū huius victorię nuncio miſit ad Reginam, quę eo tempore in Cantabris agebat. Fuit tanta omnium lęticia ex eo nuncio,vt publice ſint decretę ſupplicationes, candelę,& funalia per vrbis vicos accenſa. Regina vero tanti facinoris autorem, eiuſq; victorię ſocios collaudat. Vxorem Palmenſis comitis veſte auro intertexta donat, qua in feſto Magorum, quos vulgus appellat Reges, quotannis vteretur, vt illius diei, in quo tanta res geſta eſt, ſempiternum aliquod monumentum relinqueretur. Nec multos poſt dies Marchio Gaditanus cum ab exploratoribus accepiſſet Zaharam caſtellum,quod in belli huius initio diximus a Mauris captum, exhauſtum eſſe incolis, & negligentius obſeruari, atq; non difficulter capi poſſe, Portucarrerium eundem acciſcit,& ex Aſindo,atq; finitimis vndecunq; potuit equitatum ſibi adiungit,perq; mediæ noctis ſilentium Zaharam proficiſcitur. Iuxta muros ſecreto quodam loco armatos decem ponit, & poſt illos proxime alios ſeptuaginta, ipſe autem cum reliqua manu non longe in inſidȷs latet. Sub primam lucem dimittit aliquot ex peditibus,qui per campos graſſarentur. Ex caſtello erumpunt equites ad ſeptuaginta, neq; enim plures erāt,quos ſequuntur vigiles,& circitores, & q nocte heſterna in ſtationibus fuerant,murorumq; cuſtodiam deſerunt,non enim putabant interdiu caſtellum oppugnari poſſe. Interea ex militibus noſtris vnus ſcalas munitionibus admouet, murum ſcandit,quem decem illi ſequuntur,quos diximus,partemq; muri occupant, pugnamq; cum Caſtellanis conſerunt. Accurrunt reliqui ſeptuaginta, atq; vnam ex portis capiunt. Qui ex caſtello eruperant, cum audiſſent hoſtes intra munitiones admiſſos, ad mœnia ſe recipiunt,quos inſequuntur,qui latebant in inſidȷs,& cū fugientibus ſimul Caſtelli portas intrant. Caſtellani in arcem coeuntes obſidentur, & quia plures erant, deficientibus alimentis diu in obſidione durare non poterant,ex pacto arcem Marchioni tradunt, ipſis autem abeundi quo vellent permiſſa libertas. Atque ita caſtellum nuper amiſſum Marchionis induſtria receptum eſt.

Tendillani Comitis in vrbe Alama Stratagemā inſigne,atq; aliæ res ibidem geſtæ.

Caput. X.

HOC in loco reſtat nobis narrandum Stratagemā illud inſigne, quod non ſolum per omnem Hiſpaniam celebratur,ſed per vniuerſum nominis Chriſtiani orbem circumfertur,autor illius,atq; inuentor fuit Enicus Lupides Comes Tendillanus, quem Rex & Regina præfecerant cohortium præſidio,quas ad Alamam tutandā reliquerant. Is cum primum huius negocȷ adminiſtrationem ſuſcepit, milites nimia ſolutos licentia coercuit,atq; imprimis Scipionis Aemilani,&.Q. Metelli exempla ſecutus aleatores,& ſcorta, popinas,& cauponas,& cætera exercitus impedimenta e caſtris ſuſtulit,ipſos milites in ſtudȷs equeſtribus,pedeſtribuſq; exercuit,in Granatenſes agros, quoties dabatur occaſio, excurſores, atq; exploratores mittebat, neq; vnquam ipſe quieſcebat,neq; hoſtes quietos eſſe patiebatur. Tantumque terrorem Mauris finitimis incuſſerat,vt neq; ſuburbana prædia excolēdi tempus,locumq; daret,neq; ſaltem intra cu-

culum ſomnos perpetes ducere liceret. Hyems illa, quæ præceſſerat, fuit pluuioſa, murique putres ebibebant imbres ex ſtillicidijs cadentes, cum ſubito compagibus ſaxorum ſolutis corruerunt, magnamque vrbis partem nudam reliquere. Quod ſi caſus tantæ calamitatis ad hoſtium aures perueniſſet, actum erat iterum de Alama, multoſque per annos regni illius excidium immoratum fuiſſet. Ex illa murorum ruina tantus terror milites præſidiarios omnes inuaſit, vt ex deſperatione nihil iam niſi de fuga, & de vrbe deſerenda cogitarent. Sed bene quod Dei benignitas ducis mentem excitauit, atque, vt ait Poëta, duris vrgens in rebus egeſtas, & illud: Ingenium mala ſæpe mouent, & illud quoque, & labor ingenium miſeris dedit. Iubet itaque comes Tendillanus qua parte murus ingentem feneſtram patefecerat, conſutis lintheis prætendi muri ſpeciem, tam ſimilem vero, vt procul aſpicientibus nulla videretur eſſe differentia inter verum, & aſſimulatum. Et ne quis transfuga proderet hoſtibus quid intra vrbem accidiſſet, iubet diligentius portas, & poſticos cuſtodiri, ne quiſpiam temere intraret, & egrederetur, aut mœnia tranſiliret. Iubet interea partem muri lapſam ſubſtrui non opere tumultuario, ſed ex calce, & cementicijs lapidibus multo firmius, quam antea fuerat. Sæpe hoſtium exploratores venerant captantes ex occulto quid apud noſtros ageretur, ſæpe etiam excurſores equites, vrbem obequitabant, nunquam tamen ſenſerunt quicquam in ea parte murorum fuiſſe immutatum, non colorem, non ſpeciem, non quicquam aliud vnde ruina illa poſſet percipi.

Cumque rei pecuniariæ inter milites maxima eſſet difficultas, propterea quod ſtipendia ſuo tempore non ſoluerentur, neque de futura ſolutione certam haberent fidem, conuocatis omnibus dixit ſe habere pro certo, quod pecuniæ ad ſtipendia ſoluẽda iam eſſent a Celſitudine regia decretæ, ſeque non modo indies, ſed in horas ſingulas ſpectare illas, quare vt bono animo forent hortatur, pollicetur que ſe daturũ interea non veras, ſed imaginarias pecunias, quibus inter ſe rerum venalium commercia exercerent, fidemque ſuam interponit vmbratiles illas pecunias veris ſe redempturum.

Ex charta igitur panucea fecit ſchedulas ſua manu, atque ſubſcriptione ſignatas, quibus imponit nomina, precium quantum quæque ſit valitura, quaſdam vocans nummos aureos, quaſdam argenteos, quaſdam æreos, & in vno quoque genere plures differentiæ, puta aſſes, ſemiſſes, trientes, quadrantes. Iubet vt nemo ſuppoſiticias illas pecunias recuſet. Ex illis ficticijs pecunijs ſtipendia militibus perſoluta ſunt, & per illas emptiones, venditioneſque factæ, tanta fuit Comitis autoritas, atque reuerentia. Idem quoque ſumptu ſuo in Alcala regia vrbe Pharon erexit, conſtituitque vt per noctem perpetem funalia arderent, quo captiui ex vrbe Granata elapſi fugam erigerent. Hoc anno Ludouicus huius nominis vndecimus Gallorum Rex Ambaſiæ diem ſuum obijt. Cui ſucceſſit Carolus octauus. Hoc eodem anno Ioannes Luſitanorum Rex animaduerti iuſſit in ✠ ✠ Vergancenſem Ducem, de quo ſuſpicio erat cum alijs ex eiuſdem regni nobilibus in Regis necem coniuraſſe. Tres illius fratres in exilium miſſi, Luſitanorum Comeſtabilis, & ✠ ✠ Comes Phairius, & Aluarus a Luſitania, qui poſtea fuit Hiſpaniarum Regis & Reginæ ſenatus princeps.

ÆLII ANTONII NEBRISSENSIS HISPANARVM ATQVE HIPANIENſium rerum hiſtorici Decadis Secundæ liber Tertius. De Ruſcinonis & Cerretaniæ comitatu reddendo, & legationbus hinc inde ea de re miſſis.

Caput Primum,

LVDOVICVS, de quo in fine libri ſuperioris diximus, cum moreretur, teſtamēto ſuo iuſſit, Ruſeinonis, & Ceretaniæ comitatus Ioannis Tarraconenſium Regis hæredibus reſtitui, & qui viuens Ioanni viuenti, neque illo vita functo Ferdinando filio hæredi redddendum curauit, idem morti proximus conſcientia teſte coactus legitimis dominis reddi iubet. Fidemque publicam ſoluens, mittit literas ad eos, qui arces præſidio tenebant, vt transferrent poſſeſſionem in illos, quos Rex & Regina Hiſpanorum Principes nominaſſent. Interim Ludouicus moritur, quibus negocium demandatum erat accepto nuncio de Regis morte, executionem differunt, quo ad Carolus Rex Ludouici ſucceſſor conſuleretur, an quicquā noui ea de re vellet decernere, qui per literas iubet, executionem teſtamenti, & reſtitutionē illam debere protelari, quoad de integro eadem de re deliberaretur quid fieri iure deberet. Mittitque oratores ad Regem & Reginam, qui patris obitum, & ſuam in regnum Galliæ ſucceſſionē nunciarēt, dicerentq; ſibi gratam fore ſocietatē, atq; amicitiā maiorum ſuorum cum Hiſpanorum Regibus ab antiquis temporibus obſeruatam, & vt ipſi quoque, ſi ipſis videretur, inuiolabiliter obſeruarent. Cui legationi a Rege & Regina reſponſum eſt, ſe dolere, atque ægre ferre obitum clariſſimi Regis patris ſui, tum quod erat amicus, atque fœdere ſibi coniunctus, tum etiam quod erat vir bonus, atque ſociorum, & amicorum ſocius, & amicus, & quod magis in Rege laudādum eſt, iuſtus, ac timens Deum.

Quod tamen cum relinqueret filium, qui patris mores imitaretur, amicoſque & ſocios conſeruaret, atque in officio retineret, eo nomine ſe gaudere dixerunt, ſeque breui miſſuros legationem oratorum, qui partim de obitu patris Regem conſolarentur, partim congratularentur illi de noua regni ſucceſſione, ſimul etiam, vt antiquum fœdus cum illo renouarent, & vt quod pater moriens de Ruſcinonis, & Ceretaniæ comitatibus legauerat, executioni mandaret. In hæc verba oratores dimiſſi redierunt. Nec multo poſt miſſi legati duo, Ioannes Riparius vir domi, & militiæ inſignis, & cum eo Ioannes Arius vnus ex regĳs ſenatoribus, & qui poſtea fuit Epiſcopus Segobienſis, qui cum literis, & mandatis, ſimul etiam & publicis inſtrumentis, atque facultate faciendi omnia, quæ Regis & Reginæ nomine facienda eſſent. Erat eo tempore Gallorum Rex Turoni, quas noſtro tempore vocant turres in Turonia, quo cum veniſſent, publice legatio expoſita eſt, atque omnia peracta, quæ in mandatis habuerant. Ad quam legationem Rex ex ſcripto reſponderi iubet, ſibi omnia eſſe grata, quæ Regis & Reginæ Hiſpaniarum nomine fuerunt expoſita. Quod vero ad Ruſcinonis, & Ceretaniæ comitatus attinebat, quia inde videbatur inſtaurandæ ſocietatis, & amicitiæ fundamentum pendere, reſpondet ſine vlla condicione ſibi placere fœdus cum Hiſpanorum Regibus, quemadmodum a maioribus ſuis ſemper fuerat percuſſum. De comitatibus vero Ruſcinonis, & Ceretaniæ reddendis ſibi non conſtare quo iure poſſideret, atque ſi e poſſeſſione cedendum ſibi foret, aliam rationem futuram cum Hiſpanorum

Regibus, eorum ſcilicet, qui Caſtellæ appellãtur, atq; aliam cum Tarraconenſiũ Rege, qui per Reginam coniugem Hiſpaniæ dotalis regno ſucceſſit. Quare ea de cauſa dicit ſe miſſurum legatos viros bonos, & legum, iuriſq; peritos, qui cauſam omnem cum Hiſpanorum iure conſultis diſputent, atq; decidant, quid vtriq; parti ſit faciendum, quo minus antiquũ fœdus inter Hiſpanos, Galloſq; violetur. Hoc reſponſo noſtris oratoribus dato, quia videbant negocium, cuius cauſa venerant, in longũ tempus differri, neq; unquam habiturũ eſſe finem, ſtatuunt conteſtari Regem ipſum, regiumq; ſenatum, atq; illius regni triplicem virorũ ordinem, vt quoniam per ipſos ſtaret, quo minus antiquum fœdus, & Hiſpanorum, Gallorumq; ſocietas inſtauraretur, neq; iuſtam eſſe cauſam, cur rei effectus impediretur, immo prætextum non reddendi cõmitatus illos, quos iure diuino, & humano reddere tenebantur. Igitur coram omni populo, atq; imprimis ipſius Regis procuratoribus obteſtati ſunt ipſum cœli numen, & ſi vſquam iuſticia eſt, & mens ſibi conſcia recti, deinde ipſum Regem, atq; alios omnes, qui partem aliquã publicę gubernationis ab illo acceperant, vt quicquid detrimẽti ex ea cauſa alterutri regno accidiſſet, in caput illorum recideret, qui tantorũ malorum occaſionẽ dederint. Simul etiam obteſtati ſunt reum fore mulctarũ, quæ ſunt fœderis violatoribus impoſitæ, præter iuris iurandi contemptam religionem, quæ ſolum Deum habet vltorem. Ad hanc oratorum conteſtationẽ Gallorum Rex iubet reſponderi illud idem, quod antea reſponderat, cum primum ea de re fuerat poſtulatus, ſe velle & quidem libentiſſime ſtare pactis conuentis, & antiquo fœderi, quod maiores ſui pepigerant cum Hiſpanorum Regibus, illis tamen quos appellant Caſtellanos, Ruſcinonem vero, & Ceretaniam, quæ Gothalaniæ prouinciæ erant contributa, non pertinere ad Caſtellam, cum qua fœdus ab antiquo percuſſum erat. Nihilominus tamen ſe miſſurum legatos pollicetur, qui in ipſius Regis & Reginæ curia quæſtionem illam diſceptent decidantq;, atq; deinde fœdus ſanciant, atq; confirment. Atq; ita oratores infecto negocio, cuius cauſa venerant, dimiſſi ſunt, atq; a Rege digreſſi redierunt.

Oratores à Gallorum Rege dimiſſi cum reſponſo dubio de confirmando fœdere.

Caput. II.

GALLORVM Rex reputans ſecum ex reſponſo, quod Hiſpanorum Principum oratoribus dederant, nihil aliud ſequi, quam inter duos potentiſſimos Reges diſſidium in vtriuſq; regni perniciem, tentauit oratores placare muneribus, atque imprimis Ioannem Ripaϲrium, qui legationis erat Princeps. Nam cum illa fœderis antiqui renouatio fauorabilior eſſet Gallorum Regi, propterea quod in regni nouitate non dum regnandi fundamenta iecerat, multaq; reſtabant illi peragenda, vt tuto regnare poſſet, rogabat illum, vt apud Regem & Reginam ſuum illud reſponſum, quod dederat, leniret, interpretareturq;, vt qui nihil aliud magis cuperet, quam illorum beneuolentiam ſocietatemq;. Et quod de Ruſcinone, & Ceretania reſponderat, in bonam partem acciperent. Et quoniã cum Rege & Regina gratia, & autoritate tantum valeret, laboraret, quemadmodũ fœdus illud inſtauraretur, atq; pro virili ſua parte inter vtroſq; Principes autor eſſet pacis. Et quo magis illum oppigneraret, mittit laborati argenti tot vaſa, quibus abaci plures inſtrui poſſent. Et per ſtructorem ſuum, qui argentum illud detulerat, rogabat, vt munuſcula ſua non ſperneret, ſed tanquam pignus

& monumentũ moris ſui erga illum ſeruaret, daturus multo plura ſi rem inchoatã per-
ficeret. Ioannes Riparius reputans ſecum id, quod futurũ erat, nunquã fœdus illud bo-
na fide percutiendũ eſſe, remq; eo venturam, vt non bono & æquo, ſed armis decernen-
da foret, noluit Regis munera accipere, non ſuperbia, aut quod Regem contemneret, ſed
ne vllum beneficium apud ſe maneret ab illo profectum, cum quo publicas inimicitias
paulo poſt exerciturus eſſet. Hoc gallorum Rex ægerrime tulit, neq; potuit vincere
oratoris contumaciam, quamquã iterum atq; identidem miſiſſet rogatum, ne munera ſua
ſperneret. Rex & Regina cum ex reſponſo Gallorũ Regis intellexiſſent, rem omnem
ad arma ſpectare, mittunt cohortes ad Gothalaniæ & Ruſcinonis, & Ceretaniæ fines,
inciperecq; iubent, ex ea parte bellum inferre Gallis. Pendebant adhuc ex alia parte ini-
micitiarum cauſę, quod Gallorum Regis ex ſorore Nauariæ Regina neptis, quã Hiſpa-
niarum Regina cupiebat Matrimonio iungere Ioanni primogenito ſuo Principi, cauſa-
ta ætatum diſparilitatẽ, nupſit Ioanni Labritenſiũ domini filio, natione & animi affectu
Gallus erat, neq; dubiũ, quin bello Gallico inchoato Gallũ ſequeretur, atq; per Naua-
rię fines daret Gallis aditum in Hiſpaniam hoſtiliter penetrandam, viſum eſt Regi &
Reginę, atq; belli gerendi conſilio præfectis occupare, pręſidioq; munire in ipſo Naua-
rię regno caſtella, & munitiones aliquas, quæ pro illis ſtarent. Munierunt itaq; Tu-
telam caſtellum arte, & natura firmiſſimum, atq; finibus cuſtodiendis præſidia diſpo-
ſuerunt, ne dum Ruſcinonenſe Ceretanumq; bellum gereretur, aliquid detrimenti ex ea
parte Hipania acciperet.

Rege & Regina abſentibus bellum cum Mauris per Hiſpanos
proceres continuatur. Capur. III.

QVAMquam Rex & Regina cum eodem hoſte duobus maximis bel-
lis eſſent impliciti, altero Ruſcinonẽſi pro vendicando comitatu, quem
amiſerant, & altero Nauarienſi, quod putabant ereptam ſibi partem il-
lam Hiſpaniæ, quam ex corpore auulſam dotis nomine, pro certo habe-
bant, in ſuum corpus rediturã, magis tamen ſtimulabat illos, quod bel-
lum cum Mauris inchoatum intermittebatur, atq; refrigeſcebat. Et ne
duces, per quos bellum poſtea erat gerendum, longa deſidia torpeſcerent, ſcribunt, atq;
per literas hortantur illos, vt aliquid agant interea, quod ad bellum poſtea gerendum con
ducat, vtq; agrorũ populationibus, & incendijs intendant, neq; hoſtes in pace quietos
eſſe ſinant. Proceres itaq; Hiſpani ſe ipſos inuicem hortati cum quàm maximis poſſunt
copijs Cordubã conueniunt, atq; inde profecti Antiquariæ campos petunt. Vbi exer
citu luſtrato cenſa ſunt equitum ſex millia, peditum vero ad millia duodecim. Qui om
nes vno omnium conſenſu belli gerendi maximos duces deligunt Magiſtrũ militiæ di-
ui Iacobi, & Marchionẽ Gaditanũ, & Alphonſum domus Aqutlarię dñm. Qui tres
exercitus in cohortes diſtribuunt, & quid cuiq; ſit agendũ ordinant, caſtra nebulonibus
& ſcortis, alijſq; impedimẽtis purgant, partes exercitus priores ſortiuntur domus Aqui
lariæ dñs, & regij miniſterij præfectus, & Portucarrerius Palmẽſis comes, & prętoria
narum cohortium præfecti Ioannes Almaraz, & Ioannes Merulus. Poſteriores
vero Commendatarius maximus a Calatraua militiæ cum Aſindenſium, & Aſtygita-
norum, & Carmonenſium ducibus. Medias vero partes obtinebant Magiſter militię
diui Iacobi, & Marchio Gaditanus, & Martinus a Corduba, & Ferdinãdus Carillus.
Hi tres cohortiũ pretorianarũ duces, exercitib⁹ hunc in modũ ordinatis, cãpos Malacita
nos populabundi inuadunt. Ex equitibus certis in locis præſidia diſponunt, ne pedites

dum ſata, ſegeteſq;, & meſſes ſternunt, dum vineta, olivueta, ficeta, atq; aliorum generum arboreta ſuccidunt, aliquid detrimenti paterentur. Hoc imprimis factum eſt in agris ad Aloram adiacentibus. Hoc deinde ad Choini, & Cazarabonellæ, & Sabineti, & Cartimę vallibus, quibus in locis non defuerunt equitũ, peditũq; pugnæ tumultuariæ, ad Cartimam præcipue, vnde pro hortorũ ſuburbanorũ defenſione equites cum peditibus, ex caſtello erũpentes cũ priori exercitu noſtro auſi ſunt pugnã cõſerere, ſed tandẽ repreſſi, caſtelliq; muris impacti hortorũ defenſionẽ, ſuburbanaq; ædificia hoſtibus diripiẽda reliquerũt. Inde in Pupianę agros, arboretaq; pergẽtes paria fecerũt ad Alauẽdinũ vſq;, cuius incolæ cum ducibus paciſcebãtur ſe daturos captiuos omnes Chriſtianos, quos in vinculis habebant, dum modo arboribus parceretur, feciſſentq; duces, niſi quod arborũ ſucciſores per agros ſparſi iam prope omnia corruperant, in humumq; deiecerant. Pars quoq; exercitus trans Cartimitanos mõtes traiecta in Pupianæ, & Churianę, & Tympanitidis turris agris quicq̃d frugiferũ inuẽtũ eſt ferro, igniq; vaſtauit. Dum hęc intra regni Granatenſis viſcera gerebãtur, claſſis ex Hiſpali, & Aſindo e regione ad Malacam ad noſtri maris oram maritimã acceſſerat omni genere cõmeatus onuſta, vnde refocillatus exercibus tota belli moles in Malacitanos cãpos incubuit, omnia diſturbat, nihil relinquit intactum ex ijs, quæ agri procreãt, quæ boues arãt, quæ homines ædificant, omnia, inquã, humi ſtrata iacent, totumq; negocium intra dies quadraginta peractum eſt.

Inde in Antiquariæ prata redierunt intra dies illos quadraginta, atque inde domum quiſque ſuam repetit, admoniti tamen prius omnes, vt ad certum tempus, locumq; conuenirent, vt cum Rege, quem breui vẽturum eſſe expectabant, Granatenſes agros populaturi redirent, ſimul etiam vt Alamę penarium, quod iam exhauſtum eſſe putabatur, omni commeatus genere inſtruerent.

Rex & Regina Turiaſſonam ad Taraconenſium conuentum peragendum proficiſcuntur: Caput. IIII.

DVM hæc in partibus diuerſis aguntur, Rex ex Bætica, & Regina e Bardulorum finibus profecti Victoriam eodem tempore cõuenerunt. Et quia inſtabat dies Turiaſſonę celebrandus erat Tarraconenſium conuentus iam pridem' inſtitutus, Rex & Regina ſimul eodem peruenerunt. Conuenerunt præterea omnes regni primores, ciuitatumq;, & municipiorum procuratores partim ſponte ſua, partim euocationibus admoniti. Pro Rege & Regina fiſci procuratores in conuentu propoſuerunt ærarium regium, & pecunias regijs ſumptibus decretas exhauſtas eſſe, impendere quoque multa, quibus opus eſſet ad bella, quæ neceſſario gerenda erant cum Gallorum Rege pro Ruſcinonis, & Ceretaniæ comitatibus, cum Mauris pro Granatæ regno vendicando, & vnde ſtipendia ſolui poſſent prætorianis cohortibus, ſine quibus regni ſumma conſtare non poteſt. Procuratores quoque ciuitatum, & populorum detulerunt querelas ex iniurijs a potentioribus illatis, & legibus in iudicio non ſeruatis, & fori conſuetudine obſoleta. Succreſcebantq; in dies negocia, quæ non videbantur finem habitura, & bellum cum Mauris inchoatum ex populationum intermiſſione redintegrabatur, quæ ſuperioribus annis per Aprilem menſem fieri conſueuerant, qui iam maiori ex parte lapſus erat. Statuunt itaque curialia illa negocia, quæ ſuboriebantur, in aliud tempus differre, conuentumque illum tantopere expetitum incipiunt ſoluere. Cumque duo maxima bella iam inchoata eſſent, alterum cum

Gallis, & cum Mauris alterum: cœptum eſt in ſenatu regio deliberari, vtrum potius exequerentur, nam, duo maxima bella ſimul adminiſtrari poſſe, non videbatur.

Regina, quæ nihil magis præ oculis habebat, quam Mahumeticum nomen ex vniuerſa Hiſpania tollere, Bæticãq; prouinciam ex Limitanea mediã facere, huic bello intendendum eſſe dicebat. Rex vero pro Ruſcinonis, & Ceretaniæ comitatu retinendo potius laborandum eſſe, quanto iuſtius videbatur, ſua repetere, quam inuadere aliena.

Simul etiam dicebat, ſemper fore occaſionem Mauros bello laceſſendi, at Gallos, nulla vnquam fuit maior, cum Rex puer, & ſub tutoribus eſſet, multiſq; in regni nouitate negocijs implicitus. Pro vtraq; parte non deerant rationes, vtrum bellum foret proſequendum, ſed cum omnes cernerent Reginam tanto belli contra Mauros gerendi ardore inflammatam, pleriq; illius ſententiæ acquieſcebant. Sed ne omnino videretur voluntati Regis aduerſari, hanc rationem excogitauit. Quid? inquit, o coniunx dulciſſime ſi Deo iuuante vtrumq; poteſt fieri, partiamus copias, tu cum tuis Tarraconenſibus, & Valentinis, & Cathalanis, & Hiſpanorum, Caſtellanorũq; aliquot cohortibus Gallicum bellum procurato, ego bellum cum Mauris tanto ſumptu, & impenſis, & laboribus inchoatum proſequar. In hanc Reginæ ſententiam vtraq; pars pedibus, manibuſq; abierunt. Rex ad peragendũ Turiaſſone conuentũ manſit. Regina vero Bæticam verſus iter tendit, quã Petrus Mendoza Cardinalis Hiſpanus eſt proſecutus, qui cum Toletum aduentaſſent, Toletanus Clerus Cardinali obuiã proceſſit, atq; illũ admonuit, vt conſuetudinẽ ab antiquis tẽporibus obſeruatã nõ perturbaret. Ea erat, vt cũ primũ illius eccleſiæ Antiſtes vrbem ingrederetur, ſenatores, & equites, & ex ciuibus nobiliſſimi, & legum, iudicijq; adminiſtri illum equo, aut mula, aut alio vehiculo inſedentem pedites ſtiparent, atq; in templũ vſq; deducerent, vbi ſtipite crucis adorato in templi adyta penetraret. Regina intelligens negocium, quod agebatur, Cardinalem pompã illam recuſantẽ rogat, vt munus ſuum exequatur, atq; per ipſam non eſt, quo minus conſuetum morẽ non perturbet. Abſit a me, inquit ille, o Regina omnium, quęq; fuerunt, clariſſima, vt aliquis honor ſit mihi alius potior, quam, vt liceat Celſitudini tuæ præſtare obſequium debitum, & a tuis ſubditis exhiberi conſuetum. Et quæ poteſt eſſe pernicioſior conſuetudo, quam quæ faciat me minus obſequentem illi, cuius munere mihi conſtat quicquid habeo, quicquid poſſideo, frangatur itaq; potius incepta hæc conſuetudo, quæ iubet me ingratitudinis crimen incurrere, quã, vt quiſpiam poſſit dicere, quod Cardinalis Hiſpanus vel vno tẽporis articulo fuerit Regina ſui honoris autore vno gradu ſuperior. Quod ſi opus eſt, in huiuſmodi rebus conſuetũ morẽ obſeruari, aliud tẽpus erit, in quo ſine mea ignominia, & pudore poſſit hæc ciuitatis conſuetudo retineri, & ſimul hoc dicens regalis mulę habenas prenſat, atq; in vrbis portas agit. Tres igitur dies, quibus reſurrectionis dominicæ Paſcha celebratur, Toleti feriatos ducunt. Quarto deinde die iter in Bæticam continuatur, in Oretaniamq; tandẽ perueniunt. Luſtratiſq; Menteſa, Biacia, Vbeta, Caſtulone, & Andugaro, vrbibus deprauatos illarum ciuitatum mores emẽdauit, talos, & taxillos, teſſeras, pyrgos, turriculas, fritillos, atq; huiuſmodi fortunæ ludicra, aleatoreſq; omniũ generum ſuſtulit, atq; in alea ſe exercentes a pręto ribus, & iuſticię adminiſtris animaduerti grauiter iuſſit. Mirum dictu quod breui tempore vix reperiebãt, qui, ſe uidiſſe, talis quempiã ludere, diceret, cũ antea in cauponis, in popinis, in tabernis, in cellarijs vinarijs nullus eſſet ludus frequentior. Inde Cordubam Regina proficiſcitur, quo iuſſerat conuocari omnes, qui ſuperioribus annis ad bellum hoc gerendum vocari conſueuerãt, & poſtea nomina ſua dederunt.

Rex Turiaſſonę in conuentu manet, & Regina Cordubam proficiſcitur, & Alora capitur.

Caput. V.

REX, qui Turiaſſonę ad conuentum peragendum manſerat, cum videret ſe nihil proficere in eo, quod poſtulauerat ſuppetias ad bellū pro Ruſcinonis, & Ceretaniæ comitatu vendicando, intelligens in bellum, quod Mauris inferendum erat, præſentiā ſuam deſiderari, deſerto conuentu Cordubam ad Reginam proficiſcitur, quo iam Hiſpaniæ proceres conuocarat. Machinas quoqꝫ oppugnatorias, & ſulphurata tormēta parari iuſſerat a Gallia vſqꝫ, & Germania machinarijs accerſitis. Erat prętetea vehiculorum tanta multitudo parata, quanta opus erat ad onera importanda, tum cōmeatus, tum machinarū, & quia Rex non putabatur eſſe venturus, Regina Cardinali rei militaris ſummā cōmēdat, ducēqꝫ maximū creat. Sed cum Rex ſuperueniſſet, omnia conſilia ſunt immutata, ceeptūqꝫ denuo cōſultari, quod belli genus inchoandū eſſet. Alij dicebāt inſiſtendū eſſe in eo quod ſemel inceperāt, in agrorū ſcilicet populatione paſcuorum direptione, vicorū, villarumqꝫ vaſtatione: quę iam hoſtes ad ſummā prope inopiā redigerant, atqꝫ adhibita noſtri maris acriori cuſtodia, & affinibus prouiſo ne quid alimenti ad eos perueniret, vt res breui conficeretur, nihil aliud opus erat, quam, vt interiores agri vaſtarentur. Alij dicebāt genus illud hominū non eſſe, quales cæteri ſunt mortales, ſed tenui victu, nullo vini vſu inediæ, & ſitis, frigoris, & caloris, & aliarū naturæ iniuriarū pacientiſſimi, & qui huiuſmodi eſſent, longā obſidionem paſſuros cum longo obſeſſorum diſpendio. Rex & Regina rationibus, quę pro vtraqꝫ parte referebātur perſpectis, Aloram imprimis debere obſideri cenſent, propterea quod inde plura nocumēta noſtris finibus ingruebāt, & capto oppido tutius inde poterant regni illius interiora vaſtari. Poſſe autē facile capi, non erat dubiū, conſiderata Maurorū, & munitionis fragilitate, & machinarū numero, & magnitudine. Et ne conſiliū hoc Aloram petendi ad hoſtes perueniret, ſecreto paucis cōmunicatū eſt, atqꝫ rumor in vulgū ſpargi iuſſus, quod tota belli moles in Loxam parabatur, neqꝫ enim putabant Aloram poſſe vllis viribus expugnari. Igitur cohortes more ſolito ordinatæ, ſimulantes, atqꝫ prędicantes ſe Loxam petere, ſubito in ſuburbanis Aloræ conſederunt. Oppidani trepidantes nihil omittunt, quod ad ſe tuendos pertineret. Rex machinas certis in locis diſponi iubet, turres, & muros ſaxeis orbibus tundi, neqꝫ ceſſatū eſt a tormentorū luſu, quoad turres duæ cum parte muri intercepta repente corruūt. Interea Mauri citra murū, qui ceciderat, tentarunt alterū ducere, ſed ſagittis, & ſtlopetis, & minorū machinarum ictibus repulſi, non potuerunt opus perficere. Sed attoniti, & amētes defenſione deſerta præſidē ſuum hortantur, conteſtāturqꝫ, vt ſe, atqꝫ oppidum quā meliori poſſit cōditione Regis miſericordiæ dederet. Iamqꝫ parabatur oppugnatio ea parte, qua muri, turreſqꝫ ceciderāt iam plutei, & ſcalę: iam arietes, & teſtudines: iam turres lignee, eiconeęqꝫ muris admouebantur, cū tres Mauri perfugæ ad Regē veniunt, quo in ſtatu ſint hoſtes narrāt, ſi vita, & bonis mobilibus donenē, nullā eſſe morā, quin ſe, atqꝫ oppidū dedāt pollicētur. Rex per interpretē iubet oppidanis conditionē ſe dedendi, illi præſidē, velit, nolit, deditionē facere compellunt. Captum eſt oppidum, XI. Kl. Iulias. Anno Chriſtianæ ſalutis. M. CCCC. LXXXIIII. Chriſtiani captiui, qui erant in oppido a Rege ſunt redēpti. Fanū quod erat hoſtiū Mezquita in honorem, atqꝫ nomē diuę Matris Dei incarnationi dominicæ dedicatum. Præſidium oppidi cum ducentis equitibus totidemqꝫ pe

ditibus armatis Ludouico Portucarrerio Comiti Palmenſi commendatum eſt. Murorum, turriumq; ruinæ inſtauratæ. Mauri ſub fide publica iuſſi abire, quo vellent.

Cartimitanæ vallis populationes, & ad Cazarabonellam clades accepta, & Caietani Comitis occiſſio. Caput. VI.

CAPTA Alora Rex iubet inde caſtra moueri in vallem Cartimitanam, præmittitque Gaditanum Marchionem cum parte exercitus, in qua fuerunt equitum duo millia, peditum vero par numerus. Cui vallem ingreſſo incolæ oppidi Alozainæ occurrunt, ſe, atq; omnia ſua bona profitentur velle Regi dedere, modo recipiat eos in fidem, atque tutelã ſuam. Marchio negocium ad Regem refert, Rex reſpondet, vt illos ſuſcipiat, fidemq; publicã nomine ſuo cum illis interponat, modo ſtent promiſſis de fidelitate, & obſequio Regi præſtando. Rex cum vniuerſo exercitu in eiuſdem vallis oppidum munitiſſimum Cazarabonellam tendit, quam obſidione, quam poteſt arctiſſime cingit. Equites ex oppido erumpentes inter prædiorum ruſticorum macerias, & diuerticula nota cum noſtris locorum ignaris tumultuarias pugnas conſerunt. Cadunt ex noſtris complures non magno hoſtium detrimento. Cohortium præfecti videntes ſuos extra ordinem palantes, fuſoſq; imprudenter ruere, iubent canere receptui, minuſq; audientes, atq; nimio pugnæ ardore inflammatos, reducere in ordines cum vellent, & ipſi quoq; in idem periculum incidere. Atq; imprimis Guterius a ſepto maiori Caietanus Comes, qui dum ſuos colligit, atq; in ordinem reuocare nititur, ex ſagitta lethale vulnus accepit. Agebat annum ætatis quartum & vigeſimum, dederatq; ſui magnum ſpecimen, qualis futurus eſſet vir, cum in adoleſcentia fuerit iuuentutis facile princeps. Fuit eius mors cunctis lachrymabilis, ſed præcipue Regi & Reginæ, non ſolum propterea quod in ætatis flore generoſus adoleſcens cecidit, ſed quia inſtantis belli ſucceſſum retardauit. Nam & ex eius morte hoſtibus accreuit animus, & noſtris imminutus eſt, tantaq; fuit vnius hominis iactura, vt qui paulo ante ſe dediderant, ſtatim rebellarint, & qui ſe dedere parabant, deditionem facere recuſauerint.

Facta eſt tamen nihilominus agrorum vaſtatio, ita vt per totam vallem Cartimitanam colligẽdæ frugis nulla ſpes relinqueret. Cũq; omnibus viſum eſt, per id tẽporis nihil reſtare, quod agi poſſet, placuit domũ reddire, & ipſo quidem Rege non aduerſante. At Regina, quæ tota pendebat ex ſpe, atq; nuncio rerũ, quæ in exercitu agerentur, noctesq; & dies non ceſſabat mittere arma, cõmeatum pecunias, & alia, quæ ad bellũ proſequendum videbãtur neceſſaria, cum audiſſet Regẽ cum omni exercitu redire, iamq; in Antiquariæ campis caſtra metatũ, mittit literas cũ mandatis ſcribens, ſe mirari cum anni tempus adhuc ſupereſſet, in quo aliquid agi poſſit, cur rei bene gerẽdæ occaſionem relinqueret. Et quãdo exercitũ haberet paratũ, & machinas, & alia omnia, quæ ad bellum continuandum erant neceſſaria, aut Granatenſes agros popularetur, aut oppidum aliquod obſideret, aut aliquid inueniret, in quo milites exercerẽt, ne longa inertia torpeſcerent.

Puduit Regem, atq; proceres in ſtudio belli contra nominis Chriſtiani hoſtes gerendi ſuperatos fuiſſe a Regina. Turbatiſq; iam ordinibus, atque militibus ex parte dimiſſis, cohortes reuocant, in ordinemque reducunt, atque in Granatenſium agros redeunt, & quod ex ſuperioribus populationibus relictum fuerat, vicorum, & villarum arbores, frugeſq; ſuccidunt, domorum, tectorumq; ædificia demoliuntur.

Dilarumq; oppidum ad radices niuoſi Montis poſitum, & Vrigarum, & Aciliam in

ſuburbano Granatæ ipſius poſita direptioni exponunt, frumenti,atq; panici areas comburunt,molas aquarias, partim longinquas,partim vrbi proximas diſturbant. Et ne ex vrbe erumperent,qui in populatores agrorum, arborumq; ſucciſſores graſſarentur, Rex cum cohorte prætoria contra vrbis portas duobus ab vrbe paſſuum millibus ſtetit,quo ad negotium confectum eſt. Ex alia parte Regina hortata fuerat, atq; rogarat Ducem a Methymna Aſindica,& Aegabrenſem comitẽ,vt dum Rex ad Granatã moraretur,non eſſent ocioſi,ſed hic contra Loxam, & ille contra Simonam hoſtium fines inuaderent. Qui Reginæ iuſſis obtemperantes pro virili parte, quæ illis contigit, nihil omiſſerunt intactum,quod hoſtibus vſui eſſe poſſet. Atq; rebus vtrobiq; in hunc modum geſtis,recentem cõmeatum quinquies mille iumentorum vehes, quas Regina miſerat,Rex Alamam importari iubet, & pro Tendillano comite Guterio Patellano præſidio vrbis ſuppoſito Cordubam petit cum integro exercitu, quo ad Regina conſuleret,nunquid vellet opus aliud incipi,antea quam in domum quiſq; ſuã dimitteretur.

Septinilum oppidum expugnatur & Arundenſes campi vaſtantur,atq; Rex & Regina Hiſpali agunt hyemem.

Caput, VII.

AT Regina cui nullũ tempus erat gratum,ſiue iucundũ,quod non in bello cum Mauris conſumeretur, & cur,inquit, hæc anni pars vltima ſic præteribit iners;quo minus aliquid agatur? ſed quid potiſſimum ageretur non ſatis conſtabat,viſumq; eſt tandem pleriſq; omnibus,Septenilum oppidum cum caſtello in finibus vtriuſq; regni poſitum debere tentari, quo expugnato, & fines noſtri ex ea parte pacabantur, & hoſtium interius fierent anguſtiores. Igitur Rex cum exercitu cohortibus, quemadmodum ſuperius dictum eſt, ordinatis e Corduba profectus Marchionem Gaditanũ cum duobus equitum millibus,& conuenienti peditatu præmittit, qui, vt fieret certior,quo in ſtatu oppidani eſſent, curauit ex paſtoribus, & ruſticis aliquos comprehendi, a quibus accepit, nullos eſſe hoſpites,ſed Caſtelli tantum incolas, & habitatores, qui tamen putarentur ad mœnia, munitioneſq; tuendas poſſe ſufficere. Fixis deinde tabernaculis, machiniſq; & tormentis ſuis in locis diſpoſitis, machinarij, & tormentorum præfecti opus ſuum aggrediuntur, perq; dies tres, nocteſq; continuas non ceſſant maioribus tormentis turres muroſq; quatere, minoribus vero intra muros ſaxeos orbes paſſim intorquere. Principio cum obſiderentur,cœperunt cum noſtris pugnæ ſimulachra conſerere. Sed cum viderent ſe non eſſe numero pares,& ſagittarum ictibus,& ſtlopetarum glandibus ex paucis in horas pauciores fieri,ſtatuunt cõtinere ſe intra munitiones,portas oppidi non ſolum obſerant,ſed ſtructili opere ex lapidibus, & mortario claudunt.

Cumq; intellexiſſent parari oppugnationem,cui non poterant reſiſtere, cum viribus, & armis non ſufficerent,cœperunt de ſe dedendi condicionibus agere, quod facile impetrarunt,quoniam ex direptione præda tenuis erat, & non tanti æſtimanda, vt vel vno die tantus exercitus vno in loco immorari opportuerit. Iuſſi ſunt igitur ex condicione,vt bonis ſuis ſuffarcinati abirent,datis cuſtodibus,qui illos ad Arũdæ vſq; terminos deducerent. Rex oppidum ingreſſus murorum ruinas inſtaurare iubet, oppidi præſidium cum ducentis equitibus Franciſco Enriquez commendat,quos armis, & alimentis inſtructos relinquit. Ipſe cum exercitu,cohortibus ordinatis Arundam,quæ octo

millibus paſſuum inde aberat, ciuitatem equis, & armis nobilem, & quæ illo tempore Aſindum, aut Aſtygitanam coloniã animis, & viribus æquabat, cõtendit. Potuiſſetq; vrbẽ obſidere, ſed quia inſtabat hyems, ſatius eſſe duxit, non tentare quod effici fortaſſe non poſſet, agros tamen & omnia prædia ruſtica, & vrbana populatus, demolitus eſt.

Rex itaq; ex Arunda, & Regina ex Corduba ad certũ diem Hiſpali conueniunt, vbi hyemem illã totam permanſerunt, non ſolum regni gubernationi proſpicientes, ſed etiam ad inſequentis anni bellum, quod erat cum Mauris continuandum, expeditionem parantes. Sed neq; limitanei, qui Alamę, & Alorę, & Septenili in pręſidijs erant reiecti, fuerunt interea feriati, in fines hoſtium excurſiones cotidie, populationeſque faciebant, & quibus poterant in rebus Regi Mauro iuniori ſuppetias ferebant.

Hiſpanæ ſocietatis conuentus Orgazij agitur, in quo aureorum triginta millia per tributarios ſparguntur.
Caput. VIII.

SOCIETATIS Hiſpanæ non ſolum Alphonſus a Quintanilla, & prouiſor a villa Franca inuentores, quibus Rex & Regina autoritate ſua curã demãdauerunt, ad omnia quę ad illã pertinerent, ſed & procuratores hoc ipſo tempore inſtituerunt facere conuentũ. Cumq; de loco non conuenirent, omnibus tandem placuit eſſe Orgazium oppidum a Toleto diſtans Auſtrum verſus paſſuum millia circiter viginti. Conuenernnt eodem Dux a villa formoſa Regis frater Nothus, qui tunc dux erat maximus militum, illorum ſcilicet, qui ſocietatis Hiſpanæ ſtipendia merebant, & Alphõſus Burgenſis Conchenſis Epiſcopus, qui eodem tempore regij ſenatus erat princeps. Inter cætera, quæ in eo conuentu ex primoribus inſtitutis emendata ſunt, & de nouo ſancita, Alphõſus Quintanilla nomine Regis & Reginæ expoſuit, id quod omnibus erat notum, quam exhauſtum eſſet publicum ærarium, & res fiſci in quanta eſſet egeſtate, quot præterea ſumptus emergerẽt cotidie, qui nulla euitari poſſent ratione niſi totius regni ſummam perditum iri vellent. Quod ſi rem Hiſpanam ſaluam eſſe cupiebant, opus eſſe, vt non ægre ferrent, ſi per omnes Hiſpaniarum tributarios populos exactiones pecuniarię ſpargerentur. Cumq; de ſumma diſceptaretur, quantũ eſſet exigendum ad pręſentẽ neceſſitatem ſupplendam, placuit aureorum ducalium triginta millia debere exigi, quibus opus erat ad perſoluendas iumentorum diurnas mercedes, ad inſtruenda armis, & alimentis oppida in medijs hoſtium penetralibus relicta, quibus imprimis proſpiciendum erat. A cęteris autem rebus, quę videbantᷓ impręſentiarum non ita neceſſarię, iuſſit Regina ſuperſederi, ne exactiones continuarentur, ſimulve exigerentur.

Quod Ioannes Luſitanorum Rex Ducem Auiſeum patruelem ſuum occidit.
Caput. IX.

SVB idem tempus Ioannes Luſitanorum Rex Ducem Auiſeum patruelem ſuum propria manu confodit. Cauſa autem occidendi ex anno ſuperiori pendebat, quo tempore iuſſerat exerceri quæſtionem contra Ducem Guimaranenſem læſæ maieſtatis reum, quem damnatum iure capitali ſupplicio puniri fecerat, atq; illius fratres, & propinquos, amicos, & familiares exilio mulctari. Ex eo inquam tempore Ducis propinqui, & amici cœperunt minus familiares ſe Regi exhibere, obſequia conſueta, & debita minus obedire. Rex non ita

beneuolum ac familiarem ſe illis præſtare, inde quęrelæ, & detractiones, atq; in Regem maledicta paſſim diſſeminare. Non potuit Regem latere, quæ illi minus prouide in vulgus ſpargebant, patefacta eſt illi tandem coniuratio, aut certæ coniurationis ſuſpicio.

Ea erat de Rege occidendo, deq; in eius locum ſufficiendo Duce Auiſeo, qui iam quaſi Rex ſalutabatur, ambiebatur, neq; immaturos honores adoleſcēs imprudens abnuebat, iam ſe coli, obſeruari, atq; adorari patiebatur. Neq; deerant adulatores, hoc eſt blandi inimici, neq; Aſtrologi, et Mathematici, qui ex geneſeos horoſcopo illi regnum portenderent. Harum rerum factus certior Rex, qui alioqui adoleſcentem diligebat, quod frater illius erat patruelis, quod vxoris frater, quod adoleſcens annos vndeuiginti natus, ſecreto apprehendit illum, quaſi filium monet, ne aſſentatoribus credat, ne ſe decipi ſinat, ętatemq; ſuam conſideret, quæ tota pendet ex ſpe, cum pauca expertus nouerit. Sed cum ille in eiſdem artibus permaneret, Rex magnanimus in adoleſcentem ſuccenſus, non poterat iam iram a multo tempore diſſimulatam retinere. Cum igitur aliquando vidiſſet illum familiariter, vt ſolebat, cubiculum regium ingredientem, ſtricto pugione bis terq; petit, humiq; porrectum extendit, dicens. Siccine o proditor te putabas pro Rege tuo regnaturum. Nunc morere, atq; affer nuncium Guimaranenſi Duci, quo in ſtatu coniurationem ab illo inchoatam relinquas. Sæuitum eſt deinde in illius coniurationis ſocios, ſepultæq; ſunt conſpirationis illius omnes reliquiæ. Ad tanti facinoris nuncium, quem Rex & Regina Hiſpali acceperant, non ſunt facti penitus certiores, quo pacto res geſta eſt. Nam erant, qui dicerent, ducem non occiſum, ſed in vinculis aſſeruari iuſſu Regis, atq; de illo quęſtionem exerceri, quemadmodum de Guimaranenſi Duce Rex fecerat. Miſerunt itaq; legatos, qui Luſitani acerbitatem in Ducem patruelē ſuum temperarent, lenirentq;, ac ſuaderent, nullam vnquam de morte hominis cunctationem eſſe longam. Quod ſi iam de illo actum erat, nihilo minus Beatricem defuncti Ducis matrem ſuo nomine conſolarentur. Oratores fuerunt Enicus Mauricus Legionenſis Epiſcopus, & Gaſpar Fabra ex Tarraconēſi prouincia ordinis equeſtris vir nobilis, Qui quāquā apud Regem oratorio nomine functi non ſunt, alterū tamē quod in mādatis habuerūt, ſunt executi, atq; mortui Ducis matrē pro tēpore, & pro materia ſunt conſolati.

Rex iunior ex Almeria fugatus ad hiſpanos ſe recepit, & frater illius iunior inuentus domi trucidatur.

Caput. X.

IN Superiori libro ſcriptum eſt, cauſam iunioris Regis dimittendi fuiſſe, vt cum ſeniore de ſumma regni certaret, vtq; mutuis odijs, cædibus, ſe vterq; conficeret, & nobis inter ſe decernentes militarent. Sed multo aliter poſtea euenit, quam a principio putabamus. Et ſi enim inter patrem, & filium de principatu magna erat ſimultas, & quæ nullum eſſe habitura finem videbatur, maior tamen fuit ſuæ religionis amor, qui non paſſus eſt, auxiliares Chriſtianorum copias in alterius factionis partes admitti.

Quare iuniore Rege libertati ſuæ reſtituto, quia videbatur non ſibi, ſed libertatis autoribus regni culmen affectare, ex beneuolo ſuis factus eſt infenſior, neq; iam fidei quicquam apud ſuos habere. Sola Almeria, ſiue volens, ſiue nolens, in officio manſit, atque inde auxiliaribus copijs noſtrorum adiutus gerebat bellum aduerſus alterius factionis partes, quod ipſum fecit illum ſuis magis inuiſum. Interea Mauri cū viderent, Regem

ſumptuoſiora pararent, quam de armorum cura quis pulchrior in armis appareret, quis equum mollius agitaret, quis curſu pedeſtri reliquis præſtaret. Rex & Regina per honeſtos,& religioſos viros procerum principes rogarunt, atq; obteſtati ſunt,vt ab eiuſmodi in ordinatis ſumptibus temperarent potiuſq; intra modũ, & parcius quam ſumptuarie permittũt leges ſe gererent,quã eos qui dignitate inferiores erant,malo exemplo corrumperent. Hoc Principes ipſi faciunt, imprimis vno, aut duobus ferculis in cœna contenti. Hoc reliqui proceres imitantur, aut ſi affluentius conuiuia exercere volebant, luxuriæ ſuæ pudebat plures adhibere teſtes. Mirum dictu omnes certatim frugalitati operam dare, modeſtius menſas ſtruere. Minores Abacos apponere. Exoletorũ numerũ minorẽ menſæ adhibere eorũ,qui funalia per noctis tenebras præferrent,longus ille ordo ad duos,aut tres,vt multum reductus. Hic mos præferendi funalia per multos dies durauit. Fuit deinde inter belli duces contentio,vt inſtantis anni bellum inchoaretur. Omnibus fere placuit Malacam debere peti, neq; Regi conſilium diſplicuit. Sed,prius alia oppida expugnari,opus eſſe,quo tutius itinere terreſtri in caſtra commeatus importari poſſent, & pabulatores liberius per campos pabularentur. Tentatum eſt,caſtellum montis Frigidi furtim capi, ſi quo modo per tenebras id fieri potuiſſet,ſed fruſtra id tentatum eſt. Erant qui dicerent obſidendum eſſe caſtellum,ne quid a tergo relinqueretur hoſtile. Alij vero dicebant caſtellũ illud non eſſe tanti, vt tãtus exercitus in tam parui momenti materia deberet immorari. Placuit itaq; Regi,totã belli molẽ inde promoueri in maioris negocij oppidũ aliquod obſidẽdũ.

Cartima,& Coinum caſtella munitiſſima obſidentur, & Benaniaquex oppidum diruitur.

Caput. II.

CVMQVE duo eſſent caſtella inter ſe proxima, quæ, ratio exigebat,debere oppugnari,anteaquam Malaca obſideretur,& proceres,atq; rei militaris periti duces, vtrum prius oppugnandum eſſet,inter ſe decertarent,Coinum,& Cartima ea erãt,quid prohibet,inquit Rex,quando copiæ ſuperſunt,vtrumq; caſtellum obſideri? Hoc placet omnibus,quia Regi placuit. Mittit itaq; Magiſtrum militiæ diui Iacobi,& Hiſpaniæ Comeſtabilem,& Alphonſum domus Aquilariæ dominũ, & Portucarrerium comitem Palmenſem, qui Cartimam obſidione cingant. Simul etiam ex alia parte Marchionem Gaditanum,& comitem Cluniẽſem, & Furtatum Mendozam, cum Cardinalis Hiſpani cohortibus,& præfectum Bęticæ mittit, qui eodem ipſo temporis articulo Coinum obſideant. Rex ipſe in vtriuſq; caſtelli conſpectu medius caſtra metatur, vnde vtriuſq; obſeſſoribus quoties opus eſſet,poſſet auxilia ſubmittere.

Poſtridie eius diei obequitauit duo illa caſtella captans vbi commodius caſtra collocaret. Cartimitanæ vallis incolæ,quos anno ſuperiori intercedente Marchione Gaditano Hiſpanorum Regum obſequio ſe dediderant, deinde ad Coinum accepta clade rebellarant,nunc fortuna iterum mutata, eadem qua prius perfidia ſe iterum dediderũt cauſati quod non in poteſtate ſua fuerit,in fide permanere. Benamaxichum vocabatur oppidum,quod huiuſcemodi deditícij incolebant. Quos Rex benigne allocutus, muneribuſq; affectos hortatus eſt,vt eſſent conſtãtes in obſequio,neq; ſe,vt antea fecerant, tam cito mutarent. Quod ſi minus poſſent facere, ſaltem ſe medios,atque ſequeſtres inter

vtroſq; ſeruarent, quo ad omnis illa regio in Chriſtianorum dicionem redigeretur.

Agros illorum interea & ſaltus, ſata, & arboreta ruſtica, & vrbana prædia iuſſit non attingi, neq; aliter tractari, quam ſi Chriſtiani eſſent, atque in hunc modum incolumes dimiſſi ſunt, atq; proinde fœlices, ſi condicionem oblatam ſeruare voluiſſent. Sed non ſteterunt promiſſis, factique ſunt multo quam antea deteriores, tum admittendo ſuos, tum arcendo noſtros. Quod vbi Regi compertum eſt, iubet oppidum oppugnari, expugnatumq; dirui, in viros, qui ex oppugnatione ſuperfuerant, paſſim ſæuiri, ex primoribus oppidanis octo ſupra centum patibulo ſuffigi. Cætera multitudo ex omni ſexu, & ætate ſub haſta venum data, atque in manubias redacta eſt. Quæ res quemadmodũ Benamaxichi geſta eſt per interpretes iuſſa denunciari Cartimæ, Coini, Mundæ, & in caſtellis omnibus, & oppidis finitimis, per eoſdem quoque interpretes totius vallis incolas omnes admonuit, vt ſe Regis clementię dederent, neq; vellent vltimã experiri fortunam, atq; omnia perpeti, quæ victoribus in victos facere collibuiſſet. Benamaxitanorum exemplũ poterat vicinos populos mouere, ſed illi nihilo ſecius perſtant, ſeq; pro vita, ac libertate tuenda periculis omnibus exponũt. Rex igitur partem exercitus, & tormentorum, ac machinarum ad eos mittit, qui Cartimam obſidebant, partẽ ipſe ad Coini obſidionem retinet. Coinum præter munitiones, quas arte, ac natura validiſſimas habet, vndiq; cinctum eſt arborum denſis, atq; confragoſis nemoribus, aggeribus, & macerijs p̃ruptas vias, incilib' foſſis vorticoſos riuulos faciẽtibus, vt dificile ſit peruiũ, niſi indigenis, & quibus itinerum diuerticula nota ſunt. Huic Rex iubet admoueri ſtationes, quã poteſt arctiſſime, oppidani quam longiſſime poſſunt a muris arcere. Hinc ab vtraque parte tumultuaria pugna conſerta, mox & ſtataria. Tum ſtationes fixæ roborantur. Tormenta, & machinæ ſuum opus exercent. Murum, ac turres extrarias crebris ictibus quatiunt. Neque ceſſatum a murorum concuſſione, quoad magna pars cum ſuis turribus cecidit, latuſque apertum hoſtibus reliquit,

Coinum fruſtra oppugnatur a noſtris, Gomeritis adiuuantibus Coinates, ſed tandem vtriq; ſe dedunt.

Caput, III.

EST in Mauritania hominum genus bellicoſum, qui non ſibi, ſed mercede conducti alijs populis bella gerunt, Gomeres appellant, nomen, vt videtur, deductum a Gomer filio Iapheth, de quo in libro Geneſeos, & in Paralipomenonis. Et niſi Ioſephus in antiquitatibus, & Hieronymus in Hebraicis quæſtionibus poſteritati Iapheth tribuerent incolatum Aſiæ, & nominatos a Gomer Iapheth filio primogenito ſcriberent fuiſſe cognominatos Galatas, qui proculdubio populi ſunt Aſiatici, videri poterant Gomeritæ, a Gomer filio Iapheth fuiſſe cognominatos, Sed hi, de quibus hoc in loco loquimur, non ad Gomer filium Iaphet, ſed ad Phuth filium Cham filij Noę referuntur, quibus partes Libyæ ceſſerunt habitandæ, quare hi Gomeritæ non a Gomer filio Iapheth, ſed a Phuth filio Cham, ſunt cognominati Phutei. Ab his Gomeritis, quos diximus Lybiam incolere, appellatur noſtro tempore Velez la Gomera, & vna ex quinq; inſulis fortunatis la Gomera Eo igitur tempore, quo obſidebatur Coinum, ingens multitudo Gomeritarum, quos diximus Mauritaniam incolere, fretum Herculeum traiecere, non tam vt ſtipendia inter ſuos mererent, quã amore religionis inducti. Et Mundę, quod

diximus caſtellum Coino proximum, conſedere, captantes occaſionem obſeſſis Coinatibus ſe addere ſocios. Id quod Regem noſtrum non latuit. Nam quid potuit latere vni tantum obſidionis curæ inuigilantem ne quiſpiam ingrederetur, aut egrederetur?

Quare cuſtodijs alios cuſtodes adhibuit, excubias extra caſtra per tramites, & diuerticula ſemper habuit. Sed nihil eſt audaciæ, atqꝫ temeritati imperuium. Ex Gomeritis namqꝫ unus ſi quis, inquit, eſt viri fortiſſimi, quem Coinatum fortuna moueat, me ſequatur, & ſimul hoc dicens ſequentibus alijs compluribus in medios cuſtodes irruit, viamqꝫ vi aperit, & ad horam Coinates ex compoſito facta eruptione ſtationes noſtrorum inuadunt, alios trucidant, alios fugant, ſuos intra mœnia recipiunt, atqꝫ tam præſenti, opportunoqꝫ auxilio adiuti animum ad ſe acrius tutandos erigunt. At Rex Gomeritis intra muros receptis nihilominus oppugnationem parari iubet, pluteos, & teſtudines aptari: arietes, & ciconias muris, atqꝫ ruinis murorum admoueri. Primas oppugnationis partes Duci Anagarenſi, & Beneuentano Comiti mandat, atqꝫ alios, qui ſuccederent, ordinat. Dumqꝫ alia ad oppugnationem opportuna parantur, quidam ex prætorianis cohortibus milites impatientes more Duce Petro Alarconio ordinatam oppugnationem preuertunt, per murorum ruinas irrumpunt, intra muros recepti cum obuijs quibuſqꝫ pugnant, omneſque in fugam conuertunt, quoad in late patentem quandam viam eſt deuentum, vbi ſe Gomeritæ cum pluſculis oppidanis agglomerauerant. Ibi pugnatum eſt acriter, atqꝫ ex noſtris complures ceciderunt redintegrante pugnam ſæpius Petro Alarconio. Qui cum a ſuis admoneretur: vt ſe a pugna ſubtraheret, non, inquit, ea de cauſa in hoc certamen deſcendi, vt quiſpiam poſſet dicere Alarconium vidiſſe terga hoſti vertentem. Atqꝫ ita cum paucis circumuentus fortiter dimicans confoſſus eſt, cecidit & Tellius Aquilarius vir nobilis, & qui ſe in armis ſæpe oſtentauerat. Cæteri in fugam conuerſi adiuuante magna ex parte mulierecularum manu, quæ ex ſolarijs, & feneſtris iactu lapidum, tegularum, & vrceorum ſingularem viris operam nauarunt. Atqꝫ hunc in modum hoſtes mœnibus excluſi ſunt, oppidi oppugnatio deſerta eſt, ſed non ceſſatum interea a murorum concuſſione, & ſaxorum ingentium iactu per totum oppidum nihil intactum relinquentium.

Hactenus in Nebriſſenſis archetypis & protocollis inuentum eſt, cætera incuria quorundam, & fucorum rapacitate nihil aliud rimantium, quam quomodo autorum lucubrationibus inſidientur, perierunt.

O

ÆLII ANTONII NEBRISSENSIS, EX GRAMMATICO ET RETHORE HIſtorici Regij de bello Nauarienſi, Liber prior incipitur, cui præmittitur Præfatio de antiquitate, nomine, & ſitu huius Regni.

I N T E R Gallos, Hiſpanoſꝗ gentes belligerandi cupidas natura
ingenij humani conſcia Pyrenei montis præcipitia poſuit, vt vtriꝗ po
puli ſe intra fines ſuos continerent. Sed quo non penetrat hominis am
bitioſa temeritas? Ecce Gothi Narbonenſem Galliam Hiſpaniæ
anneɫtunt. Profugiꝗ agente vetuſta Gallorum Celtæ permiſcent no
men Iberis. Sed omittamus nunc illa vetera, non videmus ętate noſtra,
partem Brachatæ Galliæ Tarraconenſi contributã? non vidimus nuper factionis Gal
licę principi Nauariã ſeruientẽ? Tametſi diuerſa fuit ratio alteris in alterorũ ſolo permu
tatis finibus aberrandi. Neꝗ enim Gallia Narbonenſis ſub Gothis tantũ principibus
Hiſpaniæ portio fuit, verum etiam ſub Romanis, atꝗ ante Romanorum tempora to
tus ille tractus Hiſpaniæ annumeratus eſt. At Nauariam, quis æquus rerum æſtima
tor iudicet, ab Hiſpania poſſe diſiungi? An cũ natura voluerit nos a Barbarorũ incurſu
prærupt iſſimorũ montiũ obiectu eſſe tutos, pateremur hoſtes intra patriæ noſtræ re
giones debachari? Quam ob cauſam hæc cura magnanimæ illi viragini Eliſabæ Hi
ſpaniarum Reginæ ſemper inſidebat, quemadmodum angulus ille a toto ſuo corpore di
uulſus, vel permutatione, vel dotis nomine, vel alia quacunꝗ honeſta ratione in formam
priſtinam redigeretur. Semperque Horatianum illud in ore habebat: O ſi angulus ille
proximus accedat, noſtros qui fœdat Iberos. Nam pręter iungendi pulchritudinem, ve
rebatur ab ea parte nunquam Gallos eſſe quietos. Hoc bis per oratores egit, & qui
dem ſumma diligentia, atꝗ etiam iniquis conditionibus attentauit, vt Catharina Pho
xenſis comitis filia vnica, atꝗ proinde illius regni hæres Ioanni filio Hiſpaniarum Prin
cipi nuberet, atꝗ eadem via dotale regnũ in ſuum corpus rediret. Sed fortuna in omni
bus alijs indulgentiſſima hoc vnum illius fœlicitati denegauit, quippe quæ alia via tan
tæ rei gloriam dulciſſimo coniugi reſeruabat. Vtrunꝗ tamen Nauaria illa, quæ antea
fuerat abſciſſa iam noſtra eſt, nobis ceſſit, in cenſu noſtro numeratur. Sed priuſquã di
camus quo iure, quibuſꝗ viribus in noſtrã venerit poteſtatẽ, pauca nobis de nomine,
de ſitu, de natura regionis præmittenda ſunt. Nauaria nomen eſt nouũ, nuperꝗ exco
gitatum, dicta quantũ aſſequi poſſumus coniectura, quod Hiſpani vocant Nauas cam
porum areas planas, arboribuſꝗ purgatas, quæ tamen habeant in circuitu ſyluas, dume
taꝗ fruticoſa, & inde Nauaria fortaſſe dicta loca, quæ complures habeant huiuſmodi
Nauas. Hanc regionem fere incolunt Vaſcones, in quibus iſta numerãtur, Pompelo im
primis regionis caput, quã Strabo Pompeiopolim vocat, ſic dictã, quod ſit a Pompeio
magno, aut eius nomine cõdita, quo tẽpore cõtra Sertoriũ in ea regione bellũ geſſit Me
tello miſſus adiutor a ſenatu, eſt & Ituriſſa, & Alantona, & Caſcantũ, & quę iã pridẽ no
bis ceſſerãt Triciũ, Lucroniũ, & Quintiliani oratoris patria Calaguris. Terra tũ peco
ri, tũ agricolationi aprime fertilis, & quãꝗ Pyrenęo appoſita lõge tñ Celtiberos, et Bar
dulos vtrinꝗ finitimos, & aẽris clemẽtia, & ſolis begninitate ſuperat. Habet Nauaria in
Galliã Aquitaniã duas tantũ pylas, hoc eſt, portas, ſiue aditꝰ, alterã per Runcatas ualles

alteram per vallem Runcetanorũ. Rõças, hoc eſt, runcas Hiſpani vocant vepreta run
conibus inſtrumẽtis ſuccisa, vnde vtraq; valles illæ, quę non aliã quã runcationis cultu
ram admittũt, runceta poſſunt recte appellari, & populi huiuſmodi locorũ incolę Run
cetani. Vtrunq; aditum Benearnenſis Gallię regiuncula excipit, dicta a Benearno op-
pido, quod Antonino pio autore diſtat a Cęſarauguſta millia paſſuũ centũ duodecim,
atq; a ſummo Pyrenæo eadẽ via millibus paſſuum ſex & triginta. Sed antea quã de bel-
lo Nauarienſi ſcribere incipiã, quia video cõplures dubitare, frequenterq; diſputare, quo
iure Hiſpani Nauariam inuaſerint, inuaſamq; ſubegerint, pauca de huius belli iure hoc in
loco dicamus.

De iure gentium, & diuino, atq; humano, quo Hiſpani orbis
moderator Nauariam obtinuit.
Caput Primum.

ETSI regni propugnãdi libido non omnino caret vicij ſuſpicione, cum
Reges magis debeãt fines tueri ſuos, quã inuadere alienos. Fit tamen ali
quãdo, vt neceſſitate cogãtur bellũ ſuſcipere, quod eſſet alioqui iniuſtũ,
atq; proinde nefariũ. Hinc eſt illud Auguſtini in quarto de ciuitate Dei
volumine, belligerare, inquit, & perdomitis gentibus dilatare regnũ ma-
lis videt fœlicitas, bonis neceſſitas, ſed quia peius eſſet, vt iniurioſi iu-
ſtioribus dominarentur, non incongrue iſta neceſſitas facit ex cauſa aliqua iniqua iuſtiſ-
ſimam. Vnde factum eſt, vt iniquitas illorũ, quibus cum bella iuſta ſunt, regnũ adiuue
rit, vt creſceret. Itaq; Romani iuſta bella gerendo imperium ita magnũ acquirere potue
runt, quia ſortiti ſunt hoſtes iniuſtos, quibus cum bella iuſta gererentur. Atq; ita cauſas
ex cauſis trahendo, eo uſq; peruenerũt, vt totius noſtri orbis imperio potirẽtur. Nun-
quã enim hoſtibus bellũ indixere, niſi per legatũ facta imprimis clarigatione, deinde per ſa
cerdotẽ fecialem deuotione, dirarũq; imprecatione. Quare nihil mirandũ eſt, ſi rector,
idemq; mundi arbiter, qui dat, adimitq; regna, in cuius manu cor Regis eſt, & per quem
Reges regnant, abſtulit mentẽ Nauariorũ Regi, indurauitq; cor illius, vt noſter belli ge
rendi cauſam haberet iuſtiorem, atq; proinde membrũ illud abſciſſum in ſuum corpus
reſtitueretur. Neq; iniuria id, quod aduerſarij putant, ſed per leges diuinas, & huma-
nas, Pontificias, & ciuiles, perq; ius ipſum, quod natura omnia animalia docuit, quodq;
per omnes gentes ita diſſeminatum eſt, vt nulla ſit natio tam Barbara, atq; a cõmuni ſen
ſu tam obhorrens, quæ non illi naturæ legi acquieſcat, vt arma tenẽti omnia det, qui iu-
ſta negat. Nam quid iniuſtius excogitari poterat, quã ad iuſtum bellũ proficiſcenti nega
re aditum, viamq; ex iure gentium cunctis mortalibus cõmunem? Cum præſertim de
regni indemnitate illi ſatis caueretur. Quid? non ex lege diuina, quę naturali cõſentanea
eſt, Moyſi pręcipitur, vt inuadat, ac deinceps poſſideat regnũ Seon Regis Amorrhæo
rum, propterea quod denegauit filijs Iſraël tẽdentibus in terrã promiſſionis tranſitũ per
fines ſuos? Miſit, inquit ſcriptura in libro numerũ, Iſraël nuncios ad Seon Regẽ Amor-
rhęorũ, dicẽs: Obſecro vt trãſire mihi liceat per terrã tuã, nõ declinabimus in agros, nec
vineas, non bibemus aquas ex puteis, via regia gradiemur, donec trãſierimus fines tuos.
Qui cõcedere noluit, quin potius exercitu cõgregato egreſſus eſt obuiã in deſertũ, & ve
nit in Iaſa, pugnauitq; cõtra eũ, a quo percuſſus eſt in ore gladij, & poſſeſſa eſt terra eius.
Tulit ergo Iſraël oẽs ciuitates eius, & habitauit in vrbibus Amorrhæi. Eadẽ prope, atq;
eiſdẽ verbis ſcribũtur in Deuteron. In primo quoq; Machabæorũ volumine. Iudas, in-
quit, ex Galaaditis ſuperatis rediens victor in terrã Iuda venit vſq; Ephron, & hæc ciui-

tas magna, & munita valde in media via ſita, & nõ erat declinare ab ea dextra, vel ſiniſtra, ſed per mediũ iter erat. Et incluſerũt ſe, qui erãt in ciuitate, & obſtruxerũt portas lapidibus, & miſit ad eos Iudas verbis pacificis dicens, tranſeamus per terrã veſtrã, vt eamus in terram noſtrã, & nemo vobis nocebit, tantũ pedibus trãſibimus. Et nolebant eis aperire. Et oppugnauit ciuitatẽ illam tota die, & tota nocte: & tradita eſt ciuitas in manu eius, & peremerũt omnẽ maſculũ in ore gladij, & erradicauit eam, & accepit ſpolia eius, & tranſiuit per totã ciuitatẽ ſuper interfectos. His itaq; huiuſmodi exemplis manifeſte oſtenditur, quæ ſit Dei voluntas transformantis imperia, & mutantis regna, qui indurat cor Seon Regis Amorrhæorũ & Ephronitarũ, vt horũ ſpolijs Iudas potiretur, & illorũ ciuitates Iſraëliticus populus iuſte poſſideret, ſub illo prætextu, quod negauerũt id, quod iure gentium erat commune, ſicut fluminis aqua, aëris ſpiritus, ſolis lumen.

Quid ſi ex cauſa aliqua nobis occulta voluit Deus Nauariã materno rem gerente auo, a Ioanne in Carolum, hoc eſt, a Gallis ad Hiſpanos reducere? & quæ alia potuit iuſtior eſſe cauſa, quã quod regnũ iniuſte acquiſitũ iuſte amitteretur? Nam quis ignorat Blancam iuniorẽ Ioannis Nauariæ, ac deinceps Tarraconenſiũ Regis ex Blanca vxore filia Caroli procreatã, quæ fuit Enriquo huius nominis Hiſpanorũ Regũ quarto nupta, ac deinde repudiata, veneno interceptã a Leonora ſorore, eiuſq; marito Foxẽſi comite, vt ad ipſos regni ſucceſſio perueniret? id quod in illos male vertit. Nam intra dies quindecim poſtea quã ſibi regiũ nomen adoptauit, miſerabiliter, & digne perijt. Sed ex ea & Comite Phoxenſi natus Gaſtonus, & ex Gaſtono Phoebus pater non diu vixerunt. Sed & Phoebus Phoebi filius in ipſo ætatis flore raptus eſt, ſuperſtite Catharina ſorore, qua ſiniſtris auibus Ioanni vltimo Nauarienſiũ Regi nuptui dedita, dotale regnum ad Hiſpanos ſuos redactum eſt. Non vides quam veridice in hac familia expenſum eſt, quod in Exhodo Hebræorũ legis lator eſt interminatus? Ego, inquit, ſum dominus Deus tuus fortis Zelotes, viſitans iniquitatẽ patrum in filios vſq; in tertiam & quartam generationem eorũ, qui oderunt me. Illud quoq; ex libro Sapientiæ: Degeneres, inquit, ſtolones non agent radices altas, neq; ſtabile firmamentum collocabunt. Per leges quoq; Pontificias, & ciuiles Ioannes Nauarię Rex vere potuit regno ſpoliari, ex eo quod ſchiſmaticus, & ſchiſmaticorũ fautor, atq; proinde hæreticus læſæq; maieſtatis reus, atq; eodem iure inteſtabilis ipſe, & omnis eius poſteritas Gentilico regno mulctanda, quod vtriuſque iuris conſultiſſimi doctores multis argumentis, & rationibus, exempliſq; probant, ex eo quod in ſequentis hiſtoriæ Contextu narrabimus.

Quod Nauariæ Rex fuit ſchiſmaticus, quia Gallorum Regis ſchiſmatici fautor. Caput. II.

LVDOVICVS Gallorũ Rex more gentis ſuæ homo leuiſſimus non contentus ſe intra pelliculam ſuam, hoc eſt, intra regni ſui fines continere, animum in Italiam iniecit, & quia intelligebat cum multis negotium ſibi gerendum, quærit ex Italiæ principibus amicos, & ſocios, non optimates ex ciuitatibus, non iuſtos oppidorũ dominos, ſed quos audiebat violentã in ſubiectos exercere dominationẽ, quos rerũ nouarũ cupidos norat, quos deniq; ex profeſſione hoſtes eccleſię Romanę ſciebat. Torquebat tñ illũ talia molientẽ Iulius ſecũdus Pontifex max. patrimonij eccleſiaſtici vindex acerrimꝰ idẽq; fortiſſimus propugnator, quẽ ſolũ videbat conatibꝰ ſuis obſtaturũ, ac p̄terea neminẽ. Agit cũ Georgio. S. R. E. Cardinali Rotomagẽſi tẽpeſtate illa vtrũq; de Põtifice

merito in Gallia tamen legato a Latere, homine ambitioſo, nec minus res nouas moliendi cupido, vt cum reliquis apoſtolici ſenatus conſcriptis patribus, quos ambire poſſet ipſe per ſe, quoſꝗ antea Rex ipſe pecunia, muneribuſꝗ corruperat, indicāt Pōtifici Oecomenicū cōciliū, crimina intēdant, teſtes ſubornēt, qui dicāt ſe vidiſſe, quod nō viderint, per quę cogaꝫ pōtificatu ſe abdicare rigidus ille patrimonij eccleſiaſtici defenſor, vt in eius locū adopteꝫ quiſpiā, qui omnia ex Galli Regis arbitrio faciat Ex omni patrū numero quinꝗ tm̄ ad ſe pellexit. Nā alij oēs in officio apud Pontificē permāſerūt, quos prouētibus eccleſiaſticis, ſi quos habebāt in Gallia mulctauit, Gallis oībus, qui ſub ditionis ſuæ imperio erant, Romana curia interdixit, edicto quoque iuſſit, ne apoſtolicis literis quiſpiam obtemperaret, ex eccleſię ſubditis amicis, & ſocijs, quos potuit ſibi cōciliauit, quos nonpotuit, pro hoſtibus habēdos eſſe cēſuit, atꝗ hunc in modū ſchiſmate, id eſt, diuiſione facta, incōſutilē illā noſtri Saluatoris tunicā, hoc eſt, eccleſię vnitatē lacerauit, quā neꝗ ſatellites quidē, & Chriſti carnifices ſoluere ſunt auſi, ſeꝗ publicū hoſtem profeſſus eccleſię Romanæ, apoſtolicoꝗ ſenatui bellū indixit. Iterū Bononia capitur a Pontifice, pulſa Bentiuolorū familia, quibus miſerāda ciuitas miſerā ſeruierat ſeruitutē. Flaminię quoꝗ ciuitates ad eccleſiā pertinētes Venetis iniuſte poſſidētibus detraxit. Ferrariā pręterea, quā & Mutina ſequebatur, ex manibus Alphonſi ducis per cenſuras apoſtolicas iam extorſurus erat, ſi non hæc dira peſtis negocium interpellaſſet. Ferrarienſes nāꝗ, atꝗ proinde Mutinēſes nihil aliud ſperabāt, quā ſiue iure, ſiue iniuria dedere ſe Pontifici, atꝗ ab Alphonſo decidere, qui nō modo in ciues ſæuiſſimā tyrannidē exercebat, ſed & tributū, & tributariā obedientiā Pontificibus debitā denegabat. Sed cū iam ſecuris ad arboris radicē admoueretur, ad quē Alphonſus confugeret, niſi ad fugitiuorū receptatorem? ad tyrannorū propugnatorē? ad facinoroſorū hominū ſingulare ſubſidiū? Igitur Pontifex, quod iure nō poterat viribus aſſecuturus Bononiā venit, vt ex proximo rem gerat. Eo ſenatū apoſtilicū conuocat. Adſunt omnes pręter paucos illos nigri genij notatos cauterio. Et ecce Gallorū Regis pręfectus, qui Mediolanū præſidio tenebat, Bononiam venit cū exercitu, vrbē obſidet cum ſuo Pontifice, tormētis, machiniſꝗ oppugnat, atꝗ fortaſſis rē peregiſſet, niſi exercitus Hiſpanus a Neapoli, duce fabricio columna Pontifici ſuppecias tuliſſet, cōegiſſetꝗ Gallos ſe in Mediolanū ſuā recipere. Sed alia ex parte Gallos eccleſię hoſtes fouere nō ceſſat, Bentiuolis Bononiā extorribus exercitū tradit, qui, dum Pontifex Rauenæ ageret, recepti in vrbē a proditoribus quibuſdā Bononiēſibus omnia ſacra, & profana: diuina, & humana miſcuerūt, arcē munitā a Pontifice ſumptu immodico demoliunꝫ, ſtatuā ęream Pontificis nomine dicatā deturbāt, ſubiectiſque ignibus confundunt, eccleſiæ inſignia radunt, in quorū loco Gallica reponunt edicta, pręconia, iudicia, omnia Galli regis nomine fiunt, in curiales, amicaſꝗ Pōtificis partes ſæuiunt. Interea Cardinales illi, qui ad eccleſiæ hoſtes transfugerant, non concilium, ſed concilij vmbram ſimulant. Nam quis appellarit concilium, quod capite, quod pedibus, quod corpore, quod anima, quod ſpiritu deniꝗ viuificante caret. Potificem citant, alios noſtri orbis Principes conuocant, terminos, intra quos ſint conuocaturi præſcribunt, de ſumma vniuerſalis eccleſiæ decernere ſtatuunt. Locum placuit eſſe Piſas, tempus Kalendas Septembris, vtrunque tamen fruſtra. Nam & Florentini prohibiti ſunt Piſas accedere, & cum loco tempus quoque. Pontifex interea non ceſſat illos ad eccleſiæ vnitatem hortari, ne ſint tantorum cauſa malorum commonefacere, præſcribit terminos, primo quinquaginta dierum, deinde quindecim, deinde octo intra quos reſipiſcerent, & ad meliorem ſenſum redire poſſent, & ne quid fraudis

ſubeſſe ſuſpicentur, interponit fidem publicam, cuius ſponſorem offert ipſum ſenatus apoſtolici conſenſum. At illi admonitionibus his facti multo deteriores Pontificis indulgentiam interpretantur timorem, & a crimine maiores ſumunt animos, multoq; pertinatius inſiſtunt cœptis. Igitur pontifex ira percitus quando longa patientia nihil proficit, gladium ex Petri manibus corripit, in rebelles, contumaceſq; ſtringit, honorum inſignibus expoliat, dignitatibus eccleſiaſticis, beneficijs omnibus mulctat obtẽtis, & ad obtinẽda poſthac inhabiles, & indignos facit. Ipſos, atq; ipſorũ fautores ſchiſmaticos, atq; proinde hęreticos declarat, bona publicat, ad huius ſentẽtię executionẽ Chriſtianos principes inuocat, atq; imprimis noſtrũ, vt eccleſię cauſam tueatur. Qui tametſi eo tempore in Africi belli expeditione implicitus erat, atq; in ipſo Herculeũ fretũ traijciẽdi articulo intẽtus nihilominus tñ reſpexit ad Petri nauicalã fluctuantẽ, & omiſſa in aliud tẽpus Africa, & exercitu, quẽ in Mauros parauerat, claſſe cõparata equitum, peditũq; bonam partẽ in Italiam mittit, ſeq; vt Neapolitano pręſidio iungãt, ducibus, atq; cohortiũ praefectis imperat, vt ſi qua in re fuiſſet opus, volũtati Pontificis obſequerent̃. Antea tamen Gallum, quo cũ non modo offinitas, ſed etiã fœdus arctiſſimũ erat, vt ab eccleſiæ iniuria ſe abſtineat, ne hoſtes illius foueat; ne ſe ſceleratis immiſceat hominibus monet, initã cum illo amicitiã cõmemorat, quæ neceſſario ſoluẽda erat, ſi ille cõtra eccleſiã, ipſe pro eccleſia ſtaret. Itaq; frangũtur fœdera, rũpitur amicitia, affinitas, quia vinculo arctiori cõglutinata erat, diſſolui nõ potuit: Bononia interim Pontificis iuſſu a noſtris obſidet̃, Galli bentiuolis auxilia mittũt, & quia in dies augebant̃, ceſſere noſtri, illi Rauenã obſident, noſtri dum obſeſſis auxilia ferũt, nõ potuit euitari fatale illud, ſimul & lachrymabile pręliũ, in quo propius fuere periculo qui vicere. Nam & victoria tandẽ apud Gallos permãſit, non illa quidẽ incruẽta, ſed vti aiũt cadmæa, qppe in qua multo plures ex hoſtibus quã ex noſtris ceciderũt. Ex victoria Galli vitio gẽtis ſuæ facti inſolẽtiores Rauenã oppugnant, expugnatãq; diripiunt, in omnẽ ſexum, & ætatẽ bacchantur, non tẽplis, non ędibus ſacris, nõ Chriſto dicatis virginibus parcũt, tantũ, quod Italię vniuerſę terrorẽ iniecere, vt de vrbe deſerẽda iã Romani agerẽt, idq; feciſſent, niſi magnitudo animi, atq; praeſtantia Pontificis trepidãtes, & attonitos, & iã nihil aliud ꝙ de fuga cogitãtes in vrbe retinuiſſet, deq; rep. Chriſtiana bene ſperare iuſſiſſet. P. Cornelius Scipio nondum Africano ſimilis, qui poſt Cannẽſem cladẽ cũ ex reliquijs Canuſiũ plures perfugiſſent, deq; deſerẽda Italia nobiliſſimi quidã adoleſcẽtes deliberarẽt, ſtricto ſuper capita cõſultantium gladio iurauit ſe pro hoſte habiturũ, qui non in ſua verba iuraſſet, effecitq;, vt omnes iureiurãdo aſtringerẽtur, nunquã ſe Italiã deſerturos. In hæc diuertimus, vt oſtẽderemus, quod præter ius illud naturale, ac diuinũ, etiã per leges Pontificias, & ciuiles debuit regno mulctari Nauarię Rex, quod per literas apoſtilicas identidẽ admonitus Gallũ ſchiſmatis concinnatorẽ noluit deſerere.

Quod Hiſpanus Rex Chriſtianos Principes hortatur ad bellum contra ſchiſmaticos gerendum, Regemq; Nauariæ dubium ſolicitat. Caput. III.

IGITVR Hiſpani orbis moderator, cernens Gallorum rabiem magis magiſque ſæuire, illorum furori nihil iam poſſe obſiſtere, concutit illud conſiliorum pectus fœcundum, & qua via peſtilenti occurrat morbo dies, nocteſque cogitat, ſtatuit hoſtis vires, quas videbat in dies augeri, in partes diſtrahere. Enriquum Britanorum Regem, eundemque chariſſimum generum, ad quem ex iure Aquitania Gallia

pertinebat, vt ducatum bello repetat, hortatur, auxilium pollicetur, vtque iuſtior eſſet repetendi cauſa, apoſtolica intercedit autoritas, qua Gallum Aquitania priuat, Britannoq; occupandam exponit. Ex alia parte Maximilianum Cæſarem conſocerum ſuum, atq; Caroli maximi Burgundionum ducis ex filia nepotis tutorem ſolicitat, vt ab vtriuſque Germaniæ finibus Gallum adoriatur. Italiæ res publicas, quæ belli euentum ancipites expectabant, ad ſocietatem inuitat. Mittitq; itaq; Britannus copias ſuas, quæ in collimitio baſtulorum, Aquitannorumq; conſiderent, quibus vt ſe Hiſpanorum exercitus iungeret commodius, per Nauariam iter aperiēdum erat, cuius Rex in Gallorum partes videbatur eſſe propenſior, ſiue quod natione Gallus erat, ſiue quod patrimonij ſui bona pars in Gallia erat, quā, ſi ſequeretur Hiſpanorū ſtudia, videbatur amiſſurus, cū alioqui eſſet principis noſtri beneficiarius. Nam quis ignorat, cum inter Phoxenſes dominos, primum patrem, ac deinde filium, ac ex parte alia Ioannem Labritenſis domini filium de Nauariæ regno iure, viribuſq; certaret, haberetq; vtraq; pars ſuos fautores, Phoxenſes Gallum, Labritenſis Hiſpanum, noſtro ſtudio Ioannem obtinuiſſe regnum? & eo nomine quæcumq; fortuna ſequeretur, adiuratiſſimus Hiſpanorum cliens eſſe deberet.

Igitur ne quid detrimenti exercitus noſter per alienos fines incedens pateretur, petit a Ioanne certa quædam pignora, quæ ſiue volentem, ſiue nolentem cogant in fide permanere, & quæ ea eſſent quærenti, tres arces reſponſum eſt, ſtellam, Amaiam, & ad Pyrenei Galliam ſpectātis radices ſanctum Ioannem, poſt negocium peractum redendas, interea tamen apud ſequeſtros deponerentur Hiſpanos viros nobiles, & ingenuos, qui fide publica interpoſita pacta conuenta ſeruarent, pollicetur præterea noſter, ſe redditurū Arcos, & Guardiam oppidula, dico quæ quondam Nauariæ regno fuerant contributa, indemnitatem inſuper, quacunq; regius exercitus progrederetur, protectionē quoq; ſi Gallus bellum in Nauariam intētaſſet vnquam. De arcibus illis tribus ſibi placere Ioannes reſpondet, de ſequētibus non placere, niſi facerēt indigenę, dumq; tēpus de die in diem protrahit, ſecreto Gallū omnibus ijs de rebus facit certiorē, ſibiq; vt auxilia mittat, quam primum etiam atq; etiam implorat, Hiſpanos eſſe in armorum procinctu, ſibiq; viam ferro aperiendam, ſi non ſit qui obſtet, non eſſe dubium. Nuntius earum rerum, quæ in Hiſpania geruntur, ad Pontificem perfertur, cogit conſcriptorum patrum frequētem ſenatum, bono animo vt ſint hortatur, ex Hiſpania, vt quondam ſæpe, ita & in præſentiarum perditæ rei ſpectandam eſſe ſalutem dicit. Quare iuuandus eſt inquit optimus ille princeps, in communes bonorum omnium hoſtes, noſter vterq; ſtringendus eſt gladius, atq; dum ſæcularem alterum acuimus, interim ſpiritualem alterum in ſchiſmaticorum ceruices intentemus. Conſultant itaq; patres conſcripti, quid nam ſit de Nauariorum Rege decernendum, fit ſenatus decretum, in quod omnes pedibus, manibuſq; eunt, declaratus eſt ſchiſmaticus, atq; proinde hereticus, quia identidē admonitus pertinacius agebat, & ſe iam non obſcure Gallum profitebatur. Mulctatur regno, & omnibus fortunis, non modo ipſe, ſed & vxor, & filij cum omni poſteritate ſua, in Hiſpanum omne ius regnandi transfertur. Gallus interim omnes copias ſuas contrahit, & quas in Italia in præſidijs habebat & quas in ſtatiuis, aliaſq; in Germania conſcribit, Ioanni ſuo quamprimum poſſit auxilium laturus. Sed dum ille moratur, noſter negocium peragit. Intelligens namq; belli momenta in celeritate magis, quam in militum robore poſitam eſſe, fœderico a Toleto Albanorum ad Tormim duci cōſobrino ſuo inſtantis belli ſummam commendat, præfectumq; exercitus maximum, ſiue vt more noſtro loquar, ducem generalem facit, quid illi faciendum ſit, edocet, vt quam celerrime Nauarię

fines inuadat, hortatur, vt rem gerat ſtrenue monet, & quia nullum eſſe bellum iuſtum nouerat, niſi quod rebus petitis antea denunciatum ſit & in dictum, ne quid inexpertum relinquat, ſæpe monitum, adhuc monendum eſſe dicit Permetatum, qui in curia noſtra pro Ioanne procuratorio nomine oratorem agebat, nunciat, niſi e veſtigio pe titas arces, in quos vſus dictum eſt, traderet, ſe omnia rapturum, qui citra & vltra Pyreneum adillum pertinerent. Atq; in hæc verba orator dimiſſus eſt. At Nauarius his admonitionibus nihilo melior factus, interea Gallum ſolicitat, atque ſi vult ſaluis rebus adeſſe, properet auxilium ferre, neq; iam ſimulationi locum eſſe denunciat, ſe ab Hiſpano pro hoſte haberi, hoſtem cum ingenti exercitu in limitibus eſſe, neque inuadendi regni accaſio nem intermiſſurum, quod omni præſidio vacuum eſſe optime nouerat.

Noſtrorum militum numerus cenſetur, & qua via Pompelo cum magna regionis parte capta eſt.

Caput. IIII.

ERant in exercitu noſtro, partim ex ſtipẽdiatis militibus, partim ab Hiſpanis proceribus ad hoc bellũ miſſis cataphractorum equitum mille, & mediocris armaturæ mille quingẽti, peditum vero ad ſex millia, qui omnes ex imperio Regis conuenere Victoriam, ſic appellant Baſtulorum vrbem in Nauariæ collimitio ſitam. Igitur Albanus iuſſu Regis, qui tempeſtate illa Burgis morabatur, exercitum educit, equites grauis armaturæ in centurias diſtribuit, ſingulis centuriones præficit. Leuioris armaturę equites per ſuos duces partitur, pedites præterea in ſuos ordines dirigit. Hos comitabatur tormentorum, machinarumque, vis maxima, iumentorũ quoq; ac commeatus pro militum numero copia ſatis magna, atq; hoc belli apparatu Nauariæ fines ingreditur. Nauaria iam inde a multis ſęculis in duas factiones diuiſa eſt, Agramontanorum alterã, ex qua Ioannes ipſe Rex erat, alteram Beamontanorum, ex qua erat Ludouicus comes Lerinas, idemq; Nauarię comeſtabilis, atq; Regi noſtro non modo affinitate, verum etiam quadam ſingulari beneuolentia coniunctus. Huic Albanus primas exercitus noſtri cohortes tradit. Nam eo tempore ob antiquas cum Rege ſuo ſimultates apud nos agebat regno ex torris. At nunc in patriam reduci minutula quædam oppida, & caſtella, quæ antea fuerant in illius clientela nulla vi coacta ſe dedunt, alia prę timore in deditionem veniunt. Albanus non dediticiјs modo, ſed etiam dubiјs parcendum eſſe iubet, neq; in alios quam imperduelles, contumaceſq; ſæuiendum eſſe præcipit, quæ Albani ducis modeſtia magno fuit momento ad res alias conficiendas. Cumq; nihil offendiſſet hoſtile, & quod progredienti poſſet obſiſtere, quinis caſtris peruenit ad locum, qui ab ipſa totius regni capite Pompelone diſtat paſſuum millibus octo, vnde vrbs ipſa facile perſpici poterat, illic metari caſtra iubet, pręterea quod locus erat tum pabulationi, tum aquationi, tum lignationi commodus. Ioannes interea cum videret fortunas ſuas eo anguſtiarum deductas, vt neq; iam fallere hoſtem poſſet, neq;, Gallum deſerere, integrum ſibi videretur, ſtatuit dotale regnum dulceſq; relinquere ſedes, non auſus hoſtem domi ſpectare, omnemq; recuperandi regni ſpem in Gallorum leuitate poſuit.

Quærentibus vero ciuibus ſuis quid illos vellet facere, ſi hoſtes ingruerent, vt ſe tuerentur quandiu poſſent, reſpondit, ſin minus tempori cederent, ſaluciq; conſulerent, dummodo ſcirent ſe breui rediturum, cum multo grandioribus Gallorum copiјs, quam eſ-

ſent Hiſpanæ. Atq; triduo ante diſceſſit, quam vrbs dederetur. Atqui oppidani cum cernerēt ſe præſidio deſtitutos, & a Rege ſuo deſertos, atq; ex alia parte hoſtem cum exercitu in campo medio exultantem, cum fortuna mutant & fidem. Mittunt itaq; oratores ex populi primoribus, qui cum victore de conditionibus deditionis agerent. Qui perhumaniter ab Albano excepti, mandata exponunt, petunt multa, vt pauca ex multis accipiant. Poſt longam concertationem, Albanus in pauca verba ſententiam colligit, non ſolere, inquit, victoribus victos dare leges, ſed ab illis datas accipere. Ite igitur & veſtris ciuibus hæc dicta reportate, aut mihi ex templo ſine vllis conditionibus ſe tradant, omnia ſacra, & publica in manus meas permittant, ipſi cum libertate fortunis priuatis fruantur, aut ſi non placet illis hæc conditio, ſciant ſe paſſuros omnia, quæ in vrbium expugnationibus accidere ſolent, omnis ætatis, & ſexus cædes, ſacrarum, priuatarumq; rerum incendia, bonorum omnium direptiones. In hæc verba oratores dimiſſi, promiſſa, minaſq; ducis ad ſuos perferunt, & ne tempus in caſſum abiret, atq; interea hoſtis rem ſuam perageret. Albanus inſtandum eſſe ratus poſtridie eius diei ſigna tolli iubet, copias omnes ſuas explicat, atque in ſuos ordines redigit, vrbem verſus agmine infeſto tendit. Cumque propius acceſſiſſet tantum terrorem oppidanis incuſſit, vt mulierculæ, & pueri e muris manus tenderent ſupplices victoris miſericordiam implorantes. At proceres nihil iam de Gallico ſubſidio ſpectantes eoſdem oratores remittunt, ſe velle ducis imperata facere dicunt, modo illis diecula concedatur, non quo tam breui tempore auxilares e Gallia copias ſpectarent, ſed quo ſe poſſent apud reliquos mortales, atq; imprimis Regi ſuo excuſare, quod neq; momento quidem temporis hoſtem ſuſtinuerint.

Caſtris itaq; in ſuburbio poſitis, tota illa nox in vigilijs perpes agitur, ne quid hoſtis ex loci occaſione moliretur. Die in ſequenti, qui fuit dominicus, idemque diui Iacobi Zebedei feſto celebris, atq; alia ratione magis adhuc celebrandus, quod erat annus Hiſpani iubilei a natali Chriſtiano milleſimus quingenteſimus duodecimus. Magiſtratus ex vrbe progrediuntur, atq; omnium ciuium nomine, ſe fortunaſq; ſuas omnes ducis fidei dedunt, ſtetq; vt promiſſis, pactiſq; conuentis orant, obteſtanturq;. At ille nihil moratus vrbem ingreditur, inq; ipſo portarū limine in verba vnius ex primoribus procuratorio noſtri principis nomine iurat ſe, atque proinde Regem ſuum, cuius auſpicijs, atq; imperio rem gerebat, obſeruaturum priuilegia, immunitates, libertates, tum publice, tum priuatim a Regibus ſuis antea conceſſas, neq; paſſurum aliqua ex parte infringi, temerari, violari, quin potius ſi in fide permanſerint, alijs multo maioribus præmijs cumulaturum. Tum portarum claues in argumentum poſſeſſionis illi conceſſę, atq; hunc in modum ciuitas primaria cum omni regione contributa præter admodum pauca Hiſpaniæ ſuę annumerata eſt, cum fuiſſet par annos circiter ſexcentos, vt ab Enico Ariſta incipiamus per indigenas, aut aliunde aſcitos Reges gubernata.

De toto Nauariæ regno, cum Pompelone pacato. Caput. V.

ALbanus ciuitatis ſtatu compoſito, præſidijſq;, quibus in locis opus erat, diſpoſitis, nuntios ad reliqua oppida, vicoſq; & caſtella, & munitiones, ac pagos mittit. Quid Pompelonenſes fecerint, illis exponi iubet, vt matricis ciuitatis exempla ſequantur admonet, idq; per lictores, præcones, tibicines agit. At illi ſiue nuntiorum contemptu, ſiue quod indies Regem ſuum cum auxiliaribus copijs expectabant, ſiue quod nondum

quid eſſent acturi conſtituerant, inducias conſultationi, tempuſq; petunt, nuncios inanes, dubioſq; remittunt. Dux vero inſtandum eſſe ratus, dumq; per hoſtes licet, nihil impacatum relinquere, alios autoritatis maioris viros mittit, qui perduellibus nuncient, niſi ſe intra paucas horas dedant, obſideſq; deditionis pignora mittãt, proſcripturum ſe illorum capita, publicaturum bona, omniaq; direptioni daturum minatur. Alioqui ſe non minõri facilitate illos ſuſcepturum, quam Pompelonenſes. Ad has ducis minas, pollicitationeſq; permoti omnes ſtatuunt ſe dedere, ſub eiſdem conditionibus, quibus ſe metropolitanæ ciuitatis incolæ dediderãt, fuere autem oppida, & municipia hæc fere, Elumberri, Sangueſſa, mons Regius, Amaia, Olitum, Taphalia, Tutela, præter arcem & Runcitanos, Eſcuanoſq;, qui præruptiſſimorum montiũ, atq; locorum ingenio freti, turpe duxerunt non ſpectare belli euentum, neq; ſe ventuto cum auxilijs Regi ſuo reſeruare.

Hiſpanus interea, non ceſſat copias ſubmittere, Nauaricẽſemq; exercitum augere, non modo ad præſidia municipatim diſtribuenda, tuendoſq; regni fines, verum etiam ad proſequendum Regem profugum, qui dicebatur ex Benearnenſibus, Vaſconibus, Tranſpyrenęis copias parare, aut quibus ſe tueretur, aut quib' amiſſi regni fines inuaderet, quãdo Gallorum ſuppetię immorabantur. Cum Runcetanis, valliſq; Salazariæ incolis agit, vt ſe muniant, tueanturq;, ſe velle apud eos Gallorũ auxilia ſpectare dicit. Albanus a Rege ſuo admonitus Antonium a Cunia Zamoranũ Epiſcopũ ad Ioannẽ mittit, qui illi ſuadeat, vt reſipiſcat tandẽ, atq; Hiſpanis partibus adhęreat, neq; omnẽ ſuã ſpem in Gallorum auxilio ponat. Quod ſi fecerit, ſe habere in mãdatis futurum, vt regnũ reſtituatur, ſin aliter ſit animatus, videat ne omnia, quæ ſua cauſa ſint prouentura, in autoris caput retorqueantur, & dum partem recuperare nititur, amittat & totum. Dum ad hæc peragenda orator properat in media comprehenſus via, atq; non ſatis modeſte habitus eſt. Dubiumq; fuit, iuſſu ne Regis, an Benearnenſium perfidia ſit factum, qui natura immanes non legibus humanis, & diuinis, ſed neque legi nuturæ, atque proinde iuri gentium aſtricti ſunt. Sed quod a Rege tam fœdum facinus ſit imperatum, non caruit ſuſpicione, quod iuris humani violatores clarigatione iuſta poſtulatũ non reddiderint, neq; Epiſcopus in libertatem reſtitutus, ſed precio ingenti redẽptus eſt. Eratq; in animo duci exercitum in autores violati iuris inducere, niſi quod Tutela, Olitum, Taphalia, Stellateſq; iam cum præſide ſuo conſentientes, cum audiſſent Ioannem cum Valeſtribus quibuſdam populis montium prærupta occupaſſe, cœperunt hęrere, atq; ſe ancipites in belli euentum reſeruare. Sed noſter nequid hoſtile a tergo relinqueret, ſubſtitit, vindictãq; in aliud tempus diſtulit, conuerſuſq; ad rebelles, ſiue dubios, omnia parauit, atq; in ſtatu firmiori relinquit. Antea vero quam exercitum duceret, ſiue in Regem profugum, ſiue in Runcetanos, Eſcuanoſq;, ſiue vt ſe Britannis cõiungeret ad commune bellum gerendum libuit experiri Pompelonenſes animos, & quali fide in abſentem futuri eſſent, prætẽtare. Coactis itaq; in diui Franciſci æde huiuſmodi apud illos orationẽ habuiſſe dicitᷣ.

Albani Ducis ad Pompelonenſes oratio, atq; iuris iurandi de futura illorum fidelitate extorſio. Caput. VI.

SI apud ignotos ſermo mihi faciẽdus eſſet ciues Pompelonenſes, poſſem ego vobis nunc commemorare, non principis noſtri res præclare geſtas, quæ adeo notæ ſunt, vt cum admiratione per totum orbem terrarum circunferantur, non potẽti æmulo, ac competitore ſuperato dotalis regni membra diuerſa in ſuum corpus redacta, non bonam Hiſpaniæ partem a pœnis per

multa ſæcula poſſeſſam quaſi longo poſtliminio Chriſtianæ religioni redditam, non claſſes armatas in Perioecos, in Antichthones, in Aſcios miſſas, ſuperatoſq; alterius orbis incolas, quos nemo vnquam adigerat, ſed neq; audierat quidem, aut ſuſpicatus fuerat. Non purgatam religionem pulſis, aut regeneratis Hæbreis, Mauris reconciliatis pſeudo Chriſtianis, atq; omnium ordinum ſimulatis, falſiſq; fratribus in meliorem ſtatum reductis, quæ adeo ſunt illuſtria, vt non modo vobis, qui propemodum adfuiſtis, verum etiam cunctorum mortalium oculis ſeſe cotidie ingerãt, adeo ſtupenda, vt nulla vnquam ex hominum memoria delere poſſit obliuio. Sed hæc omnia fuere partim inauditæ cuiuſdam fœlicitatis, partim ſingularis, ac pene diuinæ prouidentiæ. His tamen omiſſis, quod ad vos magis pertinet, quis vnquam fuit Rege noſtro iuſtior? quis clementior? quis ęquitatis, bonitatiſq; obſeruantior? Sed hæ virtutes regię ſunt: quid illę priuatę? liberalitas comitas, affabilitas, cum maieſtatis grauitate ſemper in vultu hilaritas. Quis igitur ſe non putet beatum a tali principi gubernari? atq; etiam beatiorem, cui liceat conſpectu propiore frui. De titulo forſam dubitatis, doctoribus ciuilis, ac pontificij iuris conſultiſſimis credite, bonis viris, atq; religioſis credite, ipſi denique vniuerſali eccleſiæ, atque Apoſtolico ſenatui credite, qui Regem veſtrum ſchiſmaticum, hæreticum, apoſtolicę Sedis hoſtem publicum, atq; reum læſæ maieſtatis declararunt, bona publicarunt primo occupanti, atque nominatim principi noſtro conceſſerunt.

Aut igitur totum hoc orthodoxæ fidei nomen eſt innane, aut Rex verſter dijs, & hominibus inuiſus, infamis, inteſtabilis ex Chriſtianorum communione ſegregandus eſt, cui ſi quis eſt, qui adhæreat, qui faueat, qui Regem putet, qui Regem nominet, ſimilis illi eſt, atq; vt Apoſtolus ait, communicat operibus eius. Atqui dicet quiſpiam ex vobis viri Pompelonẽſes, quis vnquam audiuit Regem & eum quidem Regem, qui ſuperiorẽ non habet, vocari in ius, in auditum, cauſa q; indicta condemnari, regnoq; ſpoliari? quaſi nouum ſit, & nunc primum ad aures veſtras peruenerit a ſummo ſacerdote Reges mulctari regno, atq; imperio Imperatores? Non Zacharias Pontifex Childericũ Gallorum Regẽ abdicare ſe coactũ, atq; religionem ingredi compulſũ, propterea quod in iure reddendo negligentior erat, regni culmine deturbauit? inq; illius locum Pipinum ſubſtituit? Non idem Pontifex Deſiderium Longobardorum Regem nouiſſimum, eundemq; eccleſiæ hoſtem regno priuauit? Non Stephanus ſecundus huius nominis Pontifex Conſtantinum, & Leonem orientis imperio deiecit, propterea quod in eccleſiæ cauſa imploranti auxilium denegauit? Non Innocentius tertius Othonem quartum huius nominis Imperatorem imperio deturbauit, quod Fœdericum Siciliæ Regem impotentius perſequebatur? Non Innocentius quartus eundem Fœdericum vtraq; Sicilia, & imperio mulctauit, propterea quod Apoſtolicis præceptis non obedierit? Longum eſſet alios complures ex ſummorum pontificum catalogo depromptos memorare, qui ex cauſis etiam leuioribus Imperatores, Reges, Principes ex ſummo rerum faſtigio deiecerunt. Quid? non & in veteri teſtamento ſacerdotes, & prophetæ Reges impios, principeſq; iniquos regnorum adminiſtratione aut mulctarunt, aut mulctandi cauſa fuerũt?

Sic per Samuelem prophetã Saul Rex regno excidit, ſic per Ioiadam pontificem Athalia Regina. Sic per Hieremiam Sedechias, ſic per Heliam Achaz, ſic per Danielem Nabuchodonoſor, & Balthaſaſar Caldeorũ Reges, ſic alij complures ex cauſa ſimili non ſolum regno, ſed & vita priuati ſunt, & dubitat quiſpiam omnem animam Deo eſſe ſubiectam, cui ipſomet teſtante data eſt omnis poteſtas in cælo, & in terra? an de ſucceſſoribus ambigitur deq; poteſtate illis communicata? non eſt opinor quiſpiam ita demens, vt hoc

dicat, conſulite igitur in medium ciues optimi, & quo in ſtatu res veſtræ ſint conſiderate. Rex meus tam armis, quam iure, & cauſa potior eſt, ad vos non pertinet cum illo de iure certare, curam hanc in diuos reijcite, arma deponere victori expedit, victo neceſſe eſt, cui ſemel vinctas manus dediſtis, eidem & animos dedite. Noluit Ioannes vobis eſſe Rex, nolite & vos illi eſſe ſubditi. Nam quod de auxilio dicebat ſibi a Gallorum Rege mittendo, cur non & hic vobiſcum expectauit, & qui pro tali tantaque vrbe non perſtitit, pro qua tandem ſe periculis exponeret? Et quoniam principi meo eſt in animo ſe Britannis coniungere, & bene iuuante Deo communi bello arma in Aquitaniam transferre, atque, vt vos in medio Hiſpaniæ regno tranquilla pace fruamini, Benearnenſes, atque Tranſpyreneos, Vaſcones armis debellare, nequid interea per ocium moliamini, exigit a vobis fidem publicam, iuriſque iurandi ſanctiſſimam religionem, vt quod vobis fœlix, fauſtum, fortunatumque ſit, iam non Galli, ſed Hiſpani, non ſolum amore, ſed etiam pietate deuincti teneamini, quod erit vobis non minus vtile, quam iucundum, Regi certe noſtro quam gratiſſimum. Ad hanc Albani orationem poſtulatum eſt, vt in diem perendinum reſponſum differretur, idque ſupplicibus eſt conceſſum. Igitur primores populi communicata re cum ciuibus ſuis, redeunt ad diem conſtitutum, referuntq; in mandatis placere omnibus in communi, ſe victoris legibus ſubijcere, atq; in illius verba iurare ſe præſtaturos omne obſequium, quod ſubditi regibus debent, modo liceat illis infame vaſallorum nomen effugere. Hiſpanorũ namq; vulgus inter ſubditũ, & vaſallum hoc diſtare putat, quod ſubditus antiquis, & cõſuetis tantum legibus, moribuſq; obſequitur, atq; iuris dicũdi magiſtratibus paret. At vaſallus quicquid domino ſuo libitũ fuerit ſine vlla exceptione paratus eſt excipere. Ad has ſupplicũ voces Albanus, non æquum, inquit, poſtulatis viri Pompelonẽſes, qui victori modum imperandi præſcribere vultis. Quod niſi extemplo abiurata priſtini Regis veſtri fide, in verba Hiſpani iuratis, vos illius fide permãſuros, quãdiu rerum veſtrarũ potietur, experiemini profecto & quidem breui quid victor armatus, idemq; iratus poſſit.

At illi videntes tergiuerſationi ſuæ nullum locum eſſe relictum, abiurato priori Rege cõceptis verbis iurãt, ſe deinceps Hiſpanos, atq; Hiſpanis principibus dedititios fore, obteſtantes ipſum ducẽ vt dictis, promiſſiſq; ſtaret, id quod eſt a Rege poſtea cõfirmatum.

Quod pacata vrbe Dux Albanus Pyreneum tranſilit, vt ſe Britannis agglomeret.

Caput. VII.

DVX Albanorum, cernens maiorem rei bene gerendæ vim in celeritate, & occaſione, quam in robore, numeroq; militum cõſiſtere, cum præſertim ex vultu, verbiſq; omnium alacritatem videret, ſtatuit Tranſpyreneum bella tranſmittere, vt totius negotij reliquias cõficeret, ſeq; deinceps Britãnorum caſtris adiungeret, qui iam in Aquitaniæ finibus metabantur, vt omnium deinde cõſilio, vterq; exercitus Aquitanicum bellum adminiſtraret, præmittit itaq; equitum tres turmas, peditum vero ad tria millia, quorum præfectis imperat, vt Pyrenei anguſtias, qua per rũcatas valles iter in Gallias patet, occupẽt, ſanctiq; Ioannis caſtellum cum arce ad mõtis radicem poſitũ, quod iam inde ab initio belli noſtris ceſſerat, validiori præſidio firmẽt. Caſtellani nãq; præſidiarijs non penitus obtẽperabant, quin potius cum Tranſpyreneis obſidere moliebantur. Erant præterea Eſcuanorum, Runcetanorũq;, & Salazarenſium valles, quæ aliquatenus culturam patiuntur,

patiuntur, non ſatis pacatæ, ad quarũ incolas, ne quid à tergo lateribuſꝗ detrimẽti inferrent, partẽ exercitus mitti iubet, qui non magno negocio rem confecit, & cũ obſidibus in caſtra ſe receperũt. At in Garritanę vallis incolas acrius ſæuitũ eſt, tũ quod Hiſpaniæ iugũ non facile patiebantur, tum etiã vt alijs exẽplo eſſent, quãta illos pericula manerent. Quo terrore finitimi omnes perculſi pars in tutiores montiũ receſſus fugerunt, pars victorũ arbitrio paruere. Acceſſit quoꝗ noſtris caſtellũ nomine mons Gelatus, opera, & induſtria ✠ Villalbani centurionũ præfecti. Qui cum audiſſet Gallorum copias aduẽtare, paulatimꝗ Saluaterrę quod eſt oppidũ ✠ in dies increbreſcere, vt hoſtem longius ſubmoueret, caſtellũ expugnat, validiſſimoꝗ tercentorũ militũ præſidio, triumꝗ centurionũ præfectura munit. Quo cum auxiliares Galli acceſſiſſent, facile a præſidiarijs repulſi ſunt. Erat in animo Hiſpanorũ moderatori confecto bello Aquitanico Ioanni Regi omnia reſtituere, ſi ad meliorem ſenſum quandocũꝗ rediſſet, qui cum Locronium veniſſet, vt futuri belli neceſſitatibus proſpiceret, accepto nuncio de Zamorani præſulis prehenſione, atꝗ vi contra ius gentium illata, dignas tanto Principe concipit iras, totuſꝗ inultionem iuris, religioniſꝗ violatæ inſurgit. Atꝗ imprimis concionibus crebris imperat publicari, declarariꝗ ſchiſmaticos. Ludouicum Gallorum Regem, illiuſꝗ impietatis adiutores, fautoreſꝗ, ac nominatim Nauariorum Regem, qui iam non diſſimulanter ſe hoſtẽ eccleſiæ profitebatur. Intelligenſꝗ omnia iam ad arma ſpectare, bello prius hoſtibus indicto paulatim copias Albanorũ duci ſubmittit, tum ex euocatorũ numero, tum ex curialiũ, euocatorũꝗ iuuentute, qui mira animi alacritate Gallorum vires experiri cupiebãt. Igitur Albanus cum perſpiceret copias ſuas in dies augeri, relicto in vrbe, caſtelliſꝗ pręſidio, quantum eſſe opus intelligebat, exercitum Pyrenen verſus mouet, primaꝗ caſtra die altero metatus eſt ad Burgetum, quo in loco fuerat olim pugna illa memorabilis, in qua ſub Alphonſo Hiſpanorum Rege cognomine Caſto, cum Mauritanorum auxiliaribus copijs, duodecim illi Pares in toto orbe decãtati cum Imperatore ſuo Carolo magno profligati ſunt. Vbi per aliquot dies immoratus dum tormenta, & machinæ, per montium cliuos, rupiumꝗ anfractus præcipitiaꝗ trahuntur, dum commeatus, & impedimenta vndiꝗ cõportantur, dum ex militibus tardiores, emanſoreſꝗ expectabat tandem Pyreneos ſaltus, atꝗ aquarũ diuortia tranſgreditur, quo die ad ſancti Ioannis caſtellum peruenit. Poſtridie eius diei de ſuo aduentu Britannos certiores facit, quas ducat copias, belliꝗ apparatum exponit, omne Nauariæ regnum Hiſpanis ceſſiſſe, nihil reſtare peragendum, niſi quod ad Britannos ipſos pertineret. Hortatur illos, vt copias ſimul iungant, Aquitaniamꝗ inuadant, Vaionamꝗ imprimis, ne quid a tergo relinqueretur hoſtile. Erant in Britannorum exercitu ſagittatorum ad octo millia, manus robore, atꝗ animo præſtans. His accedebant ex auxiliaribus Germanis haſtatorum, ſtlopetariorumꝗ ſexcenti, qui ſi ſe Hiſpanis agglomeraſſent, atque vno conſilio rem geſſiſſent, nemo dubitabat, non modo Vaionam breui tempore expugnari potuiſſe, ſed Victrices copias, nihil prohibiturum, quin intra paucos dies in agro Burdegalenſi metarentur. At Britanni mandatorum ſui Regis immemores, cœperunt inter ſe tumultuari, atque in varias ſententias abire. Alij nanque inſtantis hyemis inclementiam cauſabantur, in qua nihil memorabile agi poterat, aut quod futuro bello conduceret, alios redeundi in patriam amor rapiebat, alios futuri euentus belli ſolicitabat. Erant, qui opinarentur cohortium præfectos, atque exercitus Duces a Gallo pecunia corruptos ceſſiſſe militum voluntati, alij ſuſpicabantur ex incerta quadam cauſa a ſuo Rege clanculum reuocatos. Quare

vno omnium ſummatum, atq; infimatum conſenſu reſpondent, temporis importunitati obſequendum eſſe, atq; in patria commodius hibernaturos, quam ſub pellibus, & in tabernaculis in ſolo alieno. Pollicentur tamẽ ſe cum primo vere ad inchoatum bellum redituros, datoq; reſponſo naues conſcendũt, ſeq; in Britanniam recipiunt. Albanus vero audito Britannorum reſponſo, ſtatuit ſancti Ioannis arcem, caſtellumq; munire.

Montem vero Gelatum, quia non facile præſidio teneri poterat, ne eo hoſtes aliquando potirentur dirui, ſoloq; æquari iubet. Poſt Britannorum nanq; diceſſum erat illi in animo non tam alienos fines inuadere, quam Nauariæ regnum pacare, pacatumq; tueri.

Quod Gallorum copijs Ioannes Rex auctus ad vrbis ſe obſidionem parat. Caput. VIII.

INTERIM Gallus accepto nuncio rerũ, quæ inter Hiſpanos Galloſq; vltro, citroq; gerebantur, quodq; Britanni ſe in patriam recepiſſent quod præterea Hiſpani illius copias longe a Nauariæ finibus ſubmouerent, decernit maiori belli apparatu negocium faceſſere, turpe exiſtimans Regem, qui ſua cauſa regnũ amiſerat, in priſtinum ſtatum non reducere. Igitur pręſidia, quę varijs in Ciſalpinę Gallię locis diſpoſuerat ad ſe vocat, ex Alpinis quoq; Taurinis, Sueuis, atq; Germanis, ad octo militũ millia conducit. Leuis armaturæ equites Epyroticos complures adiungit, machinas vndecunq; poteſt comportari iubet, & quia Hiſpanus per pręfectos rem gerebat, ipſe quoq; ſummam belli Delphino commendat. Delphinum Galli Regem deſignatum appellant, quemadmodum Hiſpani Principem, hoc eſt, qui inde mortui Regis locum ſucceſſurus eſt, addit & alios duces, qui Delphino obſequãtur, Do, Palizam. Do. Borboniũ. Do. Dilautre, viros nobiliſſimos, & qui copias ingentes ductare conſueuerant. Quibus belli gerendi rationẽ in hunc modũ pręſcribit, vt ad certũ diem omnes ad limites cõueniant, ſeq; Ioanni Regi, copijſq; illius, quas ex Benearnenſibus, Vaſconibuſq; contraxerat, ac præterea Limitaneis, qui regni fines tuebantur, alijſq; earumdem partium ſtudioſis adiungerent. Quibus in eundem locum ad conſtitutum diem coactis, viſum eſt ſummo duci debere imprimis exercitum luſtrari. Cenſaq; ſunt grauis, & leuis, mediocriſq; armaturæ peditum ad viginti millia, ſclopetariorũ, haſtatorũq;, & ſagittariorũ par numerus. Ex equorum præterea tranſuectione probatorũ equitum ad quatuor millia Gallorum conſuetudine multiplicata. Tum copię ad hunc modum partitę, Ioanni Regi, cui adhibitus eſt Do. Paliza comes, Germanorũ duo millia, Vaſconũ, Benearneſiũq; peditũ quatuor millia, atq; equites mille decreti. Do. Borbonio, atq; alteri Do. Delautre decernuntur ex Benearnẽſibus, Vaſconibuſq; decem millia, quibus adduntur equites quadringenti. Reliquas vero copias Delphinus ſibi retinuit. Rex igitur Ioannes, per Runcetanorũ valles copias ſibi creditas ducens obiter caſtellũ obſidet, cui præſidebat Valdeſius cohortis prętorię pręfectus cũ peditibus, qui nuper in caſtris ſeditionẽ fecerãt. Oppugnatur caſtellũ vehementer ea parte, qua facilius captu videbatur, ſed non minori animo a præſidiarijs propugnatur. Poſtridie vero eius diei maiori conatu, Germani præcipue, rem adoriuntur, & tripartito agmine muros inuadunt. Ibi Valdeſius quid alios facere oporteret demonſtrans duabus tragulis perfoſſus occumbit. Ex cuius cæde negocio non magno caſtellum capitur. Seditioſi milites illi paſſim trucidantur præter paucos, qui ſe in arcem receperant, quin & ipſi facta deditione armis ſpoliati euaſere. Ex alia vero parte Borbonius cum ſuo conſorte Bardulorum fines depopulantur,

vicos ferro, igniq; vaſtant: atq; ſancti Sebaſtiani oppidanis, & finitimis tantum terroris incutiunt, vt ſatis habuerint ſe defendere, nedum Hiſpano exercitui ſuppetias ferre. At Delphinus Ioannem regem per literas monet, vt quando ſemel illi bene ceſſit, pompelonem recta copias ducat, ſe Albanorum ducem, quocunq; ſe receperit, obſeruaturum, curaturumq;, ne ſuis laborantibus auxilio eſſe poſſit, ipſe vrbem obſidione premat, experiaturq; an in ſuis quondam ciuibus priſtinus amor, obſeruantiaq; reſideat. At ille metatus eſt caſtra duodecim prope millibus paſſuum ab vrbe, ibiq; biduo moratus expectabat, ecquid ciues Pompelonenſes cauſa ſua molirentur. Quod ſi e veſtigio vrbē propius copias admouiſſet, quia non ſatis firmo erat prēſidio munita, potuiſſet, & ſuis ad res nouas moliendas animū addere, & non magno labore hoſtē ex toto Regno fugare, cum prēſertim ſtatim ad ſuum aduentum, Stella, Olitum, Taphalia ſigna pro eo ſuſtuliſſent.

Quod Dux Albanorum ex Transpyreneis montibus Pompelonem ſe recepit.

Caput. IX.

SED interim Antonius Fonſeca alter ex duobus maximis quæſtoribus, vir domi, militiæq; peritus, & qui in re bellica fortunam ſemper habuit obſequentem cohortibus aliquot Hiſpani Regis iuſſu comparatis per noctis ſilentium mira celeritate ſuperuenit, oppidaq; iam abalienata nobis reſtituit, atq; obſidibus acceptis prēſidio firmauit. Ipſe uero cum reliqua cohortiū parte ſe in vrbem recepit. Sed neq; Stellates diu in fide permanſere, nam & præſidio excluſo ad Ioannem deſciuerunt, & acclamationibus crebris perfidiam ſuam teſtati ſunt. Neq; violati iuris pœna fuerunt immunes.

Franciſcus namq; Beamontanus Nauarienſis Comeſtabilis frater collecta indigenarum manu de repente ſuperuenit, portam occupat, oppidumque ferro, igni, & direptione vaſtandum exponit, defectionis autores partim gladio cæduntur, partim ſe in arcem recipiunt, quam ille obſidione, quam poteſt arctiſſime, cingit, Mœniaq; firmiori quam poteſt prēſidio munit. Albanus præterea cum videret Gallorum copias in dies augeri, ſuas vero quotidie imminui, ſtatuit non decernere cum hoſtibus æquo Marte, ſigniſq; collatis, ſed aut ex occaſione, aut ex loco ſuperiori. Itaq; relicto prēſidio in ſancti Ioannis caſtello, quod ſolum Transpyrenæum a nobis ſtabat, nam mons Gellatus, ne hoſtes eo potirentur, iam in flammas, cincreſq; abierat, ſtatuit iugo montis ſuperato Pompelonem totius regni columen ſe recipere, vrbemque tutari, in qua vna re totius belli ſumma; victoriaq; vertebatur. Quod ſentiens Delphinus Ioannem Regem monet, vt Hiſpanorum ſummo Duci, quem erat credibile per Runcatas valles profecturum ſe a fronte opponeret, ſeque a tergo perſecuturum hoſtem pollicetur, vt ancipiti diſcrimine circumuallatus,, & dubius, quo ſe potiſſimum verteret, cum ſpolijs victoriam hoſtibus cedat. At ille, tametſi inſtans periculum intelligebat, diſſimulat tamen, ac ſpem vultu ſimulans, nullumq; timorem præ ſe ferens, cum magno tubarū, muſicorumque inſtrumentorū, & bellicarū machinarū ſtrepitu, ſub meridiē caſtramouet, ac primo noctis conticinio ad Burgetū conſidet, poſtridie vero duodecim millibus paſſuum confectis altera metatur caſtra ad locum, quem incolæ Riſonam appellant. Vbi ab exploratoribus factus eſt certior ab eo loco duobus tantū millibus paſſuū Regē cum Do. Paliza diſtare, eſſeq; illis in animo a tertia noctis vigilia copias mouere, atq; montiū portas occupare, qua patet deſcenſus ad agrum Pompelonēſem. At uero Albanus intelligens

periculum inſtans,eoq́ꝫ ſe neceſſitatis deueniſſe, vt alieno tempore, atq́ꝫ ex inferiori loco, eſſet illi cum hoſte maioribus copijs aucto decernendum, cum præſertim Delphinum a tergo inſtaturum putaret, a ſecunda noctis vigilia magno cum ſilentio caſtra mouet.

Et ne abeuntes hoſtis perſentiſceret,recta via prætorias per montium diuerticula, per que anfractus,condenſaque ſyluarum copias ducit, donec ſuperatis Pyrenæi iugis in loca plana deſcenderunt. Fonſeca interim factus certior earum rerum, quæ in vtriſque caſtris gerebantur, ſimulat ſe per noctem velle eruptionem,atq́ꝫ Ioannis Regis caſtra de improuiſo inuadere. Hortatur ſecreto fortiſſimum quenq́ꝫ, vt ſe ad tam præclarum facinus paret, ſic tamen,vt ſimulatio ad hoſtes per exploratores perueniat, qui rem quaſi veram Regi nunciant. At ille ſuperuentus hoſtium nocturnos reformidans, vigiles, circitores, excubitoreſq́ꝫ maiori cū diligētia diſponit, atq́ꝫ in ſtatione omnes manere iubet, exiſtimabat nanq́ꝫ vrbanas, atq́ꝫ caſtrenſes hoſtium copias ex compoſito caſtra ſua inuaſuras, atq́ꝫ ita deluſus de intercludēdis hoſtibus, portiſq́ꝫ occupandis oblitus eſt, tandem ſenſit dolos, cum intellexit Albanum Ducem, copiaſq́ꝫ Hiſpanorum reduces ſe in vrbem recepiſſe. Sub idem tempus Hiſpaniarum moderator, Regij miniſterij præfectum, quem poſtea Marchionem Comarienſem creauit, cum cohortibus mittit, qui ſtellatis arcis obſidionem premeret, atq́ꝫ diu, noctuq́ꝫ oppugnaret, quoad in deditionem veniret. Intelligebat nanq́ꝫ magnum in eo belli momentum verſari, ſi antea quam Ioannes poſſet obſidionem ſoluere, in poteſtatem Hiſpanorum arx veniſſet. At præfectus rem non ſomniculoſe gerens, tormentis, machinis, crebriſq́ꝫ armatorum oppugnationibus, eo anguſtiarū arcis præſidem deduxit, vt coactus ſit paciſci niſi intra paucos dies a Rege ſuo obſidione liberaretur, ſe arcem cum ſuis omnibus munimētis traditurum, ex pacto igitur arx tradita magnam noſtris ſpem, maiorem Hoſtibus deſperationē attulit.

EIVSDEM AVTORIS DE BELLO NAVARIENSI LIBER POSTERIOR.

Quod Rex Ioannes ſpe ſua fraudatus, maiorescopias contrahit.

Caput. I.

IOANNES Rex cum videret omnes ſuos cogitatus, multo aliter ceſſiſſe, quam putarat, non tam fortunā ſuam, quam negligentiam propriam incuſans, miſſis a Delphino duobus alteris Germanorum millibus, ad vrbis ſe oppugnationem parat, copiaſq́ꝫ ſuas vrbi primum oſtentans, vt ciuibus animum adderet res nouas moliendi, non longe ab vrbe caſtra diſponit, interq́ꝫ metandum noſtri voluerant caſtra turbare, pugnaq́ꝫ tumultuaria quid hoſtes auderēt experiri, niſi dux tuendis potius mœnibus,quā extra muros pugnādi,tēpus illud eſſe admonuiſſet, partitur itaq́ꝫ milites per ſtationes, certiſq́ꝫ in locis pręſidia diſponit, quibus fortiſſimū quēq́ꝫ ex proceribus præficit.

Lumina per compita, domorumque omnes feneſtras accendi iubet. Ex factione Agramontanorum, quos putabat ſuſpectos, vrbe pellit, vtque hoſtium fidem exploraret, ſub mediū noctis ſilentiū, ſubornat tumultus ſimulati cōſcios, qui ad arma vocent, qui hoſtes iam murorū culmina prenſare dicāt, atq́ꝫ tota caſtra in vrbis oppugnationem ruere,iubet itaq́ꝫ ſigna moueri, tubas,& cornua bellicū canere. Accurrit quiſq́ꝫ ad ſtationem ſibi deſtinatā, ibi oppidani,quem animū apud res Hiſpanas haberent,facile oſtende-

runt, fideiq; ſuæ argumentum ingens dederunt, quod armati Hiſpaniam identidem inclamitantes, quid ſibi faciendum eſſet a Duce flagitabant, nec ab armorum concuſſione ceſſatum eſt, quoad tumultus ſimulatio eſt detecta. Poſtero die Ioannes Rex è caſtris copiarum partem educit, ex vrbe præterea ſtrenuiſſimus quiſq; eruptionem facit, ex quo non potuit effici quin animoſi iuuenes, cum paris animi iuuenibus congrederentur. Ibi Salmatór quidam ex noſtris, Gallum equitem cataphractum, qui alijs duobus altero equite, & altero pedite comitatus ſeſe in armis oſtēdebat, ſolus inuadit, haſtaq; in ſiniſtrum humerum impacta, illum æquo deturbat. Ibi Pinnaloſa ex cohorte prætoria eques nobiliſſimus, vnum ex equitibus Epyrotarum aggreſſus, cum ſe ille ad alios gentis ſuæ decem recepiſſet, illo omiſſo alium ex eodem numero, qui procerior videbatur, haſta medium transfixit, cumq; inſtarent cæteri vt pudorem ſuum, & commilitonis cædem vlciſcerentur; noſter ex illorum medio elapſus paulatim ſe ad ſuos incolumem recepit. Die inſequenti Ioannes iterum cohortes per vrbis ſuburbana explicat, ſpectans an per ſeditionem factionis ſuæ ciues aliquid noui molirentur, neq; enim adduci poterat, vt exiſtimaret ciues ſuos in tam præſenti auxilio quieturos. Erat inter amicos regios ex Vaſconibus vir nobilis, idemq; auratus eques, qui genere, diuitijs, animiq;, ac corporis robore præſtantior alijs videbatur, ſed vt in eiuſmodi fortuna plærunque contingit, ſuperbus, arrogans, iracundus, atque animi præceps facilius cedit, Barronem Alimacū cognomine appellabant. Cūq; Regis præſentia ſuos in pugnā accenderet, noſtriq; impetum multitudinis non ſuſtinentes ſub vrbis mœnia, vallum, munitioneſq; ſe reciperent, puduit Vaſconem digna modo, atq; indigna locutum, non aliquid egregium de ſe præſtare. Iſq; alios, qui a tergo ſequerentur hortatus, equo calcaribus incitato, in medios hoſtes haud dubium periturus incurrit, Vbi a duobus peditibus excipitur, equoq; deturbatus facta deditione tētauit ſe tribus aureorum millibus redimere. At pedites vindictæ magis quam aureorum cupidi ſuperbum illum, atq; arrogantem, & adhuc plura miſerabiliter pollicentem trucidarunt. Sunt qui dicant Nauarienſis Comeſtabilis iuſſu propter antiquas cum illo ſimultates occiſum. Huius cæde alij deterriti paulatim pugna exceſſere, ſeq; iam non patriæ aſſertores, & vindices, ſed hoſtes profeſſi agros populantur, vicos diripiunt, omnia profana, ſacraq; miſcent.

De ſuburbani agri a Gallis facta vaſtatione, & de prima vrbis oppugnatione.

Caput. II.

ERANT in ſuburbano agro ſacratum virginum templa duo, alterum Encratis martyris, alterum diuæ Claræ nomini dedicatum. In hoc potiſſimum Barbarorum impetus apparuit. Alij namq; ſponſarum Chriſti ſtupro incūbunt, alij cellarū penetralia rimātur, alij ſtricto enſe necē edituis virginibus minātur, niſi auri, argentiq; defoſſa vaſa indicent, alij frangunt, diruunt, reſupinant quicquid illis fit obuium. Sed illud ſacrilegium non eſt ſilentio prætereundū, quod a trecentorum Germanorum præfecto commiſſum eſt. Neq; enim contentus ſanctuaria profanaſſe, adyti fores effringit, argentum ſacratiſſimi corporis Chriſti conditorium rapit, atq; irreuerenter hoſtiam illam viuam, Deoq; placentem in medio altari ſiſtit. Cumq; ab æditua templi increparetur, quod tam inhoneſte corpus domini, Deiq; noſtri attrectaret, hic, inquit, non Germanorum, ſed Hiſpanorū Deus eſt. Sed piaculi huius vindictam iuſtum Dei

iudicium in aliud tempus diſtulit, illud tamen non diſſimulauit, quod ab altero Germano commiſſum eſt, qui cum ſacrarij alterius fores effregiſſet, hoſtiamq; quaſi profanum cibum deuoraſſet, conditorium ipſum auro, argentoq; ad fabre cælatū, in priuatos vſus cōuertiſſet, non multo poſt diſtento paulatim ventre medius crepuit, cōmunicata ſcilicet cum illo proditoris Iudæ pœna, quandoquidē in mundi Saluatorem par fuit vtriuſque ſacrilegium. Sed quid in hominibus obſcuris, & ſine nomine immoramur? audi facinus indignū clariſſimi viri, qui erat filius Nothus domini Labritenſis, idemq; Ioannis Regis frater. Is quaſi rem diuinam auditurus venit in templum, peractoq; ſacrificio accedit ad ſacerdotem, ſacerdotalibuſq; veſtibus illum ſpoliat, vaſa ſacra, quibus ſanguis, corpuſq; dominicum miniſtratur, diripit, profanatq;. Meminerat, opinor, verbi domini, quod in Exodo pręceperat: Non apparebis, inquit, in cōſpectu meo vacuus.

At hic qui ad rē ſacrā inanis venerat, dū vacua pudet redire manu, vaſa ſacra, veſteſq; ſacerdotales, quaſi ſpolia ex hoſtibus refert. Hæc omnia in conſpectu, atq; ante oculos ipſius Regis fiebant, qui tamen, ſiue volens, ſiue inuitus diſſimulabat. Cumq; videret tempus tantum direptionibus dari, tentauit iterū vrbem oppugnare, atque iterum experiri ciuium ſuorum fidem, expectans an in tali tempore aliquid pro ſe auderent.

At illi ſiue præſidij metu, quod ſuis capitibus imminebat, ſiue quod fortunam victoris ſecuti iam non diſſimulāter, ſed ex animo a Gallis ad Hiſpanos deſciuerant, a fide his data non diſceſſere. Repulſus igitur inde, non ſine magna ſuorum ſtrage nō ad priora caſtra, ſed ad alia, quæ longius ab vrbe aderant, ſe recepit. Vbi per aliquot dies immoratus fortunam ſuam lamentabatur, videbat namque milites tum auxiliares, tum etiam ſuos, non tam vrbis capiendæ, quam prædæ cupidos diem ex die protrahere, magis tamen angebat rei pecuniariæ, atq; proinde commeatus difficultas, ſed imprimis quod hyems impendebat, in qua ſi ſemel exercitus diſſolueretur, non facile poſtea cogeretur.

Statuit itaq; ſemel de ſumma regni decernere, vrbemq; totis Gallorum, Germanorumq; viribus oppugnare. Quam ob cauſam alteras a Delphino copias, machinaſq; oppugnatorias implorat, ipſe interim ſcalas, ligneas turres, pluteos, arietes, teſtudines, vineaſq; parat, totuſq; in futuræ oppugnationis imagine verſatur. At Do. Paliza, qui conſtantiam Hiſpanorum optime nouerat, quippe qui ex Neapolitano bello bis erat expertus Hiſpanorum robur, animiq; vigorem, ſuadet Regi, ne adoriatur negocium, quod efficere non poſſit, etiam ſi omnis Gallorum ſudor in eo vno opere diffundatur, quod ſi aliter ille eſſet animatus, ſe tamen habiturum eſſe rationem militum, qui ſuæ curæ demandati eſſent, neq; permiſſurum, etiam ſi cupiant, vires ſuas in caſſum effundere.

His ducum altercationibus vltro citroq; agitatis, conuenit inter eos, vt Rex cum ditionis ſuæ militibus, hoc eſt, Benearnenſibus, Labritenſibus, Phoxenſibus, Traſpyrenæiſq; Vaſconibus primas partes occupet, ſe autem cum Gallis, Germaniſq; ſubſidio futurum, ſiue obſeſſis animus ſuperſit facta eruptione in hoſtes ingruere, ſiue, quod erat credibile, Hiſpanus moderator ſuppetias obſidione laborantibus ſuis mitteret.

De apparatu partis vtriuſq; ad diei inſequentis oppugnationem, propugnationemq;.

Caput. III.

FAMES interea non minus obſeſſores, quàm obſeſſos vrgebat, atq; vtroſq; præcipitabat negocium omne incompendium mittere, obſeſſos, vt ſe ex obſidionis expedirēt anguſtia, obſeſſores, vt capta vrbe ſpolijs onuſti ſe in patriam, aut in hiberna reciperent. Rex itaq; alteris Germanorum copijs a Delphino auctus, atq; tormentis, machiniſque munitus vrbis oppugnationem parat, totuſq; in hanc vnam cogitationem fertur, non tam, vt recuperata ciuitate potiretur, quam, vt animus ex ciuium ſuorum ſanguine ſaciaretur. Agricolas, paſtoreſq; & omnem ruſticam iuuentutem in ciuium perniciem natura propenſam conuocat, illiſque vrbis direptionem proponit.

Quod oppidani formidātes ducem obteſtabantur, ne exponeret illos irato Regi trucidandos, ne ve vxores, liberoſq; rapi, bonaq; diſtrahi ſineret. Quare illius genibꝰ obuoluti ſupplicabant Hiſpanum Regem faceret certiorem, quo in ſtatu res Pompelonenſium eſſet, mitteretque quam primum ſuppetias, quæ ſufficerent hoſtem ex Hiſpaniarum finibus propulſare; hoc ad illius fidem pertinere, quando ſemel ſe in illius poteſtatē, patrociniumq; dedidere. Ad hoc Albanus, ego, inquit, o amici ſi fidem veſtram exploratam haberem, ſupereſt mihi animus præſentibus copijs vrbem hāc, vtcunq; munitam, non ſolum defendere, ſed etiam in medio campo cum hoſtibus ſignis collatis decernere. Nunc vero ſatis habeo propugnare, quod illi totis viribus oppugnare contendunt.

Sed vos interim bono animo eſte, quieſcite, atq; defenſores veſtros pro vobis, mœnibuſq; veſtris decertantes ſpectate. Hoc ducis ſermone ciues confirmati, nihilominus tamen ad Hiſpanum Regem literas dāt, hoſtium vires, & quid ab eis timeant, exponunt, vt fortunarum ſuarum miſereatur orant, obſecrantq;. Igitur Hiſpanus ne rem fortunæ beneficio relinquat, exercitum ex Cantabris, Bardulis, Aſturibus, lociſq; finitimis cogit, alios qui longius aberāt euocari iubet, aut vt in armorum procinctu ſint, hortatur.

Præſentibus copijs Tricienſium ducem præficit, atq; ſuperueniētibꝰ, vt ſe illi agglomerent ad certum diem, locumq;, imperat. Ducem, vt quam primum laborantibus opē ferat, hortatur. Qui, quā celerrime poteſt, ad Reginæ pontem, quē locū miniſterij regij præfectus præſidio tenebat, recta proficiſcitur. Dumq; auxiliares copias expectat, nuncios Albano duci mittit, qui dicant ſe miſſum a Rege cum exercitu, laturum ſuppetias illi pro vtriuſque arbitrio, proinde faceret ſe certiorem de belli gerendi ratione, modo, loco, & tempore. Ad hæc Albanus reſcribit, vt coacto exercitu in eodem loco reſideret, ſe illi ſignificaturum tempus, quando illius ſubſidio foret opus. Eſſe vero e rep. Hiſpana expectare, quid interea hoſtes molirentur, neq; enim dubitabat prope diem oppugnaturos vrbem, ſed nihil inde periculi impendere, ea ſibi erat fiducia ex militum ſuorum alacritate, cumq; iam oppugnationis dies conſtituta inſtaret, comperit ex tranſfugis, & exploratoribus, qua ex parte hoſtes vrbem inuaſuri eſſent. Ea erat ſtatio Antonio Fonſecæ, quæſtori maximo decreta, propterea quod murus e vetuſtate putris, atq; proinde ruinoſus erat, neq; in tam præcipiti neceſſitate à quouis alio facile muniri poſſet, cum propter nimias illius opes, amicos, & clientes, tum etiam propter ſingularem quandam viri ſolertiam ex rebus bellicis comparatam, in quibus iam inde ab ineunte adoleſcentia non ſolum interfuit, verum etiam præfuit, quam ſæpiſſime. Is itaq; partem muri, quę ab æde diui Iacobi protenditur ad portam, qua itur ad diui Franciſci templum aggere, foſſa, valloq; muniri iubet; atq; paris longitudinis, latitudiniſq; decem pedum alterum murum opere tumultuario intra mœnia ducit, quem ex terra pauita trabibuſque contexta beronibuſque harena oppletis, & culcitris præmunit. Hunc immitatus Petrus

Lupides Patellanus in ſtatione ſua munitionem alteram erigit inter flumen, vrbiſq; muros, complexus molem, quæ faceret vrbis propugnacula firmiora. Alŋ præterea partem muri ſibi deſignatam fulciunt, erigunt, inſtaurãt, propugnaculiſq; prætexunt. Igitur Rex coacto exercitu, infeſtiſq; ſignis ad vrbem recta proficiſcitur, & quam proxime poteſt caſtra metari iubet. Poſtero deinde die, qui fuit feſtus diuæ Chatarinæ nomine relatus in faſtos, cum prima luce machinæ ſulphurariæ, non contra quæſtoris maximi ſtationem, vt putabatur, ſed e regione ad murũ, qui Oſormini comitis filio Garſiæ Manrico fuerat demandatus, viſæ ſunt. Neq; toto eo die ceſſatum eſt a torquendis ſaxeis orbibus, quoad bona muri pars cum ſuis munitionibus ſolo ęquaretur. Sed pro muro putri, beronibuſq; caducis, firmiſſima armatorum acies ſucceſſit. Nam cum commendatarius maximus pro muris ſe hoſtibus oſtendiſſet, puduit aulicos iuuenes non protegere virum, qui maiori negocio reſeruandus erat. Sed illos ſuperueniens dux, e loco tam periculoſo iuſſit ſecedere, atq; hoſtem potius inter muri ruinas expectare monuit, quã ſe tormentorũ ictibus imprudẽter obiectare. Sed nox ſuperueniẽs certamẽ in aliud tẽpus diſtulit, requieſq; data eſt, non tã ſomno, q̃ reficiẽdis muris, munitionibuſq; reponendis.

De ſecunda oppugnatione vrbis a Gallis facta, & e diuerſo de Hiſpanorum propugnatione.

Caput. IIII.

DIE inſequenti omne tẽpus in quatiendis mœnibus contritũ eſt non tanto impetu quãto ſuperiori. Nox deinde, quæ præceſſit oppugnationis diem, barbaro more, tota conuiuŋs, compotationibuſq;, ludis, iociſq; et iubilis, cantilenis, & clamoribus acta eſt, certatim omnes ad Regis prætoria concurrunt, & viciſſim Do. Paliza tabernacula frequentat. Alŋ primos ſibi ſcalarum aſcenſus depoſcunt, alŋ ſe ſigna poſituros inter murorum ruinas pollicentur, alŋ ex Hiſpanorum manibus arma detracturos, alŋ deniq; niſi confecto negocio in caſtra non relaturos pedem. At Rex e diuerſo, ŋs, qui primum ſigna in vrbem retuliſſent, millenos aureos ſpondet, qui primi, qui ſecundi, qui deinceps manibus ruinarum ſumma prenſaſſent gradatim præmia proponit. Do. Paliza barbam permulcens manu at ego, inquit, prædico vobis o milites, neminem veſtrum ad nos rediturum ſi promiſſa tentatis efficere. Cum primum illuxit, præconis voce omnes ad arma citãtur, ſeq;, vt oppugnationi parent, æ dicto mouentur. Quæ vox cum primum in vrbe audita eſt, omnis ætas, omnis ſexus ad pomeria, munitioneſq; concurrunt. Neq; enim armati ſolum ſtationes ſibi decretas, & deſignata ſubſidia occupant, ſed & ſenes emeriti, ac pueri imbelles contos, & ſudes conuehũt, atq; pro viribus ſuis quiſq; ſaxa, trabeſq; comportant. Mulierculæ ollas, ahenaq; caldaria, feruenti oleo, reſina, pice, ac ex lixiuio cinere plena parant, quæ propugnaturi in muros ſubeuntium capita fundant. At qui dux Albanus murum, qui partim dirutus, partim conquaſſatus erat, ne qua pars ductoris pręſentia, teſtimonioq; orbaretur, tripartito diuidit, vnam Antonio Fonſecæ quæſtori maximo, alteram Ferdinando a Vega diui Iacobi commendatorio maximo commendat, tertiam ipſe ſibi retinuit. Cumq; ſtrenuiſſimus quiſq; primas inſtantis periculi partes ſibi depoſceret, ne præſcriptus ordo turbaretur, iubet ſuum quemq; locum, ſibi iam inde a principio conſignatum tenere, deinde tria diſponit ſubſidia, quæ viciſſim laborantibus a prima fronte ſuccedant. Præ-

toriam vero cohortem in medio collocat, quæ in vtranque partem proſpiciat, a fronteſi quo in loco eſſet opus ſubſidio, & oppidani aliquid a tergo molirentur. Quibus rebus ita ordinatis dũ hoſtis incurſum oẽs expectãt, vt forti, magnoq́ꝫ, & præſenti animo eſſent, hortatur. Alijs Hiſpanorum victorias de Gallis habitas narrat, quas nuper in Italia, quas annis ſuperioribus in Bardulorum finibus ad Fontem Rabidum, & ad Salſulas in Gallia Narbonẽſi obtinuerãt. Repetebat alijs Alphõſo Rege cognomine Caſto, Carolũ magnum cũ ſuis duodecim Paribus in eo ipſo loco fuſos, fugatos, profligatoſq́ꝫ.

Admonebat præterea, ne terrerent eos Germanorum vaſta corporis moles, vultusq́ꝫ truculenti, meminiſſentq́ꝫ potius, quod hiſtorici de illis produnt, haberet cognationem quandam, & ſimilitudinem cum ſuis niuibus, quæ frigore rigentes calore reſoluuntur, & quemadmodum primi eorum impetus maiores eſſent, quam virorum, ita & ſequentes, poſteaquam caluerint, eſſe minores, quam fœminarum. Dum hæc intra muros gerun tur. Ioannes Rex copias ſuas explicat, atq́ꝫ ex amicis familiaribuſq́ꝫ, & palatinis purpuratis trecentum deligit, quibus ex Gallorum primoribus in Regis gratiam compluꝛes annumerat. Hi ſequebantur purpureum ſignum quibuſdam aureis baltheis varie gatũ. Hos obſeruabant ex Tranſpyreneis, Vaſconibuſq́ꝫ ſagittatores, ſtlopetarijq́ꝫ, & velites ad octo peditum millia, poſt quos Germanorum ſex millia procedebant. Extremas exercitus partes cum tribus cataphractorum millibus Do. Paliza tuebatur, nequid a tergo auxilia noſtra molirentur, oppugnaturumq́ꝫ ordinem interturbarent.

Ad vtrunq́ꝫ armatorũ latus, Benearnenſium, Labritenſium, Phoxenſiumq́ꝫ, & gregariorum hominum multitudo erat, quæ ſcalas, arietes, teſtudines, aliaque opugnatoria inſtrumenta comportabat. Cumq́ꝫ bona diei pars iam eſſet peracta, armatiq́ꝫ omnes in procinctu eſſent, machinarij ſimul tormenta in partem muri librant, quæ in hoc fuerat reſeruata, vt cum ictibus concuſſa rueret, nudata vrbe hoſtes irrumperent. Ea cum ingenti fragore ſubito cecidiſſet, trecentum illi, qui ſe Regis obſequio deuouerãt, anteſignanum ſuum ſecuti foſſam euadunt, munitioneſque ſubeunt, & ruinarum faſtigia manu prenſant, pila, haſtaſq́ꝫ ferro acuto præfixas, contos, bipenneſque ſecures in hoſtium ora prætendunt. Hos Germanorum quoque altera cohors ſequitur, non tam propoſiti a Rege præmij ſpe ducta, quam gloria inferendi ſigna ſua in vrbem. At contra Hiſpani arma armis, ſigna ſignis obuia cõferunt, ferri aciem acie retundunt, manus manibus, brachia brachijs, pectora pectoribus impellũt. Nec vllum interea ceſſat telorum genus, non ſcorpionum ſagittæ, non fuſtibulorum, fundarumq́ꝫ lapides, non ſtlopetarum glandes plumbeæ, non machinarum ſaxei orbes contorti. Erat ſtans in præcipiti turris propugnaculum, quod tormentorum ictibus concuſſum repente corruit. Huius fragmenta multos ex noſtris obruunt, ſed Cõmendatariũ maximum imprimis, Villalbanumq́ꝫ Chiliarcum, quorũ inſignis opera huius diei fuit.

Similis ruina oppreſſit Petrum Manrricum, cui ſemianimi expugna ſubtracto Ioannes Ramiras Ciſtercienſis ordinis a Calatraua eques religioſus ſucceſſit. Neque quæſtoris maximi ſudor latere potuit, qui nunc militis, nunc ductoris, nunc hortatoris officio functus, ſuam atq́ꝫ aliorum ſtationes luſtrans, voce, manu, & autoritate multa ſimul faciebat, frequentius tamen requirens partem muri ſibi creditam, in qua ingens erat feneſtra, quæ vrbis penetralia hoſtibus denudabat. Eam igitur, quia faciliores aditus oſtendere videbaẽ, ſummis viribus oppugnant, ſed non minoribus a noſtris propugnatur. Cumq́ꝫ neutri alteris cedere ſtatuiſſent, edebatur interim magna vtrinq́ꝫ cædes.

Neque iam noſtri pro mœnibus, atq́ꝫ ſuperiori ex loco rem gerebant, ſed intercepto

muro quaſi in medio poſuit Deus omnia campo daturus tandem victoriam cauſæ meliori. Tum Galli cernentes ſe nihil proficere,atq; plura vulnera accipere, quam inferre,paulatim pugna excedunt,atq; in tabernacula pedem referunt humeris portantes duodeuiginti inſignium virorum cadauera relictis in media foſſa duobus ſignis ,quique illa obſtinate pertinaciterq; tuebantur numero prope centum immortui herentes,atque illa complexi. Interea Rex accitis notarijs dictabat epiſtolas,quas ad Reginam , ad finitimos principes,ad amicos tabellarijs daret , quibus faceret illos certiores rerum omnium, quæ ad Pompelonem gerebantur, neq; reſtabat quicquam apponendum , niſi qua die, quotaq; hora fuiſſet vrbs capta. Sed cum vidiſſet omnes negocio infecto ſe in caſtra recipere,alios feſſos di loricatis armis, alios vulneratos, alios timore,aut morte futura pallidos, audiſſetque ſua cauſa tot amicos,familiareſque cæſos,flens,heiulanſque, pectuſque plangens agnoſco,inquit,fortunam meam,eoque miſeriarum me adductum,vt nulla poſſit me fortuna facere foelicem.

De Germanorum pollicitatione Regi facta, & de duobus Germanis,qui minabundi ad Ducem venere.

Caput. V.

REGEM ſic aflictum , affectumq; Germanorum primores conueniunt,bono animo eſſe,deq; ſuo regno bene ſperare iubent, pollicentur, ſe die poſtero negocium ſuſcepturos , effecturoſq; quod aliorum ignauia non eſſet factum, ac tradituros ſe per manus vrbem cum ſuis ciuibus,vt ſe de illorum ſanguine ad ſatietatē vſq; vlciſceretur. His pollicitationibus recreatus,refectuſq; Rex illis gratias agit. Illorum fidei, fortitudiniq; ſe atq; fortunas ſuas commendat. Re omni perdita, & complorata , quicquid acquiſierit in illorum poteſtate futurum pollicetur. Igitur Albanus, cum cerneret hoſtes intermiſſa pugna ſecedere, quaſi victor, vtq; ſuos animaret, alieniſq; terrorem incuteret,iubet tympana cum cimbalis tintinnabuliſq; pulſari.tubas,cornuaq;, ingenſq; claſſicum edere,& quaſi victos, ac fugientes clamoribus proſequi. Sed autequam in prætorium ſe ille reciperet, murorum interrupta,minaſq; inuiſit,ac refici,inſtaurariq; iubet, foſſas,& pomeria eruderari. Mœnia quoq; eo diligentius adſeruari,quo propius hoſtes eſſent, atq; male geſtæ rei pudore magis irati. Vulneratos deinde conſolatur, fortes laudat,atq; omnes comiter, benigneq; affatur. Die inſequenti, qui fuit Chriſto a mortuis reſurgenti dicatus,Hiſpani pro mœnibus in procinctu armati ſtetere,expectantes Germanos acrius quam in heſterna oppugnatione inceſſuros. Sed cum ad multam diem omnia in caſtris quieta vidiſſent in alias curas animum conuertere. Alij munitiones reficere,alij arma infibulare, præpilare haſtas, ſpicula producere. Pars iuuenum,quæ pugnandi erat auidior,portis erumpit, pugnaſque tumultuarias conſerit.

Erant inter eos ex Hiſpani Regis amicis,& familiaribus, Ioannes Albion ex Tarraconenſi prouincia eques auratus, qui ſtlopetariæ glandis ictu perfoſſus ſubito corruit, magnumq; moriens amicis,quos habebat quam plurimos, deſiderium ſui reliquit. Primis deinde tenebris ecce duo ex Germanorum primoribus tibicine militari præuio ad Nauarienſis comeſtabilis ſtationem recta tendunt, velle ſe cum duce commentari non nihil dicunt,quod in rem communem exercitus vtriuſq; foret. Albanus,quamquam ſtatuerat nullam condicionem audire, quæ ab hoſtibus offerretur, iubet tamen illos admitti,atq; dicendi quid ſibi velint facultatem dat. Tunc alter illorum , qui procacior

videbatur, huiuſmodi ſermonem habuit. Credo ego clariſſime Dux Germanorum mores, ex quorum numero nos ſumus, dignationi tuæ notos eſſe, qui tametſi non ſibi, ſed illis militent, a quibus ſint mercede conducti, non tamen fide minori, ac diligentia bella gerant, quam ſi aut de imperio, aut de ſuo capite res ageretur. Venimus huc ad octo armatorum millia virorum conducti a Rege Gallorum in auxilium Nauariæ Regis.

Qui maioribus Regis veſtri viribus regno pulſus, viribus quoqꝫ reſtitui vult Gallorum Rex, cuius cauſa regnum amiſerat. Quod vero ante hac multa ſunt facta, quæ Regis veſtri maieſtatem offendunt, id nobis diſplicet, ſed non aliter fieri potuit, quam factum eſt. Nunc vero cum res in eo ſit articulo, vt Hiſpanorum audacia cum ſuo duce pœnas ſuæ peruicaciæ mox ſit luitura, venimus rogatum, atqꝫ admonitum, ne velitis experiri extrema illa, quæ victi a victoribus armatis, iratiſque perpeti conſueuerunt.

Nam quid ſpei reliquum eſt Hiſpanis numero paucis, fame confectis, muro, foſſa, valloqꝫ nudatis, omniqꝫ auxilio deſtitutis? contra Germanorum tot phalāges armis inſtructas, corpore vegetas, atque in hoc deuotas, vt aut rem inchoatam efficiant, aut obſtinate mortem oppetant. Suſcepimus vero legationis hoc munus non cuiuſquam iuſſu, ſed ſpōte noſtra, vt animum noſtrum vobis declararemus, & quod nos in ſimili fortuna poſiti faceremus. Quid illud eſſet quiſpiam diceret. Nimirum cederemus tempori, atque victori herbam porrigentes veniam peteremus. Quo in ſtatu res veſtræ ſint, videtis, quę vos pericula maneāt, circunſpicitis. Vna ſalutis ſpes reliqua eſt vobis, ſi vos ſine vlla cōditione victoris arbitrio dedideritis. Mites, atqꝫ benigni ſunt Duces noſtri, ex fortuna ſua metientur veſtrā, omne ius belli vobis remittēt, atqꝫ incolumes abire ſinent, armis tantū aliisqꝫ ornamētis ſpoliatos, quæ vobis etiā, ea eſt illorū māſuetudo, forte cōdonaſſent, niſi in prędā, manubiaſqꝫ Germanorum iampridem fuiſſent ab ipſo Rege deſignata.

De ducis reſponſo Germanis dato, & de obſidione relinquēda Gallorum conſilium.

Caput. VI.

ATQVI Dux noſter, tametſi erat natura placidus, atqꝫ ineptiarum huiuſmodi contemptor, ac denſor potius, ſubiratus tamen his Germani verbis. Vana, inquit, ſpes vos o Germani tenet, qui ex animo veſtro putatis hiſpanos niſi cibo, potuqꝫ ad ſatietatem vſqꝫ refectos languidius arma tractare. Neſciebatis Hiſpanos in fame ſimiles eſſe lupis, quos improba vētris exegit cæcos rabies, per ignes, per tela, p hoſtes cibū, ſi deſit, quęrere? Quod ſi numero pauciores, fameqꝫ debilitatos, atqꝫ hoſtium cęde feſſos, interceptiſqꝫ muris nudatos, nos putabatis, cur ceſſaſtis hodie occaſionē arripere? ſociiſqꝫ veſtris cæſis, fuſis, fugatiſqꝫ opem ferre, atqꝫ in oppugnationē inchoatam ſuccedere? cum præſertim bona diei pars ſupereſſet, in qua poſſetis auaritiæ veſtrę cupiditatem explere.

Quod ſi feriata vobis hæc dies fuit craſtina experiri poteſtis, an Hiſpanos vires defecerint, idqꝫ vt faciatis rogo vos, ſitiſqꝫ primi, in quos quicquid virium nobis reſtat, effundamus. Hi nanqꝫ cōmilitones mei dedignantur iam ignauos hoſtes ſibi dari, neqꝫ pręberi materiam, vnde poſſint egregium aliquod facinus ędere. In hæc verba illos dimiſit interminatus ne poſt hac, aut illi, aut alius quiſquam huiuſmodi nugas ad ſe perferant, ſed aut veniant armati perfidiæ ſuæ pœnas luituri, aut victi ſupplicesque a victoribus veniam petentes. Nam quod egregius Poëta de populo Ro. ſcriptum reliquit, Hiſpani poſſunt ſibi iuſtius vſurpare. Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos. Hoc re-

ſponſo ducis triſtes, ac demiſſo animo Germani in caſtra redeunt. Hiſpanorumque alacritatem, vigoremque animi socijs exponunt. Fames interea magna, magiſque indies extra intraque muros creſcere, vtroſque cogebat armis decertare, atque finem bello imponere, ſed Regem acrius vrgebat, quem non modo commeatus, & pecuniæ defficiebant, quod hyemis impotentia inſtabat, verum etiam quod ingentes copiæ ab Hiſpano Rege mittebantur, quæ ſuppetias Albano duci ferrent, quę ſi ſemel intra vrbem reciperentur, omnis ſpes ſua in ventos eſſet abitura. Supplex itaque Germanos rogat, vt ſtent promiſſis, fidem ſeruent, nihil ſpei ſibi iam eſſe relictum niſi in illorum fortitudine, hoſtium ſpolia, ciuiumque bona illorum tradit, proteſtatur nihil ſibi ex ea victoria niſi ſanguinem ciuium expetere. Penituit Germanos tam temere operam ſuam fuiſſe pollicitos, tamque arduum, ac difficile negocium ſuſcepiſſe, puduit tamen illos promiſſa non reddere. Reſpondent itaque perendinum in diem vrbem captam ſe per manus illi tradituros, aut omnes ad vnum in medio opere pulchram mortem obituros. Huius tam pernicioſæ pollicitationis Domi. Paliza factus certior, in tabernacula Germanorum tendit, illorumque præfectos, ac centuriones in vincula conijcit, atque inſuper ignominioſis verbis increpat, quod ſe inconſulto rem tam inconſideratam, improuiſamque attentarent, vnde non ſolum ipſi miſerabiliter, & digne perituri eſſent, ſed & ſuo duci imprudentiæ, atque rei male geſtæ notam inurerent. Quod ſi tale aliquid poſthac vnquam admiſerint, per Galli principis genium iurat, ſe in ipſos capitaliter animaduerſurum. Deinde in Regis prætorium tendit, quem cum ſe pugnę aptantem offendiſſet, acerbius, quam regia dignitas ſuſtineret, increpat illum, temeritatiſque illi crimen obijcit, quippequi tentet incaſſum vires effundere, atque florentiſſimas copias internectioni hoſtibus dedere. Quod ſi tam pręceps animi, & conſilij erat, vt ſuum tempus, fortunamque non agnoſceret, idque penitus volebat, vt rei perditæ ſe, ſuoſque omnes adderet, ſe tamen non paſſurum, vt exercitum ſibi a Rege commiſſum hoſtibus ſine cauſa trucidandum obijceret. Sed neque cenſebat diutius in obſidione permanendum, cum iam hyems impenderet, fameſque indies creſceret, nec eſſet vnde commeatus in caſtra ſatis commode comportari poſſet. Multi ſermones cum Rege, Regiſque familiaribus in hac diſputatione conſumpti ſunt. Sed Rex tandem inuitus ceſſit conſilio Do. Palizæ, placuitq; poſtridie obſidionē ſoluere, & ſub primā lucē vaſa conclamare, ſignaq; tollere.

Quod Galli ſoluta obſidione diſcedunt, quo die Dux Trienſis cum auxiliaribus copijs venit.

Caput. VII.

IGITVR nocte in ſequenti a quarta vigilia, dum tormenta, machinæq; carris aptantur, binæ acies factæ ex omni equitatu, peditatuque quaſi ad pugnam paratæ in procinctu ſteterunt. Principio noſtri putarunt Gallos ſe ad oppugnationem parare, quam erecto, & alacri animo expectabant, ſed cū illos vidiſſent in diuerſum paulatim ſecedere, omnes ſubito portis, ruiniſq; murorum erumpunt, hoſteſque inſequentes ad pugnam laceſſunt. At illi relicta machinarum parte, & quicquid exercitus inualidum, vulneribuſq;, aut morbo confectum erat, negligentes compoſitis ordinibus beneficio noctis ſe intuta receperunt, finemque inſequendi noſtri impoſuere, qui propterea quod pauciores erant, & perturbatis ordinibus, quātum quiſque poterat, hoſtes inſequebantur, ne quid detrimenti per noctis tenebras paterentur, in vrbē ſunt regreſſi, id quod

geſtum

geſtum pridie calendas Decēbris, qui eſt diuí Andreę nomine relatus in faſtos. Poſtridie vero huius diei prima luce Galli copias ſuas in ordinem redegerunt, ſteteruntꝙ in procinctu quaſi pugnaturi, ſiue vt ſuos aberrantes ex fuga reciperent: aut ſi noſtri perſequerētur, vt pugnarēt, ſi ex loci opportunitate facultas daretur, vel vt tutiores in fines ſuos abirent. Eodem die paulo ante ſolis occaſum Dux Tricienſis cum auxiliaribus copijs ad vrbem acceſſit, erant in comitatu illius regalis miniſterij Pręſes, quem diximus Reginæ pontem inſediſſe, Dux Secobrienſis Hiſpani Regis fratris patruelis, Dux a Villa formoſa, Dux Lunenſis, Marchio Aquilarius, Comes ab Aecuto monte, Comes a Ripa Gorza: & reliqua fere omnis regalis curiæ iuuentus. Quos ſequebātur equites mille quingenti, armis, auro, purpuraꝙ fulgentes. Peditum vero generis omnis armaturæ numerus fuit ſex millium, quos ductabant Gometius Buitronus, Martinuſque Auindanius, & Rengiphus. Creſcebat indies auxilium, quod ad Reginæ pontem cogebatur. Sed Dux veritus, ne noſtri fame, vulneribus, morbis, vigilijs, laboribuſꝙ confecti Gallorum vegetam atꝙ recentem mulutudinē ſuſtinere diutius non poſſent, cum præſentibus copijs, atꝙ quam maximo poteſt commeatu in auxilium properat. Cuius aduentus & ſi omnibus in commune fuit iucundus, ciuibus tamen longe magis, qui Regis irati ſęuitiam in ſe domoſꝙ ſuas pertimeſcebant. Albano tamen Duci non ſatis conſtabat fuerit ne gratus, an potius moleſtus. Dolebat namque ſolidam ſibi gloriam eripi, quā nemo cū altero quocunꝙ libenter patitur eſſe communē: quiꝙ animi magnitudine præcellunt, libentius ſe fortunę periculis exponunt, quam rei bene gerendæ alteri participent. Itaꝙ ſæpe Ducem Tricienſem per litteras & nuncios hortatus eſt, ne ferret ſuppetias, ni acceſitus ſibi: ſatis præſidij eſſe, non ſolum ad propulſandas ex vrbe hoſtiū oppugnationes, ſed etiam ad erumpendum, atꝙ medio campo collatis ſignis confligendum. Hos animos illi dabant Hiſpaniæ lumina, quæ in ſuo erant comitatu, & qui maioribus ſæpe rebus non ſolum interfuere, ſed etiam præfuerunt. Atꝙ in primis duo fulmina belli Antonius Fonſeca quæſtor maximus, & Caucenſium & Alaheiorum dominus Fernandus a Vega Commendatorius maximus a Caſtella, nam alter a Legione Germanica tantum huic negocio interfuit. Coronarij quoꝙ Centurionū præfecti Vilalbanus & Rengiphus, quorum opera compluribus alijs in rebus fuit inſignis, ſibi ipſis hoc tēpore non defuerunt, Sed neꝙ Petrus Lupides Patellanus cum gentili ſuo Ioanne Patellano. Ludouicus quoꝙ a Corduba Comarenſis Marchionis filius, atque alter Ludouicus a Cauta: Petrus & Ioannes ambo a Cunta cognominati. Iacobus Rogius, atque eodem cognomēto Rodericus Diaz, Petrus Manrricus, & Manrricus quoꝙ Garſias Comitis Oſſormini filius, Iacobus Merulus Ioannis filius animos atꝙ nomē cognomēꝙ aui referens. Ioannes, & Garſias vterque a Vuloa cognominati, Comeſtabilis Nauarienſis, Francus Bramontanus, Ioannes Carrenus, Alphonſus Carrillus, Petrus a Tapia, Ioannes a Caſtella, Aluarus a Luna, Iacobus a Vera, Sanctius a Leiua, Manuel Benauidius. Nam quid ego Petrum Marchionē a Villafranca magni Ducis filium inter cęteros memorem? qui per veſtigia patris idem hoc tempore ſilebitur, atꝙ alias meritis laudibus non fraudabitur. Quid alios complures eiuſdem ordinis viros? quos infinitum erat memorare, quorū fiducia, nihil erat, quod magnanimus Dux ſibi non polliceretur, victoriā ex hoſtibus maxime, quam præ manibus habebat. Vtcunꝙ tamen erat animatus agit hoſpitem lętum, Ducemꝙ aduētantem longe ab oppidi portis excipit, atꝙ data acceptaꝙ ſalute in templum miſericordię, quod erat extra muros, quam honorificētiſſime poteſt illum collocat. Copias vero auxiliares eadem caſtrametari iubet, qua paulo an-

te Germani inſederant. Hic dies, quo & Galli ſoluerunt obſidionem, & auxilium noſtris
ſuperuenit, fuit calendarum Decembris.

Quo pacto Galli in fugam conuerſi, iterum vrbem obſidio-
ne cingere ſimulant, deque nuncio per Feciales ab illis miſſo,
Ducumq; noſtrorum reſponſo. Caput. VIII.

POſtridie vero eiuſdem diei Galli, qui noſtris inſequentibus trans flumi
nis pontem ſe in loca tutiora receperant, prima luce in campo radicibus
montium adiacente cohortibus ordinatis apparuerunt. Cumq; iam ab
vrbe quattuor millibus paſſuum abeſſent, noſtriq; putarent, illos nihil
niſi de canendo receptui cogitare, de repente vrbem verſus redierunt, in-
certum qua ex cauſa. Sed quia trahas, clauſtraq;, & carros pręmiſerant,
non erat dubium, illos ſubſtitiſſe primum, ac deinde regreſſos, vt ſui exercitus reliquias
colligerent, atq; praecedentiũ impedimentorũ terga redderent tutiora. Interim Dux no-
ſter non ceſſat Bardulos, & Vaſcones, Cantabroſq; exhortari per nuncios, vt vias cor-
rumpant, atq; arborum ramis foſſiſq; & aggeribus faciant imperuias, atq; hoſtes fame,
ac frigore cõfectos ex ſuperiori loco inceſſerent. Sed Galli, cum intelligerent noſtros nõ
eſſe numero pares ad decertandũ Marte dubio, puderetq; illos huius belli principio ma-
gna pollicitos, nunc inglorios abiectoſq; diſcedere, decreuerunt ſubſiſtere. Atq; vt vela-
men aliquod pudori praetenderent, diſponunt acies, cohorteſq; in ordinẽ redigunt, mit-
tuntq; Feciales ad Duces noſtros, qui decernendi locum, tempuſq; indicant, quod ipſum
fuit argumento, illos non militũ numero, non animi robore, non vlla alia re, quã com-
meatus, victuſq; penuria ab vrbis obſidione deſtitiſſe. Ad hanc Fecialium conteſtationẽ
vterq; Dux alterũ rogat, vt reſpondeat, comiterq; in collegã partes ſuas reijcit. Sed vicit
tandem Albani Ducis vrbanitas. Erat autẽ Dux Tritienſis, cũ de rebus bellicis ageretur,
paulo liberior, ne dicam iactãtiorem, is cũ alias multa facete, & ex more ſuo ſolitus eſſet
arrogãter dicere, in expeditionis huius initio, duo potiſſimũ illius dicteria circũferuntur.
Nam cũ Gallorum Rex Hiſpanorũ paupertatem exprobrãs diceret: non amplius illos
in hoc bello duraturos, quam dum emendicatae ſtipes ſtipendio militum ſoluẽdo ſuffi-
cerent. Hoc male ſalſus Rex dicebat alludens ad pecunias, quas ex ſedis apoſtolicae indul-
gentijs ad belli Mauritani ſumptus exigebãtur. Quid, inquit, Tritienſis Dux noſtra re-
fert, armis an calathis hoſtium ora contundamus? Calathis nãq; ſolẽt mendici ſtipes fru
ſtaq; & quadras panis rogatas excipere. Cumq; illi rurſus Albani Ducis auxilio profi
ciſcenti Rex noſter multa benigne polliceretur, ſeq; ſummiſſurum non ſolum copias
cõmeatumq; rerum omniũ, quae ſunt ad bellum neceſſaria, ſed etiam pecunias ſtipendio
militibus perſoluendo neceſſarias, cepit ſubcinere carmen illud, quod eſt in ore omniũ.
Vamos nos dixo el mi Tio a Paris eſſa ciudad. Ac ſi diceret, niſi me copię militũ, cõmea
tus, ſtipendiaq; deficient, nulla per me mora erit, quin victor Pariſios vſq; perueniam.
Igitur nunc libertate vſus Fecialibus reſpõdet ſe, non ea cauſa veniſſe, neq; id ſibi a Prin
cipe, a quo mittebatur, mandatum, vt collatis ſignis decerneret, ſed ad hoc tantum, vt
obſeſſam vrbem firmiori pręſidio muniret. Neq; enim, inquit, de eo nunc certamen eſt,
vter exercitus medio in campo ſit armis ſuperior, ſed ex duobus Principibus vter Na-
uariae regno potiatur: in eoq; nunc victoriae momentum conſiſtere, vt ille victor ſit,
qui ſemel parta defenderit, poſſederitq;: ille victus, qui praetendit hoſtem poſſeſſionẽ
deturbare, nec tamen quod aggreditur efficit. Quo ſi Gallis, inquit, tantum animi ſu-

pereſt, vt velint nobiſcum armis experiri, expetent aliquos dies, dum Hiſpanorum copiæ, quæ me ſequuntur a tergo, in vnum locum conueniant. Tunc ſe cum collega ſuo non modo in agro Pampylonenſi, ſed in medijs campis pugnandi copiam daturos. Hoc per Feciales reſponſo accepto, Galli e veſtigio, vt erant in armorum procinctu iter arripiunt, rectaq; ſe in patriam atque ad ſuos recipiunt.

Quemadmodum Do. Paliza Ioannem Regem de regno recuperando diffidentem conſolatur, Ducumq; noſtrorum de perſequendis hoſtibus conſultatio.

CAPVT. IX.

REx interim Ioannes, qui vſq; in tempus illud ſpem metumq; interdubius, atq; animi pendens fuerat, nunc iam, cum videret ſuos, atq; illos maxime, quibus plurimum fidebat, & in quibus omnem dignitatis recuperandæ fiduciam collocauerat, non ſolum vrbis obſidionem deſerere, ſed etiam ſic abire, ac ſi eo nunquam eſſent redituri: non vt antea ſpem vultu ſimulans, premens altum corde dolorem, nón fortunam ſuam lamentis quæſtibuſq; incuſans, ſed præ nimio dolore omnem triſticiæ imaginem facie ac vultu præferebat, vrbemq; nunquam amplius videndam, dotaleſq; agros identidem reſpiciens attonito ſimilis hęrebat. Quem ſic affectum Gallorum Dux maximus Paliza multis exemplis ex hiſtoria, multiſq; rationibus ex communi vita depromptis conſolari nitebatur. Sed ille tanquam ęgrotus iam deploratus, ac de ſalute deſperans, nulla medicorum fomenta admittebat, neque ſe aliqua ratione curari patiebatur. Nam quid faceret dotali regno expoliatus, atq; re male geſta patrimonio orbatus? idq; non tam aduerſa fortuna, quam ſua culpa: quippe qui neſcierit inter duos Reges potentiſſimos ſe medium ſequeſtremq; præſtare, aut ſi non poſſet vtrumque, alterum ex illis ſaltem demereri. Atqui Duces noſtri cum viderent, hoſtes nihil iam niſi de reditu in patriã, domoſq; ſuos, atque diuerſoria nota cogitare, quid in tali tẽpore factu opus eſſet, inter ſe conſultant. Albanus pallantes, fuſos, & fame ac frigore confectos ad internectionem vſque perſequendos eſſe dicebat, neq; rei bene gerendę occaſionem tam certam, tam facilem, tam honorificam, glorioſamq; omittendam eſſe. Tritienſi vero diſſimulandam eſſe hoſtium fugam, neque illis inſtandum, ne ex deſperatione cogerentur pugnam redintegrare, vnde eſt notum illud carmen. Quondam etiam victis redit in pcordia virtus. Afferebatq; multorum exempla, qui neceſſitate compulſi ex victis euaſere victores. Referebat prætera Pyrrhi Epirotarũ Regis præceptum illud memorabile. Hoſtibus fugientibus non eſſe pertinaciter inſtandum, Petebat Albanus a Tritienſi ex exercitu, quẽ vegetum recentemq; ductabat, aliquot equitum turmas, peditumq; cohortes, quæ hoſtem abeuntem inſequerentur, nam ſuas cauſabatur partim vigilijs, partim morbis laboribuſq; confectas. At ille, cui non placebat conſilium illud de inſequendis hoſtibus, dicebat ſe non ea cauſa veniſſe, vt medio in campo confligeret ſed vt obſeſſis, atq; vltima neceſſitate & anguſtia poſitis opem ferret, idq; a Rege ſibi in primis fuiſſe mandatum, atq; hunc in modum alter ab altero digreſſi ſunt. Tricienſiſq; Lucronium cum ſuo exercitu ad Regem redit, Albanus vero in ciuitate iam quieta pacataq; permanſit, quoad illam ordinaret, atq; per manus traderet, cui Rex tradendã eſſe decreuiſſet. Sed ne hoſtis intrepidus ſecuruſq; ſic impune abiret, mittit litteras ad viros principes, qui erant finitimi his locis, per quos Galli Germaniq; iter faciebant, hortaturque illos, vt fugientibus negocium

faceſſant, necq̃ ſinant illos ſic quietos abire. Qui non ſegnius quam imperatum eſt iuſſa exſequūtur. Nam & Gongorę dñs trecentos ducens equites agmina ſequebatur, neque præ frigore ac fame conſequi ceſſat: nam prima luce adortus partim cæſis, partim captis cum ducentis equitibus ſpolijſq̃ militaribus per medias vrbis portas viaſq̃ publicas victor regreditur. Ex altera quoq̃ parte Lizari dñs cum tercentum peditibus expeditis extrema Gallorum agmina inſecutus inuadit Germanos, quos machinis aſſeruandis Galli præfecerant. At illi cum viderent Bardulorum omnes populos in vnū coijſſe, impetumq̃ illorum non poſſe ſuſtinere, glandiaria tormenta in eos dirigunt, igneq̃ iniecto inſtantes glandibus perturbāt, ipſiq̃ per fumū ſulphurariaſq̃ tenebras elapſi, per anfractus, ſyluarumque diuerticula fugiunt. Quos vbi Barduli aufugiſſe intellexerunt, nam in principio ſubeſſe inſidias aliquas ſuſpicabantur, machinas inuadunt, iumentiſque tenuiores reportādas imponunt, maiores vero plauſtris carriſq̃ trahēdas applicant. At non mediocri negotio in vrbem aduehunt, non ſine quadam triumphi ſpecie, nam & armatorum peditum ingens multitudo præcedebat, & non minor ſequebatur acclamantium vno ore: Io Triumphe. Quod geſtū eſt idibus Decembris, hoc eſt, poſtridie eius diei in quo Diuæ Luciæ feſtum celebratur. Anno a ſalute Chriſtiana Milleſimo quingenteſimo duodecimo.

Belli Nauarienſis finis.

Apud indytām Granatām. Anno ā virgineo partu milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quinto.

REVEREN-DISSIMI AC ILLV-ſtriſſimi Domini Domini Roderici Toletanæ Diœceſis Archiepiſcopi rerum in Hiſpania geſtarum Chronicon Libri nouem nuperrime excuſſi, & ab iniuria obliuionis vindicati. Adiecta inſuper Oſtrogothorum, Hugnorum, Vandalorum, cæterorumq; hiſtoria.

Necnon Genealogia Regum Hiſpanorum Reuerẽdi patris Domini Alphõſi de Carthagena Epiſcopi Burgenſis.

APVD INCLYTAM GRANATAM.
ANNO. M. D. XLV.
Menſe Octobri.
CVM IMPERIALI PRIVILEGIO.

Xanthus Nebriſſenſis candido Lectori. S.

CVM IN ANIMO SEMPER HABVErim Lector candide, patris mei ſcripta ac monimenta ingeniijq; ſui lucubrationes, quibus ille tempu. Hiſpanã ad bonarum literarũ ſtudia pro virili portione erigere conatus eſt, ab obliuionis tinearumq; iniuria vindicare: ſtatui illius vigilias, quibus ille vitam. i. lucem non dederat, publicare: quas vero ipſe, dũ vita rexerat artus, euulgarat, vt e noſtra typographica officina correctiores, limatioreſq; prodirent curaui. Idq; vt melius ac facilius fieret, prelum ipſum calcographum intra ędes noſtras priuatoſq; parietes admiſimus. Itaq; cum antea ctis diebus Aelij Antonij patris mei hiſtoriam rerum in Hiſpania ſimul & Nauaria a sereniſſimis indelebiliſq; memoriæ dignis Regibus Fernando & Eliſabe coniugibus geſtarum torculari ſubdere, ederéq;, ac celſitudini Philippi Hiſpaniarum Principis conſecrare in mentem veniſſet: Roderici Toletanę Diœceſis Archiepiſcopi nouem Chronicorũ libros, ac Oſtrogothorũ hiſtoriam ab eodem, vt conectura duco, autore conſcriptam, ſimul Alphonſi de Carthagena Epiſcopi Burgẽſis Hiſpanorũ Regum genealogiam, necnon cuiuſdam ignoti Hiſtorici de rebus in hiſpania geſtis ab alijs hiſtoriographis deſtitutis ſcribẽtis Chronicam, quæ oĩa cum blatis ac tineis rixabãtur, ſupradictæ hiſtorię paternę annectere viſum eſt. Qua autem de cauſa id fecerimus, paucis noſtram nunc accipe mentẽ, quia ea, quę ab Aelio Antonio patre noſtro de prædictis Regibus memoriæ prodita fuerant, non ita copioſa erant, vt iuſtum codicis volumen abſoluerent, veriuſque hiſtoriæ fragmentum, quam annales integri cenſenda forent. Cuius rei cauſa extitit, quod iam autori ipſi ſenio confecto multiſq; alijs laboribus implicito prouincia hæc demandata fuerat, eiuſque in hiſtoria deſcribenda conatus repentina morte interceptus eſt. Fuit & inſuper alia ratio, quoniam eiuſdem germanęq; materię, quæ ab illis, & quæ a patre exarata fuerãt, licet de diuerſis Regibus, omnibus tamen Hiſpanis, ac diuerſimodo ſtyli genere, videbantur. Nec vero mihi crimini vertendum erit, quod Archiepiſcopi Roderici hiſtoriam ſermone humili ſtyloq; rudi contextam prelo cõmittere typiſq; excudere auſus fuerim, cum ſermo ille incultus obtuſaq; ſtyli acies non illi merito iure imputari debeat, ſed potius infœlici illi ſæculo, in quo pene res literaria obdormiera, vixq; aliquis eloquẽs ſaltẽ diſertus repertus eſt. Sunt tamẽ alię in illo virtutes, ſi rẽ bene perpẽdere voluerimus, quibus Gothicum illũ dicendi characterẽ cõpenſabimus, puta hiſtorię veritas, qua nullã maiorem in hiſtorico virtutẽ eſſe reor, fides ac ipſius hiſtorici grauitas, quę rebus in hiſtoria enarratis plurimã autoritatẽ impartitur. Pręterea genus illud dicendi ſimplex ac minimè fucatũ, nulliſq; verborũ lenocinijs ornatũ, nullaq; ceruſſa aut purpuriſſa incruſtatũ magis lectorũ animos cõciliat, q̃uis ſint nonnulli, inter quos Salluſtius annumeratur, qui affirmẽt, fortiũ virorũ facta tãta eſſe, quãto verbis, qui ſcripſerũt, ea extollere potuerũt. Tũ etiã quod nullus alius hac noſtra tẽpeſtate extat, qui de eiſdẽ rebus aliquid poſterorũ notitię literis mãdauerit. Sed hac in re ſatis ſuperq; extra propoſitã metã euagati ſumus, iam dudũq; cõmota mihi mulio virga innuit, vt receptui canam. Sed illud vnũ, antéq; finem imponã, lectorẽ admonuero, nos de Roderici hiſtoria varia cõtuliſſe exẽplaria manu ſcripta (nã hactenus non fuerat typis excuſſa) quę tamen omnia cõculcata perperamq; ſcripta erant, multa correximus, nonnulla immutauimus, quædam lectorum iudicio emendanda reliquimus. Quod etiam in cæteris hiſtorijs effectum eſt. Hęc ſunt, quæ noſtra liceat te voce moneri. Vale. Anno a Chriſto nato milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quinto, quarto calendas Octobris.

¶ Index capitũ, q̃ in libris Chronicõ. D. Roderici eccſiæ Toletanę Antiſtitis cõtinẽtur. per. a. priorẽ folij faciẽ, per. b. poſteriorẽ deſignamus. & primo libri primi.

PRulugus in hiſtoriam.
De fundamento huius hiſtoriæ. caput. i. folio. i. a.
De Europa & generationibus Iaphet. caput. ij. fo. i. a.
De primis incolis, & primo nomine Hiſpaniæ. ca. iij. fo. i. b.
De aduentu Herculis in Hiſpaniam, & pugna illius cũ Gerione tricipite. caput. iiij. fo. ij. a.
De uictorijs Herculis, & ædificatione ciuitatum in Hiſpania. caput. v. fo. ij. b.
De morte Caci & vaſtatione Ilij, & morte Herculis. caput. vi. fo. iij. a.
De operibus Regis Hiſpanis. caput. vij. fo. iij. b.
De origine & primis actibus Gothorum. caput. viij. fo. iij. b.
De opinionibus originis gentis Gothorum, & commendatione eorum. caput. ix. fo. iiij. a.
De ſitu Scythiæ, & de Gothorum exercitus regimine. caput. x. fo. iiij. b.
De Tanai, & ortu Parthorum. caput. xi. fo. v. a.
De fœminis Gothorum, quæ poſtea dictæ ſunt Amazones. caput. xij. fo. v. a.
De actibus Gothorum, & de Telepho & Euripilu Gothorum Regibus. caput. xiij. fo. vi. a.
De uictorijs Gothorũ cõtra Perſas et Græcos. c. xiiij. fo. vi. a.
De ſapiẽtib⁹ Gothorũ, & conſiliarijs eorũdẽ. ca. xv. fo. vi. b.
Iterum de bellis Gothorum, & Gnina & Oſtrogotha Regibus eorum. caput. xvi. fo. vij. a.
De Gallo & Voluſiano & Claudio Imperatoribus, & pugnis eorum cum Gothis. caput. xvij. fo. vij. a.
De Conſtantino Imperatore, & Geberic, & Hermanarico Gothorum Regibus, & eorum bellis. caput. xviij. ubi in numero capitis eſt erratum, corrige vt hic eſt. fo. vij. b.
De Hunis, & morte Hermanarici. caput. xix. fo. viij. a.

CAPITA SECVNDI LIBRI.

De ſchiſmate in Athanaricum & Fridigernum, & hæreſi Arriana. caput. i. fo. viij. b.
De fame Gothorũ, & morte Valẽtis Impatoris. c. ij. fo. ix. a.
De quibuſdam vaſtationibus, & pace Romanorũ, & morte Athanarici & Fridigerni. caput. iij. fo. ix. a.
De ſtrage Radagaſi & Stiliconis, & uaſtatione Italiæ. Caput. iiij. fo. ix. b.
De deſtructione urbis, & morte Alarici. caput. v. fo. x. a.
De uictoriis Ataulphi, & morte eius. caput. vi. fo. x. b.
De Segerico et Valia et uictoriis i Hiſpania. ca. vij. fo. xi. a.
De Theudoredo & cæſu Hunorum. caput. viij. fo. xi. a.
De Theuderico & Regulis Sueuorum. caput. ix. fo. xij. b.
De Eurico Rege. caput. x. fo. xiij. a.
De Alarico & Giſaleico. caput. xi. fo. xiij. a.
De Theudio. caput. xij. fo. xiij. b.
De Agila Rege. caput. xiij. fo. xiiij. a.
De Athanagildo, et Luiba, & Leouigildo. c. xiiii. fo. xiiij. a.
De Recharedo Rege. caput. xv. fo. xiiij. b.
De Luiba, et Viterico, ac Gundemaro. caput. xvi. fo. xv. a.
De Siſebuto Rege. caput. xvij. fo. xv. b.
De Suintila, & Rechimiro filio eius. ca. xviij. fo. xv. b.
De Siſenando & Cintila, & concilijs eorum temporibus celebratis, & de Tulga. caput. xix. fo. xvi. a.
De Cindaſuindo, & inuentione Moralium per Talonem Epiſcopum. caput. xx. fo. xvi. b.
De morte Cindaſuindi, & Primatu eccleſiæ Toletanæ. Caput. xxi. fo. xvij. a.
De Receſuindo, & concilijs eius tempore celebratis, & de ſancto Ildefonſo. caput. xxij. fo. xvij. a.

CAPITA TERTII LIBRI.

¶ De regno Bambæ. caput. i. fo. xviij. a.
De rebellione Hilderici. caput ij. fo. xviij. b.
De proditione Pauli. caput. iij. fo. xviij. b.
De proceſſibus Regis contra Paulũ. caput. iiij. fo. xix. a.
De tranſitu Pyrenei. caput. v. fo. xix. b.
De aduẽtu exercitus ad Nemauſum. caput. vi. fo. xx. a.
De irruptiõe Nemauſi. et deſperatiõe Pauli. ca. vij. fo. xx. b.
De legatione Argebadi Epĩ ad Regem. caput. viij. fo. xxi. a.
De fuga Lupi Ducis, & metu Francorũ. ca. ix. fo. xxij. a.
De reformatione prouinciæ Narbonenſis, & reditu Regis in Hiſpaniam. caput. x. fo. xxij. a.
De reparatione vrbis Toletanæ. caput. xi. fo. xxij. b.
De regno Eruigij, & Iuliano Pomerio. caput. xij. fo. xxiij. a.
De regno Aegicæ. caput. xiij. fo. xxiij. b.
De morte Aegicæ, & regno Vitizæ. caput. xiiij. fo. xxiiij. a.
De facinoribus & fraudibus Vitizæ. caput. xv. fo. xxiiij. a.
De cauſis diſſenſionis, propter quas fuit deſtructio Hiſpaniæ ſubſecuta. caput. xvi. fo. xxiiij. b.
De regno Regis Roderici. caput. xvij. fo. xxv. a.
De violentia facta filiæ Comitis Iuliani, & de coniuratione cum Arabibus. caput. xviij. fo. xxv. a.
De ſecũdo introitu Arabũ in Hiſpaniã. ca. xix. fo. xxvi. a.
De deſtructione Gothorum, & commendatione Hiſpaniæ. caput. xx. fo. xxvi. b.
Deploratio Hiſpaniæ, & de cauſa excidij Gothorum. caput. xxi. fo. xxvij. a.
Qualit̃ Taric urbes et oppida occupauit. c. xxij. f. xxviij. a.
De captiõe Malacæ, Murtiæ et Granatæ. c. xxiij. f. xxviij. b.

LIBRI QVARTI CAPITA.

De Pelagij Regis initio. caput. i. fo. xxix. b.
De introitu Pelagij in cauam, & ſtrage Arabũ, & captione Oppæ. & c. caput. ij. fo. xxx. a.
De tranſlatione arcæ, & reliquiarum, & ſacrorum librorũ in Aſturias. caput. iii. fo. xxx. b.
De morte Munuzæ, & filiorum Vitizæ, & Comitis Iuliani, & Regis Pelagij. caput. iiij. fo. xxxi. a.
De regno Faſilæ, & Aldefonſi Catholici, & eorum morte. caput. v. fo. xxxi. a.
De Froila, et operibus eius, & morte. caput. vi. fo. xxxi. b.
De Aurelio, & Silone, & Mauregato, & Veremũdo Diacono. caput. vij. fo. xxxij. a.
De Aldephõſo Caſto. et pijs operibus eius. c. viij. fo. xxxij. a.
Et Angelicis Aurificibus, & Bernardo. ca. ix. fo. xxxij. b.
De legatione ad Carolum, & uictoria Regis Alphonſi. caput. x. fo. xxxij. b.
De ciuitatibus Hiſpaniæ, et a qbus acqſitæ. c. xi. fo. xxxiij. b.
De uictorijs Aldephonſi, & morte eius. ca. xij. fo. xxxiiij. a.
De ſtrage Normanorũ, et victorijs Ranimiri. c. xiij. f. xxxiiij. a.
De Rege Ordonio, et eius magnalibus. ca. xiiij. fo. xxxiiij. b.
De Aldephõſo Magno, et eius filijs glorioſis. c. xv. fo. xxxv. b.
Item de pijs operibus, et filijs Aldephõſi. ca. xvi. f. xxxvi. a.
Epiſtola Ioãnis Papæ ad Aldephonſum Regẽ. fo. xxxvi. b.
Alia epiſtola. fo. xxxvi. b.
De ſublimatiõe Ouetẽſis vrbis in Metropolim, et dedicatiõe eccleſiæ ſancti Iacobi, et cõcilio Ouetẽſi. c. xviij. f. xxxvij. a.
De incarceratione Garſiæ filij Regis, & morte Aldephõſi. caput. xix. fo. xxxvij. a.

De prælijs Garſiæ & morte eius caput.xx. fo.xxxvij.b.
De Rege Ordonio,& bellis eius,& de tranſlatione eccleſiæ Legionenſi.caput.xxi. fo.xxxvij b.
Item de prælijs Ordonij,& vxoribus eius,et captione magnatum,& morte Regis.caput.xxij. fo.xxxviij.a.

CAPITA LIBRI QVINTI.

¶ De Froila,& iudicibus caput.j. fo.xxxviij.b.
De Nunio Raſura et filijs eius.caput.ij. fo.xxxix.a.
De Comite Sancio & morte eius.caput.iij. fo.xxxix.b.
De Aldephonſo, & Ranimiro, & diſcordia fratrum. caput.iiij. fo.xxxix.b.
De regno Ranimiri, & rebellione monachi Aldephonſi. caput.v. fo.xl.a.
De victoria Ranimiri, et Comitis Fernandi Gundiſal. caput.vi. fo.xl.a.
De ꝓditiõe Abenaiæ,et uictoria Ranimiri.ca.vij. fo.xl.a.
Item de prælijs Ranimiri.caput.viij. fo.xl.b.
De Rege Ordonio,et diſſenſione cum Caſtellanis,et morte eius.caput.ix. fo.xlj.a.
De Rege Sancio,et Ordonio malo.caput.x. fo.xlj.a.
De Rege Ranimiro,et Strage Normanorũ.ca.xi. fo.xlj.b.
De uaſtatione Caſtellæ,et Zomoræ,et Gallecīæ, et morte Ranimiri.caput.xij. fo.xlij.a.
De Rege Veremundo,et miraculo Tauri.ca.xiij. fo.xlij.a.
De inſolentijs Veremundi,et vxoribus eius, et de victoria Almanzori.caput.xiiij. fo.xlij.b.
De irruptione Legionenſi,et Aſtoricenſi. fo.xliij.a.
De morte Almanzori.caput.xv. fo.xliij.b.
De fuga Abdelmelich, et morte Regis Veremundi. caput.xvi. fo.xliij.b.
De Aldephonſo,et miraculo ſororis ſuæ, et morte Comitis Garſiæ Fernandi.caput.xvij. fo.xliiij.a.
De Sãtio Comite,et pijs opib⁹ Aldephõſi.c.xviij.f.xliiij.b.
De Rege Veremundo,et filiabus Sancij Comitis Caſtellani. caput.xix. fo.xliiij.b.
De ortu & genealogia Regũ Nauarrẽſiũ.c.xx. fo xlv.a.
De Rege Garſia Enecbonis,& filio ei⁹ Sãtio.c.xxi.f.xlv.a.
De Rege Garſia,qui dictus eſt Tremuloſus.c.xxij.f.xlv.b.
De Rege Sancio, & generationibus Regum Nauarræ. caput.xxiij. fo.xlv.b.
De infante Garſia,q̃ fuit occiſus in Legiõe.c.xxiiij.f.xlvj.a.
De diuiſiõe regni,et infamatiõe Reginæ.ca.xxv.fo.xlvj.b.

CAPITA LIBRI SEXTI.

Caput primum. fo.xlvij.a.
De diſſenſione Aragonenſium, & de regno monachi Ranimiri caput.ij. fo.xlvij.b.
De vnione regni & Comitatus Barcinonæ, & filijs Comitis,& Reginæ.caput.iij. fo.xlvij.b.
De Petro Rege Aragoniæ,& eius morte.ca.iiij.fo.xlviij.a.
De Rege Iacobo, & filijs eius, & magnalibus eiuſdem. caput v. fo.xlviij.b.
De matrimonio Regis Ferdinandi cum ſorore Veremundi. caput.vi. vbi eſt erratum in numero. fo.xlix.a.
De victoria Regis Garſiæ contra Regem Ranimirum. caput.vij. fo.xlix.a.
De morte Regis Veremundi.caput.viij. fo.xlix b.
De vnione regnorum Caſtellæ & Legionis,& de filijs Regis Ferdinandi.caput.ix. fo.xlix.b.
De diſcordia fratrum & morte Regis Garſiæ.c.x.fo.xlix.b.
De Monarchia Regis Ferdinandi,& de acquiſitione Portugalliæ,& diuiſione regnorum.caput.xj. fo.l.a.
De uaſtatione regni Toleti,& de tranſlatione reliquiarum in regnum ſuum.caput.xij. fo.lj.a.
De religioſis actibus Regis Ferdinandi, & morte eius, & vxoris illius.caput.xiiij. fo.lj.b.
De diſcordia fratrum, & qualiter uicit Santius Aldephonſum.caput.xv. fo.lj.b.
De pugna fratrum, & tranſitu Aldefonſi ad Regem Toleti.caput.xvj. fo. lij.a.
De venatiõibus & ꝓgnoſticis Aldephonſi.c.xvij. fo.lij.b.
Qualiter regna fratrũ Rex Sãtius occupauit.c.xviij.f.lij.b
De obſidiõe Zamoræ & Sãcij Regis morte.c.xix.fo.liij.a.
De receſſu Aldephonſi ab Almeone, & reditu in terram ſuam.caput.xx. fo.liij.b.
De ſublimatione Aldephonſi in Regem,& de vxoribus & filiabus eius.caput.xxi. fo.liiij.a.
De virtutibus Aldephonſi.caput.xxij. fo.liiij.a.
De obſidiõe & captione ciuitatis Toletanæ.c.xxiij.f.liiij.b.
De dote eccleſiæ Toletanæ. caput.xxiiij. aduerte erratum in numero. fo.lv.a.
Quod Mezquita Maurorum facta eſt eccleſia Chriſtianorum.caput.xxv. fo.eodem.a.
De commutatione officij Toletani.caput.xxvj. fo.eodem.b.
De ſchiſmate clericorum, & de reditu Primatis, & de bonis uiris a Gallijs ductis.caput.xxvij. fo.lvi.a.
De ſchiſmate,& de poſitione Burdini.ca.xxviij. fo.lvj.b.
De captione Alcalæ,& Valentiæ.caput.xxix. fo.lvij.b.
De morte Regis Garſiæ,& ſororis eius.ca.xxx. fo.lvij.b.
De aduentu Arabum,& morte Auenabet.c.xxxi f.lviij.a.
De ſtrage Chriſtianorum in Sacralijs,et victoria Aldephõſi in prouincia Hiſpalenſi.caput xxxij. fo.lviij.a.
De obſidione Velejij,et morte Infantis Sancij.caput.xxxiij. folio.lviij.a.
Quod Vrraca Regis filia datur in matrimonium Regi Aragoniæ Aldephonſo.caput.xxxiiij. fo.lviij.b.
De morte Regis Aldephõſi,& miraculoſo prognoſtico mortis eius.caput.xxxv. fo.lix.a.

CAPITA LIBRI SEPTIMI.

Caput primum. fo.lix.b.
De uictorijs Regis Aragoniæ contra Gallecos, & Caſtellanos,& morte Comitis Gomicij.caput.ii. fo.lx.a.
De electione Aldephonſi Regis in Regem.ca.iij. fo.lx.b.
De magnalibus Regis Aldephonſi circa principium regni ſui.caput iiij. vbi eſt error in numero. fo.lxi.a.
De ortu & genealogia Regum Portugalliæ.ca v. fo.lxi.a.
De inſignibus præliorum Regis Portugalliæ Aldephonſi. caput.vj. fo.lxj.b.
Quod Imperator diuiſit Imperiũ ſuis filijs.c.vij. fo.lxij a.
De captione Cordubæ.cap.viij. fo.lxij.b.
De aduentu Regis Franciæ in Hiſpaniã.caput.ix. fo.lxij.b.
De ortu Almohadum.caput.x. fo.lxij.b.
De captione Beatiæ, & Almariæ. caput.xi. fo.lxiij.a.
De ſucceſſiõe Regis Sãcij in regno Caſtellæ.ca.xij.fo.lxiij b.
De reſtitutione Magnatum Legionis per Regem Caſtellæ. Caput.xiij. fo.lxiij.b.
Quod Calatraua data fuit Abbati Fiterienſi, & de morte Regis Sancij.caput.xiiij. fo.lxiiij.a.
De rege Aldephonſo, & perſecutione, quam in Infatia tolerauit & de nuptijs eius.caput.xv. fo.lxiiij.b.
De diſſẽſatiõe magnatũ Caſtellæ ſup cuſtodia regis Caſtellæ,

& de fuga eiuſdem Matienzæ.caput.xvj. fo.lxiiij.b.
Quod Rex Fernandus obtinuit fere totam Extremaduram Caput.xvij. fo.lxv.b.
De cõmendatione fidei, ſeu fidelitatis.ca.xviij. fo.lxv.b.
De rege Fernando Legionenſi filio Imperatoris. caput. xix. folio.lxvj.a.
De bello eiuſdem cũ Salamantinis.cap.xx. fo.lxvj.a.
De ſuccurſu ciuitatis Roderici.cap.xxi. fo.lxvj.b.
De bello Fernandi Roderici.caput.xxij. fo.lxvi.b.
De victorijs regis Fernandi, & morte eius. caput.xxiij. folio.lxvij.a.
De rege Aldephonſo, & eius militia, & filijs. cap. xxiiij. folio.lxvij.b.
De actibus Aldephonſi Regis Legionenſis.ca.xxv.fo.lxvij.b.
De inſignibus Nobilis Aldephonſi & captione Conochæ. Caput.xxvj. folio.lxviij.a.
Item de magnalibus & pijs operibus Nobilis Aldephonſi. Caput.xxvij. folio.lxviij.b.
De populatione Placentiæ, & exercitu Martini Primatis. Caput.xxviij. folio.lxviij.b.
De bello Alarcuris.caput.xxix. fo.lxix.a.
De diſſidio Regum Legionenſis & Nauarræ à Rege Aldephonſo Nobili.caput.xxx. fo.lxix.a.
Quod Rex Aldephonſus Nobilis dedit filiam ſuam Regi Legionenſi.caput.xxxi. fo.lxix.b.
De captiõe victoriæ, Guipuzcbuæ et Iuidæ.ca.xxxij.f.lxix.b
De diſſidio Didaci Lupi, & obſidione Caſtellæ, & ædificatione monaſterii Regalis.caput.xxxiij. fo.lxx.a.
De conſtructione hoſpitalis, & inſtitutione ſcholarum, & acquiſitione Vaſconiæ.caput.xxxiiij. fo.lxx.b.
De captione Saluæ terræ.caput.xxxv. fo.lxx.b.
De cõdictobello, et morte infãtis Fernãdi.ca.xxxvj.f.lxxj.a.

OCTAVI LIBRI CAPITA.

Caput primum. Folio.LXXI.B.
De aduentu Vltramontanorũ ad bellũ.ca.ij. fo.lxxi.b.
De concurſu Pontificum & Magnatum Hiſpaniæ ad congreſſum.caput.iij. folio.lxxij.a.
De prærogatiua uirtutũ Nobilis Aldephõſi.ca.iiij. f.lxxij.b.
De proceſſu ad bellũ & captione Malachõis.ca.v.f.lxxiii a.
De captione Calatrauæ, & diſceſſu Vltramontanorum. Caput.vj. folio.lxxiij.a.
De captione montis unde ad prælium proceſſit Chriſtianorum exercitus.Caput.vij. folio.lxxiiij.a.
De proceſſu ad locum pugnæ, & occurſu Agarenorum. Caput.viij. folio.lxxiiij.b.
De diſpoſitiõe acierũ, et ordinibus bellatorũ.ca.ix.fo.lxxv.a.
De victoria chriſtianorũ et ſtrage Sarracenorũ.ca.x.f.lxxv.b
De magnalibus bellatorum.caput.xj. fo.lxxvj.a.
De captione Beatiæ, & Vbetæ, & aliorum caſtrorum, & reditu exercitus.Caput.xij. fo.lxxvj.b.
De captione Alcaratii & Alcantaræ, & aliorum Caſtrorum, & fœdere cũ Rege Legionenſi.ca.xiij fo.lxxvij.a.
De obſidiõe Beatiæ, et tregua cum Arabibus, & populatione Miraculi, & peſtæ famis.cap.xiiij. fo.lxxvij.a.
De morte Regis Nobilis Aldephonſi cap.xv. fo.lxxvij.b.

CAPITA LIBRI NONI.

Caput primum. Folio.LXXVIII.A.
De contubernio Regis Enrici, & Dominæ Mafaldæ. Caput.ij. folio.lxxviij.b.
De morte nuncij, & captione Montis alacris, & obſidione Villæ albæ.caput.iij. folio.lxxix.a.
De morte Regis Enrici caput.iiij. fo.lxxix.b.
Quod Infãs Fernãdus fact⁹ eſt Rex caſtellæ.ca.v.fo.lxxix.b
De tumulatione Regis Enrici.ca.vj. fo.lxxx.a.
De largitate Reginæ Verengariæ, & de captione Comitis Aluari.Caput.vij. folio.lxxx.a.
Quod Comes Aluarus, & Comes Fernandus reſtituerunt quædam caſtra nouo Regi.caput.viij. folio.lxxx.b.
De Comitum morte Aluari & Fernãdi.ca.ix. fo.lxxxi.a.
De laudib.regis Fernãdi, et ei⁹ uxore Beatrice.c.x.f.lxxxi.a.
De rebellione quorundam magnatũ, & morte Comitis Gundiſalui.caput.xj. folio lxxxi.b.
De filijs Regis, & primis uaſtationibus contra Mauros. Caput.xij. folio.lxxxij.a.
De captione Capellæ & fundatione eccleſiæ Toleti, & Abenbuth.caput.xiij. folio.lxxxii.b.
De morte Aldephonſi Regis Legionenſis et ſucceſſione Regis Fernandi.caput.xiiij. folio.lxxxij.b.
De ingreſſu Legionenſi, & concordia Regis cum ſororibus. Caput.xv. folio.lxxxiij.a.
De obſidione & captione Cordubæ.ca.xvj. fo.lxxxiij.b.
De reſtauratione, & dote eccleſiæ Cordubenſis, & campanis relatis ad ſanctum Iacobum.cap.xvij. fo.lxxxiiij.a.
De traductione ſecundæ oxoris Reginæ Ioannæ.cap.xviij. folio.lxxxiiij.b.

OSTROGOTHORVM HISTOriæ libri unici capita.

Prologus. Folio.LXXXV.A.
De reg.Oſtrogotorũ, et de actib⁹ Theodorici.ca.j.f.lxxxv.a
De Odocare & morte eius.caput.ij. fo.lxxxv.b.
De regno Theodorici in Italia Caput.iij. fo.lxxxv.b.
De Theodorici hæreſi & morte eius.ca.iiij. fol.lxxxvj a.
De Guthide, & ſucceſſoribus eius.cap.v. fo.lxxxvj.a.
De Totbila & actibus eius.cap.vj. folio.lxxxvj b.
Hugnorum & Vandalorũ, & Sueuorum, & Alanorum, & Salignorum hiſtoriæ prologus incipitur. fo.lxxxvij.a.
De origine Hugnorum. caput.vij. folio.lxxxvij.a.
De Honoria & morte Athilæ.caput.viij. fo.lxxxvij.a.
De Vandalis.caput.ix. folio.lxxxviij.a.
Quod Barbari à Pãnonia in Gallias transfugerũt.caput ix. folio.lxxxviij.b.
De introitu Barbarorũ in Hiſpaniã.ca.x. fo.lxxxviij b.
De regno & fuga Vandalorum, & primo introitu Gothorum.caput.xj. folio.lxxxix.a.
De Giſerico, & tranſitu eius in Aphricã.ca.xij.fo.lxxxix.a.
De tranſitu Vandalorũ in Siciliã.ca.xiij. fo.lxxxix.b.
De Hugnerico.caput.xiiij. folio.xc.a.
De Gutamundo & Thraſamundo.ca.xv. folio.xc.b.
De hiſtoria Alanorum.caput.xvj. folio.xcj a.
De regno Sueuorum.caput.xvij. folio.xcj.a.
De Rhetiario & morte eius caput.xviij. folio.xcj.b.
De Seuorũ regib⁹.ca.xix. fo.xcj.b.

¶Capitum repertorij finis.

PROLOGVS.

SERENISSIMO, INVICTO ET SEMPER AVgusto Domino ſuo Fernando Dei gratia Regi Caſtellæ & Toleti Legionis, & Galleciæ, Cordubæ atqꝫ Murtiæ Rodericus indignus cathedræ Toletanæ Sacerdos hoc opuſculum & Regi Regum perpetuo adhærere optat.

FIDELIS antiquitas & antiqua fidelitas primæuorum doctrix & genitrix poſterorum credidit actibus minorari, ſi ſibi ſoli ſe genitā reputaret. Cum enim, per ea quæ facta ſunt, Dei inuiſibilia percepiſſent, quia morte interueniente non poterant permanere ea, quæ diuina reuelatione, ſtudio vigilanti, doctrina, vſu, memoria, intellectu circa creaturarum opera ratione præuia inuenerunt: inueſtigantes experimenta rerum & ænigmata figurarum futurorum notitiæ prouiderūt, & duce ſpiritu præſentia perceperunt, & futura indagijs prænouerunt. Sed obliuio quæ ſemper memoriæ aduerſatur pediſſequa negligentia ſubſequente, quod diligentia adinuenerunt, greſſu obuio liturauit. Cæterum ne deſidia ſapientiæ innimica itinera ſtudij occultaret, illi, qui pro luce ſapientiam habuerunt, & eam rebus omnibus prætulerunt, figurales litteras inuenere, quas in ſyllabas congeſſerunt, vt his compingerent dictiones, quibus vt ex trama & ſtamine quaſi a texentibus oratio texeretur: & per hoc futuris ſæculis præterita vt præſentia nunciarent, & vigilata ſtudia artium liberalium & officia mechanica ſubtiliter adinuenta ſcriptura poſteris conſeruarent. Curſus ſyderum, motus planetarum, diſpoſitiones ſignorum, effectus aſtrorum, quę aſtronomorum curioſa diligentia adinuenit, cubitorum Geometriæ diſtinctiones, & graduum differentias, & punctorum diſtātias, quo obiectu luna lucida denigretur, qua eclypſi Solis claritas tenebreſcat, qua indagine herbarū notitiā & earum efficaciam experimentis phyſicalibus percipere, ſine ſcriptis qua memoria poſſet quātūlibet inſtās ſolertia reminiſci, ne dicerī inuenire, niſi principiorum notitia præceſſiſſet, quæ primæui inuenta ſucceſſoribus conſcripſerunt? Verum quia humana ſtudia multifarie variantur, pari prouidentia & eodem ſtudio ſolicitudo diligēs corūdē deſcripſit acta ſapiētiū, & ſtultorū fideliū, et Ethnicorū virtutes catholicas et politicas, iura canonica & ciuilia, vt per hoc mūdi curſus in ſuo ordine dirigatur, Et geſta principum, quorum aliquos ignauia fecit viles, alios ſapiētia, ſtrenuitas, largitas & iuſtitia futuris ſæculis cōmendauit, vt quāta ſit differētia vtrorūqꝫ exitu cōprobetur, Et diſcāt poſteri bonorū exēplis inniti, & malorum ſemitis declinare. Qua et ſi ad tēpus bonorū videatur dn̄s obliuiſci in fine miſericordiā nō abſcidet. Et ſi ad tēpus etiā impij ꝓſperētur, tollūtur, in aliū vt lapſu corruāt grauiori. Quis ēm̄ de creatione mūdi, de patriarcharū ſucceſſiōe, de exitu de Aegypto, de lege veteri, de Regibus terræ ſanctæ, de exterminio eorundē, de annūciatione, de natiuitate, de paſſione, reſurrectione, & aſcēſione Dn̄i Ieſu Chriſti earū teſtibus morte ſublatis poſſet relatione veridica eſſe certus, niſi libri canonici, aut euāgelia teſtarētur? Quibus, eo quod ſcripſerunt, tanto amplius obligamur, quāto per eorū doctrinā in præteritorū notitia innouamur. Glorioſa etiam prælia Romanorū & aliarū gētiū, quæ in mūdo varietate mirabili acciderunt, ſine ſcriptura a memoria excidiſſent. Cū igitur Hiſpaniarū ſucceſſus variorū principum cruētis cladibus iteratus & linguam mutarit, & origo ſuæ gentis pluribus intercepta dominijs ſit oblita, iā fere gēs et origo incolarū Hiſpaniæ ignorat. Quia igit̄ placuit veſtræ excellētiæ maieſtati, meę reqrere ignorātiā paruitatis, vt ſi q̄ de antiq̄tatibꝰ Hiſpanię, et de ijs

etiam, quę ab antiquis vel modernis temporibus acciderunt, meę memorię occurriſſent, petioni veſtrę deſcribere laborarem, et vt a quibus gẽtibus calamitates Hiſpania ſit perpeſſa, & Hiſpanorum Regum originem, & eorum magnalia, qui patrum glorias imitatione ſequuti ſunt glorioſa, per ſcripturæ meæ indaginem ad diligentiæ noſtræ notitiam peruenirent. Ego vero tanti domini, tam excelſi non poſſum precibus contraire, & vix poſſibile cogor ob reuerentiam attentare. Tempore enim vaſtationis Arabum ſcripta & libri cum pereunte patria perierunt, niſi quod pauca diligentium cuſtodia euaſere. Itaq; ea quæ ex libris beatorum Iſidori, & Illephonſi, & Iſidori iunioris, & Hiditij Galleciæ Epiſcopi, & Sulpitij Aquitanici, & concilijs Toletanis, & Iordani ſacri palatij Cancellarij, & Claudi Ptolemæi orbis terræ deſcriptoris egregij, & Dionis, qui fuit hiſtoriæ Gothicę ſcriptor verus, & Pompei Trogi, qui fuit hiſtoriarum Orientalium ſolicitus ſuppuiator, & alijs ſcripturis, quas de mẽbranis & pictatijs laborioſe inueſtigatas laborioſius compilaui, a tempore Iaphet Noe filij vſq; ad tempus veſtrũ glorioſiſſime Rex Fernande ad hiſtoriam Hiſpanię contexendam, quam ſolicite poſtulaſtis, prout potui fideliter laboraui. Inter omnes autem principes Gothorum Reges ſęcula pręcipuos habuere, & teſtamentali edicto Hiſpanię legauere, quorum inſignia vſq; ad tempora, quę me prętereunt, deriuaui, addens aliqua, quę eorum hiſtorię famulantur, nec non & clades, quas Hiſpania pertulit ante eos. In qua Hiſpania peragratis Aſię & Europę prouincijs & vaſtatis vltimo dominio reſiderunt, vbi etiam ab Arabibus ſub Roderico Rege Dei iudicium pertulerunt. Vobis itaq; Caſtellę, & Toleti, & Legionis, & Gallecię, Cordubę, & Luſitanię, Murcię & Gienni inclyte domine Rex Fernande ortum eorum, qui primo in Hiſpanijs habitauere, & bella Herculis, quę exercuit ſuper eos, & quæ Romani mortis iudicia intulere, & quibus Vandalos, Silingos, Alanos, & Sueuos exitijs cõſumpſerũt, ꝓut ex antiquis libris & relatione fideli recolligere potui, ego Rodericus indignus cathedræ Toletanæ Sacerdos ſtylo rudi & ſapientia tenui ad præconium veſtræ gentis, & veſtræ gloriam maieſtatis ſolicitus compilaui: pro venia ſupplicans eo, quod munus tam exiguum auſus fui lecturorum diligentiæ exhibere, & conſpectui tanti Principis pręſentare.

D. RODERICI VIRI CLARISSIMI IDEMQVE TOLETANAE ECCLESIAE Antiſtitis, atq; proinde Hiſpaniarum protomyſtæ rerum geſtarum in Hiſpania Chronicon Libri incipiuntur. De fundamento huius Hiſtoriæ. Caput Primum.

VT veritas Geneſis atteſtatur, quã Moyſes ſcripſit Spi-
ritu prophetiȩ, humanũ genus vagum, & profugũ in
terra miſeriæ aberrauit, donec culpa hominũ inundan-
te cȩteris enecatis periculo cataclyſmi. Noe ſolus cum
filijs & vxoribus domino protegente fuere vt ſemina-
rium humani generis reſeruati. Hæc ſunt nomina filio- Noe.
rum eius: Sem, Cham & Iaphet. Sed horum filij poe-
nas peccantiũ iam obliti culpas ablutis criminibus ad- Sem.
fecerunt, & volentes altiſſimo ſimilari turrim ſuperbiȩ Cham.
erexerunt, Sed pares in culpa pari, vt Lucifer, prȩcipi- Iaphet.
tio corruerunt. Et ſicut ibi diuiſi angeli, diuiſa officia ſunt ſortiti. Ita cum omnia in di-
uina eſſentia ſint contenta, ab his vbiq; ei ſemper aſſiſtitur, & per eos in terris ſalutis
miniſteria diſponũtur. Boni vero his cõſimiles habẽt prȩ oculis diuinȩ iudiciũ maie-
ſtatis, & filiali timore altiſſimi offenſam metuẽtes Dei dulcedinẽ licet in ȩnigmate iam Angeli
prȩguſtãt, Alij autẽ angeli, qui dãnando homini inuiderũt, & mortifera ſuggeſſerunt, boni.
Dei iudiciũ non euadunt, ſed ſemper eos culpa, & ſuppliciũ comitanẽ, ſic & mali, qui
iniquitatis iudiciũ ſecũ ferunt, voluptatũ ſolicitudine cruciãtur. Noe itaq; generatio Angeli
in Chaldæa, & Damaſci Syria, & maiori Armenia, & Aſſiria, in qua Niniue dicitur mali.
eſſe ſita, in certis ſedibus vagabatur, & cȩterȩ regiones Aſiȩ Africæ, & Europȩ vacuæ Noe habi-
habitatoribus ſolitudine quieſcebãt, donec primordia noſtræ originis ſuperbia cõfun- tatio.
dente unitatẽ ſimpliciũ linguarũ diuiſio ſeparauit. Et quia loquelȩ diuerſitas cõuictus,
mores, & animos variauit vnilingues, aliã & cæterarũ linguarũ alias ſortitæ ſunt re- Diuiſio
giones, & prout vnius linguȩ profeſſio exigebat, diuerſos populos effecere, & ab inui- linguarũ.
cem ſegregati climata, prouincias, & patrias diuiſerũt, & lingua alia alienationẽ a pro-
ximo ſuggerebat, & nõ tã diſcidio, quã odio ſeparati loca placida elegerũt, in quibus
ſedes cõmodas locauere, & proprijs terminis non cõtenti alios inuadere prȩſumpſere,
& ex iniurijs mors & gladius prouenere, & nomina ſua in terris, & cognationib9 vo-
cauere, poſtea linguas idiomatibus diſtinxerũt. Filij Sem poſſederũt Aſiã, ſed nõ to-
tam. Filij Cham Africã habuere, Filij Iaphet ab Amano, & Tauro mõtibus Ciliciȩ,
quȩ ſunt in Aſia, & totã Europã vſq; Gades Herculis in finibus Hiſpaniæ poſſede-
runt. Et qd' filij Cham, & Iaphet aliqd in Aſia habuere, exiſtimo actũ bello. Sed qa
de generatione Iaphet cura eſt proſequi in hoc Libro, de alijs fratribus hic omitto.

De Europa, & generationibus Iaphet. Caput. II.

EVropa autẽ incipiens a Tanai fluuio ex vna parte Tyrrheno, & ex alia
Septentrionali, & Gaditano Oceano terminatur. Tanaim vero hunc di-
co, qui ex Ryphȩis mõtibus Oriẽs ad hæc prȩceps ruit, vt cũ vicina flu-
mina Mȩotis, & Boſphorus gelu ſȩpiſſime ſolidẽtur, ſolus ex cõfractuo- Tanais.
ſis mõtibus euaporãs nũquã Algore Scythico indureſcit, hic Aſiȩ Euro- Mȩotis. Boſphorus

tinum ſtellã Heſperum, & patriã a ſtellę nomine Heſperiã vocauere. Dicitur autem Europa a quadã filia Regis Agenoris ſic vocata, quã Iupiter rapiẽs tertiæ parti mundi ex eius nomine nomen dedit. Hi poſt diuiſionẽ liguarũ, vt regiones adirent, & vt Nemrod tyrannidẽ euitarent, diuiſi ſunt in linguas, & nationes, & linguã, quæ nunc Latina dicitur, obſeruarunt, alij & filij Iaphet, qui in Europę partibus reſederũt, linguas alias habuere, Gręci aliã, Blaci, & Bulgari aliã. Cumani aliam. Sclaui, Boemi, Poleni aliã. Vngari aliã. Inſulæ etiã Hibernia, & Scotia ſpecialibus linguis vtũtur. Teutonia uero, Dacia, Noruegia, Suecia, quæ a Sueuis, & Scytis nomẽ accepit. Flandria, & Anglia vnicã habent linguã, licet idiomatibus dignoſcantur. Scantia, & aliæ Septentrionales Oceani inſulæ, quæ Europę annumerãtur, alijs linguis vtuntur.

Valia contigua Angliæ, & britannia minor circa littus Britannicum linguas proprias ſunt ſortitę, ſimiliter Vaſcones, & Nauarrij, Cetubeles, itaq; in populos dilatati ad plana Hiſpaniæ deſcẽderunt, & iuxta fluuiũ, qui nunc Iberus dicit, villas &, pagos, & oppida cõſtruxerũt, & inibi remanẽtes, qui prius Cetubales ab Ibero fluuio, corrupto vocabulo Celtiberes ſe vocarũt: vnde & eadẽ prouincia Celtiberia appellatur, quæ Oceano Tyrrheno, & Pyrenęis montibus terminatur. Hanc Carpentaniã, quæ in ſe quatuor habet oppida, ſcilicet Aucã, & Calagurrã, Tyraſſonã, & Auripam, quæ poſt Cæſarauguſta ab Auguſto Cęſare fuit dicta, vis Romanorũ principũ occupauit, quæ tamẽ ſicut referũt Plinius, & Siſebutus, ad Carthaginẽſem prouinciã pertinebãt. Deinde ad alias partes Hęſperiæ procedẽtes in terris ſuis cognationes, & nomina vocauere, & in diuerſis prouincijs diuerſos principes habuerunt, ex quibus fuit Geryon, & alij, qui vſq; ad Herculẽ durauere. Phaleg autẽ tẽpore cuius linguarũ diuiſio facta fuit, vſq; ad Gerionẽ ſub quo Hercules fuit natus. M.CC. LXIII. ſunt anni, a morte Herculis vſq; ad captionẽ Troiæ Anni, XIII. A captione Troię vſq; ad Romulũ, qui Romã cõdidit, Anni, CCCC.XLII. A Romulo vſque ad Cõſules, Anni. CC.XL.I. A Tarquino ſuperbo vltimo Regũ Cõſules rexerunt populũ Ro. per annos. CCCC. LX. III. Et poſt hunc regnauit ſolus Caius Iulius Cæſar annis. IIII. Menſibus. VI. tẽpore Conſulũ. Africa, & Hiſpania a Scipione deſtructis. Tolemon, & Brutus duo Conſules cõdiderunt Toletũ Centũ & Tolcumi
octo annis ante quam Iulius Cæſar regnare cœpiſſet, tempore Ptolemæi Euergetis Regis Aegypti. Nunc ad hiſtoriam Herculis reuertamur,

De aduentu Herculis in Hiſpaniam, & pugna illius cum Geryone tricipite. Caput. IIII.

CVM itaq; Hercules fere tota Aſia occupata perueniſſet ad ſaxum mirę magnitudinis, & excelſæ: vt ſaxum, & populos, qui ſe inibi receperũt, expugnaret, & incolas in deditionẽ cogeret, terræ motu repulſus in Libyã nauigauit, habens Atlantẽ aſtrologũ magnũ pronepotẽ magni Atlantis fratris Promethæi, qui fabuloſe dicitur homines de luto formaſſe, & ſpiritũ immiſiſſe. Mercurius, & nepos eius multarũ artiũ peritus tẽpore Moyſi ſcribit claruiſſe. Atlantẽ Hercules charũ habebat, eo quod eius cõſilio regebatur. Erat & mons altiſſimus, qui dicebat Atlas, ſed quia Hercules Atlantẽ magnis honoribus extollebat, æquiuocato nomine dixit poëta: Hercule ſuppoſito ſydera fulſit Atlas. Habebat etiã ſecũ Traxilinũ in muſica clarũ contra periculũ Sirenarum. Eo enim tẽpore Argonautarũ dicitur periculũ accidiſſe, & in finibus Hæſperiæ nauiũ ſuarum ſtationẽ locauit, & in illa parte turres for

Gades, tiſſimas fabricauit, quæ eſſent poſteris in monumentū, quæ adhuc hodie Gades Her
culis nūcupātur. Erat autē tunc tēporis in Hęſperia Princeps quidā, Geryon voca
batur, & abundabat gregibus, & armentis, & habebat tria regna, quæ nunc dicuntur
Gallecia, Luſitania, Bætica: vnde & iſte Geryon cū eſſet alias fortis, & ferox, triceps
ſcribitur fabuloſe, de quo Ouid. in nono Metamorph. Nec me paſtoris Iberi forma
triceps, nec forma triplex tua Cerbere mouit. Et idē in lib. Heroidū: Pro dignū tri-
plex armēti diues Iberi Geryonis quāuis in tribus vnus erat. Expreſſius autē de mor
te Vergil. in ſeptimo Aeneid. Cum iam Laurētia victor Geryone extincto Tyrin-
thius attigit arua, Tyrrhenoq; boues in flumine lauit Iberas. Contra hunc pugnauit
Hercules, & repetito bello ferocē virtute domuit, & proſtrauit, priuatū vita patri-
Gallecia, monio, & armētis, obtentāq; partē illā Hęſperię populis, qui ſecū a Gallatia venerāt,
Galatia, captam tradidit habitandam: vnde & a Galatis Gallecia quinta prouincia Hiſpaniæ
nomen accepit, licet ab antiquis alia cauſa eius nominis aſſignetur.

De victorijs Herculis, & ædificatione ciuitatum in Hiſpania. Caput. V.

ET inde procedens in eam, quæ nunc Luſitania dicitur, prope flu-
Luſitania, Ana, uium Anam in cāpo Hiſpanię propter victoriā habitam ludos inſti
tuit recolens Olympiadē, quam Pelops auus eius maternus inſtitue
rat in Olympo, & eam prouinciā a luſu Liberi patris filij Iouis, &
Ana flumine Luſitaniā nominauit, eoq; in Olympiade portentū Io
Bætica. ui Olympiaco fabricabāt. Inde procedens ad Bęticā in planicie, quę
Bæti flumine irrigatur, ciuitatem Hiſpalim erexit, nomen adaptans, eo quod prima
Hiſpalis. Bætis. habitacula palis ſuppoſitis tegimen ſuſceperunt, & in ea ſpalos, qui ſecū de prope Scy
Spali. thiam veneranta, ccolas collocauit. Prouincia autē illa a ſitu, & flumine nomē ſor
Vega. titur, Hiſpani enim valles planicie cōmodas Vegas vocāt. His tribus regionibus prę
ditus Geryon dicitur præfuiſſe, procedenſq; per Cartaginēſem prouinciā occupans
Carthago. deuaſtauit, & Cacū, qui in Carpetania, & Celtiberia morabať, bello contritū in fugā
Carpetania. cōegit. Hic dicitur Vulcani filius, cuius habitatio principalis in monte Carpetaniæ,
Cacus.M. qui adhuc hodie mons Caci diciť, celebris habebať, cui armentorū, & gregium, & ve
nationū copia famulabať, & in Sirreo iugo ſublimior inuenitur, cuius principiū pro-
Sirreū iugū pe Lermam, Tyrrheno prope Socorbicā terminatur. Cacus autē bello inferior fugæ
Lerma. Socorbica. prodigus Lauiniā petijt, & in montē, qui nunc Auētinus dicitur in ſpelūca ſaxea, &
Lauinia: profundiſſima, tenebroſaq; metu Herculis ſe recepit, cuius aditū grauis moles catenis
Auentinus. appenſa ferreis protegebat, quā ipſe paterno artificio fabricauerat. Hic ſemiuir, &
ſemifer dicitur fabuloſe, eo quod immanitate horribilis, & atrocitate terribilis ad iacen
tium orarū homines inopes cladibus infeſtabat, & tam hominū quā ferarū ſtrages
innumeras exercebat, quorum capita dira ſuperbia deteſtandis poſtibus affigebat. De
truncis vero miſerabilibus execrandam ingluuies rabiē ſatiabat. Verum Hercules in
radice montis Caci ex ijs, qui ſecum de Tyro & Auſonia venerant, de qua dicit Lu-
Tyriaſſo. canus: Cumq; ſuperba foret Babylon ſpolianda tropheis Auſonijs, ciuitatē propter
victoriam habitā auxit, & ex Tyrijs, & Auſonijs nomen indidit Tyraſſonam. Inde
Tyraſſona Auſona. que ad munitiones Celtiberię properās coactos in deditionē recepit. Et quia bellis vr
Vrgellum. gebat, ciuitatē Vrgellū ædificauit eiſdē. Auſonijs etiā, qui ſecū venerāt, Annues op-
Annues. pidum cum territorio ſubiugauit, eiſq; cōtradidit, quod Auſoniam nominauit, cuius

ciuitas Vicus hodie nūcupatur, ibiq; ex nouē nauibus ſui pediſſequis, cæteris ad Gal Auſonia.
leciam applicatis, nona ad littus applicuit Celtiberiæ, vbi ciuitatē ædificauit, quā ex Vicus.
nona barcha Barchinonā appellauit, tractuſq; Græcorū delicijs ad ſtationē nauium Barchino.
in freto Britannico remeauit; & obtenta Hiſpania, immo verius deſolata, quæ a ſui
principio, quā primo Cetubeles habitarunt, ſatis proſpera fœlicitate gaudebat, infœli
ces populos, quos longa quies inermes fecerat, & ignauos Græcorū iugo, qui natura
liter ſubditis ſunt infeſti, gladius Herculis ſubiugauit, dimiſſoq; eis Hiſpano quodam Hiſpanus.
nobili, qui ſecum ab adoleſcentia fuerat conuerſatus, ab eius nomine Heſperiam Hi-
ſpaniam nominauit, ipſe autem aſcenſis nauibus in Italiam eſt profectus,

De morte Caci, & vaſtatione Ilij, & morte Herculis. Caput. VI.

CVM q; ad loca, vbi nunc Romæ gloria principatur, Hercules per-
ueniſſet, & Heros Tyrinthius vnus ex magnis Heroibus cum ar-
mentis Gerionis a finibus Hiſpaniarum edomitis remearet, & mon
tis Auentini vallib⁹ ſe cum Iberis armentis ſecus ripā Tyberis flumi
nis receptaret, & armēta nobilia per amœna paſcua ſub famoſi Ty-
beris marginibus laſciuirent, Vulcanides inſuſpecta tranquilli ſopo
ris gratitudine fruebatur, ſed ne quicquā ſceleris intentatū ſuæ nequitiæ remaneret,
quatuor prælectos Tauros cum totidē paris formæ coniugibus ex armentis falla-
citer abſentauit, & vt falleret veſtigantē per caudam traxit retrogrado in ſpeluncam.
Aurora vero poſtera rubeſcēte clauiger cum armētis cepit iter carpere conſuetum,
& pecudes in receſſu deuexas valles mœſtis mugitibus impleuerunt, ad quarū vo-
ces altiſonas vna boum remugijt in ſpelunca, & ex inſperato furta ſacrilegi reuelauit.
Tunc Hercules furibūdus collis Auentini ambitū anhelis curſibus ter luſtrauit fru
ſtra ſublatas pecudes inueſtigans, cum potius receſſum, quam acceſſum veſtigia
teſtarentur. Demū vero cernens ſemiferum in ſpeluncæ aditu reſidentē aërij culmen
montis curſu celeri impetiuit, trinodem clauam dextera relibrante. At proles Vul-
cania tunc timore trepidans inſueto curſu refugit concito in ſpeluncā aditu accur-
rēte mole ſaxea iā obſtructo. Ad quē cū Hercules nullo modo poſſet aditū reperire,
ſicut erat prævalidus cornu rupis duris impulſibus lacerauit, & aditu ad ſpeluncam
virtute valida præparato, cepit Hercules Vulcanidē nunc telorum imbribus, nunc
ſaxorum impugnare grandinibus. Sed ſemifer impar viribus ad eum Hercule propin
quāte fruſtra artium paternarū auxiliū inuocauit, ignes fumificos inceſſanter ore ſty-
gio euomendo, quibus innatas ſpeluncæ tenebras cōdenſabat. At orbis domitor ex-
pers metus contēpto diſcrimine tetri rogi caliginoſis ignibus ſaltu præcipiti ſe iniecit,
& ſemiſerū trepidantē arreptū gutture ſuffocauit, & vaſtatis partibus Italiæ, ac ſubiē Italia
ctis in Græciam transfretauit, reſumptoq; exercitu vaſtauit Ilium, & Antæum pa- Ilium.
leſtræ inuentorē cum non poſſet in terra eleuatū in aëre interfecit. Poſtea Olympia
des diu neglectas ob memoriā Pelopis reſtaurauit, & tandem dolore colei vexatus py
ræ ardenti coactus impie ſe ingeſſit, & qui multos extinxerat ſe extinxit, licet fabulo-
ſe dicatur a Deianira data camiſia concrematus, quæ tamen dedit ignorans. Nam
quidam maleficus Deianiræ ſuaſit, quod Hercules aliam præferebat, ſed ſi hanc ca-
miſiam indueret, captus amore maneret. Maleficus autem venenū incentiuum ca-
miſiæ miſcuit, qua indutus Hercules viuus arderet: vnde Ouidius, Incedit demum

Deianirà virum. Anno vitæ ſuæ. LII. Per idem tempus Alexander Helenam
rapuit, bellumq; Troianum Decenale ſurrexit.

De operibus Regis Hiſpanis, Caput. VII.

HISPAN autem vir induſtrius ſtrenuus & de Heroum maiori-
bus, quem Hercules præfecerat genti miſeræ Hiſpanorum, diſſipa-
tam Hiſpaniam reparauit, & opera fortiſſima prudenter extruxit,
quarum aliqua adhuc extant, turres in Pharo Galleciæ, & in Gadi
bus, quas & Moderna tempora admirantur. Ciuitatem iuxta iu
gum Dorij ædificauit in loco ſubiecto promontorio, quod Cobia
dicitur, & quia ſecus Cobiam ſita, Secobia nuncupatur, vbi aquæductum conſtru-
xit, qui miro opere ciuitati aquarũ iniectionibus famulatur, & in multis alijs locis in-
ueniũtur opera ab operibus noſtri temporis aliena, quæ tanto amplius admiramur,
quanto ab antiquiori tempore adhuc extãt. Græcorũ ergo ſeruitute Hiſpania reman
ſit oppreſſa vſq; ad tempora Romanorũ. Medio tempore regno diuiſo plurium prę
da diripientium vaſtationẽ non potuit fugere, quia leonũ faucibus cogebatur inferri.

De origine, & primis actibus Gothorum. Caput. VIII

IGITVR quia magnorum petitio me cõegit Gothorum origi-
nem, & acta deſcribere, prout ex diuerſis hiſtoriographorũ ſcriptu-
ris recolligere potui, vſque ad mea tempora contexui, & deſcripſi.
Verum cum diuerſæ ſint opiniones de Gothorum origine, Clau-
dius Ptolemæus orbis terrę deſcriptor egregius refert, in Oceani ſo
lo eſſe magnã inſulam nomine Scanthiam, quam Pomponius Mel-
la dicit eſſe poſitam in Codono Oceani maris ſinu, lateribus pandis per longũ ducta
ſeſe concludẽs, & habet ab Oriente Viſtulã fluuiũ, quia Sarmaticis mõtibus ortus in
conſpectu Scanthiæ Triſulcus illabitur Oceano Septentrionali, & diuidit Scithiã, &
Germaniã, & habet ab Oriente vaſtiſſimum lacum, de quo egreditur fluuius dictus
Vagi, quaſi eius vtero generatus, & tranſiens per partes auſtrales Vndoſus voluitur
in Oceanũ. Ab Occidẽte immẽſo pelago circũdatur. A Septẽtriõe innauigabili Oce
ano eſt cõcluſa. Et licet in Scãthia multę & diuerſę maneãt nationes, ſeptẽ tantũ no-
mina eorũ meminit Claudius Ptolemęus, ſcilicet Gothi, Veſegothi, Oſtrogothi, Da
ni, Rugi, Arothi, Thanij, quibꝰ poſtea Rodulphus Rex fuit, qui audita virtute Regis
Thodorici, contẽpto proprio regno eius militię ſeſe dedit. In cuius Schãtiæ quadam
parte tãta eſt frigiditas, qđ apes nuſq; reperiunẽ, & circa ſolſtitiũ ęſtiuale. XL. diebꝰ.
& noctibus continue lux habetur, & in ſolſtitio hyemali eodẽ dierũ, & noctiũ nume
ro nox cõtinua tenebreſcit. Sunt & ibi aliæ gentes, qui velut Turingi eximijs vtun-
tur equis, & pelles ſapphyrinas cũ alijs gẽtibus cõmercãtur, & decora nigredine pel-
liũ, cũ viuãt inopes, ditiſſime veſtiunẽ, Oſtrogothi autẽ, & Dani, qui ex ipſorũ ſtirpe
progreſſi Herulos proprijs ſedibus expulere. Hæ itaq; gẽtes corpore, & animo grã
diores pugnabant ſęuitia beluina. Ex hac ergo Schanthia inſula quaſi gentiũ officina,
& nationũ vagina, Gothi cũ Rege ſuo nomine Verio quondã memoranẽ egreſſi, &
quã cito terram exeuntes a nauibus attigerũt, dedere illico nomẽ loco Gothiſcantiam
nominantes, & locus ille hodie Gothiſcãtia appellatur. Et inde venientes ad ſedes Vl

merrugorum, qui tunc in ripis Oceani habitabant, cõmiſſo prælio eos a proprijs ſedibus pepulere, eorumq; vicinos Vandalos ſubiugantes ſuis victorijs applicarunt, & diuerſos Reges ex ſuo genere habuerunt.

De opinionibus originis gentis Gothorum, & commendatione eorum. Caput. IX.

POST mortem Veric, regnauit in eis Gadaric, qui fuit magnificus triumphator, & multos in Scythia, & Gepidia, quæ nunc Dacia dicitur, populos ſubiugauit. Poſt hunc filius eius Philemer, & videns Philemer Rugorum terram vbertatis penuria laborare, dedit conſilium, vt ab illis ſedibus tranſmigrarent, & cum diu ſedes altiſſimas, & congrua loca perquirerent, ad vlteriores Scythiæ terras venit, vbi regionis vbertatem, & votiua gaudia admiratus decreuit, vt in proprijs reſidere. Et cum terram requireret vt explorans, & pontem in vaſto flumine reperiſſet, & regionem vltra placidam proſpexiſſet, decreuit regionis intima peragrare, & parte exercitus iam tranſmiſſa pontis ſtructura corruit tranſeuntium pedibus conquaſſata, nec tranſmiſſis licuit remeare, nec alijs tranſuadere. Is enim locus, vt fertur, paludibus tremulus concluditur voragine circumiecta, qui vtraque confuſione imperuius inuenitur, verum tamen adhuc hodie & voces armentorum audiri, & indicia hominum deprehendi, quamuis alonge commeantium relatio proteſtetur. Pars vero Gothorum, quæ apud Philemer citra remanſerat, optatum potita ſolum ad gentem Spalorum aduenit, vbi cõſerto prelio victoriam ſunt adepti, ex inde vt victores ad extremam partem Scythiæ, quæ adiacet ponto mari, cum triumpho venerunt, & Scythiam ſuis victorijs ſubiecere. Et quia ibi diutius reſederunt, & regimen tenuere, Scythæ vt indigenæ ſunt vocati. Et licet Gothi ad gẽtes alias ſępius diuertiſſent, rectores ſuos in Scythia dimittebant, penes quos gentis tuitio conſiſtebat. Hæc, quæ diximus de Gentis Gothorum principio, Abauius deſcriptor gentis Gothorum egregius veriſſima hiſtoria atteſtatur, in quam ſententiam multi de maioribus cõſenſerũt. Spali.

Ioſephus quoq; annalium relator veriſſimus, qui veritatis regulam, & cauſarum origines retraxit fideliter, & Iſidorus Gothicæ gentis indigena, & chronicorum diſertor optimus, hæc, quæ diximus de Gothorum principio, cur omiſerint, ignoramus.

Sed tantum ab hoc loco eorum proſapiam memorantes, Ioſephus Scythas, Iſidorus Getas aſſerunt appellatos. Sed cum de eorum antiqua origine, opiniones varię habeantur, plus occultat varietas, quam declarat. Ioſephus dicit de Magog filio Iaphet Scythas & Maſſagetas proceſſiſſe. Vnde quidam nitũtur ea, quę Ezechiel propheta contra Gog, & Magog ſpiritualiter prophetauit, Gothorum actibus adaptare. Iſidorus doctor nullius ſcientiæ expers eos Getarum, ſiue Scytharum docet ex genere proceſſiſſe, & e, litera mutata in, o, Getæ dicunť Gothi. De quibus Poëta. Mortem contemnunt laudato vulnere Getę. Sed Ioſephus, & Iſidorus, quia ortum eorum a Scanthia omiſere, Scythas, & Getas ab incolatu patriæ, non ab origine appellarunt, hi ſeptentrionalia iuga tentantes, Scythica regna montibus ardua poſſederunt, & pars illa adhuc hodie Gothia appellatur. Interpretatio autem nominis eorum eſt lingua noſtra fortitudo, & re vera nullius enim gentis ſtrenuitas ita regnis, & imperijs ſe obiecit. In primo enim egreſſu a Schantia gentem ſtolidam Vlmerrugorum, & Vandalorum a ſuis ſedibus eiecerunt, Iuga Schythica ſubiecere. Vexorum Vexorra.

Regem Aegypti prælio fugauere. Aſiam ſubiugarunt,& eorum aliqui inibi remāſe
re,ex quibus Parthi,vt dicitur,proceſſere,horum fœminæ relictę a viris armis in prę
lījs claruere,& partem Aſiæ ſubiecere, Armeniam, Syriam, Ciliciā, Galatiam, Piſi-
diam, Ioniam, & Aeoliam domuere. Telephus Rex Gothorum vicit Danaos,
interemit Therſandrum, inſecutus fuit Vlixem. Cyrus famoſus a Thomyri fuit
Telephus. occiſus. Darius filius Hyſtapis, & filius eius Xerxes ab Anciro Rege Gothorum
Themyris. Ancirus. inferiores in prælio ſunt inuenti. Hos Alexander vitandos docuit, Pirrhus perti-
muit,Cæſar exhorruit,cum Pompeius pro arripiendo reipublicæ principatu contra
Iulium Cæſarem arma mouit,& iſti cęteris fortius dimicarunt. Thraciam irruere,
Italiam vaſtauere, Romam ceperunt, Veronam ædificarūt nomen imponentes,qua-
ſive Roma in odium Romanorum,& Gallias ſunt aggreſſi, Hiſpanias ſunt adepti,
ibiq; apud Toletum ſedem vitæ & imperium locauere. Hi poſtquā Scanthiā reli-
querunt,in tabernaculis,& tentorījs habitarunt, terras vberes ſeminabant, nuſquam
munitiones, vel domicilia fabricabant, & licet terras & ciuitates, & oppida ſubiuga-
runt, ſemper bellis,& vaſtationibus inſiſtebant contenti dominio populorum præ-
dis diuites, & tributis. A ſui principio ferocitati dediti belluinæ, vix humanæ ra-
tionis debitum attendebant. At poſtquam mores aliarum gentium videre, & vr-
bes, humaniores effecti benignitatem,& manſuetudinem induere, adeo quod & phi-
loſophos habuerunt, ad quorum ſapientiam humili ſtudio peruenerunt. Diu pro-
prījs ducibus ſe rexerunt, & poſtea regale faſtigium aſciuere, quod & ſacerdo-
tio ornauere. Hos omnes Europæ populi tremuerunt, Alpium obījces his ceſſe-
runt. Poſt exterminium Scythiæ gens Vandalica a Panonia non tam eorum prę-
ſentia fuit trita,quam opinione fugata. Eorum impetu Alani ſunt extincti. Sueui in-
ter confractuoſos Hiſpaniarum angulos eorum armis periculum finis ſunt exper-
ti,& regno quod deſidioſe tenuerant,turpiori diſpendio caruere. Libertatem ſemper
bello,quam pace potius ſeruauere. In bellandi neceſſitate vires precibus prætulere,
& in armis ſpectabiles haſtis, & iaculis,arcubus, & ſagittis,enſibus, atq; clauis, eque-
ſtri,& pedeſtri prælio confligebant. Cura tamen equorum charior illis fuit, telis,
& iaculis,pro recreatione prędudere affectabant. Ludorum certamina vſu gerebant
in armorum experiētia. Solo naualis belli exercitio caruerunt vſq; ad tempora Seſe-
buti,ſub quo ad tantam gloriam peruenerunt,vt victoriarum inſignījs non ſolum ter-
ras,ſed & ipſa maria ſubſulcarunt. Fuere autem magnanimi, & audaces,& natu-
raliter ingenio faciles,& ſubtiles,in propoſito prouidi, & conſtantes, geſtu, & habitu
approbandi, viribus pollentes,ſtatura ardui,& proceri,diri vulneris manu prompti,
corpore validi,membris apti,diſpoſitione compoſiti,& coloris albi.

De ſitu Scythiæ,& de Gothorum exercitus regimine.

Caput. X.

SCYTHIA ſiquidem Germanæ terrę confinis ab occidente, vbi
Iſter amnis oritur, dilatatur, habens ab oriente Seres, in ſui princi-
pio Caſpīj maris litus. Ab occidente Germanos, & flumen
Viſtula,a meridie ponto,& extremo alueo Danubīj terminatur. In
principio Scythię ſunt montes Riphei,qui Aſiam diuidūt,& Euro-
pam,ex quibus oritur Tanais fluuius,qui in palude Męotica finem
facit. In Scythia autem prima gens ab oriente ſunt Gepidæ,ad aquilonē Miſia, ab

Africo magnus Danubius, ab occidente Venetiarum natio populoſa,quorum nomina licet nunc per varias familias,& loca mutentur principaliter tamen Sclauiæ nominantur. Gothi ergo deſcen ſiſalpibus, quibus inhabitabant,deſtructa Grecia, Macedonia, Ponto, & Aſia, & Illyrico. Macedoniam,& Illyricum annis fere. XV. tenuerunt,& poſt iuxta Meotidam, quę fuit eis prima ſedes Scythiæ,cõmorantes Philimer Regem habuiſſe noſcuntur. In ſecunda,id eſt,Datię,& Myſię Zeutam eruditum philoſophũ habuerunt. Poſt hunc Dicineum, poſt hunc Zamolxem,quem miræ philoſophię,& eruditionis hiſtoriographi proteſtãt. Nec defuerunt eis, qui eos in ſapientia erudirent,vnde & Gothi ſapientiores pœne omnibus Barbaris extitere,Græcis pœne conſimiles,vt refert Dion, qui eorum hiſtorias compoſuit Græco ſtylo,& generoſos dicit inter eos Pileatos vocari,ex quibus Reges, & Sacerdotes ordinabantur,& adeo laudatos in bello probauit,vt Mars,quem poëtæ deum belli pronunciant,ex eis dicatur ortus fuiſſe. Vnde Vergilius, Gradiuumq; patrem Geticis, qui præſidet aruis. Vnde Gothi Martem ſemper cultura aſperrima placauere, opinantes bellorum præſulem captorum ſanguine complacandum. Tertia vero ſede ſuper Ponticum conſederunt, iam humaniores,& prudẽtiores effecti,& diuiſi per familias caſtra figebant. Arcus ex neruis magno ſtudio compingebant. Vnde Lucanus, Armenioſque arcus Geticis intendite neruis. Habuere & carmina, & modulationes,& inſtrumenta muſica,& pſallentes.

De Tanai,& ortu Parthorum. Caput. XI.

SCythis,quos Amazonarũ viros priſca tradit autoritas, Vexores Rex Aegypti bellum intulit,in quo a Gothorum exercitu victus fuit, quibus præerat Rex Tanais,& niſi Nilus, & munitiones, quas preter incurſus Aethiopum Vexores fecerat,obſtitiſſent,eũm cum patria extinxiſſet. Cumq; eum ibi poſitum lædere non valeret, reuertens fere totam Aſiam ſubiugauit,& Formi Regi Medorum tunc ſibi charo ad perſoluẽdum tributum ſubditam eſſe fecit, ex cuius exercitu nonnulli victores prouincias ſubditas contuentes in omni fertilitate pollere,deſerto ſuorum agmine in Aſiæ partibus reſederunt. Ex quorum genere dicit Pompeius Trogus Parthorum proſapiam deſcendiſſe. Vnde & lingua Scythica Parthi,id eſt,fugaces,ſiue exules dicuntur,ſuoq; generi reſpondentes inter omnes pœne Aſiæ nationes,ſoli ſunt ſagittarij, & acerrimi bellatores. De nomine vero Parthorum,aliqui etimologiam traxerunt, vt dicerẽtur Parthi,quaſi parentum fugaces,quia a parentibus receſſerunt.

Scythæ. Vexores. Tanais.

De fœminis Gothorum,quæ poſtea dictæ ſunt Amazones. Caput. XII.

HVNC ergo Tanaim poſt mortem ſui inter numina poſuere, poſt cuius deceſſum exercitus eius collocatis ibi fœminis ad gentes alias diuerterunt,quibus diutius immorantibus mulieres coactæ ad incurſus hoſtiũ arma ſumpſere,ex quibus aliquæ rediere ad viros,aliæ remanſere. Illæ autem quæ remanſere,in prædam a vicinis gentibus tentabantur,ſed doctæ armis fortiter reſtitere,hoſteſq; ſuper ſe venientes cum magna verecundia abegerunt. Eodem tempore fuere apud eos,qui in Scythia remanſere, duo iuuenes elegantes ex regali progenie procreati,alter Plinus, alter Scolopecius vocabatur, qui egreſſi de.

terrā ſuā cum multitudine iuuenum habitauerunt iuxtà fluuium, qui dicitur Thermodoontus. Incolæ autem eius terræ eos, & ſuos bellis, & factionibus occiderunt. Mulieres vero eorum de virorum interitu condolentes paucos, qui euaſerant, occidere, vt omnes viduæ pari fletu virorum ſanguinem vindicarent, nec ex inde maritalia gaudia admiſerunt, ſed tantum pugnis, & prælijs inſtiterunt. Cum quibus autem pacem habebant concubitui ſe tradebant, & partus tempore maſculos enecabant, & fœminas reſeruabant, & dextras mamillas abſcidere decreuere, vt armis, & ſagittandi officio expeditius vterentur. Virgines autem earum ſpretis officijs mulierum armis, & venationibus inſiſtebant, quæ audientes alias fœminas ſui generis a Gothis relictas prælijs exerceri, in earum Coloniam tranſierunt, quę omnes ſimul fretæ maiori audacia ſe ad inuicem cohortantes, quia ſine principatu incertius ferebantur, duas prudentiores, & audaciores Lampedo videlicet, & Marpeſiam elegere, eaſq; principatui pręfecere. Quæ dum curam rerum gererent, & propria defendentes aliena vaſtarent, Sorte Lampedo cepit fines patrios conuendos. Marpeſia vero fœminarum agmine ſumpto nouum genus exercitus attentauit, & in Aſiam proficiſcens diuerſas gentes bello contriuit, alias pace concilians ad Caucaſum remeauit, ibique certum tempus demorans locum ſaxum Marpeſiæ appellauit. Vnde & Vergilius. Ac ſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſia cautes. Hic ergo multū temporis Amazones confortatæ, inde egreſſæ Tale fluuium tranſiere, Armeniam, Syriam, Ciliciam, Galatiam, Piſidiam: omniaq; loca fœlici exercitu domuere, & reuerſę Ioniam, Aeoliamq; deditas ſibi prouincias effecere. Vbi diutius dominantes ciuitates, caſtraq; ſuo nomine dicauere. Epheſi quoque templum Dianæ mirę pulchritudinis ob ſagittandi ac venandi ſtudium, quibus ſe artibus dedicarunt, effuſis opibus condidere. Tali ergo caſu ex Scythia genitæ fœminę potitæ victoria, per centum fere annos regna Aſiæ tenuere, & ſic demum ad proprias ſocias in cautes Marpeſias, quas ſuperius diximus, ad montem Caucaſum repedarunt. Quæ videntes proles ſuas rareſcere, a vicinis gentibus concubitum petiere, ita, vt facta nundina in anno ſemel maſculis miſceantur, & eadem die futuro tempore reuertentes cōcubitui ſe concedunt, patribus maſculos, ſibi fœminas reſeruantes, & armorum vſui deputantes. Dum vero hæ fœminę partes Aſię deuaſtarent, Perſarum exercitus ſuperuenit, qui cum fœminis bellum agreſſi. XL. millia fœminarum cum Marpeſia occidere. Poſt Marpeſiam Sinope filia eius materno principatui ſubrogatur, poſt hanc regnauit Orithyia, quæ aduerſus Menalaum, & Herculem mouit bellum, & plus dolo, quā pugna Orithyia victa ab Hercule fuit capta, & de exercitu fœminarum fere centum milia in ore gladij cecidere. Hercules autem reſtituit Orithyiam ſorori ſuæ Antiopę, quæ cum Orithyia corregnabat, Poſtea Orithyia miſit ad Scythiam, vt Scythę auxiliū ſibi deſtinarent, quo contra magnum Herculem prelium repararet. Arpedo autem regnabat illo tempore apud Scythas, qui recolens Amazones ex Scytharum, ſeu Gothorum genere proceſſiſſe, dolens tam inſignes fœminas deperiſſe, miſit filium ſuum in auxilium Amazonarum, cum magna multitudine bellatorum, a quorum facie veritus Hercules in Gręciam ſe recepit. Poſt Orithyiam ſuſcepit regnum Penthesilea, quę audiens Gręcos in Troię exterminium adueniſſe, ſuccurſui ſe contulit Troianorum cum. LXX. millibus armatarum, & ibi ſtrenue multa geſſit. Tandem ibidem cum multis ex ſuis ab Achille dicitur interfecta. Poſt Pentheſileam Thaleſtris ſuſcepit regnum Amazonarum; Hęc acta pace cum Alexandro, qui & Pa-

Lāpedo. Marpeſia.

Thaleſtris.

ris, Græcos deſijt infeſtare. Erant autem Amazones varia veſte compoſitæ, capillis a fronte tonſis, a ceruice demiſſis, mamillis dextris abſciſſis, ſiniſtras ſtrictura tunicæ coarctabant. Et erant eo tempore pluſquam ducenta millia armatarum. Et hæ Gothorum fœminæ vſq; ad Iulium Cæſarem regnum egregie tenuerunt ex inde vſque ad hæc tempora regnum tenent in terra, quę vulgariter dicitur Fœminea.

De actibus Gothorum, & de Thelepho, & de Euripilo Gothorum Regibus, & regni Athamari.
Caput. XIII.

SED quia de viris Gothorum ſermo aſſumptus fuerat, & quãta fuerit gentis illius gloria, de fœminis fecimus mentionem, quarum fortitudine hoc probatur. Oroſius dicit, Gothos Regẽ nomine Telephum poſt multa tempora habuiſſe. De quo Iuuenalis, Impune diem conſumpſerit ingens Telephus. Is ergo Telephus Herculis filius, ſorori Priami fuit coniugio copulatus, procerus corpore, ſed terribilior in vigore, qui paternam fortitudinem proprijs viribus æquans genas, & formam ſimilitudine præferebat. Huius regnum Miſiam appellauere maiores. Cum itaq; Hercules tempore Gedeonis fuiſſe dicatur, & ante Telephum filium Herculis, plures Reges habuerit gens Gothorum, ſcilicet, Varic, & Gadaric, & Philemer, & Zamolxem, & Tanaim: & diu poſt Telephum filium Herculis, & Hercules fuerit tempore Gedeonis, qui iudicauit populum Iſraël centeſimo octogeſimo quinto anno, & ita videtur quod multis annis ante tempora Gedeonis Gothi a Scanthia ſunt egreſſi. Is ergo prædictus Telephus habuit bellum cum Danais, in qua pugna Therſandrum ducem Græciæ interemit, & dum Aiacem infeſtus inuadit, Vlixemq; proſequitur, ictibus equo cadente, ipſe corruit. Achilliſq; iaculo femore ſauciatus diu mederi nequiuit, Græcos tamen quanuis ſaucius ex ſuis finibus propulſauit. Telepho vero defuncto, Eurypilus ſucceſſit in regno ex Priami Regis germana progenitus, qui cum ob Caſandræ amorem bello intereſſet Troiano, parentibus, ſoceroq; ferre auxilium cupiens, mox veniẽs eſt extinctus. Poſt longa vero tempora Cyrus ille famoſus Rex Perſarum cum Tomiris Regina Getarum, ſiue Maſſagetarum ſibi execiabile bellum inferret, tranſmiſſo Araxe fluuio mortis, & regni pœnas ſubiuit, cuius caput abſciſſum Tomiris in vtrẽ humano ſanguine plenum miſit, dicens. Satiare ſanguine, quem ſitijſti. Tunc Regina Tomaris adepta victoriã, tantamq; prædam in partem Miſiæ, quæ nunc Amazonia dicitur, victrix abſceſſit, & mutato nomine, minorem Scythiam appellauit, & ciuitatem Tamer a ſuo nomine ædificauit, & adhuc hodie ſucceſtrices earum fœminæ agentes militiam ſtrenuæ habentur in opere militari, & terra earum adhuc hodie dicitur vulgariter Fœminea.

De victorijs Gothorum contra Perſas, & Græcos. Caput. XIIII.

POST hæc Darius filius Hyſtapis Rex Perſarum, Anchiri Regis Gothorum filiam in matrimonio poſtulauit, rogans, pariter & deterrens, niſi ſuam peragerет voluntatem. Cuius affinitatẽ Gothi ſpernentes legationem, & petitionem pariter fruſtrauere, qui quia repulſus, & dolore ſtimulatus, contra ipſos egit exercitum ſeptingentorum millium armatorum, nauibuſq; pœne a Ghalçedonia vſq; ad Chalceda

Bizãtiũ: Bizantium inſtar pontium tabulatis duobus menſibus fatigatus octo millia perdidit armatorum. Timens autem ne põtem eius aduerſarij occuparẽt,celeri fuga in Ghraciam repedauit,nec Miſiæ ſolum credidit eſſe tutum. Poſt cuius deceſſum Gerxes filius eius paternas iniurias vlciſci deſiderans,de ſuis ſeptingenta millia, de auxiliantibus vero trecenta millia habuit armatorum. Naues roſtratas mille ducentas, quæ ad naualc bellum roſtris ferreis armabantur, onerarias autem ad tria millia legitur habuiſſe. Et contra Gothos profectus bellum non fuit auſus tentare, ſed eorum animoſitate,& conſtantia ſuperatus abſque certamine confuſus receſſit. Philippus quoq; pater magni Alexandri cum Gothis amicitias fœderans Medumpam Gudile Regis filiam accepit vxorem,vt tali affinitate roboratus Macedonum regna firmaret. Qua tempeſtate Philippus inopiã pecuniæ paſſus Odiſicanam Moſiæ ciuitatem,quæ propter viciniam Tomiri Reginæ Gothidi erat ſubiecta,vaſtare curauit.

Odiſicana.

Sed ſacerdotes Gothorum,qui pij vocantur, patefactis portis cum citharis, & veſtibus candidis obuiam egreſſi patrijs dijs,vt ſibi propicij Macedones repellerent, voce ſupplici modulantes,quos Macedones ſibi fiducialiter occurrere contuentes, ſi fas eſt dicere, ab inermibus terrentur armati, & ſoluta acie, quam ad bellandum non ad vrbis excidium conſtruxerunt,inito fœdere ad propria ſunt reuerſi. Quem dolum cum poſt longum tempus cognouiſſet Sitalcus egregius doctor, & ductor Gothorũ,CL. millia pugnantiũ congregauit,& Athenienſibus bellũ intulit. In eis Perdica tunc regnãte,quẽ Alexander apud Babyloniam miniſtri inſidijs potans interitũ porrecto anulo in Atenienſium principatu reliquerat ſucceſſorem, magnoq; prælio in hoc inito Gothi inuenti ſunt pro victoria ſuperiores, & pro iniuria, quã in Meſia Grçci fecerant,Gothi in Grçcia diſcurrentes cunctam Macedoniam vaſtauere.

Athenienſes. Babylon.

De ſapientibus Gothorum, & conſiliarijs eorundem.

Caput. XV.

DEINDE regnauit in Gothis Boruiſta, & venit ad eum in Gothiam Dicineus,quo tẽpore Silla in Romanis habuit principatũ; & Dicinei conſilio Germanorum terras,quas Franci detinent, occuparunt,& dedit ei Boruiſta fere regiam poteſtatẽ, Gothorũ regnum Cęſar,qui pœne totum mundum ſuo ſubiecit imperio, crebro pertentãs non potuit ſubiugare,neq; Caius Tiberius Imperator tertius Romanorũ,licet ſępius attentarit. Gothi autẽ hoc commodũ,hoc ſalubre, hoc votiuum,hoc agendum in agendis,& in iudicijs iudicabãt,quod Dicineus eorum conſiliarius approbabat,ipſe autẽ mores eorũ barbaricos immutauit. Ipſe fere omnẽ Philoſophiam,Phyſicã,Theoricam,Practicam,Logicam,Diſpoſitiones.XII. ſignorum,planetarum curſus,augmentum lunæ, & decrementum, Solis circuitũ, Aſtrologiam,& Aſtronomiã,& naturales ſcientias Gothos docuit,& ex belluina ferocitate homines,& philoſophos inſtaurauit. Hęc,& alia Dicineus Gothis peritia ſua tradens mirabiliter enituit apud illos.& non ſolũ mediocribus,immo & Regibus imperauit. Elegit pręterea nobiliores,& prudentiores,fecitq; ſacerdotes,quos ad Theologiam inſtituẽs vocauit ſpeciali nomine Pileatos,& quia Tyaris capita palliabãt,arbitror ſic vocatos. Decedẽte vero Dicineo pœne pari veneratione Eumoſicum habuere,quia nec impar inſolertia habebatur. Etenim Rex, & Pontifex ob ſui peritiam illis fuit,

illis fuit, & in ſumma iuſticia populos iudicabat. Et hoc rebus humanis exempto, ſuccedit in regno poſt multa tempora Dorpaneus.

Iterum de bellis Gothorum, & Oſtrogotha, & Gniua Regibus eorum. Caput. XVI.

ANNO. XII. ante æram conditã vſq; ad ęram. C. XXV. in quã regnauit Domicianus, & fiunt anni. C. XXXVII. ſcriptum non reperi, & ideo hic omiſi. Demum autem Domiciano imperante ęra. C. XXV. Gothi eius auaritiam metuentes fœdus, quod cum alijs principibus pepigerant diſſoluentes, ripam Danubij diu poſſeſſam a Romano imperio deletis militibus, cum eorum ducibus vaſtauere. Caput Opij Sabini, qui inibi Romanis pręerat abſcidentes caſtella, & ciuitates & oppida Romanis ſubdita deuaſtarunt, qua neceſſitate Domicianus cum omni virtute ſua Illyricum properauit pene republica iam exhauſta, & Fuſco eis pręlato cum electitiſſimis viris amnem Danubij conſertis nauibus inſtar Pontis tranſire coegit contra exercitum Dorpinæi. Tum Gothi inſignes reperti arma capeſſunt, primoq; conflictu Romanos deuincunt, Fuſcoq; duce imprimis extincto caſtra militum diuitijs ſpoliant Romanorum, magnaq; potiti gloria per loca proceres ſuos pro gloria, & fortuna Semideos vocauerunt. Hi autem licet communiter dicerentur Gothi, illi autem, qui in Scythia commorantes in Orientali plaga manebant, Oſtrogothi, qui in Occidentali, Veſegothi ſpecialiter vocabantur. Et gens iſta mirum in modum in ea parte Scythię, qua manebat, in Ponti littore tanta terrarum ſpacia, tot ſinus maris, tot concurſus fluminum tenens enituit, vt Vandalus, & Margomanus Squadrorũ Princeps eorum eſſent ſubditi. Faſtida Rex Gepidarum ab Oſtrogotha Rege Gothorum, aut bellum ſibi parari, aut terrę ſpacium legatione pręmiſſa petijt derelinqui. Tunc Oſtrogotha, vt erat animi ſolidi, reſpondit relatis, bellum talle ſe abhorrere, durumq; fore, & omnino ſceleſtum confligere cum propinquis, loca vero non cedere fore dignum. Gepidæ autem in bella irruunt, & inclinata parte Gepidarum, Rex eorum pudendus opprobrijs ad patriam fugii bello coactus. Victores Gothi diſceſſione contenta in ſua patria toto tempore fœliciter reman ſerunt. Poſt deceſſum Oſtrogothę Gniua ad regimen ſublimatur, qui exercitum diuidens in duas partes, vnam partem ad vaſtandam Meſiam dirigit, quæ negligentibus principibus fuerat deſtituta. Ipſe vero Philippolim ire feſtinat, & diu obſeſſam inuadit, prædaq; potitus Priſcum ducem, qui inerat, fœderauit, quaſi cum Imperatore Decio pugnaturus, qui Decius cœpit regnare æra. CCLX. VII. Ad conflictum igitur venientes, illico Decij filium ſagitta crudeli funere ſauciauit. Quod pater aduertens ad confortandos animos fertur dixiſſe. Perditio nevnius militis nihil eſt reipublicæ diminutum, affectu tamen paterno compatiens hoſtem inuadit, aut mortem, aut vltionem filij expoſcendo, diſpoſitoq; prelio finem conſeqnitur vitæ, Imperij, vltionis.

era.cxxv.
Gothi.
Danubius.
Gothi.
Oſtrogothi.
veſegothi
Squadrorum.
Vidalus.
Margomanus.
Gepidæ.
Myſia.
Philippolis.
æra.cc.lxvij.

De Gallo & Voluſiano, & Claudio Imperatoribus, & pugnis eorum cum Gothis, Caput. XVII.

DEFVNCTO autem Decio Gallus, & Voluſianusfilius eius regnum adepti ſunt Romanorum, & regnauere Annis duobus. æra CC. LXX. Gallo autem infata cedente, Galienus per ſe arripuit
æra.cc.lxx principatum, æra. CC. LXXI. tempore cuius Gothorum exerci
Gothi. Helleſpõtus. tus cum multis nauibus per Helleſpontum in Aſiam tranſierunt, vbi multas eius prouinciæ ciuitates, & opulentiſſimum templum Dia
Templũ Dianæ. næ, quod ſuperius diximus Amazones condidiſſe, extractis diuitijs ſuccendere, &
Chalcedõ ſpoliatam Chalcedoniam ſubuertere, quam poſtea Cornelius habitus reparauit.

Quæ & ſi vrbis regiæ dignitatem obtineat, antiquæ pugnæ poſteris ſigna præfert. Hac ergo fœlicitate victorijs, ſpolijs, prædaçꝫ ditati tranſeuntes per Helle
Troia. ſpontum in ſuo itinere Troiam, & Ilium vaſtauere, & quæ erant a bello Agame
Ilium: nonis vix aliquantulum reparatæ, hoſtili gladio iterum feriuntur. Poſt tale exci
Anchiaſſi dium iterum Aſia eorum experta eſt feritatem. Nam Anchialon ciuitatem aggreſſi quam mari vicinam Sardanapalus Rex Aſſyriorum dicitur conſtruxiſſe, ibi multis feruntur manſiſſe diebus aquarum calidarum recreatione iucundi. Erat autem ad infirmorum efficaciſſime ſanitatem. Ex inde ad propia repedarunt. Cumçꝫ regiones Romanis ſubditas deuaſtarent, Claudius Imperator, qui cœpit regnare æra. CC.
æra.cc. lxxxvi. LXXXVI. occurrit. Et victos cõegit ad primas ſedes ſcythiæ remeare. Romani autem Claudium Auguſtum, pro eo quod tam fortiſſimam gentem a finibus reipublicę remouiſſet, inſigni gloria honorantes in foro illi aureum clypeum in Capitolio auream ſtatuam collocarunt,

De Conſtantino Imperatore, & Geberic, & Hermanarico Gothorum Regibus, & eorum bellis. Caput. XVIII.

DEMVM cum auxilia plurima Diocleciano, & Maximiano
æra.ccc. xxvi. Romanorum principibus præbuiſſent, ſuccendente Conſtantino Cæſare magno, qui cœpit regnare, æra. CCC. XXVI, aliquandiu ſunt neglecti, eo quod Cæſar magnus ſuccedentibus ſibi proſperis contra Parthos, & Perſas in ſuperbiam tumuiſſet. Et cum
Gothi. Sarmatæ. Dioclecianus Achillem in Alexandria ſuperaſſet, & Maximianus Herculeos, & Quingentinos in Africa atriuiſſet, cœperunt Romani Gothorum auxilia dedignari. Tunc Gothi Sarmatarum regionem aggreſſi copioſiſſimis ſuper Romanos agminibus irruere, & vehementi virtute cuncta depredatione, & gladio vaſtauere. Aduerſus quos Conſtantinus aciẽ inſtaurauit, ingentiçꝫ certamine Danubium compulit pertrãſire de diuerſis gentibus virtutis gloria clarus, ſed de Gothorum victoria amplius glorioſus, quem Romani acclamante ſenatu laude ſunt publica proſecuti, quod tantam getem vicerit, quod patriam reipublicę reformarit. Gothi autem ad iuga propria reuertentes ibidẽ aliquandiu habitarunt, ſed quia licet vitia virtutibus non cedebant, iterum contra Romanos rebellia attentarunt, & ſub Ariaco, & Aurico, qui tunc temporis Gothis præerant Pannoniam, & Italiam deua
Verona. ſtantes Liguriam inuaſerunt, & commoditate regionis illecti ſtuduerunt famoſiſſimam Romanæ vrbis æmulam in ſuo nomine condere ciuitatem, quæ ab aliquibus
Liguria. creditur fuiſſe Verona, quæ vt alibi diximus quaſi væ Roma eſt appellata. Ali
Sicãbria. qui dicunt fuiſſe Sicambriam, quæ fuit iuxta paludem Mæotidam ædificata.

Poſt Ariacum & Auricum Geberid ſuccedit in regnum Anno Conſtantini. XX. VII. æra. CCC. LIII. Nam hic cũ eſſet nobiliſſimus, genere gloriã, generis ſui auorum magnalibus voluit adæquare, & primitias regni in gẽte Vandalica cupiens oſtẽtare contra Huimar Regem eorũ bella tentauit, victumq́ʒ coegit a patria exulare.

æra. ccc. liij
Vandali.

Huimar autẽ, & Vandali expulſi a ſedibus ad Conſtantinũ principẽm Pannoniam petierunt, ibiq́ʒ fere per. LX. annos locatis ſedibus Imperatorum decretis velut incolę paruere, & poſt longum tempus a Stilicone magiſtro Romanæ militiæ Conſule, & patricio inuitati Gallias occuparunt. Vbi finitimos deprædantes impedientibus Gothis non potuere ad primas ſedes in Pannoniam remeare. Nam Giberido rebus humanis exempto Hermanaricus regimen ſuſcepit in Gothis anno Conſtantini Inperatoris ſecundo. æra. CCC. LVII. Hic multas, & bellicoſiſſimas gentes perdomuit, ſuiſque legibus parere coegit, quem merito nonnulli Alexandro maximo compararunt. Siquidem cum gentes domitas haberet ſubiectas, & apud omnes earum ſubiectione clarus floreret, non eſt contentus niſi gente Herulorum, quibus præerat Alaricus, fere trucidata reſiduum ſuæ ſubijceret ditioni. Nam gens prædicta quamuis multos ſua velocitate ſubigeret, Gothorum tamen ſubiacuit ſtabilitati, vt & ipſa inter gentes reliquas Hermanarico ſeruiret. Poſt Herulorum cædem Hermanaricus in Venetos arma mouit, qui quamuis armis deſpecti præ numeroſitate tamen primo reſiſtere conabantur, & licet ab vna ſtirpe exorti. Venetiani, & Sclauiani dicantur, hos omnes Hermanaricus ſubegit, & vt proprijs laboribus imperauit.

Pãnonia.
Gallia.
æra. ccc. lvij.
Heruli.
Venetiani.

De Hunis, & morte Hermanarici.
Caput. XIX.

HERMANARICVS autem Rex Gothorum, qui, vt ſuperius retulimus, multarum gentium extiterat triũphator, aliquo vulnere ſaucius ægram vitam imbecillitate contraxit, & tunc Alamber Rex Hunorum in Oſtrogothas, qui iam a Gothis ſeiuncti manebant, inſiluit, & proſtrauit. Hermanaricus autem dolore vulneris, & Hunorum potius vitæ ſuæ Anno. VX. eſt defunctus. Cuius mors Hunis occaſionem præbuit præualendi, ipſiq́ʒ Gothi, qui remanſerant extinctis pene Oſtrogathis, & Veſegothis ad Valentem Imperatorem nuncios tranſmiſerunt, vt partes Thraciæ, & Mœſiæ eis traderet ad manendum, qui annuit, & petitas terras contulit excolendas, & Danubium tranſmeantes Datiæ & Thraciæ largitione principis inſederunt.

Alamber.
Oſtrogothi.
Hunni.

Libri primi
finis.

RERVM IN HISPANIA

GESTARVM CRONICON LIBER SECVN-dus. de Schiſmate in Athanaricum, & Fridigernum, & hæreſi Arriana. Caput Primum.

æra.ccc. lxxxi. PRIMVS Gothorum gentis adminiſtrationem ſuſcepit
Athanaricus ęra.CCC.LXXXI.& regnauit annis.XIII.
qui perſecutione crudeliſſima aduerſus fidem commota con
tra Gothos, qui in gente ſua Chriſtiano nomine cēſebantur,
cædes cœpit. Ex quibus plurimos, qui nolebāt idolis immo
lare, fecit martyres, reliquos autem multis perſecutionibus
afflictos, dum interficere prę multitudine abhorreret, dedit
æra.ccc. lxxxix licentiam ini Romanorum prouinciam tranſmigrare. æra.
CCC.LXXXIX. Gothi in Hiſtrum aduerſus ſe metipſos in Athanarico, & Fri-
digerno diuiſi alternis ſe cædibus deuaſtarunt. Sed Athanaricus Fridigernum Va-
lentis Imperatoris auxilio ſuperauit, & ei cœpit potentia prępminere. Verūtamen Fri
digernus quaſi ſub Regulus habebatur. Tandem vero ne gentis Gothicæ gloria ſcin
deretur, Fridigernus cum ijs, qui in Oriente Oſtrogothi dicebantur, & Athanaricus
cum Veſegothis in Occidente tabernacula metabantur, Tunc Gudila Epiſcopus eos
Gudila. legem docuit Chriſtianam, & ſcripturas noui, ac veteris Teſtamenti, linguā tranſtu-
lit in eandē. Et Gothi, qui hactenus idololatriæ ſuperſtitioni dediti gentilibus ſacri-
ficijs ſe vouebant, iam nunc fide ſuſcepta eccleſias conſtruxerunt, & ſacerdotes Euan-
gelicos habuere, ſpecialeſqꝫ literas, quas eis cum lege Gudila eorum Epiſcopus tradi-
derat. habuerunt, quæ in antiquis Hiſpanorū, & Galliarum libris adhuc hodie ſuper
extant, & eſt litera, quæ dicitur Toletana. Huius rei gratia legatos cum muneribus
ad Valentem Imperatorem miſerunt, & doctores propter ſuſcipiendam Chriſtianæ
fidei regulam poſtularunt. Valens autem a veritate catholica deuius, & Arrianæ hæ
reſis peruerſitate detentus, vt audiuit Gothos fidem catholicā ſuſcepiſſe, applauſit eiſ-
dem, & miſſis hæreticis ſacerdotibus Gothos perſuaſione nefanda ſui erroris dogma-
ti aggregauit in tam præclarā gentē virus peſtiferum transfundendo. Sicqꝫ errorem,
quem recens credulitas bibit, tenuit, diuqꝫ ſeruauit vſqꝫ ad tertiā ſynodū Toletanam,
quę fuit ſub Recharedo principe celebrata. Gothi autem ſtatim, vt Valentis literas ſuſ
cepere, & ſibi dogmatis ſui eccleſias conſtruxere, & talia iuxta eundē Arrium de ipſa
diuinitate documenta ſumpſere, vt crederent filium patris maieſtate eſſe minorem,
& æternitate poſteriorem. Spiritum autē ſanctum nec dominum eſſe, nec ex ſubſtan
tia patris exiſtere, ſed per filium creatum eſſe, vtriuſqꝫ miniſterio deditū, & amborum
obſequio ſubditum. Aliam quoqꝫ patris ſicut perſonam, ſic & naturam aſſerentes,
aliam filij, aliam deniqꝫ ſpiritus ſancti, vt non iam ſecundū ſanctę ſcripturæ traditio-
nem vnus Deus & vnus dominus coleretur, ſed iuxta idololatriæ ſuperſtitionē tres
Deos & dominos faterētur. Cuius blaſphemię malū per deceſſum temporū, Regum
que ſucceſſum annis pluribus tenuere. Qui tandem ſalutis ſuæ reminiſcentes, & ino
æra.ccc. xc. litam perfidiam deteſtantes ad vnitatem catholicæ fidei redierunt. æra.CCC.XC.

De fame Gothorum, & morte Valentis Imperatoris.

Caput. II.

GOTHI, qui primum Chriſtianos a ſedibus ſuis expulerunt, rur-
ſus ab Hunis, & ipſi cum Athanarico, & Fridigerno ſuis Regibus Huni.
ſunt expulſi tranſito Danubio, cum vim ferre non poſſent, Valen-
tis Imperatoris imperio armis depoſitis ſe dederunt. Sed vbi vide-
runt ſe opprimi a Romanis, contra conſuetudinem libertatis rebel-
lia tractauerunt. Verum famis periculo eminente Fridigernus, &
Athanaricus, qui vice Regum illis præerant, exercitus inopiæ condolere, & immun
dorum animalium morticina eis dare, ita vt mancipium pro vno pane, aut decem li-
bris carnium mercaretur. Mancipijs autem, & ſupellectili iam diſtractis, filios eo-
rum auarus mercator poſcebat, parentes autem ſaluti pignorum prouidentes elegerẽ
ingenuitatem potius perire, quam vitam, dum qui venditur vitæ ſeruetur. Contigit
illo tempore, vt dictator Romanorum Fridigernum Gothorum Regulum dolo ad
conuiuium inuitaret. Sed cum Fridigernus doli neſcius cum paucis conuiuio adue-
niſſet, ſuorum in prætorio occiſorum vox ſuſpectis auribus intonuit, & voce flebi
li non ignota illico velocitate egreditur Fridigernus, ſuoſq; ſocios eripiens ab interi-
tu imminente ad Romanorum necem inſtigat. Qui nacti votiuam occaſionem ele-
gerunt bello magis quam fame deficere, & Lupicinum & Maximinum duces gladio
occidere, & illa dies Gothis famem Romanis ſecuritatem ademit, cœperuntq; Gothi
iam nõ vt aduenę, & peregrini, ſed vt ciues, & domini poſſeſſoribus imperare, totaſq;
Septẽtrionales vſq; ad Danubiũ ſub iure tenere, quod cõperiens in Antiochia Valẽs
Imperator mox armato exercitu in partes Thraciarũ egreditur, vbi lachrymabili bel
lo cõmiſſo vincentibus Gothis in quodã prælio iuxta Andrianopolim Sautius ipſe Adriano-
fugit, ignorantibuſq; quod Imperator in tam vili caſella deliteſceret Gothis ignem, vt polis.
aſſolẽt, apponentibus cum regali põpa crematur, & merito ipſe ab eis tẽporali crema
tur incendio, qui tam pulchras animas æternis ignibus tradiderat concremãdas. In-
uenere autẽ Gothi illo prælio cõfeſſores priores ex Gothis, quos dudũ propter fidem
a ſuis finibus expulere, & voluere eos participes fieri prędæ ſuæ, qui cum acquieſce
re noluiſſent, fuere ex eis aliqui interfecti, alij montuoſa loca tenentes ſibi refugia con-
ſtruxere, & non ſolum perſeueratione Chriſtiani catholici, ſed & in cõcordia Roma
norũ, a quibus dudũ excepti fuerant, permanſere. Eo tẽpore Veſogothi Thraciã, Da
ciamq; Ripenſem poſt tanti trophęi gloriam, tanquam ſolum genitale potiti colere
inceperunt.

De quibuſdam vaſtationibus, & pace Romanorum, & morte Athanarici, & Fridigerni. Caput. III.

GRATIANVS utem, qui cœpit regnare æra. CCC. XC. I. & re- Æra ccc
gnauit annis. VI. poſt obitũ Valentis patrui ſui. Theodoſium, qui agno xci.
minabatur Hiſpanus, filium Theodoſij Comitis electũ præfecit imperio
Orientis anno regni ſui quinto, & fratrem paruum Valentinianũ Roma
no imperio ſubrogauit. Qui Valentinianus regnauit cum Theodoſio
annis. VIII. Cum autem eſſet Theodoſius acris ingenij conſilio, & virtute præcla
rus præceptorum ſeueritatem ſic liberalitate, & blanditia temperauit, vt remiſſum
exercitum ad fortia prauocaret. At vero milites Principe meliore cõperto impeten-
di Gothos fiduciam acceperunt, eoſq; Thraciæ finibus pepulere. Sed cum Theo-
doſius pene vſq; ad deſperationem ægrotaſſet, Fridigernus cum Gothis diuiſo exer-

Theſſalia Epyros. Achaia. Alathei. Pānonia.

citu Theſſaliam, Epiros, Achaiam, & Alatheos cum reſiduis copijs deprædatus Pannoniæ ſuperuenit. Quod cum Gratianus Imperator, qui a Roma in Gallias ſeceſſerat, comperiſſet, mox ad eos collecto exercitu venit, & eorum exercitum, cui præerat Fridigernus, primo aduentu proſtrauit. Sed cum qui euaſerant ad Athanarici exercitum confugiſſent, & mox Athanaricus deliberauit collegæ ſanguinem vindicare. Sed Gratianus occurrens venit ad eos non tam armis, quam gratia, & muneribus complanandos, pacemque firmat, victualia concedendo. Quod audiens Theodoſius poſtquam conualuit gratum tulit, & in hanc pacem ipſe conſenſit, Athanaricumq; Regem, qui Fridigerno ſucceſſerat, ſibi benignis moribus, & muneribus

Conſtantinopolis.

ſociauit, & Conſtantinopolim accedere inuitauit, qui acquieſcens cum Theodoſio vrbem Regiam eſt ingreſſus, miranſq; vrbis ſitum, ſtationemq; nauium, populoſq; diuerſarum gentium, quaſi in vno fonte e diuerſis mūdi partibus ſcaturire: En, inquit, cerno, quod incredulus audiebā. In tali ergo admiratione maioriq; a principe ſuffultus honore, obijt paucis menſibus interiectis, quem Princeps affectionis gratia plene plus mortuum quam viuum honorans dignæ tradidit ſepulturæ

De ſtrage Radagaſi, & Stiliconis, & vaſtatione Italiæ. Caput. IIII.

Aera. cccc. xc.iiij.

DEFVNCTO igitur Athanarico ęra. CCCCX.IIII. attēdentes Gothi Theodoſij benignitatem Romano Imperio ſe dedere, fuereq; ſine Rege. XXVIII. annis. Et exinde dicti ſunt Fœderati, quos Theodoſius contra Eugenium tyrannū, qui occiſo Gratiano Gallias occuparat, pluſquam viginti millia armatorū fideles, & amicos intelligens ſecum duxit, victoriaq; de prædicto tyrāno potitus vltionem exegit. Sub Theodoſio Alani, Vandali, & Sueui Hiſpanias ſunt agreſſi, Alani Carthaginē, & Luſitaniam ſortiuntur. Pars Vandalorum, qui Silingui dicebantur, Bæticæ reſederunt. Reliqui Vandali cum Sueuis Gallecią̄ ſunt adepti. Poſtquā

Alani. Vandali. Sueui. Silingi. Aera. cccc. xc. ij.

vero Theodoſius, qui cœpit regnare cū Gratiano æra. CCC. XC. II. & regnauit cum eo annis quinq; & Valentinianus regnauit Romæ annis ſeptē, & Theodoſius in oriente poſt mortem Valentiniani iunioris regnauit monarches annis decem, & fiunt in vniuerſo anni. XVII. Hic pacis, & Gothorum gentis amator fuit, & rebus

Aera. cccc. xij.

exceſſit humanis æra. CCCC. XII. & ſucceſſere ei Arcadius, et Honorius filij eius, & regnauere annis. XXV. qui luxurioſe viuentes Gothis conſueta donaria ſubtraxerunt. Mox Gothis increuit faſtidiū, verētibus ne longa pace eorū ſtrenuitas ſolueretur. Et iudicarūt indignū ſe Romanorū ſubditos poteſtati, eoſq; ſequi, quorum leges, & imperiū contēpſere, & quos in prȩlio ſępius deuicerūt. Sed dum Regē eligere procurarent anno. XI, Arcadij, & Honorij æra. CCCC. XXIII. in Radagaſo, &

Aera. cccc. xxiij.

Alorico diuiſi ſe varijs cędibus lacerarūt. Tandē in concordiā veniūt, ob excidiū Romanorū, & pari intentione vniforme conſiliū inierunt, vt ambo pariter corregnarent, Alaricus tamen potior haberetur, & ad deprædandas Italiæ regiones ad inuicem diuiduntur. Sed Radagaſus genere Scytha cultui idololatriæ deditus Barbaricæ inhumanitatis feritate ſæuiſſimus cum ducentorum armatorum millibus Italiæ partes vaſtatione aggreditur vehementi ſpondens in contemptum Chriſti dijs ſuis Romanorū ſanguinē immolaturū. Cuius exercitus ab Stilicone duce Romano in mōtuo-

Thuſcia.

ſis locis Thuſcię circūcluſus fame eſt potius quā ferro conſumptus. Ipſe poſtremum

Rex captus, & interſectus. Quo extincto conſors regni alacrius cœpit regnare ſolus, nomine quidem Chriſtianus, ſed hereticus profeſſione. Qui dolens tantam multitudinem Gothorum extinctam habito ſuorum conſilio, ad Honorium miſit legationem, vt, ſi permitteret, Gothi pacati in Italiam reſiderent, ſin autem aliter bello foret agendum. Sed Honorius vtramque pollicitationem formidans inito conſilio cum ſenatu, vt eos a finibus Italiæ pellerent, prouincias longe poſitas, ſcilicet, Gallias, & Hiſpanias, quas pœne perdiderant, conceſſerunt. Gothi autem acceptant donationem ſacro oraculo confirmatam, & ad patriam ſibi traditam proceſſerunt. Poſt quorum diſceſſum nihil mali in Italia perpetrato, Gothis nihil a Romanis ſuſpicantibus, Stilico patricius, & ſocer Honorij, qui fuerat natus de genere Vandalorū gente perfida, & doloſa, in alpibus Gothos inuadere procurauit. Sed Gothi recollectis animis, vt ſolebant, & recolentes tantam multitudinē cum Radagaſo extinctam omnem pœne exercitum Stiliconis vſque ad internectionem furibundo animo proſtrauerūt, & in Lyguriam, quam tranſierāt rediere eamque prædis, & ſpolijs deuaſtantes Aemiliam pariter vaſtauere, & Tuſciam diſcurrerunt.

Gallia. Hiſpania.

Vandali.

Aemilia.

De deſtructione vrbis, & morte Alarici.

Caput. V.

ETNE victrix cædiū expers remaneret, Alaricus cum ſuis in vindictam ſanguinis Radagaſi aduerſus Romam prælium incœperūt, obſeſſamque magnæ cladis impetu irruperunt. Sicque vrbs cunctarum gentium victrix Gothicis triumphis victa ſubcubuit, & capta. Gothi autem tantæ fuerunt clementiæ, quod omnibus indulſerunt, qui ad ſanctorum limina confugerunt, nec quemqaam a ſanctuarijs extraxerunt. Ingreſſi vrbem omnibus pepercerunt, ſed ijs, quos extra loca martyrum inuenerunt, Chriſti, & ſanctorum nomina inuocantibus, ſimili miſericordia indulſerunt, in reliquis autem & ſi præda hoſtibus patuit, feriendi licentiam pietas refrenauit. Incurſantibus vero Gothis in illa vaſtitate per vrbem dum quidam potens virginem conſecratam ætate prouectam in trāſitu reperiſſet, eam modeſte admonuit, vt ſi quid apud ſe auri, argentique haberet, voluntarie exhiberet, illa fideli conſcientia, quod habuit, reuelauit. Gumque ille vaſorum formam, & pulchritudinem ex illa antiqua Romanorum opulētia miraretur, Virgo ait. Hæc vaſa mihi de ſacrario beati Petri Apoſtoli ſunt commiſſa, præſume, ſi audes. Ego ſacram hoſtiam non audeo tibi dare. Gothus ille ad nomen Apoſtoli magno pauore perterritus, hoc Regi per nuncium nunciauit qui Rex confeſtim reportari omnia ad ſacrarium ſancti Petri per virginem illam ſumma cum reuerentia iuſſit, dicens. Cum Romanis ſe bellum gerere non cum apoſtolis Ieſu Chriſti. Redit igitur virgo reuerentiſſimis officijs honorata, redeunt & cum illa omnes, qui ei ſe ſociauerunt ſuper capita ſua vaſa illa aurea, & argentea cum hymnis, & canticis reportantes. Concurrerunt vndique ad voces canentium de latibulis agmina Chriſtiana. Concurrerunt & Pagani Chriſtianis admixti, & dum ſeruos Chriſti ſe eſſe fingerent, calamitatis excidium euaſerunt.

Hoc & Auguſt. in pri. de ciuitate Dei teſtatur.

Mira Gothi curioſi dā reuerentia erga virginem & pietas erga deū. Alarici dicum religioſum.

Capta eſt itaque Roma ab Alarico anno. M. C. LXIIII. ditionis ſuæ. Et beatus Innocētius Papa primus refert, qui tunc temporis apud Rauenam poſitus, vt peccatoris populi non videret excidium, illa irruptio non hoſtis fortitudine, ſed Dei iudicio acta fuit. Hac tempeſtate Gothi Placidiam Theodoſij Imperatoris filiam Ar-

Roma capitur ab Alarico Gothorū Rege.

tadij, & Honorij Imperatorum ſororem, cum ingenti auri, argentiq́ꝫ theſauro Romę
capiunt, adeptiſque multis opibus Romanorum, tertia die euerſa vrbe partibus, &
incenſa, inclyti & ſpolijs, & victoria receſſerunt. Deinde per Campaniam Bru-
Ciparia. Brucia. Lucana. Sicilia. ciam, Sucaniamq́ꝫ ſimili ſtrage bachantes Rhegiam peruenere. Inde conſcenſis na-
uibus cum Siciliam exiguo ab Italia freto diuiſam tranſire diſponunt, infeſto mari pe
riclitati, multum exercitum perdidere, quibus tanta fuit gloria de Romanæ vrbis ob-
tentu, vt nihil mali ſe paſſos arbitrarentur euentum naufragij victoria compẽſantes.

Poſt paucos autem dies apud Conſentiam, quam ipſe deſtruxerat, Alaricus mor
Cõſentia. Aera. cccel. Barſentũ. te ſubita eſt defunctus. XXVII. regni anno, æra. CCCCL. quem ſui nimia dile
ctione lugentes Barſento amne a ſuo alueo deriuato, in medio amne collecto captiuo-
rum agmine, locum effodiunt ſepulturæ, in cuius foueæ gremio Alaricus cum mul-
tis copijs ſepelitur, & loco obtecto, rurſus amnem proprio curſui reddidere, & vt ne-
ſciretur ab aliquo, omnes foſſores captiuos, qui interfuerant, extinxerunt.

De victorijs Athaulphi, & morte eius.

Caput, VI.

ALARICO ſepulto, ad regni faſtigium Athaulphum conſan-
guineum eius forma, mẽteq́ꝫ conſimilẽ ſublimarunt æra. CCCC-
Aera. ccccxlix. XLIX. & regnauit annis ſex, qui & ſi nõ adeo proceræ ſtaturę, pul
chritudine tamen corporis erat in oculis intuentium gratioſus. Hic
ſuſcepto regno rediens Romam ſi quid remãſerat, totum abraſit mo-
re conſumentium locuſtarum, nec tãtum priuatis diuitijs, immo pu
blicis Italiam ſpoliauit, Imperante Honorio reſiſtere non valente. Cuius ſororẽ Pla
cidiam, quam Gothi Romæ ceperant, tum propter nobilitatem, tum propter pulchri
tudinem in foro Iulij, ciuitate Emiliæ, ſibi matrimonio copulauit. Et Honorio re-
bus exhauſto iam quaſi cognato deferens reliquit Italiam, & ad Gallias ſe conuertit,
quod cum audiſſent Burgundiones, & Franci, qui prius Gallias infeſtabant, cœpe-
runt ſe ſuis finibus coarctare. Vandali, Alani, & Sueui, quos Gothi fugauerant a
Pannonia, qui & in Gallijs ſe receperant, relatione maiorum didicerant qualiter Ge-
berid Rex Gothorum incommodis, & cædibus eos in Pannonia coarctarat, & a Go
this coacti ad partes confugerant Galliarum. Vnde audito eorum aduentu, ſe ad
Hiſpanos tranſtulerũt. Cumque Athaulphus diu Gallias infeſtaſſet, ei vt principi
paruere. Confirmato itaq́ꝫ Gothorum regno, Athaulphus audiens inſolentias bar-
barorum, cœpit condolere miſerijs Hiſpanorum, & occurrere incurſibus Vandalo-
Athaulphi mors æra. cccclv. rum. Dum autem relictis Gallijs Hiſpanias peteret, a quodam ſuorum apud Bar-
cinonam fuit inter familiares fabulas iugulatus, æra. CCCCLV. Huius Athaul-
phi, & Placidiæ matrimonio conãtur quidam adaptare prophetiam Danielis, Filiam
Regis Auſtri aſſumet Rex Aquilonis, nec ſtabit ex eis germen. Et vocant Regem
Auſtri Teodoſium, & Regem Aquilonis Athaulphum, nec ſtetit ex eis germẽ, quia
prolem non habuerunt. Sed aliter exponitur in Daniele de Regibus Syriæ, &
Aegypti, nec reſpectu loci vbi prophetauit, regnum Romanum verſus auſtrum con
ſiſtit. Interea Stilico comes, de quo diximus, cogitauit Honorium pellere de impe-
rio Romanorum, & ſuum filium Eucherium ſubrogare. Sed Honorius ſtratum bel
lo cum Eucherio filio interfecit.

De Sigerico, & Valia, & victorijs in Hiſpania. Caput. VII.

POST obitum Athaulphi Princeps Gothis eligitur Sigericus, æra. CCCCLV. & regnauit anno vno. æra. cccc. lv. Erat autem Sigericus Romanorum clade in vrbe notiſſimus, ſtatura mediocris, profundo animo, ſermone rarus, cõtemptor luxuriæ, ira turbidus, habendi cupidus, ad ſolicitandas gentes prudentiſſimus, contentionum ſemina iacere, odia miſcere paratus, claudicans equi caſu. Hic, cum plures haberet filios, ſperans regnum filijs prouenturũ, ne inteſtino bello, ſicut in reliquis gentibus aſſolet prouenire, populus vexaretur, cœpit ad pacem intendere Romanorum. Ordo in filijs iſte fuit. Primus Giſericus pater, & dominus. Sequens Hunericus. Tertius Guntemandus. Quartus Traſamundus. Quintus Hildericus.

Cum igitur Sigericus proponeret Gothos ob cauſam filiorum pace diutina detinere, & Romanorum beneplacitis conniuere, Gothi, quorum belli quam pacis potior cauſa fuit, contra ipſum continuo conſpirarunt, & eum factione impia peremere. æra. CCCCLVI. Valia Sigerico in regno ſuccedens regnum tenuit tribus annis belli cauſa Princeps a Gothis effectus. Sed ad pacem diuina prouidentia ordinatus, mox enim, vt regnare cœpit, fœdus cum Imperatore Honorio pepigit. Placidiam ſororem eius olim captam ei reſtituit honoratam, promittens Imperatori ſe propter rempublicam adiutorem Itaq; ad Hiſpanias per Conſtantium patricium euocatus, Romani nominis cauſa barbaris intulit magnas cædes. Vandalos Silingos in Bætica bello proſtrauit. Alanos, qui dominabãtur Vandalis, & Sueuis adeo cęcidit, vt extincto Athace ipſorũ Rege pauci, qui ſuperfuere ex Alanis, obliti regni nomine Gunderico Regi Vandalorum, qui in Gallecia reſidebat, ſeſe darent, & dum cum Valia confligere tentauiſſent, non potuerunt eius potentiam ſuſtinere. Deuictus itaq; cum Vandalis Gundericus fugam in Aphricam meditatur, & dum a bello Hiſpaniæ vellet in Aphricam transfretare, in freto Gaditani maris vi grauiſſimæ tempeſtatis effractus, memor illius ſub Alarico naufragij omiſſo nauigationis periculo relictis Hiſpanijs fugam in Gallias procurauit. Proſtratis igitur Vandalis, Alanis, & Sueuis potitus victoria ab Hiſpanijs glorioſus Valia reuertitur in Toloſam, Romano imperio fugatis hoſtibus aliquantas prouincias, ſecundum quod promiſerat, derelinquens.

Et data eſt ſibi ab Imperatore ob meritum victoriæ ſecũda Aquitania cum prouincijs, & ciuitatibus aliquantis. Poſt hæc apud Toloſam longa valetudine deprimente exceſſit a rebus humanis, qui fœlix fuerat, licet parum.

De Theudoredo, & caſu Hunorum. Caput. VIII.

VALIA Rege defuncto Theudoredus ſuccedit in regno æra. CCCCLIX. & regnauit annis. XXXIII. qui regno Aquitanico non contentus, æra. cccc. lix. pacis Romanæ fœdus recuſat, plęraq; municipia Romanorum ſuis cædibus occupauit, Aurelianum nobiliſſimum Galliæ oppidum obſeſſum multis viribus oppugnauit, a cuius obſidione eminente virtute Ethij Romanæ militiæ Ducis non impunitus abceſſit. Iuſſu igitur Valentiniani Imperatoris Ethio remoto a militię principatu, cum Theudoredus Narbonem vrbẽ fame, & obſidione diutina infeſtaſ-

ſet, rurſus a Litorio Romanæ militiæ duce Hunis auxiliantibus effugatur. Lito-
rius autem dum primũ geſſiſſet bella rei publicæ contra Gothos, denuo dæmonum
ſignis, aruſpicumq́ꝫ reſponſis fallaciter circunuentus, bellum cum Gothis inijt mori-
turus, amiſſoq́ꝫ Romano exercitu, miſerabiliter interijt ſuperatus. Fecitq́ꝫ intelligi,
quantũ illa, quæ cum eodem perijt multitudo, prodeſſe potuerit, ſi fide, potius quam
fallacibus dæmoniorum auſpicijs dimicaſſet. Extincto igitur Litorio, & receptis
epiſtolis Valentiniani, Theudoredus cum Romanis pace inita, denuo aduerſus Hu-
nos Galliarum prouincias deuaſtantes, atque vrbes plurimas euertentes in campis
Cathalanicis contra Hunos, & Regem eorum Athilam bellum aſſumpſit. A par-
te Romanorum tanta Ethij patricij, cui innitebatur reſpublica, virtus enituit, vt in ea
parte Hunorum ferocitas ſopiretur auxiliantibus Francis, Burgundionibus, Saxo-
nibus, Vrionibus, qui quondam fuerant Romani milites, ſed tunc in auxiliũ requiſiti.
Sangibanus autẽ Rex Alanorũ metu perterritus futurorum Aurelianis ciuitatẽ Gal
lię vbi ſiſtebat, pollicetꝰ Athilę ſe daturum. Sed vbi Theudoredus, & Ethius cogno-
uere, ante aduentũ Athilę iniectis aggeribus occuparunt, & quia ſuſpectũ cuſtodiri fa
tiunt Sangibanũ, quem cũ gente propria in die belli medium ſtatuere. Athila autem
Rex Hunorũ tali diſcrimine conturbatus timuit experiri, & futura cœpit per aruſpi-
ces ſciſcitari, qui prænunciantes infauſta hoc ſolatij prædixere, quod ductor aduerſæ
partis occũberet, & ſua morte triumphum ſedaret. Erat autẽ in campis illis locus ſu-
perexcreſcens, quem vterq́ꝫ cupiebat exercitus obtinere, dexterã partẽ Huni, ſiniſtrã
Gothi, & Romani cum ſuis auxilijs occuparunt. Inter quos dextrum cornu tenebat
Theudoredus, ſiniſtrum Ethius cum Romanis, medium Sangibanus. Ex aduerſo
autem acies Hunorum ordinatæ in quorum medio cum ſuis Athila conſiſtebat, vt
hac ordinatione ab imminenti periculo ſeruaretur, excepto cornu Athilæ multiplices
populi, & nationes diuerſæ, quas ſuæ ſubdiderat ditioni ſuæ gentis exercitum ambie-
bant. Athila autem ſolicitus ſuper omnes ſuos erigit ad certamen. Sed Thuriſmun
dus Theudoredi filius, & Ethius dux Romanus cruento Marte collis ſupercilium
occuparunt. Arderico Rege Gepidarum, qui ob nimiam fidelitatem conſilijs intere
rat, & ſecretis, & Valamer Rege Oſtrogothorum, qui erat ſecreti tenax, doli ignarus,
blandus alloquio, cum eſſent audacia ſtrenui, & eos Huni ſæpius infeſtaſſent, ne di-
xerim ſubiecißent, adiuuantibus ſupramodum venientes Hunos collis beneficio faci-
le turbauerunt. Athila autem videns ſuos cauſa dicta turbatos, eos alloquitur, ne
qui hactenus inuicti extiterant, nunc inferiores inuenirentur. Hæc, & alia illo dicen-
te, accenſi in pugnam præcipitantur, & præſentia Regis cunctationem inertibus au-
ferebat, bellum manibus aggrediuntur atrox, multiplex, immane, pertinax, cui ſimile
antiquitas nulla narrat, in quo geſta talia referantur, vt nihil eſſet quod in vita ſua con
ſpici potuiſſet egregius, qui huius ſpectaculi non fuit cõtemplator, tãta enim fuit cruo
ris effuſio, vt fluminis alueus, ſicut ſolet imbribus inundare, fluenta traheret mixta
cruore. Tunc Theudoredus Rex Gothorum dum adhortãs ſuos diſcurreret per
exercitum, qui pugnabat, cuius telo occidit, ignoratur, niſi quod equo deſiliens calcan-
tium pedibus cõculcatus vitã clauſit vltimæ ſenectutis, hoc fuit quod aruſpices Athi-
læ prædixerunt. Ibi etiam fuit occiſus cognatus Athilæ Laudericus. Tunc Go-
thi ſe ab Alanis diuidentes Hunos fortiter inuaſerũt, & pœne Athilam extinxerunt,
niſi quod videns ſuorum interitum fugit ad caſtra, & in ambitũ, quem ex paulſtris, &
ſcrinijs ſibi firmauerant, ſe recepit. Thuriſmundus autem Theudoredi filius de col-

quem cum Ethio occupauerat, credens ſe nocte ad agmina propria remeare, ad carpenta hoſtium ignarus acceſſit. quem fortiter dimicantem, quidam de equo deiecit capite vulneratum, ſed ſuorum prudentia liberatus a præliandi intentione ceſſauit. Ethius etiam noctis cõfuſione diuiſus, cum inter hoſtes medius vagaretur, ſi quid aduerſi Gothis acciderat, intrepidus inquirebat, tandem ad caſtra veniens reliquum noctis ſcutorum defenſione tranſegit. Die autem poſtera clareſcente campos plenos cadaueribus aſpexerunt, & tamen Huni erumpere non audebant. Sciebant autem Gothi Athilam non niſi magna clade percuſſum certamina deuiare; quamuis tamen armis teperet, tubis canebat minans incurſus, velut leo cõfoſſione venabuli prouocatus, qui ſpeluncæ aditus obambulando, nec audet inſurgere, nec ceſſat fremitibus vicina terrere. Sic Athila Rex bellicoſus licet incluſus ſuos turbabat. Fertur autem deſperatis rebus in ſupremo agmine de ſellis equinis pyram ſtruxiſſe, vt ſi irtiruerent aduerſarij, flammis ſe ingereret conſumendus, ne aut aliquis eius vulnere lætaretur, aut in poteſtatem hoſtium dominus tantarum gentium deueniret. Verum Gothi de ignoto Regis interitu admirati, & quod in eius abſentia tanta fuit fœlicitas ſubſecuta, doloribus ſtimulati exploratum diutius, & ploratum demum inter denſiſſima cadauera repererũt, & cantibus honoratum inimicis ſpectantibus abſtulere, & per globos diſſonis vocibus inter bella furentia funeris debitum exoluerunt, & ſubrogati filij gaudium funeſto funeri miſcuerunt. Thurimundus autem glorioſus pro bello, vt tanti patris decebat filium, peractis lachrymis orbitatis virtutis impetu in Hunos mortem patris voluit vindicare, & ſuper hoc Ethium patricium tanquam ſeniorem, prudentia maturum duxit in articulo conſulendum. Ille vero metuens ne eleuati victoria Gothi conſurgerent in Romanos, conſuluit, vt ad ſedes proprias remearet, & regni paterni initium roboraret, ne Germani eius procuratis copijs præuenirent.

Quod conſilium non vt callide fuit actum, ſed vt fides ſyncera, vt vtile acceptauit.

Sic enim humana fragilitas dum ſuſpitionibus carere conatur, agenda plærunq; rerum occaſione relinquit. Thuriſmnndus patre mortuo in cãpis Cathalanicis vbi pugnauerat, & victor extiterat, ad maieſtatem regiã ſubleuatur æra. CCCCXCII. æra.cccc.xcij. & regnauit anno vno, cum patre duobus, qui tamen patri annumerantur. Et licet fratrum, & fortium turba gauderet, ipſe tamen ſic ſua initia temperauit, vt nullius reperiret de regni ſucceſſu certamen. In hoc itaq; famoſiſſimo bello ab vtriſq; partibus tercentum ferme millia cæſa feruntur, exceptis. XV. millibus Francorum, & Gepidarum, qui ante bellum mutuis vulneribus conciderunt. Multa ſigna cœli, & terræ eodem tempore præceſſerunt, quorum prodigijs tanta belli crudelitas ſignabatur. Nam aſſiduis terræ motibus homines conturbati, a parte Orientis Luna fuſcata, a Solis occaſu apparuit ſtella cometes, atq; ingenti magnitudine infauſta diu fulſit, ab Aquilonis plaga cœlum rubuit, ſicut ignis immixtis per ruborem igneum lineis clarioribus, quæ in ſpeciem haſtarum fulgentium rutilabant. Nec mirum ſi tantarum gentium tanta ſtrages, tot portentis diuinitus monſtraretur. Athila igitur cognita diſceſſione Gothorum, & tamen dolo metuens procuratam diu ſe continuit intra crſtra. Thurimundus vero Toloſam a campis Cathalanicis eſt reuerſus. Euphromus autem Epiſcopus Auguſtudini, in numera occiſorum cadauera ſepeliuit.

Igitur Athila Danubium tranſiens poſt bellum Cathalanicum contra Alanos mouit bellũ. Quod cũ Thuriſmundus Rex Gothorum, non imparis gloriæ præſenſiſſet, in auxilium Alanorum exercitui Athilæ mox aduenit. Conſertoq; prælio

ſicut in campis Cathalanicis pauendo Romanis vexilla Athilæ effugauit, ipſumque Athilam fugientem coegit oblitus olim trans Danubium repetere manſiones. Et ille famoſus Athila victoriarum dominus bello gemino conſternatus inglorius effugatur. Turiſmundus vero repulſis ab Alanis Hunorum cateruis Toloſam rediijt, & pace compoſita inter ſuos dum inſolentius ſolito cœpiſſet agere, anno regni ſui ſecundo, cum de vena ſanguinem minuiſſet, fuit a ſuo cliente conſilio fratrum interfectus. Sed ante mortem vna manu paruo ganipulo, quem tenebat, ſui ſanguinis vltor fuit, & de inſidiantibus aliquos interfecit.

De Theuderico, & regulis Sueuorum.

Caput. IX.

THEVDORICVS germanus eius poſt necem fraternam gra CCCCXCIII. annis tredecim imperauit, & Rechiarium Sueuorum Regem cognatum ſuum reperit inimicum. Hic enim Rechiarius ex quo Theudoredi Regis filiam duxerat, de ſe præſumens vniuerſam pœne Hiſpaniam ſibi credidit occupandam, habens ſedes Galleciam, & Luſitaniam, e quibus egrediens Hiſpanias inuadebat, cui Theuodoricus cognatus ſuus, vt erat modeſtus, per legatos pacifice demandauit, vt non ſolum recederet a finibus alienis, verum etiam nec prȩſumeret attentare. Cumque ad eum Theudorici legatio adueniſſet, tumido animo ſic reſpondit. Si hic murmurans Toloſam venio vbi ſedes, & ſi poteris ibi reſiſte. His auditis Theudoricus compacatis gentibus, quibus arma mouerat, a Gallia Gothica contra Richiarium properauit. Cui cum Richiarius cum magna copia occurriſſet, conſerto prælio iuxta fluuium Vrbicum inter Aſtoricam, & Legionem Theudoricus victor enituit. Cæſis Sueuorum agminibus aliquantis, & multis captis, pluriſque fugatis, ipſe poſtremo Rex Rechiarius telo ſaucius cum paucis aufugit, careníq; præſidio Sueuorum nauem conſcendit, ſolius fugæ præſidio comitatus, aduerſaq; procella Oceani Portucale proijcitur, ibiq; captus aduerſario redonatur priuatus regno victoria, atq; vita. Theudoricus vero victor exiſtens, ſubactis pepercit, eiſq; præfecit clientem proprium nomine Aliulphum, qui Sueuorum perſuaſionibus incitatus prȩuaricari præſumpſit, credens ſe æqua cum domino poteſtate prouinciam obtinere. Erat quippe Auernorum ſtirpe genitus a nobilitate Gothici ſanguinis alienus. Quo comperto Theudoricus contra eum exercitum deſtinauit, qui mox veniens eum in primo certamine ſuperauit, & ſuorum auxilio deſtitutus, capite plectitur, ſenſitque iratum, quem neſciuit ſeruare placatum. Tunc Sueui rectoris intuitum contuentes ſacerdotes ſuos ad Theodoricum ſupplices direxerunt, quos ob pontificalem reuerentiam grate ſuſcipiens non ſolum impunitatem Sueuis indulſit, ſed, vt ſibi de ſuo genere principem eleuarent, flexus miſericordia condonauit. Occiſo Rechiario Theudoricus de Gallecia ad Luſitaniam pertranſiuit, & dum Emeritenſium vrbem intenderet deprȩdari, Sanctæ martyris Eulaliæ miraculo territus cum ſuo exercitu mox diſceſſit, & cum parte exercitus duces dimiſit, qui ea, quæ in Hiſpanijs acquiſierat, tuerentur, & partem vnam exercitus cum duce, qui Ceurila dicebatur, ad Bæticam deſtinauit. Partem aliam cum Sunerico, & Nepotiano ducibꝰ Galleciæ deputauit, qui Sueuos apud Lucū ſȩuis cædibus

vaſtauere, & ex tunc Gothorum Duces in Hiſpanijs pręfuerunt. Ex inde Theudo
ricus Sueuorum gente cum ſuis principibus ſubiugata in Galliā Gothicam eſt reuer-
ſus. Et tunc Agrippinus Comes, vt Gothorū auxilia mereretur, Narbonam tradi-
dit Theudorico. Poſt cuius diſceſſum Sueui bifarie ſunt diuiſi, alij Maſdram Maſ- Agrippinus.
ſilæ filium in Principem eligere, qui tantum duobus annis regnauit, alij Frantam. Maſdra.
Maſdra autem ſtatim mortuo, pars Maſdræ filium eius ſubſtituit Remiſmun- Franta.
dum. Qui cū Franta illico pacē fecit, & ambo pariter fœderati partes Luſitanię deua Remiſmundus.
ſtabant. Poſt bienniū mortuo Franta pars eius Frumarium ſibi præfecit, qui cum Frumarius.
Remiſmundo ſuper regni pręminentia litigaret, euertit Flauiam vaſtationes in patria
exercendo, Remiſmundus, & Lucum, & Auriam, & maritima deuaſtabat. Sed poſt
biennium Frumario decedente, Remiſmundus pace cum Gallecis inita, Sueuorum
in Gallecia obtinuit principatum. Sueui enim eum ſibi in Regulum præfecere, qui
ad Luſitaniam tranſiens Coimbriam pace detentam diripuit, & exhauſit, Vlysbo-
nam etiam occupauit, Luſidio ciue & incola, qui illic præerat eam tradente. Poſt ali Coībria. Vlyſbona.
quot dies Remiſmundus his ſucceſſibus eleuatus ad Theudoricum Regem Gotho-
rum nuncios deſtinauit, & pacem, & amiciciam poſtulauit. Quos Theudoricus be- Luſidius.
nigne recipiens annuit poſtulatis, & in ſignum veri amoris coniugem miſit ei per Sa-
lanum quendam ex officio Palatino cum adiectione munerum, & armorum. Et rece Salanus.
pta coniuge & muneribus cœpit amplius ſuperbire, & Salanum donarijs honeſta-
tum remiſit ad Theudoricum cum epiſtolis ſuæ laudis. Qui cum ad Galliam re-
diſſet, Theudoricum ab Eurico fratre ſuo reperit interſectum. Euricus.

De Eurico Rege. Caput. X.

EVRICVS pari ſcelere, quo & frater ſucceſſit in regno æra. D.
VI. & regnauit annis. XVII. in quo honore prouectus, & crimi-
ne, partes Luſitanię impetu deuaſtauit. Pampilonam, & Cęſaraugu
ſtam miſſo exercitu in dedicionem recepit, ſuperioremq; Hiſpaniam
ſuę ſubdidit poteſtati. Tarraconem, & prouincię nobilitatem, quę
ei repugnauerat, irruptione exercitus peragrauit. In Gallias autem reuerſus
percupida feſtinatione ſuccenſus audiuit Volentinianum a Maximo interfectum, &
ipſum Maximum ab Vrſo Romano milite interemptum. Vnde attendens Ro-
manum imperium conturbatum Arelatū, & Maſſiliam ſubiugatas principatui ſuo Arelate.
adiecit, & contra Riothimum Regem Britonnum, qui cum. XII. millibus in auxi- Maſſilia.
lium venerat Romanorū, bella reſtaurās victor extitit, & oppreſſor. Ad hęc omnia Riothimus.
cum Gizericus Rex Vandalorum, qui expulſus ab Hiſpania regnabat in Africa, con Gizericus.
ſilio, & muneribus incitabat, vt dum reſpublica turbaretur, ipſe in Africa quiete pla-
cida frueretur. Quod Euricus grate ſuſcipiens Hiſpanias, Galliaſq; cum Burgun-
dionum prouincijs ſubiugauit. Cumq; quadam die apud Arelatum Gothos ad col
loquium congregaſſet, & Gothi manibus tela tenerent a parte ferri alia viridi, alia ro-
ſeo, alia nigro, alia croceo colore, naturalem ferri ſpeciē vidit aliquandiu immutatam.

Sub hoc Rege Gothi legum ſuarum ſtatuta ad ſcripturæ ſeriē redegerunt, nam an
tea tantum moribus, & conſuetudine tenebātur. Obijt Arelati Euricus Rex, & mor
te propria vitam finiuit.

De Alarico, & Giſelcico.
Caput. XI.

EVRICO mortuo Arelati filius eius Alaricus apud Toloſam ad Gothorum regimen ſublimatur æra. D.XXIII. & regnauit annis. XXIII. aduerſus quem Fludingius Francorum princeps Galliæ Gothicę regnum affectans, Burgundionibus ſibi auxiliantibus bellum mouit, ſuſiſq; Gothorum copijs ipſum poſtremo Regem apud Patauium prelio interfecit. Giſaleicus ſuperioris Regis filius

Amalaſuentis. ex concubina, quia Amalaricus filius Alarici ex Amalaſuente Regina filia Theodorici Regis Oſtrogothorum, qui in Italia tunc regnabat, erat paruulus, vix quinquēnis Narbonę Alarico mortuo ſubrogatur æra. D. XL. VI. regnans annis quatuor. ſicut genere vilis: ita infœlicitate, & ignauia ſummus. Deniq;, vt eadē ciuitas a Gundebalo Burgundiorum Rege direpta fuiſſet, iſte cum magna ſuorum clade Barcinone ſe recepit, ibi moratus donec regni faſcibus fugæ ignominia priuaretur. Videnſq; non poſſe proficere, in Africam transfretauit poſcens ſuffragium Vandalorum, qui ſine auxilio ab Africa rediens ob metum Theudorici in Aquitaniam ſe recepit. A qua poſt anni circulum in Hiſpaniam eſt reuerſus, atq; Theudorici Regis duce duodecimo a Barcinonia milliario commiſſo prælio effugatur, & interijt trans Druentiam fluuium Galliarum. Sicq; honore priuo caruit, & poſt vita.

De Theudio. Caput. XII.

POST mortem Amalarici mater profeſſa ſexus fragilitatem cum ſperneretur a Gothis, Theudem conſobrinū olim filij ſui tutorem ob germanitatis gratiā a Tuſcia accerſiuit, vbi priuate degebat, & eum in Regē cum conniuentia Principum eleuauit æra. D. LXX. & regnauit annis. XVII. menſibus quinque. Qui dum eſſet hęreticus, pacē tamen conceſſit eccleſiæ, adeo vt licentiā catholicis Epiſcopis daret in vnum apud vrbem Regiam conuenire, & quæcunq; ad diſciplinam eccleſiæ pertinerent, libere ordinaret. Eo regnante dum Francorū Reges cum infinitis copijs in Hiſpaniam conueniſſent, & Tarraconenſem prouinciam de-

Theudiſclus. uaſtarent, Gothi duce Theudiſclo obijcibus Hiſpanię intercluſis Francorum exercitum multa cum admiratione victorię proſtrauere. Sed dux idem prece, atq; ingenti pecunia ſibi data viā fugæ hoſtibus reſiduis vnius diei, noctiſq; ſpacio condonauit, cętera infœliciū turba, cui trāſitus collati tēporis nō occurrit, Gothorū perempta gladio non euaſit, & ſic inſidioſam Francorū calumniā repulit ab Hiſpanis. Theudis vero immemor beneficij Amaleſuentis, poſt aliquos dies eam fecit in balneo ſtrangulari. Et quia ipſa ſe, & filium Iuſtino Catholico Orientis principi commendarat, cum audiſſet, facinus condoluit interfectæ, & miſit Beliſarium Ducem, & Patricium, vt in Theudem vindicaret. Sed ipſo intercepto negotijs Romanorum ante aduentum eius fuit Theudis interfectus, & ſic remanſit impietas impunita. Poſt tam fœlicis ſucceſſum victoriæ trans fretum Gothi minus prouide nauigarunt. Deniq; dum aduerſus milites, qui Septam oppidū pulſis inde Gothorū militibus Tyrrheni littora pertrāſiſſent, & eidē caſtrū magna vi certaminis expugnarēt, aduenīete die Dominico armis depoſitis quieuerūt, ne diē ſacrū prelio funeſtarēt. Hac igit̄ occaſione reperta milites repentino incurſu aggreſſi exercitū mari vndiq;, terraq; concluſum inermem exercitum adeo proſtrauere, vt nec quidem vnus ſupereſſet, qui tantæ cladis exci-

dium nunciaret. Nec mora ipſum principem debita mors præuenit, vulneratur enim a quodam in palatio, qui iamdudum dementis ſpeciem, vt Regem deciperet, ſimularat. Fingit enim arte inſaniam, vt principem trucidaret, quo vulnere Rex proſtratus vi gladij indignantem animam exhalauit. Fertur autem in emiſſione ſanguinis coniuraſſe, ne quis interficeret percuſſorem, dicens ſe congruam meriti viciſſitudinem recepiſſe, quod & ipſe priuatus commiſerat in ducem ſuum. Interempto Theudio, Theudiſclus Dux exercitus Gothis præficitur incunctanter. æra. D. LXXXVII. & regnauit anno vno, menſibus tribus. Qui dum plurimorum potentum connubia proſtitutione publica macularet, & ob hoc necem pluribus procuraret, præuentus manu coniuratorum Hiſpali confoditur, & inter epulas iugulatur.

De Agila Rege. Caput. XIII.

EXTINCTO Theudiſclo in regnum Agila ſublimatur æra. C. LXXXVIII. & regnauit annis quinque. Iſte aduerſus Cordubam mouit bellum, & in contemptum religionis catholicæ ſepulturam beatiſſimi Aciſcli martyris hoſtium, & iumentorum pręſentia profanauit, & inito certamine contra ciues pœnas dignas ſanctis inferentibus, prout meruit, eſt expertus. Nam belli præſentis vltione percuſſus filium cum copia exercitus interfectum, & theſaurum omnem cum inſignibus opibus confuſus amiſit. Ipſe victus, ac miſerabili metu fugatus apud Emeritam ſe recepit, aduerſus quem interiecto aliquanti temporis ſpacio Athanagildus tyrannide regnum pręſumpſit, dum exercitum contra ſe miſſum Athanagildus apud Hiſpalim proſtrauiſſet. Hinc Gothi videntes excidio proprio ſe euerti, & magis metuētes ne in Hiſpaniam Romani milites hac inuaderent occaſione Agilam Emeritę peremerunt. Et Athanagildi ſe regimini tradiderunt.

De Athanagildo, & Luiba, & Leouigildo. Caput. XIIII.

OCCISO Agila Athanagildus Tyrannide fit ſucceſſor æra. D. XC,III. & regnauit annis. XIIII. Hic cum iam dudum Agilam regno priuare conaretur, auxilia militum ab Imperatore Iuſtiniano popoſcit, ſed ſubmouere Agilam a regno non potuit, donec a ſuis fuit Agila interfectus. Deceſſit autem Athanagildus Toleti propria morte, & vacauit regnum menſibus quinque. Poſt Athanagildum Narbonę præficitur Luiba Gothis æra. DC. VII. & regnauit tribus annis, qui ſecundo anno poſtquam adeptus eſt principatum, Leonigildum fratrem non ſolum ſucceſſorē, ſed & participem regni fecit, & Hiſpanię prouiſorem. Ipſe Gallię regno contentus ſic regnū duos ſuſtinuit, cum nulla poteſtas patiēs ſit conſortis. Huic autē vnus tantū annus in ordine temporū reputatur, reliqui Leonigildo fratri annumerātur. Duxerat autē Leonigildus vxorē nomine Theodoſiam filiā Seueriani ducis prouincię Carthaginēſis, qui fuerat filius Regis Theoderici. Luiba vero defuncto Leonigildus adeptus eſt Hiſpanię, & Gallię principatū. æra. DC. X. regnauit annis. XVIII. Hic bellis regnū deſiderās ampliare, opes inſtituit cōgregare, ſtudio eius exercitu concordante fauore victoriarum, & animoſitate pręclarus multos populos ſubiugauit. Cantabriam nanque iſte obtinuit, & deſtruxit. Baregiam iſte

cepit. Sabaria ab eo fuit deuicta, ceſſerunt ei plurimæ rebelles Hiſpaniæ ciuitates.

Fudit quoq; diuerſo prælio milites aduerſantes, & quædam caſtra, quæ occupauerant, eis abſtulit dimicando. Hemergildus. Hemergildum deinde filium contra imperium tyrannizantem obſeſſum Hiſpali dolo cepit, & quia nefandis ritibus noluit conſentire, tormentis varijs cruciauit. Demum ſecuri percuſſum parricida impius dignum Deo martyrem conſecrauit. Poſtremum bellum Sueuis intulit, regnumq; eorum in ius Gothorum bello celeri commutauit, & magna ex parte potitus Hiſpaniam ampliauit, nam antea gens Gothorum anguſtis finibus arctabatur. Sed offuſcauit in eo error impietatis tantæ gloriam probitatis. Denique Arrianæ perfidiæ furore repletus in catholicos perſecutione commota Leandrum Hiſpalenſem, & Mauſonam Emeritenſem ſanctiſſimos Epiſcopos, & alios plurimos exilio relegauit, eccleſiarum reditus infiſcauit, & priuilegia carũ abſtulit, multoſq; terroribus Arrianæ peſtilentiæ applicauit, pleroſq; ſine perſecutione illectos auro rebuſq; decepit. Auſus quoq; inter cætera hæreſis ſuæ contagia catholicos rebaptizare, non ſolũ ex plebe, ſed & ſacerdotalis ordinis dignitate, ſicut Vincentium Cæſarauguſtanum, quem de Epiſcopo apoſtatam eſſe fecit, & tanquam a cœlo decidit in infernum. Extitit autem quibuſdam ſuorum pernicioſus, nam quoſcunq; potentiſſimos, ac nobiliſſimos vidit, aut capite mutilauit, aut ablatis opibus ſpoliauit, & proſcriptos in exilium relegauit. Fiſcum quoq; iſte primus locupletauit, primuſq; ærarium de rapinis ciuitatum, hoſtiumq; manubijs auarus locupletauit. Primus etiam inter ſuos regali veſte regia coopertus reſedit in regali ſolio more Regum. Nam ante eum Reges qui fuerant in veſtibus, & conſeſſionibus militibus communiter conuiuebant.

Condidit ciuitatem in Celtiberia, quam ex nomine filij ſui Recopolim nominauit.

In legibus quoque ea, quæ ab Eurico videbantur incondite conſtituta, correxit ſtudio vigilanti. Plurimas leges adijciens pretermiſſas, pleraſq; ſuperfluas reſecauit

Sed dum infirmitate acriter torqueretur, præcepit filio Recaredo, vt Epiſcopos ab exilio reuocaret. Et Leandrum Hiſpalenſem, & eius germanum Fulgentium Aſtigitanum, qui in doctrina eccleſiaſtica fulgebat inſignis, tanquam patres audiret, & eorum monitis obediret. Obijt autem defunctus propria morte Toleti.

De Rechāredo Rege.
Caput. XV.

LEONIGILDO defuncto in regno ſucceſſit eius filius Rechāredus æra. DC. XXVIII. & regnauit. XV. annis. Hic fuit cultu præditus religionis, & paternis moribus longe diſſimilis. Nam ille irreligioſus, & bello promptus, hic fide pius, & pace præclarus. Ille armatorum exercitio gentis imperium dilatauit, hic glorioſus eandem gentem trophæo fidei ſublimauit. In ipſis enim regni ſui exordijs per Leandrum & Fulgentium in fide catholica inſtitutus totius Gothicæ gentis populos inoliti erroris labe deterſa ad cultum rectæ fidei reuocauit. Synodum deinde Epiſcoporum ſexaginta duorum ad condemnationem Arrianæ hæreſis de diuerſis Hiſpaniæ, & Galliæ prouincijs in vrbe Regia congregauit. Et eidem concilio religioſiſſimus Princeps deuotus aduenit, geſtaque concilij ſubſcriptione firmauit, abdicans Pontificibus, & palatij primoribus: clero & militia approban-

tibus cum populo vniuerſo perfidiam, quam hucuſque Gothorum populus didicerat ex dogmate Arriano prædicans trium perſonarum vnitatem. Vnum Deum filium a patre conſubſtantialiter genitum. Spiritum ſanctum inſeparabiliter a patre, & filio procedentem, & eſſe amborum vnum Spiritum, vnde & vnum ſunt.

Egit etiam glorioſe bellum aduerſus infeſtas gentes fidei auxilio ſubleuatus. Francos enim cum. LX. ferme millibus armatorum Galliam Gothicam irruentes miſſo aduerſus eos Emeritēſi duce Claudio glorioſo triumpho repulit, & proſtrauit. Nulla vnquam in Hiſpanis Gothorum victoria, vel maior, vel ſimilis inuenitur. Proſtratis enim, & captis plurimis millibus hoſtium, reſidua pars exercitus Gothis ſequentibus vſq; ad regni ſui confinia cæſa fugit. Sæpe etiam contra inſolentias Romanorum, & irruptiones Vaſconum plurima bella geſſit. Vnde non magis bella tractaſſe, quam gentem Gothicam, quaſi in ludo paleſtræ pro vſu certaminis videtur exercuiſſe. Prouincias autem, quas pater prælio conquiſiuit, iſte pacifice conſeruauit, æquitate diſpoſuit, moderamine gubernauit. Fuit autem placidus, mitis, egregiæ bonitatis, tantaque in vultu gratia abundabat, & tanta animi benignitate dulcis erat, vt omnium mentibus influens, & malos in ſuæ dilectionis reuerentia conſeruaret, adeo liberalis, vt opes priuatorum, & eccleſiarum prædia, quæ paterna labes fiſco addixerat, iuri debito reſtauraret clæmens, vt tributa populi indulgendo ſæpius relaxaret. Multos etiam ditauit rebus, plures honoribus ſublimauit. Opes ſuas in miſeris, theſauros in egenis recondens. Sciens ad hoc illi fuiſſe regnum collatum, vt eo ſalubriter frueretur, bonis initijs addidit bonum finem. Fidem rectæ gloriæ, quam in initio regni percepit, nouiſſime publica confeſſione, & pœnitentia conſummauit. Toleti fine pacifico migrauit ad Chriſtum. Anno Quarto glorioſiſſimi Regis Recaredi, Idibus Maij, Tertia Toletana Synodus celebratur, & inter Secundam Synodum, ſub Montano, & iſtam fuerunt. LXII. anni. Et hæc fuit ſub Helladio. Et interfuerunt Maſona Emeritenſis, Euphemius Tarraconenſis, Leander Hiſpalenſis, Migecius Narbonenſis, Pantardus Braccharenſis, & ſuffraganei eorum. Et in hoc concilio fuit ab Hiſpanis eliminata hæreſis Arriana, qua infecta fuerat gens Gothorum a tempore Athanarici Regis, & Valentis Imperatoris, qui dedit Gothis doctores, vt eos in Arriana perfidia confirmarent. Sed in hoc concilio eliminata ſpurcitia eius ſectæ Gothi in vera confeſſione fidei catholicæ remanſerunt, & ponitur ibi Omelia ſancti Leandri Epiſcopi de laude eccleſiæ pro conuerſione Gothorum, quæ ſic incipit: Feſtiuitatem hanc omnium eſſe ſolemniorem feſtiuitatum nouitas ipſa ſignificat, & cætera. Et fuit iſtud concilium. LXII. Epiſcoporum.

De Luiba, & Victerico, Gundemaro.

Caput. XVI.

POST Recaredum Regem cœpit regnare Luiba filius eius æra, æra.dc.
DC. XL. III. & regnauit annis duobus ignobili quidem matre xliij.
progenitus, ſed virtute indolis inſignitus, quem in primo flore adoleſcentiæ Victericus ſumpta tyrannide innocuū Regem deiecit, præciſaq; dextra occidit anno ætatis. XVI. regni autem ſecundo æra. DC. XLV. Extincto Luiba, Victericus regnum, quod viuente illo inuaſerat, vindicat annis. VII. vir quidem ſtrenuus in armorum arte, victoriæ

tamen expers. Nam cum aduerſus Romanos bellum ſæpius intentaſſet, ſemper inglorius eſt inuentus, niſi quod quoſdam milites ducens Segonciam captos cœpit. Hic in vita illicita multa fecit, in morte autem gladio perijt, quia gladio fuerat operatus, mors quippe innocentis non pertranſiuit multa. Inter epulas enim prandij coniuratione quorundam extitit interfectus, corpus autem viliter exportatum, vilius eſt ſepultum æra. DC. LII. Gondemarus poſt Victoricum regnum ſuſcepit, & regnauit annis duobus. Hic Vaſcones vna expeditione vaſtauit, alia militem Romanum obſedit. Propria morte Toleti deceſſit.

De Siſebuto Rege. Caput. XVII.

SISEBVTVS Rex Chriſtianiſſimus poſt Gundemarum ad Regale faſtigium euocatur æra. DC. LIIII. regnans annis. VIII. menſibus ſex. Qui in initio regni Iudæos ad fidem Chriſtianā permonens, æmulationē quidem habuit, ſed non ſecundum ſcientiam, poteſtate enim compulit, quos prouocari oportuit fidei ratione, ſed ſicut Paulus dicit, ſiue per occaſionem, ſiue per veritatem Chriſtus annuncietur, in hoc gaudeo, & gaudebo. Siſebutus itaq; Iberiam, vt vir ſapiens, & nimium literaturæ deditus per annos VIII. retentat. Hic per Hiſpaniam vrbes Romanas ſibi ſubiecit, venerabilem Helladium Toletanæ ſedis Metropolitanū Epiſcopum ſanctitatis præconio præfulgentem eccleſia veneratur. Iſidorum Hiſpalenſem Metropolitanum tunc temporis Hiſpania celebrabat ſanctiſſimum doctorem, egregium, & præclarū. Qui anno ſeptimo pręfati principis Siſebuti contra Acephalorum hæreſim apud Hiſpalim in ſecretario ſanctæ Hieruſalem concilium celebrauit, atq; per veridica doctorum teſtimonia Syrum quendam Acephaleum Epiſcopum ſupra ſatum hæreſim vendicantem exuperat, & vera concilij aſſertione eius eloquia condemnauit, atq; a ſuo errore præfatum Pontificem diu docendo perpetualiter liberauit. Fuit autem Siſebutus eloquio nitidus, literarum ſapientia doctus, in iudicijs ſtrenuus, ac præſtantiſſimus pietate, mente benignus, gubernatione regni præcipuus, in bellicis documentis, & in victorijs ſemper clarus. Aſtures enim ſæpius rebellantes miſſo exercitu in deditionem reduxit. Rucones montibus arduis conceptos vndique per duces euicit. Eccleſiam ſanctæ Leocadiæ Toleti miro opere fabricauit. De Romanis quoque perſonaliter bis fœliciter triumphauit, & quaſdam eorum vrbes pugnando ſubegit, reſiduas intra fretum omnes exinaniuit, quas gens Gothorum poſt in ſuam redegit facile ditionem. Tantæ clęmentiæ extitit erga uictos, vt quos hoſtilis potentia mancipauerat ſeruituti, dato precio reſtitueret libertati, ciuſque theſaurus redemptio exiſteret captiuorum. Hunc alij proprio morbo, alij immoderato medicaminis hauſtu, alij veneno aſſerunt deceſiſſe.

Helladius Epiſcop9 ſanctitate fulgens.
Iſidorus Hiſpalen ſis Epũs cō ciliū celebrauit Hiſpali.
Syrus epũs hæreticus.

Cuius exitus non ſolum religioſis, ſed etiam optimis Laicis extitit luctuoſus. Huius temporibus nefandus Mahomat nequitiam ſectæ ſuę ſtultis populis prædicauit.

Obijt itaque Siſebutus relicto filio Recaredo paruulo, qui poſt patris obitum Princeps paucorum dierum, id eſt, ſeptem menſium conſummatur, huius vitę breuitas nihil habuit memoria dignum,

De Suintila, & Rechimiro filio eius.

Caput. XVIII.

GLorioſſimus Suintila filius Regis Recaredi ſuſcepit diuina gratia re
gni ſceptrum æra. DCLXIII. & regnauit annis. X. Iſte ſub Rege æra. dc. lxiii.
Siſebuto ducis nactus officium caſtra domuit Romanorum. Ru-
chones etiam ſuperauit. Poſtquam vero regni apicem eſt adeptus, Ruchones.
vrbes reſiduas, quas in Hiſpanijs manus occupauerat Romanorum,
conſerto prælio obtinuit, & ſubiecit, auctamq́ triumphi gloriã præ
cæteris Regibus fœlicitatem mirabiliter reportauit. Totius Hiſpaniæ monarchiam
intra fretum Oceani quod nulli retro principum eſt collatum, excluſis Romanis pri-
mus obtinuit inter Gothos. Auxit eo prælio virtutis eius titulum duorum patri-
ciorum obtentus, quorum alterum prudentia ſuum fecit, alterum virtute prælij ſubiu
gauit. In initio regni incurſus Vaſconum coarctauit, qui Tarraconenſem prouin-
uinciam infeſtabant. Montiuagi vbi populi aduentus eius terrore perculſi cõfeſtim Vaſcones
quaſi debita iura noſcentes remiſſis telis, & comploſis ad precem manibus ſupplices
ſubmittunt ei colla. Ologitis ciuitatem Gothorum ſtipendijs ſuis, & laboribus, vt
eis parceret, fabricarunt, hanc quidam dicunt Olorum, quidam Olitum, pollicentes Ologitis.
iuriſdictioni parere, & imperio obedire. Præter has militaris gloriæ laudes plurimę Olorum.
in eo virtutes regię effulſere, fides, prudẽtia, & induſtria, in iudicijs examinatio pro- Olitum.
uida, in regimine cura præcipua. Circa omnes largitas læta, erga inopes miſericordia
ſemper prompta, ita vt non ſolum princeps populorum, ſed etiam pater pauperum
vocaretur. Toleti propria morte deceſſit æra. DCLXXIII. Huius filius Rechimi
rus in conſortio regni aſſumptus pari cum patre ſolio corregnauit, in cuius infantia æra. dc. lxxiij.
ita ſacræ indolis ſplendor enituit, vt in eo & vultu, & meritis paternarum virtutum
effigies appareret. Iſto fere cum patre mortuo ſuperſtites remãſere alij duo filij Suin
tilæ Siſenandus, & Cindaſuindus, quos ſuſceperat ex Theodora filia ſupradicti prin
cipis Siſebuti. Sed beatus Iſidorus Gothorum hiſtoriæ deſcriſptor egregius, vſq́
ad quintum annum principis Suintilæ fuit ſeriẽ hiſtoriæ proſecutus, & quarto anno
regni Scintilę, non dico ſuintilæ, a quo tertius fuit iſte, cum beatus Iſidorus in Hiſpa-
lenſi eccleſia ſolemnia celebraſſet, & populum ſibi commiſſum cœleſtis frumenti adi-
pe ſatiaſſet, ſe eorum orationibus commendauit, & vltimum vale dicẽs obitum ſuum, Beati Iſidori obitus.
quem prophetice nouerat, reuelauit. Obijt itaque quarto principis anno, æra.
DCLXXXI. ſecundo nonas Aprilis. æra. dc. lxxxi.

De Siſenando, & Cintila, & concilijs eorum temporibus celebratis, & de Tulga.

Caput. XIX.

POST Suintilam. & Rechimirum filium eius, cepit regnare Siſe-
nandus, æra. DCLXXIII. & regnauit annis Quinque, & menſi- æra. dc. lxxiij.
bus. XI. Iſte per tyrannidem in Gothorum ſolio collocatur. Qui
anno regni tertio ſui. LXVIII. Galliæ, & Hiſpaniæ apud Tole-
tum Epiſcopis congregatis cum abſentium vicarijs, & palacij ſenio-
ribus in eccleſia ſanctæ Leocadiæ virginis, & martyris Chriſti, ex-
tante adhuc Iſidoro Hiſpalenſi Epiſcopo, & in multis iam libris fulgente mirifice, de
diuerſis cauſis concilium celebrauit ſub iuſto vrbis regię primate, & ſubſcribunt ibi
Iſidorus Hiſpalenſis, Selua Narbonenſis, Iulianus Bracharenſis, Audax Tarraco-
nenſis, Imirus vicarius Emeritenſis, & ſuffraganei corũ, & fuerunt omnes. LXVIII.

IIII. conciliuм. & iſtud fuit quartum concilium Toletanum. Poſt mortem Siſenandi Cintila Go
V. concilium. this præficitur æra. DCLXXIX. vno anno menſium numerato regnans quatuor
annis. Hic quintum conſilium Toletanum. XXIIII. procurat ſub Eugenio Re-
giæ vrbis primate. Vbi non ſolum de rebus mundanis, verum etiam de diuinis
multa ignaris mentibus a lumine gratiæ ſunt infuſa. Quanta vero ſanctorum con-
gregatio cum Epiſcoporum vicarijs aſſiſtẽtibus, & cum ſenioribus palatij, qui digni
intereſſe concilio habebantur, extitit aggregata in eccleſia ſanctæ Leocadię virginis, li-
ber canonum glorioſe declarat. Huic Synodo Braulio Cæſarauguſtanus Epiſco
pus prę cęteris illuſtris effulſit, atq; piam doctrinam Chriſtianis mentibus decenter
infudit, cuius & opuſcula nunc vſq; eccleſia veneratur. Huius eloquentiam Roma
vrbium mater, & domina per epiſtolare alloquium eſt mirata. Et in hoc cõcilio ſub-
ſcripſit Selua Tarraconenſis, & aliqui de ſuffraganeis ſuis, & vicarijs abſentium Epi
VI. cõcilium. ſcoporun. Sextum concilium de obſeruatione fidei Catholicæ, & alijs eccleſiaſti-
cis diſciplinis fuit tempore eiuſdem Principis Cintilæ celebratum ſub Eugenio vr-
bis Regiæ Metropolitano, & primate, ſubſcribentibus Selua Narbonenſi, & Iuliano
Bracharenſi, & Honorato Hiſpalenſi, & Protaſio Tarraconenſi, & eorum ſuffraga-
æra. dc. lxxxiij. neis, & vicarijs abſentium Epiſcoporum. Mortuo Cintila Tulgas bonę indolis,
& radicis Gothorum regnum ſuſcepit æra. DCLXXXIII. & regnauit duobus
annis. Iſte blandus, & Catholicus in omnibus eſt inuentus. Regna ſibi ſubdita
pacifice dilatauit. In iudicio rectus iudex, claruit largitate, magna fuit lenitate. Sy-
nodos a ſuis prædeceſſoribus cõfirmatas ſimili autoritate confirmauit. Doleat gens
Gothorum tam cito talem indolem amiſiſſe. Cunctis flentibus, quia flos tantæ in-
dolis in fructum non adoleuit. Toleti propria morte deceſſit.

De Cindaſuindo, & inuentione Moralium per Taionem Epiſcopum.
Caput. XX.

POST Tulgam Cindaſuindus per tyrannidem regno Gothorum in-
æra. dc. xxxv. uaſo cœpit Iberiæ triumphaliter principari, æra. DCLXXXV. &
regnauit annis decem. Hic Toletana vrbe Synodale decretum
XXX. Epiſcoporũ cũ omni clero, & vicarijs eorũ epiſcoporũ, quos
langor, vel inopia detinuerat, & cũ palatino collegio, quod intereſſe col
legijs merebatur. Anno regni ſui quinto indixit laudabiliter celebrandum diſcur-
rentibus tantum notarijs, quos ad recitãdum ordo requirit, & hoc fuit ſeptimum con
VII. cõcilium. cilium Toletanum ſub Eugenio Metropolitano, & primate vrbis Regiæ celebratũ.
XV. Kſ. Nouembris, de refugijs, & pręſidijs, eccleſiaſticis diſciplinis: & interfuerũt,
& ſubſcripſerunt Orontius Emeritenſis, Antonius Hiſpalenſis, Protaſius Tarraco-
nenſis, & eorum ſuffraganei, & abſentium vicarij, omnes numero. XL. Et fuit in hoc
cõcilio magna turbatio, eo quod liber Moralium, quem beatus Gregorius ad petitio
nem beati Leandri compoſuerat, deperditus negligentia in Hiſpanijs non extabat.

Vnde & idem Princeps ſacro concilio approbante, Taionem Cæſarauguſtanum
Epiſcopum religione, & literatura præſtantem, & ſolicitum ſcripturarum ad Roma-
num Pontificem cum ſua petitione pro libris Moralium nauigio deſtinauit, & dum
a Papa de die in diem reſpõſio differretur, quaſi in armario Romanę eccleſię præ mul
titudine voluminum non poſſet quęſitum de facili reperire, orationis cauſa Taio Epi
ſcopus in Baſilica apoſtolorum principis pernoctauit, ab oſtiarijs eccleſię conniuen-

tia eſt petita, at vbi impetrauit, circa noctis medium cum ſe lamentis nimis ante beati Petri loculũ irrigaſſet, & mox luce miſſa cœlitus adeo tota eccleſia illuſtratur, vt nec modicum quidem luminaria eccleſiæ relucerent, & tunc vidit ſanctorum agmina in voce pſallentium introire. Deniq; vbi timore nimio Epiſcopus territus, & quaſi exanimis iam iaceret, oratione ab eis completa ex illa ſanctorum curia ad eam partem in qua Epiſcopus conſiſtebat, duo ſenes indealbatis veſtibus acceſſerũt, & cum eum iam pœne mortuum inueniſſent, ad ſtatum priſtinum reduxerunt dulci alloquio ſalutatum. Cumque interrogarent ob quam cauſam a tam remotis partibus aduenisſet, aut cur in ea baſilica ſic vigilijs inſtitiſſet, & quaſi inſcij omnia quæſiuiſſent, Epiſcopus multis eloquijs conſolatus fiducialiter ſic eſt fatus. Obſecro domini, qui ſuntilli, & quæ ſanctorum illa caterua, quæ ſeſe tanto lumine comitetur. Cui dixerunt, duo principes, quos cernis manibus ſe tenere, ſunt Petrus, & Paulus Apoſtoli domini noſtri Ieſu Chriſti. Cæteri ſucceſſores eorum, qui in iſta baſiliſca requieſcunt.

Cumque cauſam cur venerat explicaſſet, & percunctatur, qui eſſent ipſi, qui ad eum venerant conſolandum, alter eorum reſpõdit ſe eſſe Gregorium pro cuius libris deuotiſſime laboraſti, & ideo venimus, vt quod expetis reuelemus. Dixeruntq; in armario librorum in theca penultima inuenies, quod requiris. At ille pro oraculo lætus, quærit ſi in illa tam ſancta multitudine ſanctus Auguſtinus adeſſet, pro cuius libris non minori quam pro libris beati Gregorij deſiderio tenebatur. Tunc ille vir clariſſimus, & omni ſpectatione gratiſſimus, inquit. Auguſtinum, quem quęris, altior nobis continet locus. Certe vbi ad eorum pedes cœpit prorueri, citius ab eius oculis ſenes ſanctiſſimi cum luce, qua venerant abiere ipſo, & oſtiarijs ſimul territis vehementer. Cumq; ſequenti die viſionem Romano Pontifici reuelaſſet, in Apoſtolorum ſede venerabilis Taio extitit glorioſus, qui antea deſpicabilis habebatur. *Libri morales deteguntur.*

Et reperto libro prout ſanctorum oraculum reuelarat, recepta benedictione Papali ad ſuum principem eſt reuerſus libro, gaudio, & gloria comitatus habitus Romæ, & in Hiſpanijs venerandus.

De morte Cindaſuindi, & primatu eccleſiæ Toletanæ. Caput.XXI.

CINDASVINDVS Recenſuindum filiũ ſuum regno Gothorum pręponit regnans per ſe annis ſex, menſibus nouem, & cum filio ſuo Recenſuindo annis quatuor, diebus quindecim. Iſte a Romano Pontifice obtinuit priuilegium, vt ſecũdum bene placitũ pontificum Hiſpanorum primatiæ dignitas eſſet Toleti, ſicut fuerat ab antiquo, & per multas ſynodos cum Epiſcopis celebratas eccleſiam erudiuit. *Toleti primatia.* Huius tempore ab omni perturbatione Hiſpania conquieuit, adeo vt nullus in ea infidelis reperiretur, vel qui arma ſumeret rebellandi. Libros ſanctorum patrum diligenter fecit perquiri, & inſtituta beati Iſidori firmiter obſeruari. Hic perfidum Theodiſtum Hiſpalenſem Epiſcopũ ſynodali ſententia in exiliũ miſit, & dignitatẽ primatiæ, quam ab antiquo habuerat, totius approbatione concilij Toletanæ eccleſiæ confirmauit. Obijt Toleti.

De Recenſuindo, & concilijs eius tempore celebratis, & de ſancto Ildefonſo.

Caput. XXII.

æra.dcxcv RECENSVINDVS poſt mortem patris ſucceſſit in regno
æra.DC.XCV. & regnauit annis. XVIII. & menſibus. XI.
in vniuerſo.XXIIJ. annis. Sed quini anni ei in ordine temporum
non computantur, quia patri cui corregnauerat numerantur. Re-
ſtat, vt ei decem & octo anni, & menſes vndecim computentur.
Hic ter concilia clarente Eugerio vrbis Regiæ Metropolitano
Toleti inſtituit celebrari. XLVI. Epiſcoporum cum infinito clero, & vicarijs deſi-
ſtentium, atq; officiarijs digniſſimis palatinis in baſilica prætorienſi ſanctorum Petri,
& Pauli apoſtolorum. Et non ſolum de mundanis actibus, verum etiam ſanctæ
trinitatis myſterium animas inſtituit ignorantes. In diebus huius anno quinto regni
VIII. cõcilium. eius fuit octauum concilium Toletanum, præſentibus, & ſubſcribentibus Orontio
Emeritenſi, Antonio Hiſpalenſi, & Potamio Bracharenſi, & eorum ſuffraganeis, nec
non & Epiſcopis prouinciæ Ntrbonenſis, & Tarraconenſis ſub Eugenio Toleta-
no pontifice, & primate ſolenniter celebratum, & fuerunt numero. LII. Epiſcopi, &
X. vicarij abſentium, & plures abbates, &. XVI. de viris illuſtribus officij palatini,
& ponuntur in ſerie eiuſdem concilij leges quædam a prædicto Recenſuindo prin-
IX. concilium. cipe promulgatę. Nonum concilium Toletanum fuit tempore eiuſdem principis
anno, VII. regni ſui ſub Eugenio vrbis Regiæ pontifice celebratum, præſentibus, &
ſubſcribentibus Epiſcopis aliarum prouinciarum, numero. XVI. & vicarijs abſen-
X. cõcilium. tium, & viris illuſtribus ex officio palatino. Decimum concilium Toletanum fuit
tempore eiuſdem principis, anno. VIII. regni ſui, & ſub Eugenio pontifice celebra-
tum, & ſubſcripſerunt Fugitinus Hiſpalenſis, Fructuoſus Bracharenſis, & ſuffraga-
nei, & vicarij aliorum, numero. XXV. Hic fidem cotholicã ex corde diligens a ſcio
lis ſanctæ ſcripturæ petebat dubia ſcripturarũ, & articulos fidei declarari, adeo quod
cum diuinæ ſcripturæ ſemper collatio delectabat, Altaria Chriſti ornamentis va-
rijs decorabat. Huius temporibus eclipſi Solis ſtellis meridie apparentibus, omnis
Hiſpania territatur, atq; incurſationem Vaſconum non cum modico exercitu repu-
Gerticos. lit ſine damno. Recenſuindus itaq; cunctos mire dilexit, & a cunctis dilectus fuit in
Bamba. villa propria, quæ tunc Gerticos, nunc Bamba dicitur, in territorio Pallantino obijt
Pallantia KP. ſeptembris, ibique ſepultus fuit, æra. DCCXXIII. Nono huius Recenſuindi
æra. dcc. xiij. principis anno ſuſcepit ſanctus Ildefonſus pontificatum eccleſiæ Toletanæ. Fuit
Ildefonſus. autem beatus Ildefonſus genere nobilis, diſcipulus beati Iſidori, monachus profeſſio-
ne, vir per omnia laudabilis, & pręcipuus ſanctitate, demum Pontifex Toletanus.
Huius tempore cum Heluidius, & Pelagius a Gallis venientes, plęraſq; partes Hi-
ſpaniæ infeciſſent, virginitatem beatæ virginis infamantes, beatus Ildefonſus illis oc-
currens ſacrarum ſcripturarum teſtimonijs, & lingua melliflua, & gratia in labijs
ſuis diffuſa eorum dogmata confutauit, & ab Hiſpanijs confuſos abegit. Vnde &
in ſeſto glorioſæ virginis, quod in Hiſpanijs. XV. KP. Ianuarij celebratur, cum ipſe
ad matitunale officium comitatus clero, & populo, & multis luminaribus ad eccleſiã
conueniſſet, apparuit ei beata Virgo choris Apoſtolorum, martyrũ, atq; virginum
comitata, & ſic ait. Quia fide certa, conſcientia pura lumbos tuos virginitatis cingu
lo cinxiſti, & gratia labijs tuis diffuſa virginitatis meæ gloriam in cordibus fidelium
depinxiſti, accipe veſtem de theſauris filij mei, vt etiam in hac vita veſtimento gloriæ
adorneris, & ea in meis, & filij mei ſolennitatibus veſtiaris. Et his dictis cum glorio

ſo cœtu,quo apparuerat, ad gloriam filij remeauit. Beatus autem Ildefonſus de promiſſis ſecurus ſucepto munere lætus remanſit. Hac autem veſte nullus poſt eum vti præſumpſit, niſi Siſibertus Archiepiſcopus, qui culpa ſua ab illa ſede propulſus, fuit exilio relegatus. Sedit autem nouem annis, & duobus menſibus in cathedra Toletana. Et expleto.XVIII. Recenſiundi principis anno,qui ſine patre Cindaſuindo. XVIII.annis regnauerat.X.Kł.Februarij vitã finiuit Toleti,et in eccleſia beatę Leocadię ad pedes beati Eugenij deceſſoris ſui cum magna reuerentia eſt ſepultus,& multade operibus,quæ conſcripſitante pontificatum,& cætera poſt pontificatum miro eloquio conſumauit. Aliqua etiam morte præuentus imperfecta reliquit. Et quia diuina gratia perfuderat os illius, Ildefonſus os aureus dicebatur, & etiam quia in diuerſis libris melliflue loquebatur, & de virginitate beatæ Virginis nitido, politoq; eloquio perorauit,anchora fidei eius tempore in tota Hiſpania, Gothica, Gallia roboratur,& libri ab eo ęditi,poſtquam fuere in concilijs lectitati,& ab omnibus approbati,tanquam cibi diuinę gratię in fide puſillanimes refecerunt. Et cum beatus Iſidorus ſcripſiſſet Gothorum originem vſq; ad quintum annum Regis Suintilæ, ſanctus Ildefonſus ſcripſit tempora Gothorum, Alanorum, Vandalorum ,& Sueuorum,a quinto anno Suintilæ, vſq; ad octauũ decimum Recenſuindi. Et Iſidorus iunior, qui a principio mundi incipit chronica,vſque ad octauum decimum Recenſuindi annum fideliter proſecutus, & vſque ad deſtructionem Hiſpaniæ per Arabes, ipſe ſcripſit.

Siſibertus

LIBER TERTIVS RERVM IN HISPANIA GESTARVM chronicon, de regno Bambæ.

Caput Primum.

DEFVNCTO itaque Recenſuindo ibidẽ ab omnibus Bamba vir nobilis, de Gothorum nobili genere ſtrenuus, pacificus,manſuetus,qui ante regni faſtigium multorum reuelationibus celebris habebatur, ad regni faſtigium vnanimiter ſublimatur æra.DCCXIIII. & regnauit annis nouem,menſe vno,& quãuis renuens,& inuitus,demũ tamen minis,& terrorib⁹vix cõſenſit,ſed decreuit ſe a Regis nomine temperare, donec in maiori eccleſia vrbis Regię vnctionis reciperet ſacramẽtum. Mox igitur a principibus Toletum ducitur,& in primate eccleſia beatę virginis a Quirico eiuſdẽ Pontifice in Regem omnibus annuentibus cõſecratur,& omnes in electione eius promiſſione ſpõtanea ſubſcripſerunt,& fidem ei,& patrię iurauerunt, & Paulus futurus proditor ſubſcripſit cum alijs,& iurauit,& iam cultu regio inſignibus ante altare diuinũ fidem Catholicã eſt profeſſus,& iuramẽto leges, & conſuetudines iuri conſonas confirmauit. æra.dcc. xiiij.

Et in ipſa hora,qua a Pontifice vngebatur,cunctis cernentibus viſus eſt vapor ab eo loco,vbi vnctionis oleum fundebatur in modum virgæ funeæ aſcendiſſe, & viſa eſt apis de eius capite proſiluiſſe,& ad cœlos continue volitaſſe. Et qui diligẽtius cogitabant,intelligebant per eum Gothorum regnum fœliciter exaltandum,& in pacis dulcedine gubernandum.

De rebellione Hilderici. Caput. II.

Nemauſum. Magalonenſis. Iudæi. Aregius.

SED quia nouitas perturbationibus raro caret, in primo anno regni eius turbatio non modica excitatur. Nam Hildericus, qui Nemauſenſis vrbis comitatum tenebat fauentibus ſibi Gumildo pernicioſo Magalonenſi Epiſcopo, & Ranimiro Abbate contra ſtatuta Gothorum Iudæos in patriam reuocauit, & virum venerabilẽ Aregium Nemauſenſem Epiſcopum rebellionis ſuæ vecordia niſus eſt irritire, quem quia non potuit laqueare, a ſede expulſum Francorum manibus tradidit illudendum, & Raminirum abbatem perfidiæ ſocium in pontificatu exulis ſubrogauit, & a duobus Epiſcopis proditionis conſortibus fecit contra ſtatuta canonum conſecrari. Demum a temeritatis inſania non verentes Hildericus comes, Gumildus Magalonenſis, Ranimirus Nemauſenſis intruſus coniuratione iterum innouata a monte Cameli vſq; ad Nemauſum terram diuidunt, coniurationis complices aſciſcentes, vt fidelitatem infidelitas ſuperaret, & furoris ſui veſania non contenti, ciues, & agricolas. qui aduentum Bambæ noui principis expectabant, cœperunt prædis, & vaſtationibus laceſſere. Quod cum ad Regis noticiam perueniſſet, miſit ilico cũ exercitu Paulum ducem, qui ex Græcorum proſapia nobili ortus erat, ſed gentis ſuæ verſutiam non oblitus cœpit remiſſius agere, & militum corda, qui accenſi ad prælium veniebant, vt regni iniuriam vindicarent, a gradu propero retardabat, & perſuaſionibus inclinabat, dicens, impedimenta principis militantibus expedire. Et iam publice fidem promiſſam Bambæ principi violauit, & vt ad optatum faſtigium perueniret, Renoſindum Celtiberiæ ducem, & Hildiſum adhuc in palatino officio conſiſtentem arcano conſilio circumuenit, vt ſuis inſidijs conſentirent. Simulabant enim ſui deſiderij virus occultant contra rebelles regiæ poteſtatis exercitum circunferre, quod vir magnæ ſanctitatis Argebadus Antiſtes eccleſiæ Narbonẽſis ſollerter percipiens niſus eſt præcludere aditum ciuitatis. Sed & hoc ipſum ad noticiam Pauli venit, & anteaquam reuerendus Antiſtes, quod fideliter cogitauerat, effectui manciparent, Paulus portas Narbonæ præcurſoribus militibus occupauit, & circunfuſa exercitus multitudine habita concione cœpit iniurias in Antiſtitem retorquere, eo quod vrbis ingreſſum niſus fuerat impedire.

Renoſindus. Hildiſus. Argebadus.

De proditione Pauli. Caput. III.

ET cum iam corda fere omnium inclinaſſet, rebellionem contra regiam maieſtatem, quam corde conceperat, publice denudauit, iure iurando promittens Bambam pro Rege ſe nullatenus habiturum, nec in eius conſiſtere famulatu, ſed ſuaſit, vt Regem ex ſe ipſis eligerent, cui & ipſe, vt cæteri in omnibus obedirẽt. Ad hæc Ranoſindus factionis conſcius ſic reſpondit. Regem nolumus niſi Paulum, & & ipſum in Regem eligimus, & ei, vt principi obedimus. Tunc omnes coniuratione aſtricti illud idem voce publica acclamarunt. Paulus vero fidelitatis immemor, ambitione anhelus, pręſumptione ſuperbus, cõſenſit crimini proditorum, & mox regalibus inſignijs inſignitus omnes ſibi allicuit iuramento ſub eadem forma, qua ipſe cum alijs Toleti iurauerat Bambæ Regi. His peractis regnũ obtentãs alios minis, alios donis, alios pœnis ſibi alliciens Francos, & Vaſcones datis muneribus ad ſui auxilia incitauit. Hildericum comitem, Gumellum, Ranimirum pſeudo pontifices de

Gumel9: Ramir9.

facili

facili ſuæ perfidiæ ſociauit, & nec ſolum Gallia Gothica, ſed & pars Celtiberiæ ac-
quieuit conſilio proditorum. Paulus vero tantorum coniurationibus iam ſecurus ſe
cœpit parare, vt intraret Hiſpanias proditor contra dominum pugnaturus, & regni
confinia inuaſurus. Dum hæc agerentur, Vaſcones quietis ignari loca Pyrenæi &
Cantabriæ inuaſerunt rapinas agentes, vt eius gentis etiam hodie facta, & deſideria at-
teſtantur, qui libenter rapiunt aliena. Quod cum Bambæ noticiam perueniſſet, con
tra iniurioſos de iure procedens a finibus Cantabriæ, & Pyrenæi confuſos abegit.

De proceſſibus Regis contra Paulum.

Caput. IIII.

REGEM autem in finibus Cantabriæ commorantem a partibus
Galliæ pertulit celer rumor de rebellatione Pauli & Hilderici.
Cumq; illuſtribus palatij rumoris inſtantiam reuelaſſet, bifariȩ
conſilia diuiduntur, alij redire ad patriam, & ampliorem ſumere ap
paratum contra proditores patriæ proceſſuri, alij ſuadebant, vt
incontinenti procederent perfidos inuaſuri. Cumq; Regis Ca-
tholici ſollers cura conſilia nutantia audiuiſſet, ſuos magnanimus ſic affatur. Quid
Paulus & ſui attentauerunt, iam audiſtis, eos ergo expedit præueniri, ne creſcat in-
cendium tanti mali, & Gothorum gloriam non deceret repetere propria: donec tanti
facinoris iniuria vindicetur, & pudendum eſſet, vt Paulus proditor, qui fraude non
armis patriam ſupplantauit, Gothorum gloriæ audeat repugnare, & qui imbellem
gentem pro quiete patriæ non valuit ſubiugare, Gothorum militis hoſtem ſe au-
deat exhibere, quaſi nulla virtute eius tyrannidi reſiſtere valeamus, cum a ſȩculis Go
thorum magnalia omnes populi, omneſq; Principes ſint experti. Et ſi enim de Franco
rum viribus Paulus præſumat, claret clare, quod ſȩpe Franci inuaſi ab hoſtibus Go
thorum auxilia implorarunt, & eorum beneficijs ſunt erepti. Si quādo & prælium
interceſſit, ſemper Gothi ſuperiores Gallicis ſunt inuēti. Properemus igitur reſiſten
tium contubernia deuaſtare, vt armis impares armis duplicibus deuaſtentur, & glo-
rioſus erit etiā deficientibus alimonijs arma capeſſere, quā abundantiæ ignauia detor-
pere. Iuuat & quod Gothorū nobilitas ſemper donauit nobiles libertate, quos Fran
ci ſeruitute nobiliſſima oppreſſerunt. Ab hinc ergo Vaſconum cladibus accedamus,
& per eos ad ſedicioſorum interitū properemus. His auditis exercitus gratulatur, & Calagurra.
accenſi animis Gothorum gloriā ȩmulatur, & ſciſſurā patriæ reſarcire viribus me-
ditatur, & tranſitū faciens per Calagurram, & Oſcam per vallem Pyrenȩi, quȩ Aſpa Oſca.
dicitur, Vaſconias ſunt aggreſſi, quas dies aliquot deuaſtantes, & corū campos incen- Aſpa.
dijs concremantes, & caſtra plus lignea, quā lapidea fabrica eleuata, pugnis, & machi-
nis deiecerunt, ita vt, qui ſe adiutores Paulo ſpoponderant, depoſita feritate vitam ſer
uari, pacemq; largiri datis obſidibus poſtularunt, quas non tam præcibus, quam mu
neribus vix potuere a Principe obtinere. Et acceptis obſidib9, & tributis, paceq; firma-
ta, Rex Bamba & ſuus exercitus ad Galliam proceſſerunt, & diuiſit exercitū in tres
manus, Vnam partem verſuȩ Ruthenum, & Albam aquitaniæ ciuitates, cui præfecit
Deſiderium nepotem ſuum, qui tunc temporis in Narbonenſi habebatur, Aliam par Ruthenū.
tem verſus Auſonam contra eos, qui fauentes Paulo in Celtiberia rebellarant. Ter Alba. Auſona.
tiam vero per viam Toloſæ verſus Narbonam, Biterram, & Agatham deſtinauit, Celtiberia
Rex autem cum potiori multitudine eam manum, quȩ per Auſoniam iuerat, ſequeba Narbona
tur. Sed quia inimicus bonorum operū ſemper nititur in bonis operibus Zizaniam Biterra. Agatha.

ſeminare, quidam de exercitu rapinis, & adulterijs delectati, etiam domos incendijs conſumebant, quod Rex iuſtus ita acriter vindicauit, ac ſi læſæ maieſtatis criminis eſſent rei, vt cæteris fieret exemplum, ne ſimilia attentarent, & alloquens exercitum perorauit. Cum bellum immineat non licet illicitis implicari, quia Dei benignitas eſt omnis immundiciæ execatrix. Cauendum eſt ergo ne Dei iudicium facinoribus prouocemus, & non viribus hoſtium, ſed noſtris ſceleribus conſternamur, & quod Gothorum gloria armis efficere conſueuit, noſtris exceſſibus amittamus, & ego, qui præſum, merito confuſioni ſubiaceam, ſi impunita facinora derelinquo. In domino igitur confidentes, purgati a crimine procedamus. Cumque Barcinonem per-
Barcino. uenisset, quæ erat vna de rebellantibus, eam incurſu celeri acquiſiuit, & eadem capi-
Gerunda. ens ſatellites repugnantes, ſcilicet Euredum, Pompedium Guntifredum, Vulſum diaconum, & Naufredum. Deinde Gerundã incurſu ſimili ſubiugauit, vbi fuere ei literę preſentatæ, quas Paulus proditor amatori eiuſdẽ vrbis Antiſtiti miſerat ſub his verbis. Audiui quod Rex Bamba cum exercitu ad vos venire diſponat, ſed tua prudentia non conturbetur, nec enim hoc fieri puto, & tamen quem primum de nobis ambobus ibi tua ſanctitas cum exercitu viderit accedentem, ipſum ſe credat habere dominum, & in eius debet perſiſtere charitate, hæc miſer ſcripſit neſcius, quod contra ſe iuſtum iudicium proferebat. Vnde & verba reſcripti Rex Bamba conſiderans dixit ei: Non in his ſcriptis Paulus a ſemetipſo locutus, ſed neſciens prophetaſſe.

De tranſitu Pyrenæi. Caput. V.

EGRESSVS itaque Princeps a ciuitate Gerunda conſerto exerci-
Illiberi. tu venit ad municipium Pyrenæi, quod Cauco liberi nuncupatur, vbi eſt portus maris nauigantibus commodus, & ſecurus. Ibi etiam Pyrenæus mari finitur, & caſtra aliã Vulturariã & Libyam ſibi ſub-
vulturaria. iecit, quæ quidem caſtra auro, & argento, & ſericis, & bonis alijs abundabãt, quæ omnia exercitui aduenere, glorioſo principe manus ab his omnibus continẽte. Vnde & ad ſeruiendũ ſibi animos omnium inflammabat.
Libya. Libyæ caſtrum. Cumque ad caſtrum Libyæ, quod eſt caput Ceretaniæ peruenisset, Hyacinthus Epiſcopus Elenenſis cum Aragiſclo ſibi caſtrũ capere nitebatur, ſed nec caſtrũ capere potuit, nec Bambę Principis manus euaſit. Miſſiſque duobus Ducibus cum parte exercitus, Rex Bamba caſtrum, quod Clauſura dicitur, eiſdem decertantibus occupauit, captis ibidem Ranoſindo, & Hildigiſo cum multo agmine perfidorum, qui ad defenſionem caſtri conuenerant faſtuoſi, quod ijdem duces poſt terga manibus alligatis glorioſo principi pręſentarunt. Victimirus etiam vnus ex perfidis, qui ſe in Sardonia receptarat, relicto caſtro aufugit timidus in Narbonam, & Paulo vſurpato principi facta Bambæ Principis nunciauit, qui corde ſolutus, vt fuerat particeps factionis, ſic
Sardonia. fuit etiam & timoris. Vnde & a Narbona fugiens ſeruili animo conſternatus, aduentum Principis non ſuſtinuit expectare, & Victimiro, qui a Sardonia fugerat,
Narbo. tuitionem Narbonæ comiſit relictis ibi Ranimiro Pſeudoepiſcopo, Argemundo, & Gultricione primicerio, qui etiam Ranimirus viſo exercitui, ante quam ciuitas in-
Biterræ. ciperet expugnari, fugam petijt, ſed mox in territorio Biterreñ. capitur, & reducitur fugitiuus. His igitur munitionibus occupatis glorioſus Bamba fatigatum exercitum, & manum, quem per Toloſam miſerat recollegit, & ſe, & ſuos donans quieti, biduo ibi manſit. Cumque exercitus vndique conueniſſent, manũ vnam miſit per mare, vt Narbonam nauali impetu coarctarent. Ipſe vero quatuor præmiſit

Principes cum electo exercitu armatorũ, qui Narbonam machinis impugnarent.
Cumq; ad muros vrbis Principes perueniſſent, ſecundũ legem oblata pace ſalutẽ, ſi
ſe Regi redderent, pollicentur. Victimirus autẽ, qui pro Paulo inibi rebellabat, cœ-
pit Regem conuitijs laſceſſire, & cæteris mortis periculũ, & Pauli potentiã minitari.
Quod Gothorũ animoſitas impatiens tolerare, incanduit animis, & ora blaſphemã-
tium iaculis impetiuit, immanis vtrinq; pugna conſeritur, & alternatim ſagittarum
immiſſionibus impetuntur, & dum ab vtriſq; fortiter agitur, a Regis exercitu tot la-
pidum ictibus ciuitas infeſtatur, vt videretur omnibus quaſi alluuione grandinis ſub-
uertenda. per quatuor enim fere horas a fundibularijs ſic fuit ciuitas infeſtata, vt nec
quidẽ reſpiraculũ ſupereſſet. Tunc Gothorum agmen virtute magnanima dilatio-
nem victoriæ non prȩſtolans, ad portas vrbis fiducialiter acceſſerũt, & ſuccenſis por
tis ingreſſi ſunt ciuitatẽ. Tunc Victimirus ingreſſu Gothorũ turbatus, in eccleſia
beatȩ Virginis ſe recepit, plus gladio, quẽ manu tenebat, ſe iactans defenſurũ, quam re
uerentia arȩ ſacræ. Vnus autẽ de exercitu audiens eum verbis ſuperbiȩ intonare, ſum
pta tabula inuaſit eum: ſed miſer, & vilis corde diſſoluitur, & in terra cadẽs viuus ca
pitur, & priuatus gladio, quẽ tenebat, vinctus ducitᷓ, & cum his, quibus vrbẽ tueri de-
creuerat, flagellis duriſſimis flagellatur. Ciuitate itaq; triumpho nobili iam obtẽta,
& multis bellatoribus cõmunita Biterrã, & Agathã ciuitates victoria ſimili ſubiuga Biterrã. Agathã.
runt, cõprehenſis Agathæ Viliſmundo Epiſcopo, & Aragiſclo, & Ranoſindo ger-
mano Epiſcopi Viliſmundi. Poſt hæc contra Magalonã ſuas acies direxerũt, quod Magalo-na.
audiens Gumildus Pſeudopontifex eius vrbis, qui tunc aderat proditionis conſcius,
mente & animo conſternatus fugam inijt, & ad Nemauſum Paulus peruenit, Rex
autem Bamba vrbem exercitu circumfuſo, & nauali prælio ſic arctauit, quod Maga
lonam ſimili victoria ſubiecit pariter, & muniuit.

De aduentu exercitus ad Nemauſum. Caput. VI.

POST hæc contra Nemauſum Gothorũ acies diriguntur, prima acies
quatuor ducibus cum magno bellatorũ agmine cõmendatur, in qua erat
robuſta iuuentus fere triginta millium pugnatorũ, & iſti ſeduli prȩcur-
ſores Regis exercitũ præcedẽtes in ortu auroræ Nemauſi conſpectibus
aduenerunt corã oculis concluſorũ clari nobilitate animorũ, pariter &
armorum. Erat autẽ Paulus Nemauſi cum complicibus factionis, & eum Francorũ
exercitu in auxiliũ aduocato. Verũ in eadẽ ciuitate cum Paulo erant potiores, & qui
tãdiu eiꝰ perfidiæ pertinaciter adhȩſere, donec cũ ipſo facti degeneres perierũt Gumil
dus Epiſcopus, Fruiſcꝰ, Flodorarius, Victimirus, Ranemundus, Adoſyndus, Adul-
phus, Maximus, & Gothila, & alia peccantiũ ſynagoga quaſi ſtuppa pertinacia ſimili
colligata. At vbi veniẽtẽ Regis exercitũ conſpexerunt, cũ paucos crederent, in cam
po confligere decreuerunt, ſed ſuſpicantes inſidias ſupereſſe, eligunt in vrbe rei exi-
tum præſtolari, præſertim cum crederent peregrina auxilia citius aduentura. Vbi
autem terris ſolis claritas eſt infuſa, tubis clangentibus cœpit Gothorum exerci-
tus muros vrbis acriter impugnare, & eos etiam, qui erant in vrbe fundis, iaculis,
& ſagittis exicialiter coarctare, & pugna ſimili, qui interius reſiſtebant, exterio-
rem exercitum impetebant, & æquali certamine tota die, & tota nocte crudeli
Marte vndique concertarunt. Vnus autem conſpirationis particeps eminus ex
muro proloquens, talia proclamauit, Quid hic, inquit, pugnæ inſiſtitis mori-

turi? cur ad lares proprios non redditis? cur ante tempus vitæ diſpendium procu-ratis? cur prerupta montiũ, concaua vallium, condenſa nemorum, aſpera collium non requiritis? vt cum auxilij noſtri aduenerit fortitudo: poſſitis ibi ſaltem admodicũ vitę diſpẽdio prouidere: nec vt terream ſic peroro: ſed veſtrę miſerię condeſcẽdo. Iminent enim auxilia aduenticia, quę tanto vos durius extirpabunt: quanto virtute & multitudine preminebunt, & tertia dies eſt hodie: ex quo ab illo exercitu huc adueni. Nec enim veſtro principe confidatis: quem vobis oſtendam a noſtris auxiliatoribus captiuatum. Non ergo expedit pro eo vlterius decertare: quem forte iam conſtat noſtrorum gladio interiſſe: & cum noſtra victoria vos inuoluerit: ſpes vobis veniæ nulla erit: nec hęc dicens bellantes terruit: ſed ad pugnam potius animauit: ad murumq; viriliter accedentes pugnam acuunt acrius dimicantes. Et tunc ad Regem Bambam nuncios deſtinarunt: vt exercitus in auxilium properaret: ne forte aduerſę partis auxilia pręuenirent. Auditis nuncijs in noctis initio Rex Bamba pręmiſit cum Vandemiro duce decem millia pugnatorum, qui tota nocte gradu propero incedentes in ortu diei ad eos, qui Nemauſum obſederant, aduenerunt, & quanto obſeſſoribus creuerunt animi, tantum obſeſſis elanguidis fuit demptum. Cum enim viderunt hoſtibus exercitum accreuiſſe, exiſtimarũt Bambam Principem aduenisſe. Cumq; Paulus in quandam turrim, vt exercitum conſpiceret, aſcẽdiſſet, deiectus animo ſic eſt affatus. Aemulum meum video aduenisſe, quem in ſuis diſpoſitionibus recognoſco. Hæ ſunt vires, hæc potentia, hic exercitus, nec habet amplius quid ſpectet, nihil eſt, quod de cetero timeatis. Famoſa enim Gothorum virtus, qua gentibus præeminebat, penitus iam defecit, quia prælíãdi deſuetudo torpore confecit, quos conſuetudo aſſidua virtute præfecit, Et ſi ad certamen veniremus, facti degeneres potius fugient, quam reſiſtant. Ad hæc ex ſuis aliqui aſſerebant, Regem ſine vexillorum inſignijs non venire. Ad quod Paulus, Ideo, inquit, ſine inſignijs aduenisſe, vt putaremus adhuc alium Regis exercitum ſupereſſe, & hoc fraude agitur, vt quos bello non ſufficit, dolis euiret. Hæc Paulo dicente cœpit tubis regalibus exercitus concrepare, & vrbem varijs inſultibus infeſtare, ſed qui intus erant, licet alia iactitarent, plus de muri fortitudine, quam de ſuis viribus confidebant. Vnde lapidum, & iaculorum iniectionibus inſiſtebant, & ingeminantes certamina rediuiua plus ipſi, quam exterior exercitus lædebantur. Cumq; pars Pauli ſagittis, & fundis, & ſpiculis, & vulneribus grauiter vrgeretur, iam timore affecti, & animo conſternati Paulo dixerunt. Non videmus Gothorum audaciam decreuiſſe, non ſtrenuitatem in eorum aliquibus defeciſſe, ſed inſtans magnanimitas hoc cõfirmat, quod gentis illius antiqua nobilitas aſſeuerat, & plagarum & vulnerum profunditas.

Vandemirus.

Iam nos docet a quantis viribus infligantur, & excuſſio iaculorum non prius percutit, quam extinguat, iactus lapidum ſimul vulnerat, & occidit præter inſtantiam ſagittarum, quibus nequeunt arma reſiſtere, vel cautela. Quorum Paulus dum verbis trahitur deſperationis iaculo figebatur.

De irruptione Nemauſi, & deſperatione Pauli. Caput. VII.

EXERCITVS itaq; Regis Bambę reputãs tardũ ſi victoria in craſtinuum differatur, accenſis animis concitati fere vſq; ad horam nonam muros fortiter impugnarũt, portas vrbis ignibus ſuccenderũt, & muros irrumpunt, & in pleriſq; locis aditu patefacto occupant ciuitatẽ. Cũq; incluſi non poſſent ferocitatẽ intrãtium tolerare, in præſidiũ confugiunt

arenarum, quod a Gothis fuerat antiquitus cõtra Romanorũ potentiam obfirmatum, ſed viri exercitus perſequentes vſq; ad prĕſidium cædere non deſiſtunt, adeo quod omnia fere habitacula, & plateĕ plenĕ iacent cadaueribus mortuorũ. Aliqui tamen de vulgo, qui prĕdæ inſiſtere nitebantur, aduerſo gladio perierũt. Cumq; in parte Pauli diſſenſio oriretur, eo quod incolæ proditionem in ſuorum aliquos retorquebant, mutuis ſe vulneribus concidebant, & adeo inualuit iſta cædes, quod licet ipſe Paulus quendam eſſe de ſuis vernulis acclamaret, de manibus ferientium non potuit liberare.

Vnde & factus contemptibilis tam ipſe, quam ſui, qui cum eo ab Hiſpania venerant, ab omnibus incolis ſuſpicioni, & deſpectui habebantur. Verebantur enim ne in ſuis capitibus admiſſam Bambæ principis gratiam procurarent. *Pauli deſpicatio.* Vnde & rediuiua concertatione conciſi mirabili ſpectaculo caterua proſternitur perfidorũ, & qui Gothorum euaſerant vim armorum ſuorũ gladijs ceciderunt, ita vt penetralia, & abdita cadaueribus eſſent plena, aliqui etiã lœtali vulnere ſauciati mortuorũ effigiem ſimulabant. Paulus autem talia videns tyrannidis ferocitate depoſita, magna cordis miſeria arctabatur, cum nec poſſet hoſti reſiſtere, nec ciuibus ſubuenire. Vir autẽ quondã de familia Pauli calamitati cõpatiens, inquit Paulo. Quid agis? vbi ſunt conſiliarij, qui te ad tanti ludibrij ſpectaculũ perduxerunt? Quid tibi profuit contra Regem, & tuos inſurgere, cũ nec te, nec tuos valeas adiuuare? Hĕc vir ille inſultandi animo hæc dicebat, ſed memor beneficij ex compaſſionis amaritudine loquebatur. Tunc Paulus orauit, vt dolori confuſionẽ non admiſceret, & illico vir ille in gradu marmoreo, vbi talia proferebat, a Pauli militibus eſt occiſus, licet frequenti lachryma Paulus diceret eſſe ſuum, & vt parcerẽt, flagitaret, ſed neglitur contẽptui habitus, quaſi continuo moriturus. Tunc Paulus omnino deſperans, quæ ſuperbe præſumpſerat regalia depoſuit ornamenta, & ea die reuoluto anno, hoc eſt, in Kalendis Septẽbris, qua religioſus Bamba fuit ad regimẽ ſublimatus, ea die fuit eruptio ciuitatis, & Paulus regalibus ſpoliatus, coronam depoſuit cum fortuna. His igitur malis Paulus proditor tabefactus tertia die poſtquam depoſuit regni culmen, ſuis loquitur, vt mortis vale, aut vitĕ conſilium ſibi darent.

De legatione Argebadi Epiſcopi ad Regem. Caput. VIII.

TVNC omnes cõmuniter flagitant Argebadum Antiſtitem Narbonenſem, vt regi occurreret veniã petiturus. Hic eorũ actibus non conſenſit, ſed coactum duxerant a Narbona, & tamen pietate ſolita condeſcendens ſuſcepit officiũ ſupplicãdi, & celebratis diuini myſterij ſacramentis, eiſdẽ ſacris veſtibus, cum quibus Deo immolauerat, quarto ab vrbe milliario exiuit obuiam Principi venieti. Et cum ad Regis prĕſentiã perueniſſet, de equo deſcendẽs corã maieſtate regia ſe proſtrauit, quẽ Rex, vt vidit, pietate motus illico ſubſtitit, & iuſſit a terra Pontificẽ eleuari, & Pontifex voce flebili Principi ſupplicauit eiulans, atq; dicẽs Peccauimus, inique egimus, nec tanti Principis venia digni ſumus, cum ſit noſtra iniquitas non tantũ terræ, ſed cœlo etiã reuelata, quia & promiſſĕ fidei pacta fregimus, & lĕſĕ crimen incurrimus maieſtatis, ſed pietatis tuĕ clĕmẽtia cõdeſcendat, & præſtet venia, quod petitio non meretur, vt ad internetionẽ mucro nõ ſĕuiat, & gladius reliquias nõ extinguat, & ſaltẽ remaneat ſeminariũ incolarũ. Iube ergo ceſſare a ſanguine, qa pauci euaſimus, & pro paucis veniã poſtulamus, ſi enim cito nõ peperceris, nõ ſupererit cui parcas. Regis clĕmẽtia his cõmota vitã omnibus pollicetur ſalua iuſticia tãtĕ culpæ. Pro tanta gratia Prĕſul lĕtus

Argebadus antiſtes Narbon. pſe & alijs, q abercidio euaſerunt, veniã Regi petit.

addidit ſupplicare, vt ad iuſticiam condonaret. Sed Rex inquit, quod iam dixi penitus obſeruabo, ſed condiciones alias non admitto; tibi autem ſoli ſufficiat me in omnibus pepercisſe. Rex itaq; propter nimiā inſtantiam aliquantulū indignatus properauit ad arenarum præſidium capiendum, animoſus eo quod audierat Francorū auxilia aduenire. Rex itaq; cum exercitu procedente armorum fulgor ex Solis reuerberatione præfulgidus terram quaſi ſplendore duplici radiabat, & tantus erat decor exercitus, quod vix poſſet ei aliqua gloria cōparari, cum maiores, mediocres, & iuuenes ſic procederēt ordinate, vt nullus eſſet, qui a ſuo ordine diſſideret, & ſpecialibus vexillis quęlibet acies ſignabatur, fertur etiam angelorū præſidia affuiſſe, & multis vidētibus pugnatorum animos erexiſſe. Cumq; duæ manus, quæ ſecum aderant, & illa quæ in Aquitaniam iuerat Principi aduenisſent vno ab vrbe ſtadio viſione iam anglica roboratus diſpoſitis aciebus corda ſuorum ad bellum excitat perfidorum. Inualuerat quippe rumor Francos, & Saxones, qui in ſubſidium venerant obſeſſorum ad belli dubia ſe parare, ſed cum nil eſſe Princeps ſtrenuius comperiſſet, niſi quod aliqui, qui nuper aduenerant talia iactitabant, mox pręcepit, vt de caueis arenarū proditores cum ſibi fauentibus abſtrahātur, vt viui Principi pręſentētur. Bellatoribus autē iuſſa complentibus Paulus cum complicibus mox extrahitur de abditis arenarum, & per murum fune depoſitus a duobus Ducibus capillis tractus, & ludibrio habitus Principi pręſentatur. Quo viſo Rex magnificus prorumpens in lachrymas cœpit Regem omnium collaudare, & protenſis in cœlum manibus proclamauit: O Rex omnium te collaudo, qui humiliaſti ſuperbum, vt vulneratum, & in brachio virtutis tuę aduerſarios diſperſiſti. Sed mox Paulus, vt faciem Regis vidit, ſoluto cingulo, quo cingebatur, ſuper terram coram Regis pedibus ſe proſtrauit, & collum cingulo proprijs manibus alligauit. Iam enim exanimis, & pauore perterritus quid faceret ignorabat, qui paulo ante ſe viderat glorioſum. Cum itaq; ante Principem Paulus, & complices ſic iacerent, Regis compaſſio, inquit, ita. Cur ad tantum malum veſaniæ prorupiſtis, vt malū pro bono beneficio redderetis? vitam dono, ſed ſub arcta cuſtodia præcipio conſeruari, donec de vindicta iudicium agitetur. Tunc traditi ſunt per exercitum certis cuſtodijs deputati. Francos autem, & Saxones, qui capti fuerant, iubet mitius pertractari. Erant enim nobiles, & ſtipendio non odio trahebātur, quos omnes poſt diem octauum decimum datis muneribus ſuis terris reſtituit manumiſſos.

Angelorum præſidia.

Regis compaſſio.

POST hæc autem Rex condolens dirutę ciuitati præcepit muros cum inſtantia reparari, & incenſas ianuas renouari, & occiſorū corpora ſepeliri, & vulneratos medicorum officio confoueri, & theſauros omnes, qui capti fuerāt, ſolerter inquiri, & cum diligentia cuſtodiri, non cupiditate illectus, ſed ſacrorum reuerentia prouocatus. Proditor enim Paulus timens ne ærarium, quod a Rege ſuſceperat, ſibi deficeret, ſacrorum ſpolijs ærarium augmentauit, & vaſa aurea, & argentea, quæ habere potuit, de theſauris domini ſacrilegus infiſcauit, & coronam auream, quam Recaredus Princeps deuotiſſimus Gerundæ ad altare beati Fœlicis obtulerat, Veſanus Paulus ſuo capiti vſurpauit. Rex ergo Bamba ſacra vaſa, quæ potuit reperire, præcepit ſuis eccleſijs redonari. Tertia feria poſt victoriam Paulus cum alijs, qui erant cuſtodiæ deputati, ligatus Principi exhibetur. Cumque vinculatus cum ſuis tribunali adſiſteret: Adiuro te per fidem, inquit Princeps, vt ſi te læſi

Sanctus Fœlix.

in aliquo, aut tibi malum occaſione maliciæ procuraui, hic ediſſeras coram cunctis, vt contra me tantum facinus cogitares, & regni etiam apicem attentares.

Paulus proditor.

Mox Paulus coram omnibus proteſtatur, ſe a principe nunquam læſum, nec in aliquo moleſtatū, ſed ſuis beneficijs plus merito exaltatum; & quod fecerat, inſtinctu diaboli ſe feciſſe, ſimiliter & omnes factiones complures reſponderunt. Tunc iubentibus ſenioribus, & viris illuſtribus ex iudicio palatino, qui iudicialiter aſſiſtebāt, prolatum eſt inſtrumentum Toleti confectum, in quo, ſicut ſuperius diximus, Paulus fidelitatē ſicut alij, Regi, & patriæ iuramento, & ſubſcriptione manus propriæ roborauit. Allatæ ſunt etiam, & relectę condiciones, quibus iurare popolum ſibi fecit, vt ei inſeparabiliter adhærerent, & ei fideliter obedirent, & tanquam principem obſeruarent, & contra Regem Bambam, & defenſſores illius efficaciter adiuuarent, & contra deiectionem eius, vel periculum vſq; ad effuſionem ſanguinis totis viribus dimicarent, & glorioſum Bambam infauſtum Regem in concione ſua ſententialiter iudicarunt. His condicionibus, & electione Bambæ in commune perlectis a ſenioribus, & viris illuſtribus iudicati ſunt ſententialiter Paulus, & ſui Regis, & patriæ proditores, eo quod in Regis mortem, & patriæ exterminium coniuraſſent, vnde & capitali ſententia condemnantur. Sed Rex verax, promiſſi non immemor, præcepit eis vitam, ſicut Archiepiſcopo promiſerat, conſeruari, ſed decaluationis obprobrio tunc confuſos effoſſis oculis præcepit in vinculis cuſtodiri.

De fuga Lupi ducis, & metu Francorum.
Caput. IX.

ITERVM rumor increbuit ex aduerſo Francos, & Teutonicos contra Regem quantocius aduenire. Quod Rex memor antiquæ iniurię ſuę gentis gratanter accepit, experiri cupiens contra Frācos. Vnde & aliquandiu expectauit. Sed falſo rumore penitus expirante, deliberauit cum eis in eorum finibus experiri. Sed quia pacta pacis cum Rege Francorum interceſſerunt, noluit pācis fœdera violare, & tamen Francorum vrbes, quæ magnis munitionibus pręminebant, aduentu Regis in Galliam Gothicam iam audito, ab eius facie timuerunt, & propriū excidium deplorantes, a proprijs ſedibus receſſerunt, vitę ſuę latebroſis ſubſidijs prouidentes.

Cumq; Rex Francorum a vaſtationis propoſito iam ceſſaſſet, & Nemauſenſem vrbem foſſatis, & muris fortiſſimis reſtauraſſet, nunciatum eſt ei Lupum Ducem de nobilioribus Francię Biterrenſem territorium deuaſtare. Quod Rex audiens cum exercitu properans Lupi fugam voluit pręuenire. Sed cum Lupus iuxta villam, quæ Aſperianum dicitur, regreſſum principis audiuiſſet, tanto timore fugæ periculum meditatur, vt ſui ſibi, & ipſe ſuis viderentur penitus iam deeſſe, & partita fuga omnes ſine comitatus ſolatio aufugerunt, prædas, & ſpolia, & diuitias, quas attulerant, hoſtibus reliquerunt, & multi, quibus timor abſtulit alas, capti poſtea rem auferunt, & tanta fuit celeritas fugientis, quod non potuit conſequi ſtudium ſubſequentis, & ſic fugerunt ad abſcondita latebrarum, quod pauci, aut nulli potuerunt inueniri.

Lupus.

Aſperianum.

De reformatione prouinciæ Narbonenſis, & reditu Regis in Hiſpania.
Caput. X.

Rutenū Alba. FVGATO itaque Lupo duce, princeps victor fœlici regreſſu Narbonam peruenit, & diſponens de prouincia Narbonenſi, & de Ruteno, et Alba ciuitatibus, quę tunc ad eam ciuitatem pertinebant, praecepit diruta reſtaurari, & eos, qui ob metū diſcidij fugerant, reuocari, & conſuetudines indebitas in melius immutari, & omnia loca a malis vſibus reformari, & locis debitis rectores, qui clæmenter agerent deputari, vt terra tantis ſordibus deformata quaſi nouo baptiſmate purgaretur. Præcepit etiam, vt Iudæi, quos Hildericus vocauerat, ab illis finibus pellerentur, ſtatutum omnium pacis concordia roborauit, & radicem rebellionis, & ſchiſmatis penitus extirpauit, & dimiſit ibi manum validam fortium bellatorum, Francorum prælia non formidans, immo potius vilipendens, cum nullus eſſet principum vicinorum, qui cum eo præſumeret concertare. His omnibus prouide ordinatis, diſpoſuit in Hiſpaniam remeare. Cumq; ad locum, qui Canebat dicitur, perueniſſet, concione

Canebar. totius exercitus conuocata, omnibus grates refert, quod tam fideliter, tam viriliter, & tam ſtrenue ſibi in omnibus aſtitiſſent, & quod eorum prælijs tam cito rebellia ſubiciſſet. Vnde & imperterritus animo princeps clæmens cunctos abſoluit, dans li-

Helena. centiam, & ſumptus itineris, vt quo placeret itinere rem caret, ipſe quoq; Helenam veniens, biduum ibi manſit. Indeq; veniens in Hiſpaniam ſexto menſe a ſuo receſſu redijt glorioſus, & quarto fere milliario ab vrbe regia Paulus cum ſocijs factionis decaluatis capitibus, raſis barbis, pedibus denudatis, indutis ſaccis, camelis impoſiti, & Paulus confuſionis potior corona picea cornoatus, ſequente longa deductione ſuorum, quos cęcitas, & proditio deducebat, facti omnibus in deriſum, & ludibrium, in obprobrium & cachinnum, vrbem ingreſſi ſunt Toletani, & carcere deputati, vt qui ſupra ſe nequiter leuauerunt, ſedeant ſolitarij, & tabeſcant.

De reparatione vrbis Toletanæ.
Caput. XI.

POSTQVAM igitur Rex cum triumpho nobili fuit ſedi regiæ reſtitutus, ceptra regni meditans eleganter, ciuitatem Toleti muro, & exquiſito opere renouauit, quam & opere ſculptorio verſificando prætitulans hoc in portarum epigrammatibus ſtilo ferreo in nitido, lucidoq; marmore fecit ſcribi. Erexit factore Deo Rex inclytus vrbem Bamba, ſuæ celebrem protendens gentis honorem.

In memorijs quoq; martyrum, quas ſuper eiſdem portarū turribus titulauit, hoc ſimiliter exarauit. Vos domini ſancti, quorum præſentia fulget. Hanc vrbem, & plębē ſolito ſeruate fauore. Hic anno regni ſui quarto in Toletana vrbe beatę Mariæ ſemperq; virginis atrio in ſecretario poſt tranſactos octo & decem perturbatio-

Concilium xi. num, & diuerſarium cladium annos, concilium ſalutis parauit, & iſtud fuit concilium vndecimum Toletanum ſub Quirico vrbis regiæ primate. Interfuerunt huic concilio ſedecim Epiſcopi, & multi vicarij abſentium Epiſcoporum, cum quibus & tempora abſq; concilio prætereuntia deplorarunt. In hoc vero concilio conſolationem cum tantis viris recepit, & ibi fuit tunc illud concilium conſtitutum, vt vicini

cclxx. naues Arabum. Epiſcopi ſinguli per annum menſibus in vrbe regia debeant commorari. Huius tempore ducentę ſeptuaginta naues Arabum ad littus Hiſpaniæ peruenerunt, cumq; cædes, & vaſtationes agerent, & ad Regis noticiam perueniſſet, miſſo exercitu bella-

torum ilico capiuntur,& naues incendio concremantur,& pars potior aduentorum gladio detruncantur,& pars alia captiuatur,& ſic exercitus ad Regem cum gloria eſt reuerſus. Tempore autem Cindaſuindi Regis ex Græcia vir aduenit nomine Ardauaſti,qui ab imperatore ſuo expulſus,mari tranſuectus in Hiſpaniam eſt adductus. Ardauaſtus.

Quem Rex Cindaſuindus ſuſcepit magnifice,& conſobrinam ſuam ei matrimonio copulauit,ex qua ſuſcepit filium,quem Eruigium nominauit,qui Eruigius in palatio nutritus proceſſu temporis honore comitis ſublimatur,mortuoq; Cindaſuindo in ſuperbiam eleuatur,& contra Regem Bambam factionem incepit callide cogitare,& Regis potui ingeſſit herbam, per quam Regis memoria turbaretur.. Cumque Quiricus Epiſcopus vrbis Regiæ,& optimates palatij intelligerent Regē memoria deſtitutū,& cauſā penitus ignorarēt,ne Rex Catholicus ſacramētis fidei fraudaretur, ſtatim confeſſionis,& pœnitentię antidotum obtulerunt,& Rex glorioſus deuote ſuſcepit,& religionis habitum poſtulauit,& ad monaſterium conuolauit in villa,quæ Pannis plica dicitur, & ibi creditur tumulatus,& vixit in regno annis nouem, & in monaſterio annis ſeptem. Eruigius.

De regno Eruigij,& Iuliano Pomerio.

Caput.XII.

HVIC ſuccedit Eruigius,eo quod eſſet Recēſuindi ſobrinus,ſed tyrannide non de iure. Reliquerat enim Recenſuindus filium paruulum Theodophredum,cui regni ſucceſſio debebatur. Cœpit autem regnare Eruigius æra ſeptingenteſima viceſima tertia,& regnauit annis. VII. Hic Ciſilonem filiam ſuam magno viro Egicæ Bambæ principis conſobrino dedit vxorem propter Recenſuindi filium Theophredum,ne regni eius primordia impediret. Huius in tempore fames valida Hiſpaniam pro parte depopulauit. Hic anno regni ſui primo procurauit fieri concilium duodecimū Toletanum quinto idus Maij,in quo fuerunt triginta quinque Epiſcopi cum inexſtimabili clero,& Chriſtianorum collegio laicorum,& hoc concilium fuit ſub Iuliano vrbis Regiæ primate,& ſubſcripſerunt Iulianus Hiſpalenſis, Luiba Braccharenſis,Stephanus Emeritēſis,& ſuffraganei,& vicarij Abſentium prælatorum.. Anno quarto flauij Eruigij principis fuit celebratum tertium decimū concilium Toletanū ſub eodem Iuliano primate,& interfuerunt Epiſcopi numero quadraginta octo,Luiba Braccharenſis,Stephanus Emeritenſis.Spandus abbas agens vicem Tarraconenſis,Pacatus abbas agens vicem Sumphredi Narbonenſis,& alij Epiſcopi Hiſpaniæ, & Galliæ cum vicarijs abſentium vices agentibus. Quartum decimum concilium Toletanum fuit anno quinto Flauij Eruigij ſub Iuliano vrbis Regiæ primate, ſubſcribentibus Vitaliano Cypriani Tarraconenſis Metropolitani vicario,& Ioanne abbate Sumphredi Narbonenſis archiepiſcopi vicem agēte,& Maximo abbate vicario Stephani Metropolitani Emeritenſis,Reciſindo vicario Luibæ Archiepiſcopi Braccharenſis.Gaudentio vicario Floriſindi Archieſpicopi Hiſpalenſis,& ſubſcripſerunt ſedecim Epiſcopi,& alij vicarij abſentium prælatorum. Et fuit celebratum hoc concilium die dominico duodecimo Kl. Decembris. In cuius tempore iam Iulianus Epiſcopus dictus Pomerius ex traduce Iudæorum. vt flores roſarū de inter vepres ſpinarū productus omnibus mundi partibus in doctrina Chriſti manet præclarus,qui & iam a parentibus Chriſtianis progenitus ſplēdide in omni pru-

Theodophredus. Ciſilone. Concilium.xij. Concilium.xiij. Concilium.xiiij.

dentia Toleti manebat edoctus, vbi & poſt modum epiſcopatu extitit decoratus.

De regno AEgicę. Caput. XIII.

AEGICA gener, & ſucceſſor Eruigij poſt mortē eius ad regni Go-
thorum aſſumitur principatum æra ſeptingenteſima trigeſima, &
æra dcc. xxx. regnauit annis decem, & cum filio annis tribus, ſed iſti tres anni pa-
tri non filio cōputantur. & ita in vniuerſo regnauit annis tredecim,
& dū regnū accepit, filiā Eruigię cōiuratione Bambæ abiecit. Hic
Gothos morte ſuit & odio perſecutus. Huius tempore inguina-
Narbo. lis plagæ neceſſitas inualuit in prouincia Narbonenſi, occaſione cuius ad Narbonen
ſem cathedram Epiſcopi pertinentes a Toletano concilio excuſantur, ita tamen quod
eiuſdem ſacri concilij inſtituta in ſingulis cathedralibus eccleſijs nuncientur, & admit
tantur, & ſiquis Epiſcoporum hoc non fecerit, & anathemate feriatur, & quinta bo-
norum parte mulctetur. Anno regni eius primo quintum decimum concilium cele-
xv. concilium. bratur Toleti in eccleſia prætorienſi ſanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli omni-
bus Hiſpaniæ, & Galliæ Epiſcopis aggregatis beatæ memoriæ Iuliano clareſcente
ſub ſexagenario numero Epiſcoporum, & multiplici Chriſtianorum collegio in cir-
cuitu aſſiſtente. In quo pro diuerſis cauſis, & pro abſolutione iuramenti, quod prę
fato principi Eruigio noxaliter fecerat, expoſcit ſynodum, vt ſolueretur a iuramento.

Eius in tempore liber de tribus ſubſtantijs, quem dudum Romam miſerat, primas
ſanctiſſimus Iulianus, & minus caute tractando Benedictus Papa Romanus indixe-
rat reprobandum ob id, quod voluntas genuit voluntatem. Sed ſanctus Iulianus
veridicis teſtimonijs in hoc concilio ad exactionem præfati principis per oracula co-
rum, quæ Romam tranſmiſerat, verum eſſe firmauit, & apologeticum fecit, & Ro-
mam miſit per ſuos legatos presbyterum, diaconem, & ſubdiaconem viros eruditiſſi-
mos, & in omnibus Dei ſeruos, & in diuinis ſcripturis imbutos, cum verſibus etiam
adclamatorijs, ſecundum quod & olim tranſmiſerat de laude Romani Imperatoris.

Quod Roma digne & pie recipiens cunctis legendum indixit, atq; Imperator ad
clamando, laus tua Deus in fines terræ lectum ſępius notum fecit, qui & reſcriptum
domino Iuliano per ſuprafatos legatos cum gratiarū actione, & cum honore remi-
ſit, & omnia, quæcumq; ſcripſit, iuſta, & pia eſſe deprompſit, & fuit hoc quintum deci
xv. concilium. mum concilium Toletanum celebratū anno primo Regis Aegicę quinto idus Maij
ſub Iuliano vrbis Regiæ primate, & ſubſcripſerunt Sumphredus Narbonenſis, Flo
reſindus Hiſpalenſis, Fauſtinus Braccharenſis, Maximus Emeritēſis, Metropolitani,
& Siſuldus vicarius Cypriani Tarraconenſis, & alij vicarij Epiſcoporum, qui non
venerant cauſa legitima impediti, & fuerunt præter vicarios ſexaginta vnus. Anno
xvi. concilium. ſexto Flauij Aegicę nonis Maij fuit celebratum ſextum decimum concilium Toleta
num ſub Fœlice vrbis Regiæ primate, & ſubſcripſerunt Fauſtinus Hiſpalenſis, Ma
ximus Emeritenſis, Vera Tarraconenſis, Fœlix Braccharenſis, Metropolitani, & alij
Epiſcopi ſuffraganei, & vicarij abſentium vices agentes. Anno ſeptimo Flauij Aegi
xvij. concilium. cæ Regis quinto idus Nouembris fuit celebratum ſeptimum decimum concilium
Toletanum in eccleſia ſanctę Leocadiæ, vbi ſanctum eius corpus requieſcit in ſubur-
bio Toletano ſub Fœlice vrbis Regiæ primate, qui grauitatis, & prudētię excellentia
nimia præpollebat. & ſubſcripſerunt Fauſtinus Hiſpalenſis, Maximus Emeritenſis,
Vera Tarraconenſis, Fœlix Braccharenſis, Metropolitani, pręter abſentes, qui pro

ſe vicarios deſtinarunt. In quo concilio idem Rex præſentialiter adfuit, & coram omnibus humi proſtratus ſe eorum orationibus commendauit, & tomum, quam manu tenebat primati, & concilio offerens ſuper ijs, quæ ibi continebantur, ſibi ſatiſfieri poſtulauit, & hæc omnia in libro canonum pleniſſime declarantur.

De morte Aegicę, & regno Vitizę.
Caput. XIIII.

EIC Flauius Aegica tribus annis ante mortem Vitizam filium ſuum, quem ex Ciſilone ſuſceperat, præfecit Galleciæ, quæ olim regnum fuerat Sueuorum, & præcepit, vt in Tuda, quæ eſt vna de amœnioribus Galleciæ ciuitatibus reſidiret, & illuc etiam Flauuius Aegica Faſilam Galletia. ducem patrem Pelagij, licet inuitum, exilio relegarat. Quem Faſilam Sueui. Vrbicum Vitiza occaſione vxoris fuſte in capite vulnerauit, ex quo vulnere mortuus fuit iuxta Duodeci Vrbicum, & ibi ſepultus in villa, quæ Duodecim manus ab alijs Palatium appellamanus tur. Poſt hęc Flauius Aegica propria morte Toleti moritur, & ibidē honorifice ſe palatium pelitur. Cui ſucceſſit filius eius Vitiza, æra ſeptingenteſima quadrageſima, & regnauit annis nouem, qui patri ſuccedens in ſolio, quamquam petulcus, clęmentiſſimus tamen fuit, æra.dcc. xl.dccij. & non ſolum, quos pater exilio condemnauerat, verum etiam quaſi clientulos, vt reſtitueret, laborauit. Nam quod pater impoſuerat graue iugum, ipſe modice releuabat. Quos & pater patrio ſolo abdicauerat, ipſe reſtituens fœlici ſtatui redonabat, & poſtremo conuocatis omnibus cautiones inſtrumentorum, quas pater in dolo confecerat, ipſe in conſpectu omnium digno incendio concremauit, & non ſolum liberos reddidit ab inſolubili vinculo cautionum, verum etiam omnia reſtituit, quæ Aegica infiſcarat, & expulſos officio reſtituit palatino. Hic in eccleſia ſancti Petri, quæ eſt extra Toletum cum Epiſcopis, & magnatibus ſuper ordinatione regni concilium celebrauit, quod tamen in corpore canonum non habetur. Cumque Vitiza circa initium optime inchoaſſet, cœpit poſtmodum flagitioſius ſe habere, & Pelagium filium Faſilę ducis Cantabriæ, qui poſtea contra Sarracenos cum Aſturibus rebellauit, ob cauſam patris, quam prædiximus, ab vrbe regia coegit expulſum, & cum antea petulanter ageret in occulto, iam nunc luxus impudiciciam publicat in aperto, & laxatis habenis nulli vitio ſe ſubtraxit, & vtinam ſolus in ſuis ſordibus perijſſet, ne nobilitatem Gothorum cleri, & populi ſuis immundicijs infeciſſet. Ad tantæ enim perditionis & diſſolutionis peruenit cumulū, vt plures vxores & concubinas ad ſatietatem libidinis inſimul detineret, & exemplo ſimili viros illuſtres, & potiores Gothorum ad ſimilia facinora inducebat, quorum exemplo in minoribus populi peccata ſimilia inundabant. Per idem tempus Gundericus Toletanæ Sedis primas ſanctimoniæ dono illuſtris habetur, & in multis mirabilibus clarior celebratur. Huic ſucceſſit Sinderedus Epiſcopus vrbis Regiæ primas, vir ſanctimonię ſtudio clarus, & durauit vſque ad tempora Roderici, & ſub iſto fuit perdita ciuitas Toletana. Hic viros longeuos, & honorabiles, quos in eccleſia Toletana repererat, poſt mortem ſancti Fœlicis & Gunderici deceſſorum ſuorū zelo ſanctitatis, licet non ſecūdum ſcientiam, cœpit grauiter infeſtare, & hoc ad inſtinctum Vitizę, qui propter ſui nequitiam eorum iuſtitiam timeſcebat.

De facinoribus, & fraudibus Vitizæ.

Caput. XV.

VERVM quia iſta ſibi in facie reſiſtebant, propter vexationem pontificis ad Romanum Pontificem appellabant, Vitiza facinoroſus timens ne ſuis criminibus obuiarent, et populum ab eius obedientia reuocarent, dedit licentiam, immo præceptum, omnibus clericis, vt vxores, et concubinas vnam, et plures haberent publice iuxta libitum voluptatis. Et ne Romanis conſtitutionibus, quæ talia prohibent, in aliquo obedirent, & ſic per eos populos retinerẽt. Tanta igitur temporibus facinorum alluuio inundauit, vt fere Gothorum ſtrenuitas, quæ conſueuerat regnis, & gentibus imperare, in viciorũ altitudine iam ſubmerſa omnibus abominationibus ſubiaceret. Itaque Gothorum, Hiſpanorumque regnum diffuſum magnitudine dominabatur a mari vſque ad mare, & a Tingi ciuitate Aphricæ, vſque ad Rodanum ſuæ ſceptra propaginis dilatauit, excelſum nobilitate, largum abundantia, deuotum religione, pacificum vnione, clarum conciliorum eloquentia, Epiſcoporum frequentia, religioſorum reuerentia, ſanctorum pontificum Leandri, Iſidori, Helladij, Eugenij, Ildefonſi, Iuliani, Fulgẽtij, Martini Dumienſis, Idalij Barcinonẽſis, Talonis Ceſaraguſtani clara doctrina, & Zazei Cordubeñ. profunda philoſophia. Sed quoniã humani generis inimicus, humano generi non deſinit inuidere, ſeminauit in poteſtate ſuperbiam, in religione acidiam, in pace diſcordiam, in abundantia luxuriam, in ſolertia ignauiam, adeo vt ſic vt populus, ſic & ſacerdos, ſic vt impij, ſic & princeps, qui cum pro ſuis iniquitatibus timeret expelli, muros præcepit dirui ciuitatum præter paucas, quarum muros deſtruere formidauit, & arma ferrea in vomeres commutari, vt quaſi omnibus conniuens illicita, videretur quietem, & pacem, & licita procurare. Ipſe tamen doloſe agebat, ne poſſent ſibi reſiſtere qui volebant eius ſceleribus obuiare. Alluuione ergo voluptatum in tota Hiſpania inundante Vitiza principe maieſtatis oculos prouocante, repleta eſt terra iniquitate.

Tingi.

Rhodanus.

Dumienſis.

Omnis quippe caro corruperat viam ſuam, & qui optimus, quaſi paliurus, & qui rectus, quaſi ſpina de ſepe.

De cauſis diſſenſionis, propter quas fuit deſtructio Hiſpaniæ ſubſecuta.

Caput. XVI.

SED quia dominus voluit Gothorum gloriam incuruare, Sathan immiſit in pacem, quam ſimulauerat Vitiza. Cum enim Theodofredus filius Recenſuindi, qui in ętate paruula a patre fuerat derelictus, & in iuuenili ętate placidus, elegantis formę, & indolis gratioſæ ab omnibus amaretur, timens Aegica pater Viticæ ne iuuenis tanti generis, & tantæ ſpei ad regni faſtigium aſpiraret, a proprijs finibus Cordubam exilio relegauit. Cumqꝫ ſibi manſio Cordubæ placuiſſet, ibi palacium miræ fortitudinis fabricauit, quod & filius eius ætatis robore adoleſcens, & dilatauit, & obfirmauit, qui aliquandiu ibi moratus duxit vxorem de regali genere nomine Ricilonem, ex qua ſuſcepit filium Rodericum.

Corduba

Cum autem Vitiza regni gubernacula poſt patrem ſuum Aegicam ſuſcepiſſet, æmulatione, qua pater, cœpit perſequi Theudofredum, donec captum vtroqꝫ lumine fecit

ne fecit orbum. Pelagium etiam, cuius patrem apud Tudam fuſte peremerat, vole- Toda.
bat pœna ſimili condemnare, ſed ad Cantabriam fugiens euaſit furiam perſequentis;
quia volebat Dominus liberationis aſylum in Hiſpanijs conſeruare. Vitiza au-
tem ſacrorum Canonum inimicus Oppæ fratri ſuo Archiepiſcopo Hiſpalenſi con
tradidit eccleſiam Toletanam, ciuſdem eccleſiæ inuente Pontifice Sinderido, vt ſi-
cut ipſe carnali, ita & frater ſpirituali adulterio fœdaretur, & vt iniquitatem iniqui-
tati adijceret, violatis priuilegijs eccleſiarum reuocauit Iudæos, & maioris immu-
nitatis, quam eccleſias priuilegijs honorauit. Sed quia iuſto iudicio Dei agitur, vt
actores ſcelerum pœnas ſubeant vltionis, de manu Domini duplicia ſuſceperunt,
qui pro ſimplicibus ſatisfacere noluerunt. Igitur Rodericus filius Theudofredi,
quem Vitiza, vt patrem priuare oculis viſus fuit, fauore Romani ſenatus, qui cum
ob Recinſucindi gratiam diligebat, contra Vitizam decreuit publice rebellare, qui
viribus præeminens cepit eum, & quod patri ſuo fecerat, fecit ei, & regno expul-
ſum, ſibi regnum electione Gothorum, & ſenatus auxilio vindicauit. Vitiza ita-
que plenus abominationibus, vacuus regno, orbus oculis, propria morte Cordu-
bæ, quo Theudofredum relegauerat exul, & Exrex vitam finiuit. æra. DCC. æra.dcc.li. dcc.lx.
LI. Cumq; duos filios reliquiſſet, Siſebutum & Ebam, neuter ſucceſſit in re-
gno, eo quod eſſent propter patris inſolentias omnibus odioſi.

De regno Regis Roderici. Caput. XVII.

HORTANTE autem & adiuuante ſenatu, & adhuc Viti-
za viuente cœpit conregnare Rodericus vltimus Rex Gothorum.
Anno Vlit quarto, Arabum vero. XC. primo. æra. DCC. æra.dcc.
XLV.IX. Anno ſeptimo Vitizæ, & tantum tribus annis regna- xlix. dcc.
uit, Vno per ſe, duobus etiam cũ Vitiza. Erat autẽ Rodericus du- xi.
rus in bellis, & ad negotia expeditus, ſed in moribus non diſſimi-
lis Vitizæ: nam & circa initium regni ſui Vitizæ filios Siſibutum, & Ebam pro-
bris, & iniurijs laceſſitos a patria propulſauit, qui relicta patria ad Recilam Comi-
tem Tingitaniæ ob patris amiciciam transfretarunt. Erat autem tunc temporis
Toleti palatiũ a multorũ Regũ tẽporibus ſemper clauſũ, & ſeris pluribus obſeratũ,
hoc fecit Rex Rodericus contra voluntatem omnium aperiri, vt ſciret quid interius Toletum
haberetur, putabat enim theſauros maxim os inuenire, ſed cum aperuit, præter vnam
arcam repoſitam nil inuenit, qua aperta reperijt quendam pannum, in quo Latinis
literis erat ſcriptum: Quod cum contingeret ſeras frangi, arcam, atq; palatium ape-
riri, & videri, quæ inibi habebantur, gentes eius effigiei, quæ in eo panno erant de-
pictæ Hiſpanias inuaderent, & ſuo dominio ſubiugarent, quod Rex videns doluit
aperuiſſe, &, vt erat prius, fecit arcam, & palatium inſerari. Erant autem in panno
depictæ facies, vt vultus, diſpoſitio, & habitus Arabum adhuc monſtrat, qui ſua
capita tegunt vittis, ſedentes in equis, habentes veſtes diuerſis coloribus variegatas,
tenentes gladios, & balliſtas, & vexilla in altum tenſa, qua pictura Rex, & proceres
timuerunt.

De violentia facta filiæ Comitis Iuliani, & coniuratio- ne cum Arabibus.

Caput. XVIII.

MOS erat tunc temporis apud Gothos, vt Domicelli, & Domi-
cellæ magnatum filij, in Regali curia nutrirentur. Inter cæteras
Domicellas filia Comitis Iuliani præſtantior habebatur. Erat au-
tem Iulianus vir nobilis de nobili Gothorum Proſapia ortus, illu-
ſtris in officio Palatino, in armis exercitatus. Comes Spathariorū,
Confocra familiaris, & conſanguineus Vitizæ, & in oppido, quod Confocra
dicitur, & in maritimis diuerſarum poſſeſſionum titulis abundabat, contigit autem
vt idem Iulianus legationis cauſa a Rege Roderico in Aphricam mitteretur, qua le-
gatione pendente, Rex Rodericus filiam eius, de qua diximus, violenter oppreſſit.
Hæc erat Regi promiſſa, ſponſaliter non traducta, alij dicunt vxori Comitis vim
feciſſe, ſed vtrumlibet fuerit Galliæ Gothicæ, & Hiſpaniæ exitialis excidij cauſa fuit.

Verum peracta legatione rediens Iulianus, vt ſtuprum comperit vxore, vel filia
reuelante, dolorem continuit alacritate exterius procurata, & legatione expoſita re-
ceſſit indignans, & tempore hyemali nauigio iuit Septam, vbi vxorem cum rebus
Septa. domeſticis collocauit, & habito verbo cum Arabibus in Hiſpaniam eſt reuerſus, &
egrotantis matris deſiderium ſimulans a Rege filiam impetrauit infirmæ matri ſola-
tio deſtinandam, quam receptam reſtituit matri ſuæ. Eo tempore Comes Iulia-
Inſula viridis. nus Inſulam viridem, quæ nunc Arabice Gelzirat alhadra dicitur, detinebat: ex
Gelzirat. qua Barbaris Aphricanis damna plurima inferebat. Vnde & ab eis plurimum ti-
alhadra. mebatur. Erat autem tunc temporis in Aphrica Princeps quidam, qui Muza pro-
prio nomine dicebatur. Et erat Abulit a Miramomenino præſes Aphricæ con-
ſtitutus: huic fuit Iulianus Comes factioſo colloquio fœderatus promittens ei ſi ſi-
Muza. bi crederet, Hiſpaniam ſe daturum. Muza autem cognomento Abenozair au-
diens Comitem Iulianum gaudio eſt gauiſus eo, quod ſtrenuitatis eius magnalia ex-
pertus fuerat in periculis gentis ſuæ, & continuo verbum huiuſmodi Abulit Ami
ramomenino Arabum nunciauit, qui inhibuit ei, ne in Hiſpaniam ciſfretaret, time-
bat enim poſſe in periculum redundare, ſed paucos mitteret, per quos poſſet pro-
Tarif. miſſum Comitis aperiri. Muza autem miſit cum Comite Iuliano quendam Ta-
rif nomine, & cognomine Abienzarcha cum. C. militibus, &. CCCC. peditibus
Aphricanis, & hi in quatuor nauibus tranſierunt, Anno Arabum. XC. primo,
æra.dcc.l. æra. DCC. L. in menſe, qui dicitur Ramadan. Et iſte fuit primus aduentus Ara-
dcc.iij. bum citra mare, & applicuerunt ad inſulam citra mare, quæ ab eius nomine dici-
tur Gelzirat harif, & ibi ſubſiſtit donec ad ſe cognati, & complices ex Hiſpania ad-
Gelzirat. uenerunt, & primos inſultus fecit in Gelzirat haladra, & inde abſtulit magnam prę-
haref. Gelzira. dam, & alia loca maritima deuaſtauit, & Hiſpania miſera, quæ a tempore Leoui-
gildi Principis fere per. C. XL. annos in pace ſubſtiterat, iam nunc incipit in no-
uatis antiquæ miſeriæ cladibus laniari, cædibuſque in Luſitania, & Bætica pro
parte peractis. Iulianus cum Arabibus, quos adduxerat ad Muzam, redijt fa-
ſtuoſus. His diebus Sinderedus, de quo diximus, vrbis regiæ Præſul, & Primas ad-
uentum Arabum expaueſcens, & Vitizæ inſolentijs fatigatus, Romanæ patriæ ſe-
ſe dedit, oues deſerens, vt mercenarius, non vt paſtor. Viri autem longæui, de qui-
bus diximus Vrbanum virum ſanctimoniæ in Epiſcopum elegerunt intruſione
Vrbanus. Oppę, qui iam nil poterat non obſtante.

De ſecundo introitu Arabum in Hiſpaniam.
Caput. XIX.

POST hęc Muza vocatus Abulit a Miramomenino iuit in Fri-
quiam. relicto in patrię principatu Taric Abentiet, qui erat ſtra-
bo, cui iniunxit, vt Iuliano comiti auxilia largiretur, & amiciciā con
ſeruaret. Tunc autem dedit Comiti Iuliano. XII. millia bellato-
rum, quos ſeparatim duxit in Hiſpaniam in nauibus mercatorum,
ne cauſa tranſitus perciperetur, & conuenerunt ad montem, qui ab il
lo Mauro Gebel Taric adhuc hodie nuncupatur. Arabicę autem Gebel mons in- Gebel
terpretatur, Menſe Regeb. Anno regni Arabum. XC. ſecundo. ęra. DCC. LI. mons vī dedicatur
quæ cum ad Regis Roderici noticiam perueniſſet, miſit contra eos ſobrinum ſu- æra. dccli.
um nomine Eneconem, qui cum eis ſępius dimicans, ſępius fuit victus, & ad vlti-
mum interfectus. Vnde & Arabes ſumptis animis, audaciam aſſumpſerunt. Iu-
liano Comite eos per Bęticam, & Luſitaniam deducente. Gothorum enim exer-
citus prima vaſtatione perculſus. & longa pace armorum vſibus deſuetus antiqua
magnalia ignorabat, & facti deſides, & imbelles, ignari certaminis ſunt inuenti, &
obicibus terga vertentes, ad mortem citius, quam ad fugæ ſubſidia peruenerunt.
Taric autem cum Iuliano Comite ad Muzam in Aphricam eſt reuerſus, & Iuliani
fidelitas ex his factis apud Arabes fuit mirabiliter approbata. Vnde & Muza Ta- Muza.
ric, & Comiti ampliorem exercitum ſociauit, & retinuit Ratilam Comitem Tin-
gitanum, terrebant enim eum doli Comitis laqueoſi, ſi forte cum alijs mitteretur, qui
cum in Hiſpaniam applicaſſent in Bætica, & Luſitania cœperunt direptiones, &
excidia exercere. Rex autem Rodericus audita ſtrage ſuorum, & prouinciæ va-
ſtatione, Gothis omnibus congregatis, aduentui Arabum ſe obiecit, & ad incur-
ſum eorum ſtrenue properauit. Cumque veniſſent ad fluuium, qui Guadalete di-
citur prope Aſſidonam, quæ nunc Xerez dicitur, ex alia parte ſedit exercitus Afri Aſſidona
canus. Rex autem Rodericus cum corona aurea, & veſtibus deauratis, a duo-
bus mulis in lecto Eburneo ferebatur, vt Gothorum Regum dignitas exigebat, &
per octo dies continuos a Dominica in Dominicam dimicarunt, ita quod de Ta-
ric exercitu fere decem & ſex milia ceciderunt. Sed Iuliano Comite, & Gothis,
qui ſecum aderant dure inſtantibus, franguntur acies Chriſtianæ, qui longa pace &
abundantia deſides, imbelles, & ignaui certaminis ſunt inuenti, & obicibus terga dan
tes, die Dominica, quinto Idus menſis Xauel. Anno Arabum. XC. tertio æra. D- æra. dcc.
CC. LII. Rex Rodericus, & Chriſtianus exercitus vincitur, & fuga inutili perie- lij. dcc. xiij
runt. Duo autem filij Vitizæ, qui cum Iuliano Comite conſpirauerant, Regi
Roderico in hoc prælio aſtiterunt, & alter a ſiniſtris, alter a dextris collaterales acies
gubernabant, & dicitur in præcedente nocte, cum Taric conſilium habuiſſe, vt ipſi
a bello ceſſantibus, Gothorum exercitus de facili vinceretur, & Rex Rodericus cum
eſſet magnanimus, antequam fugeret, permitteret ſe occidi, & eo mortuo poſſet eis re-
gnū perditū prouenire, non enim credebant, quod poſſent, vel vellent Arabes patriā
retinere, vnde & in cōflictu armis depoſitis, quātotius effugerunt, & hoc ipſum Taric
promiſerat, quod reſtitueret eis omnia, quæ fuerant patris ſui. In exercitu Chriſtiano
no fuiſſe conſtat plus quam centū millia armatorū, ſed erat populus duorum annorū
peſte, & inedia imbecillis. Et quia diuina gratia protectionis manum elongauerat ab

Hiſpanis gens illa vitrix, gens illa nobilis, gens Gothorum, cui ſe dederant Aſia, & Europa, & eius fugacibus. Vandalis orbis ceſſerat Aphricanus, triumphis Arabicis incuruatur. Conſerto prælio cum Arabibus, Rex Rodericus fortiter inſiſtebat, ſed iners manus ſtrenuitatis Gothicæ recuruata, quæ multorum ſanguine con
Iulianus. ſueuerat gloriari, hoſtes ſuo cogitur ſatiare. Iulianus autem animabat Gothos, qui ſecum aderant, necnon & Arabes, vt bellum acrius reſtaurarent. Cumq; bellum ex vtraq; parte inſtantius efferueret, alternis cædibus plurimi ceciderc. Iam iamq; Gothorum aciebus fere vndiq; conſternatis, Rex Rodericus interdum fuga, interdum occurſibus nitebatur, ſed aliquandiu bello protracto, gens Gothorum in parte cæditur, in parte fugæ præſidio liberatur, & dum hoc agitur, quid de Rege Ro
Rex Rodericus euanuit. derico acciderit ignoratur, tamen corona, veſtes, & inſignia, & calciamenta auro, & lapidibus adornata, & equus, qui Orelia dicebatur in loco tremulo iuxta fluuium ſine corpore ſunt inuenta. Quid autem de corpore fuerit factum penitus ignoratur, niſi quod modernis temporibus apud Viſium ciuitatem Portugalliæ, inſcriptus tumulus inuenitur. Hic iacet Rodericus vltimus Rex Gothorum.

Maledictus furor impius Iuliani, quia pertinax, & indignatio, quia dura, Veſanus furia animoſus indignatione, impetuoſus furore, oblitus fidelitatis, immemor religionis, contemptor diuinitatis, crudelis in ſe, homicida in Dominum, hoſtis in domeſticos, vaſtator in patriam, reus in omnes, memoria eius in omni ore amareſcet, & nomen eius in æternum putreſcet.

De deſtructione Gothorum, & commendatione Hiſpaniæ.

Caput. XX.

æra.dcc.lij. PRO dolor hic finitur gloria Gothicæ maieſtatis æra. DCC.Lij. & quæ pluribus bellis regna plurima incuruauit, vno bello vexilla ſuę gloriæ inclinauit, qui Scythiam, Pontum, Aſiam, Macedoniam, Gręciam, & Illyricum varijs cædibus vaſtauerunt, & eorum mulieres. Orientalem plagam prælijs ſubiecerunt. & Cyrum magnum Dominum Babyloniæ, Aſyrię, & Mediæ, Syrię, & Hircanię victum
Valens. & captum in vtre ſanguinis extinxerunt, & cui victa Ro
Hunin. ma prouinciarum Domina flexit genu, cui Imperator Valens ceſſit incendio, cui il
Alani. le eximius Atila Rex Hunnorum Catalonico bello recognouit Imperium, cui Ala
Vandali. ni fugitiuo prælio Pannoniam dimiſerunt, cui Vandali ceſſerunt Gallias fugitiui, quorum bella minacibus, tonitruis toti mundo a ſæculis intonarunt, Machometi nuper orta rebellio vno bello inaudito exidio conſummauit, vt diſcant omnes, ne diues in diuitijs, ne potens in potentijs, ne fortis in fortitudine, ne ſublimis in gloria glorietur. Qui gloriatur autem in Domino glorietur, quoniam ipſe vulnerat, & medetur: ipſe percutit, ipſe ſanat. Cum enim ſit Domini omnis terra, omnis populus, omnis natio, omnis lingua, omnia curſu inſtabili uariantur, creatore omnium ſemper & in omnibus, ſtabili ac permanēte, qui mundi partes, & climatum ſingula donis diſſimilibus adornauit, inter quas Hiſpaniam in Occidentis finibus conſtitutam omniū deſiderabilium copia vbertauit, hanc, vt diximus, peragratis ferme omni

bus, & obtentis Aſiæ, & Europæ prouincijs, & experti bella, & certamina. & qui-
bus inſederant, varias manſiones attendentes in locorum commoda, ipſam omni-
bus prætulerunt, eo quod inter omnes mundi prouincias ſpecialibus vbertatis titu-
lis redundabat, quæ Pyrenæis montibus a mari vſque ad mare protenſis Oceano cir
cumducitur, & Turreno. Gallia, & Gothica, id eſt, Narbonenſis prouincia cum Gallia Gothica.
Rutheno, Alba & Viuario ciuitatibus, quæ Gothorum tempore ad Narbonenſem Rutenſ.
prouinciam pertinebant, & in Africa, & vna prouincia decem ciuitatum, quæ Tin Alba.
gitania dicebatur, ad Gothorum dominium pertinebant. Hiſpania quippe qua- Viuarii.
ſi Paradiſus domini uere principalibus fluminibus irrigatur, ſcilicet Ibero, Doria, Ta
go, Ana, & Beti. montanis inter quælibet interiectis. Mediæq; valles ſui latitudine
deſeruiunt vbertati, & humore fluminum fœcundantur, & pro magna parte riuis, &
fontibus irrigantur, ſed & puteorum ſuffragia raro deſunt, fœcunda frugibus, amœ
na fructibus, delicioſa piſcibus, ſapida lacticinijs, clamoſa venationibus, guloſa ar-
mentis, & gregibus: ſuperba equis: commoda mulis: priuilegiata caſtris: curioſa vi-
no, deſes pane: diues metallis: glorioſa ſericis: dulcis mellibus: copioſa oleo: læta cro-
co: præcellens ingenio: audax in prælio: agilis exercitio: fidelis dominio: facilis ſtu-
dio: pollens eloquio: fertilis in omnibus, nulla in fertilitate ſimilis: nulla municioni-
bus comparabilis: paucæ magnitudine æquales: in libertate præcipua fidelitate pre-
cioſa: in audacia ſingularis. Sunt & alia flumina, quæ retentis nominibus capitalia
nuncupantur, vt Minius, qui in parte Galleciæ oritur, & per eandem diſcurrens pro Minius
uinciam in Oceanum deriuatur. Ab hoc & flumine prouincia illa Minea appella-
tur. Abaris, & Succaris, quæ oriuntur in territorio Segontinenſi Toletanæ pro- Minea.
uinciæ in Rhenũ retentis nominibus dilabuntur. Hoc ergo regnum tam nobile, tam Abaris. Sucaris.
ornatum patriæ gladio in ſe uerſo, quaſi in eo manus hoſtium non cœpiſſent, ſuccu
buit vno impetu vix incœpto, & captæ fuerunt omnes Hiſpaniæ ciuitates, & ma-
nibus diripientium ſunt ſubuerſæ.

Deploratio Hiſpaniæ, & de cauſa excidij Gothorum.

Caput. XXI.

BELLO autem miſerabiliter conſummato, cum vix ſupereſſet, qui ad bellũ ex alterutra partiũ non veniſſet, omnibus in ſe cęſis, remanſit terra populis vacua, ſanguine plena, fletu madida vlulatu clamoſa, aduenis hoſpita, ciuibus peregrina, nudata incolis, orbata filijs, confuſa Barbaris, infecta ſanguine, ſtupida vulnere, deſtituta munimine, & ſuorum ſolatio deſolata. Iam clades Herculis innouantur. iam Vandalorum, Alanorum, & Sueuorum obducta vulnera reputreſcunt, quæ olim Romanorum gladio ſauciata, Gothorum medicamine poſt curata, nunc ipſa fœtu cæditur, iam extincto, & oblita cantica in loquela labij, iam lingua loquitur peregrina. Viri exercitus in coccineis, & equorum igneæ ſunt habenæ, eorum facies vt nigredo, vultus gloria quaſi oleæ, & eorum oculi velut ignis, velocior pardis miles eius, & lupo crudelior veſpertino. Enimuero gens Aphrorum, quæ olim de viribus non præſumens dolis & diuitijs nitebatur, nunc ei cedit Gothorum ſtrenuitas in momento, quę citius cecidit, quam dici poſſit, & vix relinquitur, vt deploret, quod mortis inſtantia non reliquit, vt clamet tranſeuntibus iam non

ctua. Attendite ſi eſt dolor ſimilis ſicut meus, vox eius percipitur, vt Phitonis, & elo
quium eius muſitat, vt ex humo, ploratus & vlulatus lugubris vix auditur. Hiſpa
nia ſuos filios plorat, & conſolari non potuit, quia non ſunt. facta eſt eius habitatio
iam deſerta. eius gloria iam confuſa. iam eius filij gladio ceciderunt, & eius inclyti iam
captiui, Principes eius in opprobrium habuerunt, & vix bellator in exterminiũ, qui
erant liberi, mancipati ſunt ſeruituti. Qui conſueuerant in militia gloriari, cogun
tur cultro, & vomere incuruari. Qui veſcebantur voluptuoſe, nec vilibus ſatian-
tur, & qui nutriti ſunt in croceis, non tangibilia amplexantur, vt nec inundatio plu
uiarum, nec alluuio tempeſtatum eis potuerunt adaquari, quæ Hiſpaniam non præ-
terent tempeſtates, paruuli alliduntur, adoleſcentes cędibus inuoluuntur, iuuenes
gladijs extinguntur. Viri prælijs proſternuntur, Senes excidio conſſumuntur,
& quos ſenium, & decrepita fecerat honorandos, hos Afrorum crudelitas abijcit ex
tirpandos, mulieres ſeruantur ad ignominiam, & earum ſpecioſitas ad contume-
liam. Qui robuſtus animo occubuit gladio, qui velox pedibus a ſagittarijs eſt
confoſſus, pepercit gladius inimicis, & in domeſticos debacchatur, non erat, qui re-
ſiſteret Gothis dimicantibus in ſeipſos. Quis dabit capiti meo aquas, & fontem ocu
lis lachrymarum, vt plorem excidium Hiſpanorum, & miſeriam gentis Gothorum?
Conticuit religioſa ſacerdotum. ceſſauit frequentia miniſtrorum. abſceſſit diligentia
prælatornm. perijt doctrina fidei, & ſanctorum vnio. pater ſoluitur orthodoxorum.
ſanctuaria deſtruuntur. eccleſiæ diruuntur. Et quæ laudabant in cymbalis, prouo-
cant in blaſphemijs. lignum ſalutis a ſanctis eijcitur. non eſt, qui aſpiciat, vt ſaluetur,
ſolemnia penitus ceſſauerunt, & eccleſiæ organa in blaphemiam tranſierunt. non eſt
qui iubilet in eccleſijs, & ſubſannat confeſſio Machometi. defœdat abuſio ornamen
ta, & vaſa ſancta contaminant alieni. religionem deuorant inimici, & omnis habita-
Eccleſiarum deſtructio. tio deſolatur, cum occiditur habitator. ciuitates ignominijs conſumuntur, & quæq;
viridia ſucciduntur. Adeo enim peſtis inualuit, quod in tota Hiſpania non reman
ſit ciuitas Cathedralis, quæ non fuerit aut incenſa, aut diruta. Arabes enim, qua vi
non poterant ſubiugare, falſo fœdere deceperunt Oppa filio Aegicæ Hiſpalenſi
Oppa. Aegica. Epiſcopo ſuadente, vt ſubiecti Arabibus viuerent ſub tributo, & ſi forte Dominus
patriam viſitaret, fierent ſubuenientibus in ſuccurſum, & ſic fraudibus circunuenti
reddiderunt oppida, & præſidia ciuitatum, & iſti dicti ſunt Mixti Arabes, eo quod
mixti Arabibus conuiuebant, quorum hodie apud nos, nomen perſeuerat, & genus
& tali fraude Arabes fere omnia occuparunt, & omnibus occupatis, rupto fœdere
theſauros eccleſiarum, & diuitias incolarum pariter exhauſerunt: Niſi quod Epi-
ſcopi poſtmodum cum reliquijs Aſturijs ſe dederunt. Quicquid illa Babylon
magna inter regna ſæculi prima a Cyro & Dario ſubuerſa pertulit, niſi quod per-
petuo exterminio ſolũ a beſtijs, & ſerpẽtibus habitatur, Quicquid domina prouin
ciarum Roma ab Alarico, & Athaulpho Gothorũ Regibus, & Giſerico Vandalo
rum Principe eſt perpeſſa, Quicquid Hieruſalem iuxta dominicã prophetiã lapide
ſup lapidẽ non relicto ſuſtinuit diruta, & incenſa, Quicquid Carthago nobilis a Sci
pione Romano direptione, & incendio paſſa fuit, hoc miſera Hiſpania omnium
cladium coniectis miſerijs eſt experta. nec eſt, qui adijciat misereri. Sed quia Regis
ad exemplum totus componitur orbis, peccata Vitizæ, & vltimi Roderici, & alio-
rum Regum, qui præceſſerant. quorum aliqui factione, aliqui fratricidio, ſeu parrici-
dio regni vſurpauerant poteſtatẽ, ſucceſſione legitima non ſeruata, incanduit ira Dei,

& Gothorum gloriam, quam hactenus ſuſtentarat, eiecit a facie maieſtatis, & quos ſu
ſtinuit in hæreſi Arriana a tempore Valentis Imperatoris, vſq; ad tempora Recare-
di, ſicut ſuperius eſt deſcriptum, nunc Vitizæ abominationibus, & aliorum Regum
ſcœleribus prouocatus non addidit vlterius tolerare. Nomina autem Regum hic
duximus exprimenda, qui factioſo gladio perierunt. Athaulphus apud Barchino- Barcino
nam inter familiares fabulas a quodam ſuorum fuit proditionaliter interfectus. Sege
ricus fuit a ſuis ſimiliter interfectus, & Turiſmundus apud Tholoſam concilio fra- Tholoſa.
tris ſui a ſuo famulo interfectus, Theudoricus fuit a fratre ſuo ſimiliter interfectus, Al
maricus apud Narbonã in foro fuit a ſuo exercitu interfectus, & Theudis fuit interfe
ctus a quodam, qui ſe inſanum, vt Regem interficeret, ſimulauit, Theodiſclus apud
Hiſpalim a quodam ſuorum fuit inter epulas iugulatus, Agila a ſuis eſt apud Emeri- Narbo. Hiſpalis.
tam interfectus. Leouigildus interfecit filium ſuum Hermenigildum, eo quod nolebat
hereſi conſentire. & Luiba filius Recharedi a Viterico fuit proditionaliter interfectus,
Vitericus cõiuratione quorũdam fuit inter epulas interfectus, & Vitiza a Roderico
exoculatus. & Rodericus a Iuliano, vt credit, interfectus, Froila fratrẽ ſuum Vimara-
mim proprijs manibus interfecit, & ſui vindictam apud Canicas Froilam occidit.

Qualiter, Taric vrbes, & oppida occupauit. Caput. XXI.

POST bellum autem infauſte patratum, Taric Chriſtianos fuit Taric. Aſtygis.
vſque in Eciiam ſecutus, & qui erant in ciuitate, & etiam qui extra,
fugerant, adhuc de multitudine confidentes ei improuide occurre-
runt, & bello infœliciter inchoato infœlicius perierũt, & occiſis plu-
ribus, plures ad ciuitatis ambitum redierunt. Taric autem cum
ſuo exercitu reſedit iuxta fluuiũ Ciloſontis, qui ex tunc dicitur fons
Tarici. Chriſtiani autem audientes quod gens aduenerat, quæ Gothorum gloriam
ſua multitudine ſuperarat, & licet falſo, quod humanis carnibus veſcebatur, tanta ſe
ignauia abiecerunt, vt nec reſiſtere cogitarent, & quia Toletum cunctas vrbes fortitu Toletum
dine præcellebat, curabant omnes inibi receptari. & aliæ ciuitates, & oppida remanſe
runt paucis defenſoribus habitata. Tunc Comes Iulianus Taric conſuluit, vt de ſuo
exercitu bellatoribus compartitis per diuerſas partes Hiſpania vaſtaretur, & ipſe da-
ret de ſuis complicibus, qui ducatu, & auxilio Arabes adiuuarent. Tunc Taric di
uiſit exercitum & miſit quendam qui de Chriſtiano factus fuerat ſarracenus qui dice-
bat Arabice Mogeit airomi: & erat ſeruus Amiramamonini, & duxit ſecum. dcc. mi Mogeit.
lites, & Cordubam eſt profectus, vix enim inter Arabes pedes quiſpiam reperieba- Corduba
tur: Nam ex equis Gothorum de pedeſtri ordine milites fuerant facti, & miſit alium Malaca.
exercitum contra Malacam, & Granatam. Ipſe autem cum maiori exercitu ve- Granata. Menteſa
nit Menteſam prope Giennium & ciuitatem funditus diſſipauit. Mogeit autem Corduba
cum Cordubæ veniſſet, in villa, quæ Secunda dicitur prope Cordubam, inſidias oc-
cultauit, & quidam de exercitu a quodam paſtore, quem ceperat, rumores Cordubæ
ſciſcitarunt, qui & retulit maiores Cordubæ ad Toleti præſidium confugiſſe, & præfe
ctum vrbis cum. cccc. militibus remanſiſſe, et vrbem circundatam muro forti, niſi
quod iuxta pontem erat muri ambitus interciſus. Mogeit autem cum ſuo exerci-
tu tranſiuit Bethim, et aëre & rore noctuo tenebroſo venit ad locum per quẽ muri in-
terruptio viam dabat, vbi etiam erat ficulnea, cui, vt ſcalæ auxilio adhærẽtes ad locum

intercidij aſcenderunt,& vittis Mogeit vſi pro funibus ad muri ardua cōſcenderunt, & vigilibus interfectis ſeras,& ianuas infregerunt,& per pontis ianuam intrauerunt, quod cum vrbis dominus percepiſſet, in eccleſiæ præſidium, quod erat fortiſſimum, ſe recepit,ſed ibi eum tribus menſibus obſederunt, poſt quos idem dominus ciuitatis ad montana,quę imminent ciuitati,dimiſſis aliquibus in eccleſiæ munimento, abijt fugitiuus,quod cum ad Mogeit noticiam perueniſſet, poſt eum inſecutores continuo deſtinauit,infœlix autem fugitiui equi caſu præcipiti conquaſſato,deſperatis rebus,vē in proprio clipeo reſidebat,quem Mogeit ſuperueniēs cepit viuum, nec aliquis de ſenioribus Hiſpanorum captus dicitur præter iſtum. Omnes enim alij deditione, aut fœdere ſe dederunt. Mogeit autem Cordubā rediens tandiu præſidium eccleſię impugnauit,donec captos capitibus mutilauit, & ex tunc dicta fuit eccleſia captiuorū.

Mogeit.

Iudęos autem,qui inibi morabantur,cum ſuis Arabibus ad populationem, & cuſtodiam Cordubæ dimiſerunt. Dominum autem vrbis,quem ceperant, Vlit Amiramamonino Arabo præſentarunt,

De captione Malacæ,& Murtiæ,& Granatæ. Caput. XXIII.

Malaca.

EXERCITVS autem,qui Malacam iuerat,cepit eam,& Chriſtiani,qui inibi habitabant ad montium ardua confugerunt. Alius exercitus Granatam diutius impugnatam victoria ſimili occupauit, & Iudæis ibidem morantibus,& Arabibus ſtabiliuit. Deinde ad vrbem,quę tunc Oreola nunc Murtia dicitur properauit, & dominus Murtiæ egrediens contra eos infœliciter eſt aggreſſus,& in vrbis ambitu circunſeptus,cum eſſet prouidus,& diſcretus,fecit mulierū capita circuncidi,vt in muris a foris apparentes viri,eminus crederentur,& cannæ, quas manibus præferebant,lanceæ putarentur, ipſe autem ſe ſimulans nūcium ciuitatis exiuit ad obſeſſores,& blandiens domino eorundem ſecuritatis gratiam impetrauit, interpoſito fœdere treguarum. Tunc paucos ex eis introduxit in ciuitatem, & cum vidiſſent hominum raritatem, de datis treguis doluerunt, nec tamen pro religione iuramenti treguas violarunt,ſed paucis Arabibus ibi relictis, cæteri Toletum iuēre, vbi Taric tunc temporis conſiſtebat. Cum enim Toletum veniſſet,inuenit eam fere habitatoribus deſtitutam,plures enim ad Amayeram, alij ad aſturias, alij confugerant ad montana. Taric autem ex Arabibus,quos ſecum duxerat,& Iudæis,quos Toleti inuenerat,muniuit Toletum, exinde iuit Guadalfaiaram, & ad montem, qui dicitur Gebelculeman,& impoſuit ei nomen Gebeltaric,inde venit ad ciuitatem Montiuicinam, in qua inuenit menſam viridem ex lapide precioſo, & menſa,& pedes ex vno lapide erant,& erat immenſę latitudinis,& longitudinis,& impoſuit villæ nomē Medina talmeida,quod interpretatur ciuitas menſæ, exinde venit Amaiam olim Patriciam ciuitatem,ad quam propter fortitudinis prærogatiuam deiecta confugerat multitudo,ſed quia fame, & penuria fere laborabat tota Hiſpania, fame protinus fuit capta, & cepit ibi multa millia captiuorum, & theſauros, & donaria magnatum, exinde campos Gothicos,& Aſturicam deuaſtauit,& in Aſturijs ciuitatem Gegionem, & alia loca plurima occupauit, & in locis idoneis præpoſitos ſtabiliuit, & Toletum poſt modum eſt reuerſus anno Arabum. XCIII. Muza autem filius Azair anno prædicto menſe Ramadan audiens magnalia, quæ Taric princeps ſui exercitus

Oreola. Murtia. Toletum Taric. Guadalfaiara. Gebeltaric. Gebelculema. Medina talmeida Ciuitas menſę Amaia. Campi gothici. Aſturica Gegion. Muza.

exercuerat in Hiſpanos,familiaris zeli ductus inuidia in Hiſpanias cisfretauit, ducens Inſula vi
ſecum pluſquam. XII. millia bellatorum, & cùm veniſſet ad inſulam viridem, quæ ridis.
Gelzirat alhadra iam Arabicæ dicebatur, incolæ ſuaſerunt,vt ea via, qua Taric intra- Gelzirat.
uerat,ipſe iret, quod noluit acceptare. Tunc auditores,qui dicuntur Adalides,& alij aladra.
Chriſtiani ſuaſerunt,vt per alia loca,& ciuitates,quæ a Taric non dũ fuerant acquiſi-
tę,ipſe procederet maiora præteritis patraturus,& ipſe gaudens eorum cõſilio appro
bato venit ad locum munitum, qui latine Ciuitas ſalua, ab Arabibus Medinatſido- Ciuitas
na exinde fuit dicta, hęc eſt inter mare, & eam quę nunc Xerez,latine autem dicitur ſalua.
Aſſidona,& eam pugnæ violentia occupauit. Deinde venit Carmonam,& quia Medinat
dictum fuerat ei,quod vix impugnatione aliqua poſſet capi, miſit comitem Iulianum ſtnoda.
cum aliquibus Chriſtianis, vt fugam,quaſi victi a prælio ſimularẽt,& ſic a ciuibus re- Xerez.
ceptati,pro hoſpitalitatis officio,hoſpitam ciuitatem in manus Arabum prodiderunt. Aſſido-
noctu enim vigiles occiderunt, & per portam,quę Cortoba dicitur, Arabes induxe- na.
runt. Deinde venit Hiſpalim, in qua Gothorum ſubſtiterat multitudo, quæ ante Carmo-
Gothorum aduentũ a Silinguis Vandalis vrbs regia habebatur,ſed Gothi ab ea mu na.
tauerunt curiam in Toletum.hanc Hiſpalim,cum Muza aliquando obſediſſet, Chri Hiſpalis.
ſtiani,qui iuerant ad villam,quæ Beia dicitur,aufugerunt. Ipſe autem captam Hi- Silingi.
ſpalim de Iudæis,& Arabibus populauit,& inde iuit Beiam, & eam diſpendio ſimili Vandali.
occupauit. Deinde iuit Emeritam,quæ multis,& antiquis ędificijs antiquæ digni- Beia.
tatis gloriam teſtabatur,& incolę de multitudine pręſumentes contra eum ad pręliũ Emerita.
exierunt,ſed ea die Muza non potuit pręualere. Videns autem quod vi non pote
rat obtinere,in Lapidicina vrbi proxima inſidias occultauit,& ſequenti die, vt heri fe
cerant, ciues ad pręlium proceſſerunt,ſed inter celatam, & acies intercepti ex ciuibus
plurimi occiderunt,& qui euadere potuerunt,ad vrbis ambitum confugerunt. Erat
enim muri firmitas miro opere fabricata. Chriſtiani autem corde puſillanimi deſpe
rantes ſequenti die colloquium petierunt. Cumq; permiſſi ad Muzę pręſentiam
acceſſiſſent,& viri caniciem attendentes,ad ſuos poſt colloquium redierunt,& expoſi
ta canicie obſeſſoris opinati ſunt ſenem breui tẽpore deſiturum, & ideo illa die a com
poſitionis colloquio deſtiterunt. Tunc Muza pręcepit murũ perfodi circunquaq;,
obſeſſi autem abintus exeuntes plures ex foſſoribus occiderũt. Die tertio iterum col-
loquium poſtulantes ad Muzę præſentiam redierunt, & quos pridie canos notaue
rant,tincturę opere coloris contrarij inuenerunt,& fatuitate attoniti miraculum repu
tarunt, & ad ſuos ilico redeuntes nunciarunt virum virtute pręditum,qui nunc iuue
nili,nunc ſenili pręſtantia iuxta beneplacitum mutabatur,& hoc miraculo conturba
ti vrbem protinus reddiderunt,interpoſito tamen pacto,vt ſaluis rebus recederent &
perſonis. Cepit itaq; villam anno Arabum. XCIIII. vltima die menſis Rama-
dan. Et dum hęc fierent Chriſtiani de Elepla,& Veia, & alijs partibus inſurgentes Elepla.
Hiſpalim adierunt,& vrbis præſidinm occupantes plures ex Arabibus,quos Muza Beia.
reliquerat occiderunt,cæteri,qui euadere potuerunt,ad Emeritam,quam Muza cepe-
rat,confugerunt. Tunc Muza filium ſuum Abdulaziz miſit Hiſpalim cum exer
citu copioſo,qui veniens vrbem,ilico occupauit, & Chriſtianos, qui cędem egerãt,in-
terfecit,Eleplam etiam occiſis incolis occupauit. Dum hęc agũtur, Pelagius in Aſtu
rijs rebellauit. Muza autem victorijs,& ſpolijs glorioſus iuit Toletum,vbi Taric Pelagius.
non minori gloria reſidebat,qui in occurſum Muza ad Talauerę confinia eſt egreſ-
ſus,& iuxta riuum,qui Tetar dicitur,ſimulato gaudio conuenerunt. Muza autem, Talauera Tetar.

qui Taric calumnias cogitabat, Taric redarguit indignanter, eo quod licet fœliciter mandatum prǣterierat in peractis, & Toletum pariter venientes de optentis, & acqui ſitis, de diuitijs, & theſauris, de mēſa exquǣſiuit exactiſſime rationem, & receptis men ſa viridi, & pecunijs, quǣ Taric volūtarie reuelauit, veniētes ambo Cǣſarauguſtam ipſam, & ciuitates alias, & plura oppida Carpetanię, & Celtiberię occuparunt.

Cæſarauſta. Carpetania. Celtiberia.

LIBER QVARTVS RERVM IN HISPANIA GESTARVM CHRO- nicon, de Pelagij Regis initio.

Caput Primum.

ET dum tot diſpendijs Hiſpaniam diſſecarent, Deus omnipotens in ira ſua miſericordiæ non oblitus Pelagium quaſi ſcintillam modicam in ſuo cōſpectu voluit conſeruare, hic Pelagius, vt eſt dictum, fugiens a facie Vitizæ, qui eum voluerat excæcare, licet ſpatharius eius fuiſſet, apud Cantabriam ſe recepit, ſed audiens ſuccubuiſſe exercitū Chriſtianum, & Arabes quæq; deſiderabilia inuaſiſſe, ſumpta ſecū ſorore propria, Aſturijs ſe donauit, vt ſaltim in Aſturiarum anguſtijs poſſet Chriſtiani nominis aliquam ſcintillam conſeruare.

Pelagius. Cātabria.

Sarraceni enim totam Hiſpaniam occupauerant gentis Gothicę fortitudine iam contrita, nec alicubi reſiſtente exceptis paucis reliquijs, quæ in montanis Aſturiarum, & Biſcagæ, Alauæ, Guipuſcuæ, Ruchoniæ, & Aragoniæ remanſerunt, quos ideo Dominus reſeruauit, ne lucerna ſanctorum in Hiſpanijs coram domino extingueretur. Præfecerunt itaq; Sarraceni in ſingulis regionibus præpoſitos, qui a pauperibus, vinitoribus, & agricolis Chriſtianis, quos ſub tributo permiſerant permanere, cēſus colligerēt, & tributa. Erat enim in regione Gegionis iā Sarracenis ſubdita, qui et in mōtanis aliqua loca occuparūt pręfect⁹ quidē Munuza nomine, Chriſtianus quidem, ſed Arabibus fœderatus, qui captus pulchritudine ſororis Pelagij, cum eo amicicias ſimulauit, & fingēs cauſam legationis Pelagium miſit Cordubam, quæ olim patricia, tunc erat Arabibus ſedes regni, eo miſſo Munuza procurante quodam liberto ſibi ſororem Pelagij copulauit, ſed poſtquam Pelagius redijt, facinus noluit tolerare, & reſumpta ſorore, licet diſſimulans, in Aſturijs ſe recepit non minus magnanimus, quam ſolicitus, liberationem patriæ adhuc ſperans. Munuza autem pro ablatione coniugis reputans ſe contemptum, Taric principi nunciauit iam manifeſte Pelagium rebellare, qui miſſis militibus pręcepit Munuzę, vt Pelagium caperet, & Cordubam deſtinaret. Cumq; milites ad Aſturias peruenifſent, voluerunt Pelagium dolo compoſito retinere, ſed conſilium per quendam amicum in vico, qui Vrete dicitur, Pelagio reuelato, quia non poterat armis reſiſtere, ad oppoſitam ripam Pioniæ fluminis equo inſidens pernatauit, & quia fluuius inundabat, Sarraceni perſequi ceſſauerunt, & ad vallem, quę Canice dicitur ſolus venit. Inueniensq; plurimos qui metu ad edicta Arabū properabant, ſpiritu fortitudinis, & ſpe in domino confortauit, quia & ſi propter peccata flagellat filios peſtilentes, in fine tamen non obliuiſcetur miſereri.

Aſturiæ. Biſcagia. Alaua. Guipuzcua. Ruconia. Aragonia. Munuza. Vrete. Pionia. Vallis Canice.

Illi autem ſacra monita attendentes excuſſo metu facti magnanimi, & fideles ad montem magnum, qui Auſeua dicitur, conſcenderūt, & per omnes Aſtures ſacra mo- *Auſeua.* nita perſuadens quaſi de graui ſomno puſillanimes excitauit, & de omnibus partibus Aſturiarum ad eum tanquam ad Dei nunciū concurrentes in tāta deſolatione ipſum in principem elegerunt. Cœpitq; per loca deuia, & incerta cædes agere cōtra Mauros, & quaſi Girouagus eorū totam victoriam perturbare, & ſuos ad perſecutionem Arabum roborare. Exercitus autem, qui in capturam eius venerat, Cordubam eſt reuerſus. Quod cum audiſſet Taric, qui Cordubæ reſidebat, Alchamam principem *Alchama* militiæ contra Pelagium deſtinauit, & Oppa Epiſcopum Hiſpalenſem filiū Aegicæ, vt Pelagium ad obediendum ſibi monitis ſuaderet.

De introitu Pelagij in caueam, & ſtrage Arabum, & captione Oppę &c.

Caput. II.

QVORVM aduentum cum Pelagius percepiſſet, in cauea quãdam, quæ eſt in latere montis Auſeuæ, de quo diximus, ſe recepit, eſt *Auſeua.* autem hæc cauea quaſi diuino artificio rupe inexpugnabili circuncluſa, & ab impugnatione ſecura. Et cum illa cauea vix ſit mille hominum receptiua, aſſumptis ſecū, quos ſtrenuiores credidit, reliquos diuinæ gratiæ commendauit, vt in tutis montium Dei miſericordiā, & rei exitum expectaret. Ipſe autem in cauea cum ijs, qui ſecum aderant, Dei miſericordiam implorauit. Cumq; Alchaman, & Oppa Epiſcopus cum multitudine fundibulariorum, & peditum ad Aſturias perueniſſent, & vaſtationes aliquas peregiſſent, demum in circuitu caueæ fixis tentorijs recederunt. Oppa autem, qui multos Chriſtianos ſuaſerat, tunc, vt fertur, mulo inſidens dicitur Pelagium taliter allocutus.

Quanta fuerit Gothorum gloria in Hiſpanijs ipſe noſti, & licet ſemper cōtra Ro- *Oppæ oratio* manos, & gentes barbaras inuicta fuerit, nunc Dei iudicio victa plorat, quæ eſt ergo fiducia tua, vt clauſus in antro cū viris pauculis nitaris reſiſtere contra Arabes, quos totus exercitus gentis Gothicæ ſub vno Rege non potuit ſuſtinere? recole Gothorū regnum quanta doctrina, quanta potentia abundauit, & nunc vltimæ virtutis exinanitione conſumptum ad nihilum eſt redactum. Conſule igitur vitæ tuæ, & eorum, qui tecum pari miſeria conſumentur, & Taric inuicti principis te exhibe voluntati, vt & honoribus redoneris, & cum ijs, qui tecum ſunt, vita, & operibus perfruaris.
Cui reſpondit Pelagius. Etſi ad tempus Deus percutiat filios peſtilentes, non tamen *Pelagij reſponſum.* proijciet in ęternum. Noſti autem Epiſcope Oppa qualiter tu, & fratres tui, & pater tuus Rex Vitiza veſtris ſceleribus cum Iuliano comite irā altiſſimi prouocaſtis, propter quod excidium gentis Gothicæ ſuperuenit, & flet eccleſia penitus deſtituta filios perditos, & extinctos, nec conſolari ſufficit, donec Dominus cōſoletur, ſed per id modicū, & momentaneum exterminij noſtri pondus adijciet eccleſia, vt reſurgat, & ego ſperans in miſericordia Ieſu Chriſti hanc multitudinem, cum qua venis, nullatenus pertimeſco, habemus enim aduocatum apud patrē dominum Ieſum Chriſtum, in quem credimus, & ſperamus. Tunc Oppa Epiſcopus de perſuaſione deſperans exercitui dixiſſe ferunt. Inueni hominem obſtinatum, nil reſtat de cætero niſi pugna,

Tunc Alchaman præcepit fundibularijs, ſagittarijs, iacularijs oſtium ſpelūcę fortiter impugnare. Sed Dei manu pro ſuis concluſis miſericorditer dimicante lapi-

des, ſagittæ, & iacula in emiſſorum intentum vertebantur. Sicque tali iudicio fer-
me. XX. millibus Arabum interfectis, cæteri quaſi vertigine turbabantur. Quod
Pelagius cum vidiſſet, laudans Dei potētiam, & ſpiritu fortitudinis roboratus cum
ſuis egreditur a ſpelunca, & Alchaman cum maxima multitudine Arabum interfe-
Auſcua. cit, prȩter eos, qui euerſis iaculis perierunt. Reliqui vero ad Auſcuȩ ardua fugien-
tes ab ijs, quos Pelagius reliquerat, cȩdibus perierunt. Qui autem ab ijs euaſerant,
Libana. in Libana ad ripam Deuȩ fluminis peruerūt, & ſuper quodam montis ſupercilio in-
Deua. cedentes eodem ſupercilio in fluuium corruente, & aggere opprimente in flumine
ſunt ſubmerſi, & Aegyptiorum ſubmerſio nouo miraculo prȩſentatur. Oppa au-
tem a Pelagio captus manſit, ab aliquibus dicitur Oppa fuiſſe filius Vitizȩ, ab aliqui
bus frater Comitis Iuliani. Sed verius filius fuit Aegicæ, & frater Vitizæ, ſed v-
trumlibet iſtorum fuerit, certum eſt fuiſſe Archiepiſcopum Hiſpalenſem.

De tranſlatione arcȩ, & reliquiarum, & ſacrorum librorum in Aſturias.
Caput. III.

VRBANVS autem Sinderedi ſucceſſor, de quo ſuperius dixi-
mus, arcam reliquiarum, & ſcripta beati Ildefonſi, & Iuliani Pome-
rij, & veſtem ſacram quam beata Virgo dederat Ildefonſo, cum iam
videret in Hiſpanijs deſtructionem eccleſiȩ, & populi Chriſtiani, ad
Aſturias dicitur detuliſſe, & de loco in locum, vt perſecutio expoſce
bat, a fidelibus ferebatur. Poſtquam vero vrbs regia fuit non irru
ptione, ſed fœdere ab Arabibus occupata, quod tamen fœdus Sarraceni poſtea irru-
perūt. Clerus, & Chriſtiani eiecti cum alijs, qui in Hiſpanijs ſeruituti barbaricæ man-
cipati elegerunt degere ſub tributo, permiſſi ſunt in lege, & eccleſiaſticis inſtitutis, &
habere pontifices, & euangelicos ſacerdotes, apud quos viguit officiū Iſidori, & Lean-
dri, & viget hodie in, vi. parrochijs Toletanis. Eo & tēpore, quo Vrbanus in vrbe re
Ouātius. gia prȩſidebat, Ouātius Archidiaconus Toletanus doctrina, ſapiētia, & ſanctitate ſe-
Frodoa-rius. cūdū ſcripturas ſpe, fide, charitate prȩcipuus habebat̄, & Frodoarius Accitanȩ vrbis
Epiſcopus religione, & ſapiētia prȩdicabatur inſignis, & vſq; ad tēpora Almohadū,
q Imperatoris Aldefonſi tēpore incœperūt, in pace inſtituta euāgelica ſeruauerūt, &
Ioannes. in iſto medio fuit apud Hiſpalim glorioſus, & ſctiſſim⁹ Ioānes Epiſcopus, q ab Arabi
bus Caeit almatran vocabat̄, & magna ſcientia in lingua Arabica claruit, multis mi
raculorū operationb⁹ glorioſus effulſit, qui etiā ſacras ſcripturas catholicis expoſitio
nibus declarauit, quas ad informationē poſterorū, Arabice conſcriptas reliquit, quas.
fuit etiā ibi alius electus nomine Clȩmens, qui fugit a facie Almohadū Talauerā, ibiq;
diu moratus vitā finiuit, cuius contēporaneos memini me vidiſſe. Venerūt etiam tres
Epiſcopi. Aſſidonenſis. & Elepēſis, & tertius de Marchena, & quidā Archidiaconus
ſanctiſſimus, pro quo etiā dominus miracula operabatur, qui Archiquez Arabice di
cebatur, & vſq; ad mortem in vrbe regia permanſerunt Epiſcopalia exercentes, & v-
nus eorum in eccleſia maiori eſt ſepultus. Quod autem ab aliquibus dicitur quod a
Iuliano pontifice Toletano, & Pelagio principe reliquiarum arca, & ſanctorum ſcri-
pta ab eccleſia Toletana in Aſturias ſunt tranſlata, ſtare non poteſt, cum Iulianus
Pomerius tertius fuerit ab Ildefonſo, & Sinderedus, ſub quo Hiſpaniæ deſtructio,
quartus fuerit a Iuliano. hoc modo Ildefonſo ſucceſſit Quiricus, cui Iulianus Pome-
rius, cui Siſibertus, cui fœlix, cui Gūdericus, cui Sinderedus, ſub quo fuit ab Arabibus

ciuitas

ciuitas occupata. Item ab aliquibus dicitur, quod Primatus Hiſpaniæ prius fuit in ec
cleſia Hiſpalenſi, & poſt trãslatus ad eccleſiã Toletanã, quod etiã ſtare non poteſt. In
XVI. enim concilio Toletano, vbi Silibertus Archiepiſcopus Toletanus fuit depoſi
tus merito culpę ſuę, a generali concilio omniũ Archiepiſcoporũ, Epiſcoporũ, & Cle
ri Hiſpaniarũ, & Gallię Gothicę, decreuerũt nihil tractandũ in cõcilio donec prouide
rẽt primę ſedi Vrbis regię de paſtore. Et elect⁹, & trãslatus fuit Fœlix Archiepiſcop⁹
Hiſpalẽſis ad eccleſiã Toletanã factus Pontifex Toletanus & in eodẽ concilio Fauſti
nus Bracharenſis Archiepiſcopus factus eſt Hiſpalenſis. Fœlix Portugalenſis Epiſco
pus factus eſt Megarenſis Archiepiſcopus, & poſtea de ordinatione earũ concorditer
tractauerunt. Vnde patet, quod ſi Hiſpalenſis eccleſiæ maior eſſet, non transferretur
eius Epiſcopus ad minorẽ. Quia igitur propter diuerſas relationes ſcriptorum inter
dum de veritate hiſtoriæ dubitatur, diligentia lectoris inquirat, vt ex ſcripturis auten
ticis videat, quid debeat approbare.

De morte Munuzę, & filiorum Vitizæ & Comitis Iuliani, & Regis Pelagij.
Caput. IIII.

NVNC ergo ad ordinem Hiſtoriæ reuertamur. Cum itaq; Domi-
nus diuino prælio inimicos ſuos ad oſtium caueæ Pelagij Principis, &
in rupe Deuæ fluuio imminẽte pręcipitio, & iaculis proſtrauiſſet, Mu- Deua.
nuza, qui ciuitati Gegioni maritimę, & Aſturijs præſidebat, fugę peri-
culo ſe commiſit, ſed ab Aſturibus in vico, qui Olalies dicitur, fuit ca- Olalies.
ptus, & interfectus. Licet autẽ Gegio ciuitas ſit deſerta, Gijon terra vulgariter appel Canicæ.
latur, in qua eſt monaſteriũ ſancti Saluatoris. Muza autem condolens ſtragi ſuſpica
tus eſt factione filiorum Vitizæ, & Iuliani Comitis prouenisse, & eos pariter pactis
& capitibus, & vita priuauit. Gothi autem, quibus fugæ facultas affuerat, audientes
quod a Gothis manus Domini non diſceſſerat, clanculo ſe ſurãtes ad Pelagium Prin
cipem aduenerunt, & zelantes legem, & Machabæorum iuſticiam æmulantes pro fi-
de commori elegerunt. Ciuitatem etiam Legionem, quæ in deſcenſu Aſturiarum ab
Arabibus tenebatur, primo exercitu inuaſerunt in ea vexilla fidei exaltantes. Eo tem
pore Aldefonſus Catholicus filius Petri Ducis Cantabriæ, in Aſturias tranſmigra-
uit bella Domini cum Pelagio Principe pugnaturus, cui Princeps Pelagius in vxo-
rem dedit ſuam filiam Ormiſindam. Pelagius vero poſt multa bella decenter exerci-
ta migrauit cum domino apud Canicas anno. XVIII. regni ſui. Gegio.

De regno Faſilæ, & Aldefonſi Catholici, & eorum morte.
Caput. V.

MORTVO Pelagio, cœpit regnare Faſila filius eius æra. DCC.
LXX. & regnauit annis. II. qui leuitate ductus plus debito venatio æra. dcc. lxx
nibus inſiſtebat, & quadã die dũ vrſum inſequi niteretur, decreuerat
enim cum vrſo ſingulariter decertare, ab eodẽ vrſo fuit miſerabiliter
interfectus. Iſte dignũ memoria nihil egit, niſi quod quandã eccleſiã
ſanctę Crucis pulchro opere decorauit. Poſt hunc cœpit regnare
gener Pelagij Aldefonſus æra. DCC, LXXII. & regnauit annis. XIX. Hic agno æra. dcc. lxxij.
minatus fuit Catholicus, quia documenta fidei in ſe legaliter obſeruauit, & ad id ali-
os, vt zelator fidei, prouocauit, & ideo ab omnibus amabatur, & communi voto
ab omnibus in Regem eſt receptus. Hic fuit filius Petri Ducis Cantabriæ,

& habuit fratrem, qui Froila dicebatur, fuit autē Petrus Dux ex progenie glorioſiſſi-
Froila. Recared? mi Principis Recaredi, qui cum fratre ſuo Froila ſępius Arabes bellis intentans plu-
rima bella geſſit, & ciuitates multas occupatas ab eis Chriſtianæ potentię redonauit.
quaſdam muniens, quaſdā proſternens, quas bellatorū defectu non poterat retinere.
Retinuit autē in Gallecia Lucum, & Tudam, & Aſtoricam. In deſcenſu autē Aſtu-
riarum expugnato exercitu Arabū, Legionem, quę poſtea ex frequenti Regū habita-
tione Vrbs regia fuit dicta. Occupauit etiā campos Gothicos, qui ab Eſtola. Carrio-
ne, Piſorica, & Doria fluminibus includuntur, & in partibus Caſtellæ Septēmancas,
Dominas, Saldaniam, Amaiam, Mirandā, Ciniſariam, Aleſancum, Tranſmerā, Sup-
portam, Catrantiū. Et a Malaua, et Ordunia, Viſcagia, & Nauarra, et Ruconia, et Sa-
raſacio vſq; ad Pyrenęū plurima caſtra muniuit populis Chriſtianis. Et multis ex his
qui tenebantur captiui reduxit ad patriam, & ad loca, quę potuit communire. Ad
ipſum enim tanquam ad ſingulare Chriſtianæ profeſſionis aſylum ex vicinis regioni-
bus, quas Arabes occupauerant, Chriſtiana mancipia concurrebant, & quāuis diui-
na gratia tantis cum honoribus exaltaret, humilitatem non deſerens omnibus ſe ama-
bilem exhibebat, & Deo deuotus in ciuitatibus, quas obtinuit. Secūdum quod potuit
opportune, dedit operam, vt Epiſcopi crearentur, quorum doctrina reliquiæ Chri-
ſtianæ in fide catholica firmarentur. eccleſias etiā, prout tanta deſolatio tolerabat, ſtru-
cturis, & ornamentis liberaliter decorabat, libros etiam ſacræ ſcripturæ vndecunq;
poterat colligebat, & omnia opera pietatis Deo & eccleſijs, & hominibus pro viribus
Ormiſinda. exhibebat. Reliquit autem ex Ormiſinda Regis Pelagij filia duos filios Froilam, &
Vimaranum. Vimaranum, & filiam Odiſindam, & Mauregatum tertium filium ex ancilla, & pro-
pria morte vitam finiuit, in cuius tranſitu voces pſallentium in aëre feruntur auditæ.
Odiſinda. Mauregatus. Ecce quomodo tollitur iuſtus, & nemo cōſiderat, ablatus eſt a facie iniquitatis, & erit
in pace memoria eius. Sepultus eſt autem cum vxore ſua Ormiſinda in eccleſia ſan-
ctæ Mariæ in tentorio Canicarum.

De Froila, & operibus eius, & morte. Caput. VI.

æra. dcc. xci. Ouetum. POST mortem eius, Froila filius eius ſucceſſit in regno, æra. DCC.
XCI. & regnauit annis. XIII. Iſte populauit Ouetum, & fecit ibi ec-
cleſiā cathedralem. Cumque a tempore Vitizæ inſolens abominatio
noleſſet, vt Clerus carnalibus coniugijs potiretur, iſte intelligens iram
Dei pro tanta immundicia æſtuaſſe, iuxta ſacrorum canonū inſtituta
pręcepit, vt miniſtri eccleſiæ caſtitate ſeruata, nullatenus matrimonijs,
vel connubijs fœdarentur, & licet alias auſterus fuerit, & crudelis: propter hęc, quæ
circa Clerū inſtituit, direxit Dominus manū eius. Cumq; Omar Dux Cordubæ fi-
nes Galleciæ infeſtaſſet, occurrens ei Froila bello proſtratū cepit, & interfecit, & in eo
pręlio quinquaginta quatuor millia Arabum ceciderunt, rebellantē etiā ſuo dn̄o Gal-
lecię populū ſubiugauit, eorū prouinciā deprędatus, Nauarros, & rebellātes inuaſit,
Momerana. & ſibi conciliās vxorē ex eorū regali progenie, Momeranā nomine, ſibi duxit, & cū eis
Vaſcones ſibi infeſtos ſuę ſubdidit dicioni, rediēs ad Aſturias ſuſcepit filiū ex Momer-
Vimaranus. ana nomine Aldefonſum. Cūq; frater eius Vimaranus eſſet pulcher, ſtrenuus, & affabi-
lis, ab omnibus amabatur, quē Froila ob zelū regno proprijs manibus interfecit, &
filiū eius Veremundū, quaſi pro ſatisfactione, in filiū adoptauit. nec tamen ceſſauit in-
Veremundus. dignatio ſui generis contra eum. Vnde & a ſuis apud Canicas fuit factione ſimili

interfectus, & apud Ouetum cum vxore ſua Momerna fuit traditus ſepulturæ.

De Aurelio, & Silone, & Mauregato, & Veremundo Diacono. Caput. VII.

POST huius interitum Aurelius frater eius ſucceſſit in regno, æra DCCC.IIII. & ſex annis regnauit, cuius tẽpore ſeruilis origo cõtra proprios dominos inſurrexit, ſed eius induſtria in ſeruitutẽ priſtinã ſunt redacti, & in diebus eius Silo frater eius Odiſindę Froilę Regis ſorori coniugio copulatur, propter quam poſtea optinuit regni ſceptrũ, et in principio anni ſeptem regni ſui vitã finiuit morte propria,

æra. dccc. iiij. dcc. lxvi.

poſt cuius mortem Silo cauſa Odiſindę regnum accepit, æra. DCCC. X. & regnauit annis, VIII. & in prauia ad regni ſoliũ ſubleuatur, cum Arabibus pacẽ firmauit, & Galleciam rebellantem in monte Ciperio ſuperauit, & ſuo Imperio ſubiugauit.

æra. dccc. x. dcc lxx. vij.

Ciperius mons.

Aldefonſus autem filius Froilę, & Momernæ propter Odiſindam amicam ſuam regale palatium gubernabat, & Silonis negotia procurabat, quia Silo de prole ex Odiſinda deſperans iners fiebat, & anno regni ſui octauo humanis actibus eſt ademptus, & in eccleſia ſancti Ioannis apoſtoli, quam ipſe conſtruxerat, fuit ſepultus. Silone autem defuncto. æra. DCCC. XVIII. omnes magnates palatij cum Regina Odiſinda ad regni ſolium eleuant Aldefonſum.

æra. dccc. xviij. dcc. lxxx.

Mauregatus autem eius patruus ex ancilla, vt ſuperius diximus, elatus in ſuperbiam ad Arabes conualuit, eiſq; confœderatus auxilium poſtulauit, ſpondens ſe eis fideliter ſeruiturum, ſi eorum auxilio nepotis Imperium obtineret, Cumq; enim eſſet affabilis, perſuaſit, & dato ſibi exercitu Arabum regnum nepotis inuaſit fauentibus ſibi aliquibus Chriſtianis. Aldefonſus autem a facie eius verens fugit in Alauam, & Nauarram, ipſe autem Mauregatus, vt fauorem Arabum retineret, contra Dei legem multa commiſit. Puellas enim nobiles ingenuas, & plebeias ſtupris Arabum concedebat, Vnde Deo, & hominibus odioſus, expletis in regno, V. annis, & prauus in Prauia habuit ſepulturam. V. annis regnauit, ſed eius anni in computatione temporum annis Aldefonſi Regis annumerantur.

Mauregatus.

Alaua.

Prauia.

Eo mortuo Veremundus filius Froilæ in Regẽ eligitur, & quamuis magnanimus regnum tamen ſponte dimiſit recolens ſe olim diaconi ordinem ſuſcepiſe, & duobus annis vixit in regno, & ſobrinum ſuum Aldefonſum, qui ad Nauarros confugerat, reuocauit, & in regno ſubſtituit ſuſceſorẽ, & cũ eo alijs. IIII. annis, & ſex menſibus dulciſſimã duxit vitam, & propria morte vitam finiuit ſepultus Oueti cũ vxore ſua Imilone, quam viuens a ſe, propter conſcientiam ordinis, ſeparauit, relictis ex ea duobus filijs paruulis Ranimiro, & Garſia.

Veremundus.

Imilone.

De Aldefonſo Caſto, & pijs operibus eius. Caput. VIII.

ALdefonſus itaq; dictus Caſtus filius Regis Froilæ vir virtutũ, caſtitate, & pietate pręcipuus abſq; contactu fœminę Cęlibem duxit vitam. Vnde & Aldefonſus Caſtus meruit nominari. XLI. annis regnauit, anno ſui regni tertio exercit⁹ Arabũ cũ duce ſuo nomine Mugay Aſturias eſt ingreſſus, ſed Aldefonſi milites in loco, q Lucos dicit, Arabes pręuenerũt, & cũ eodẽ Duce bello inito ſeptuaginta millia Arabũ cęciderũt multiſq; pręlijs repellens Arabũ pacẽ patrię cõfirmauit. Anno autẽ regni ſui. XI. a ſuis per tyrannidem regno expulſus in Abelienſi monaſterio ſe recepit, Indeq; a Theudo, & alijs ſuis fidelibus reuocatus regni culmini redonatur.

Lucos.

Abelienſe

Nunc miſericordiæ ſuæ opera proſequamur. Hic cum multis virtutibus emica-
Ouetum. ret, palatia regia pulchro, & forti opere conſtruxit Oueti. Fundauit etiam eccleſiam ca
thedralem, & maius altare in honore ſancti Saluatoris, & altaria duodecim apoſtolo-
rum cum ſuis titulis eleuauit, eccleſiāq; ſāctę Mariæ iuxta Baſilicā ſancti Thyrſi ex la
pidibus, & colūnis marmoreis argēto, & auro cū regali palatio adornauit. & Gotho-
rum gloriā tam in eccleſijs, quā in palatijs, vt olim Toleti fulſerat, prout potuit. repara
uit, & ſic reparato tēplo per Eſdram & Neemiam, lætabātur iuuenes, qui prioris tem
pli gloriā ignorabant, & ſenes flebāt, qui prioris tēpli magnificentiā recolebant. Sic &
ibi, qui gloriā viderant Toletanā, perfundebantur lachrymis, & mœrore. Iuuenes au
tem pręteritę glorię inſcij Regis magnalia cum laudibus extollebant. In altari etiam
ſancti Michaelis poſuit arcā reliquiaram, quā Rex Pelagius, & Vrbanus Epiſcopus
vrbis Regiæ tēpore perditionis Hiſpaniæ ad Aſturias tranſtulerūt, ad quā hodie ex
vniuerſis partibus deuote concurrūt populi Chriſtiani laudantes Dei beneficia, quæ
Dominus Ieſus Chriſtus ibidem ſuis fidelibus impartitur, & in eadem eccleſia dici-
citur eſſe veſtis illa glorioſiſſima, quā beata Virgo contulit glorioſo Pontifici Ildefon
ſo. Hæc autē arca reliquiarū dicitur Hieroſolymis conſtructa fuiſſe, & tēpore perſe
cutionis Pſeudomachometi per mare Hiſpalim fuiſſe tranſlata, indeq; Toletum addu
cta, demum, vt dictum eſt, tempore quaſſationis cum multis alijs ſanctorum reliquijs
in Aſturijs collocata.

De Angelicis Aurificibus, & Bernardo. Caput. IX.

AD hæc cum Rex precioſos lapides corā aſpiceret, cogitauit crucem
de auro eiſdē lapidibus fabricare, ipſiq; ab eccleſia ad palatiū venienti
occurrerunt duo angeli in effigie peregrina, ſe eſſe aurifices aſſerētes,
Rex autē datis auro, & lapidibus etiā dedit domū, in qua poſſent ſe-
cretius operari. Cumq; in prādio cōſediſſent, miſit nūcios ad aurifi-
ces ſollicitās, qui nā eſſent. Cumq; nuncij acceſſiſſent, inuenerūt cru
cem miro opere cōſummatā, & coruſco ſplēdore totius domus penetralia illuſtrātē,
adeo vt non poſſent tantū ſplendorē intuentiū oculi tolerare, quod Rex audiens feſti
nauit, & tanto ſplendore cōperto agens gratias ſaluatori conuocato Clero, & popu-
lo, & Pontifice, glorioſam crucē altari obtulit Saluatoris, & iſta referens Leoni tertio,
qui ſedi apoſtolicę pręſidebat, obtinuit, vt in Ouetēſi eccleſia Archiepiſcopus creare-
tur. Cūq; circa talia, & circa pręlia exiſteret animoſus, Semena ſoror eius Comiti San
ci viro nobili furtiuo conubio clā conſenſit, ex quo ſuſcepit filiū nomine Bernaldū.
Luna. Quod cum ad Regis noticiā perueniſſet, Comitē Sanciū in caſtro, quod Luna di-
citur, carcere, & vinculis coarctauit mortis, & vinculorū ſtatuens vnū finē. Sororē
autē Semenā religioni in monaſterio mācipauit, Bernaldū, quia nō habebat filiū, delica
te nutriuit, qui poſtquā adoleuit ſtatura, vultu, eloquio, ingenio, & conſilio, & etiā ar-
mis fere omnibus præminebat.

De legatione ad Carolum, & victoria Regis Alphonſi. Caput. X.

REX autem longo regimine, & laboribus fatigatus ad Imperatorē Ca-
rolum, qui Italis, & Theutonicis, & Gallicis imperabat, ſecrete nuncios
deſtinauit, qualiter carebat filijs, & regnum, ſi veniret in adiutorium, ſi-
bi daret. Imperator autem Carolus impugnationi Arabum inſiſtebat.
Qui cū Hiſpanias occupaſſent tranſiecto Pyrenęo Galliā Gothicā Bur

degalam,Pataulam, & Turoniam, & fere totam Aquitaniam occuparunt. Sed eos Patauia.
Carolus ab occupatis ſedibus virtute pręlij abigebat etiã trans Pyrenęum partẽ Cel Turonia.
tiberiæ, quę Catalonia dicitur,vt victor inuaſit, vt prępotens cõſeruauit,& tamen his Aqtania.
pręlijs occupatus ſpopondit nuncijs ad Regis Aldefonſi auxiliũ ſe venturũ.Poſt nun
ciorum autẽ reditum innotuit legatio magnatibus Aldefonſi,qui ęquanimiter non ſe-
rentes ſuaſerũt Regi cum inſtãtia,vt quod mandauerat,reuocaret, alioquin ipſum a re
gno expellerent,& pacta ei nullatenus obſeruarent, & ſibi de alieno domino prouide-
rent, malebant enim mori liberi, quã in Francorũ degere ſeruitutẽ, in his inſtante for-
tius cæteris Bernardo bonę indolis, bonæ ſpei. Rex autẽ licet turbatus minis,& con-
ſilio ſatisfecit, & iteratis nuncijs ad Carolũ, quæ ſpoponderat, reuocauit. Iratus autẽ
Carolus fidẽ mentitã intẽtans, cepit Regi Aldefonſo terribiliter cõminare, & poſtpo
ſitis bellis Arabũ direxit acies in reliquias Hiſpaniarũ, qui cũ ad montana Hiſpaniæ
perueniſſet, in quibus pauci, qui gladiũ effugerãt habitabant, cũ clamore valido, tacti
dolore cordis intrinſecus lachrymas cũ ſacrificijs Domino miſcuerũt,quaſi non ſuper
eſſet eis vlterius viuere, cum cæli ſententiã gladio Arabũ iam experti rediuiuę morti
iterũ parabantur, quæ tanto amplius cruciabat,quanto ab illis timebant, de quorum
debebant præſumere charitate,& quibus erant coniuncti fibula Chriſtiana. Cumq;
hoc verbum fuiſſet in Aſturijs, Alaua,& Biſcagia,Nauarra, Ruconia, & Aragonia,
diuulgatum, omnes eodem animo, & pari ſtudio elegerunt mori potius, quam ſerui-
re, collectiq; in ſimul cum Rege Aldefonſo contra Carolum proceſſerunt. Carolus
autem ad radicẽ Pyrenęi ex oppoſito in valle quadã exercitum collocauit,quæ adhuc
hodie Hoſpita vallis vocatur, Indeq; procedens per vallem,quæ vallis Caroli dicitur Vallis ho
planior inuenitur ,ne aſcendentes impediret aſperitas Pyrenæi,vſq; ad ſummitatem ſpita.
montis porrecto agmine proceſſerunt. In prima acie venerunt præfectus Britanniæ, Vallis. Caroli.
Rollandus,& Anſelmus Comes,& Egiardus,qui erat præpoſitus menſæ Caroli,qui
bus occurrens Rex Aldefonſus cũ prædictis populis virtute gladij,immo domini ſu
perauit,& eis ſtratis,plures ex eis,qui porrecto agmine procedebant, cæde & impetu
ceciderunt adhuc Carolo per vallẽ Caroli veniente. Cumq; ſtragem præcedentium
comperiſſet,turbatus inſonuit buccina,quam ferebat damno, metu, fuga, & periculo
comitatus,& aliqui,qui a ſtrage præcedentium aberrabant, eiſdem comitibus ſociati
ad eum ſemianimes audita buccina confugerant. Et ad eos, qui extrema exercitus ob
ſeruabant propter Bermaldum, de quo fama erat, quod cum exercitu Arabum per
partes Aſpæ,& Secolæ veniebat, poſtrema exercitus inuaſurus, & ipſe tamen in ſtra Aſpa.
ge primorum ſemper aſtitit Aldefonſo. Carolus autem indignatione , & confuſione Secola.
demonitus, tantam multitudinem ſuorum extinctam deplorans, & clades quas Ara
bibus intulerat parui pendens, ad Germaniam repedauit , vt reperto exercitu Hiſpa-
niam retentaret. Sed thermarum delicijs interceptus exercitum craſtinando obijt
Aquiſgram, & in glorioſo tumulo ſepelitur, qui erat priſcarum victoriarum epita- Aquiſgrã
phijs circumſcriptus, ea parte uacua remanente, qua valle Caroli vindictam minitans
inglorius redijt, & inultus. Nonnulli iſtorum fabulis inhærentes ferunt Carolum
ciuitates plurimas, caſtra,& oppida in Hiſpanijs acquiſiſſe, multaq; prælia cum Ara
bibus ſtrenue perpetraſſe,& ſtratam publicam a Gallis,& Germania ad ſanctum Ia-
cobum recto itinere direxiſſe. Quod quidẽ quantũ ad partem Cataloniæ ſcilicet
Varemonẽſis,Gerũdenſis, Auſonẽſis, Vrgelenſis territoria ſatis cõſtat, q̃ cũ Gothica
Gallia Rex Francorum dicit ad ſe ex ea acquiſitione, quã ſuperius diximus, pertinere.

Sed Comes Barcinoniæ dicit ſe tranſactione ab eius feudo liberum & exemptum.

De ciuitatibus Hiſpaniæ a quibus acquiſitæ. Caput XI.

VERVM cum Carolus tempore Regis Caſti, qui cœpit regnare æra. DCCC. XXV. fuiſſe noſcatur, non inuenio, quas ciuitates, (æra. dccc. xxv. dcc. lxxxvij.) caſtra, vel oppida in Hiſpanijs acquiſiſſet. Nam Tarracona diu deſtructa fuit tēpore Bernardi Toletani primatis, ſicut patet in regeſto Vrbani Papæ ſecundi, qui Vrbanus eundē Bernardū de reſtauratione ciuitatis eccleſię ſuis literis animauit, poſt recuperationē etiam Toleti regię ciuitatis Comes Barcinonię Ilerdam. Dertoſam, & Fragā noſcitur ac(Montion. Titio.)quiſiſſe. Montionē Titio quidā nobilis ex Aragonia acquiſiuit, & ei caſtrū illud pro ditione ſublatū Comiti Barcinonię deditione prouenit. Oſca a Rege Petro Arago(Calataiud.)nię noſcitur acquiſita. Cęſaraugustā, Tiraſonā Calataiub, & Darocam cū cęteris adiacentibus Aldefonſus Rex Aragonię dicitur acquiſiſſe, aſſiſtentibus ſibi retro Comite Pertricarum, cui conuenit Tutelei cū alijs caſtris, quę poſtea dedit Garſię Ranimi(Nauaria. Margelina.)ro Regi Nauarię cū ſua filia Margelina, & Gaſtone viceComite Benearnenſi, cui etiā caſtra, & poſſeſſiones in Aragonia prouenerunt. Idem etiā Rex habens vxorē Vrracam filiā Regis Aldefonſi, qui cepit Toletū, populauit Soriā. Almazan, Valeranicā, quę nunc Verlanga dicitur, & Belliforamē. Sed in finibus regni Caſtellę Aldefonſus, (Aldefōſus) qui cepit Toletū, cepit etiā Talauerā, Maquedā, S. Eulaliam, & Alfanum, populauit Scalonam, cœpit Margeritum, Canales, & Vlnos, Talamancā, Vzetam, Guadalfaiaram, Fitam, & Almochariam populauit. Buitragum tempore eius Bernaldus, qui tunc temporis erat Primas Alcala acquiſiuit. Idem etiam Rex Aldefonſus Secouiam, Abulam, Salmāticam cum omnibus oppidis, & ſuarū diœceſium populauit, quæ a tempore vaſtationis Arabum ſemper manſerant deſolatę. Medina, quę nunc Celum, olim Segontia dicebatur, & Atentia, Ripa, Fandalus per ipſum, & ſuos ſuis victorijs acceſſerunt. Oxoma, ſanctus Stephanus, & Gormatū tempore Comitum Caſtellæ Chriſtiano nomini prouenerunt. Optam, & Anteliam, & Cauliam optinuit Imperator, Velclium Santius filius eius ſuę ſubdidit dicioni. Concā, Alarconē, Moiam, Pla(Aldefonſus. Fernandus.)centiā, Beiaram, Alarcuis, Calatrauā, Caracuel olim perdita Aldefonſus nobilis cum omnibus ante dictis addidit fidei Chriſtianę. Rex Fernandus pater Regis Aldefonſi, qui cepit Toletum, Conimbriam acquiſiuit. Vlyſbonam. Sanctam Hyrenеam, Elboram. Sintriā cepit Aldefonſus, qui primus in Portugallia habuit Regis nomen, Cętera oppida earum diœceſiū quædam ipſe, quędam filius eius Rex Sancius popularunt. Ea autem quę ſunt noſtris temporibus acquiſita, ſuo loco, prout Deus dederit, proſequemur. Cum igitur hæc omnia infra ducentorum annorum ſpacium poteſtati accreuerunt Chriſtianę, non video quid in Hiſpanijs Carolus acquiſiuerit, cum ab eius morte anni pene effluxerūt quadringenteſimi. Facti igitur euidentiæ eſt potius annuendū, quā fabuloſis narrationibus attendendū, ſiue enim a Chriſtianis, ſiue a Sarracenis, ipſe, vel eius exercitus fuit victus itinere retrogrado comitatus damnis, & periculis retroceſſit, nec ſtratam ſancti Iacobi ſuo itinere potuit publicare, cui non obuenit tranſitū vallis Roſcidę penetrare. Sed longe poſt cū gloria apoſtoli Iacobi miraculis publicata pœnitentiū animos incitaſſet, propulſis a ſtrata Sarracenorum incurſibus, occultę ſemitę in viam publicā concreuerunt, per quam ferme ab vniueſis Chriſtianorum finibus beati apoſtoli limina viſitantur, niſi forte aliquod inſigne fecerit co

tempore,quo cum Rege Galaſro Toleti degebat,fertur enim in iuuentute ſua a Rege Pipino Gallijs propulſatus,eo quod contra paternam iuſtitiam inſolebat,& vt patri dolorem inferret, Toletum adijt indignatus, & cum inter Regem Galafrum Toleti, & Marſiliũ Cæſaraguſtę diſſenſio prouenifſet, ipſe ſub Rege Toleti functus militia bella aliqua exercebat,poſt quæ audita morte patris Pipini,in Gallias eſt reuerſus du cens ſecum Galienamfiliam Regis Galaſtri, quam ad fidem Chriſti commiſam duxiſſe dicitur in vxorem,fama eſt,&apud Burdegalam ei palatia conſtruxiſſe. Galafrus. Galienæ palatia.

De victorijs Alphonſi,& morte eius.
Caput.XII.

NVNC ad proſequenda facta Regis Alfonſi,a quibus diuertimus, reuertamus. Anno regni eius trigeſimo,duo exercitus Arabũ Galletiam ſunt ingreſſi. Dux vnius vocabatur Abolabez,Dux alterius Melhi, & audacter ingreſſi, audacius ſunt repulſi. Alter in loco,qui vocatur Naron, alter in Anceio fluuio perierunt. Subſequente tempore anno regni eius trigeſimo ſeptimo,cum fama ſui nominis Chriſtianos,& Arabes dulcoraret, vir quidam ciuis Emeritenſis Mahamut nomine,de familia Abderramę Regis Cordubæ,cui rebellionem procurauerat,indignationem veritus confugit ad clementiam Aldefonſi cum multis Arabibus,qui ei fauebant,& clemẽter ſuſceptus per ſeptem annos in Gallecia fecit moram, qui octauo anno ſui aduentus Arabum manu aſcita habitatoribus Galleciæ moleſtias inferebat, & proditionis prę teritæ non oblitus addidit congeriem factioni.In caſtro enim,quod ſancta Chriſtina dicitur,in pręiudicium clemẽtis domini,&exterminium telluris hoſpiſte,niſus eſt rebellare. Sed Rex audiens mouit exercitum,obſedit caſtrũ cum multis militibus bellatorum. Cumq́ bellum contra Regem prædictus proditor præ ſumpſiſſet,victus capite mutilatur,quod Regi ilico præſentatur,caſtrũq́ capitur Regis dominio reſtitutum,& de Arabibus,qui primum ſecum venerant, & de alijs, qui poſt modum aduentauerant,cæſa vſq; ad quinquaginta milia remanſerunt. Rex autem Aldefonſus Ouetum cum victoria eſt reuerſus,licet autem dicatur quinquaginta duobus regnaſſe annis,quinque tempore Mauregati,& duobus in regno particeps Veremũdi, ſolus autem quadraginta vno,in quibus,licet vxorem habuit,ab eius contactu ſemper extitit alienus caſte,ſobrie,immaculate,ac pie regni gubernacula dirigendo,amabilis Deo,& hominibus apud Ouetum morte propria conſumatus immaculatum ſpiritum ad cœlos dimiſit, cuius corpus omni veneratione delatum in eccleſia ſanctæ Mariæ,quam ipſe fundauerat,in tumulo lapideo ſepelitur. Naron. Anceius fluuius. Sancta Chriſtina

De ſtrage Nomanorum,& victorijs Ranimiri.
Caput.XIII.

POST obitum eius Ranimirus filius Veremundi Regis, & diaconi ipſo Rege Aldefonſo adhuc in extremis laborante, & hoc ipſum præcipiẽte,ad regni faſtigium ſublimatur,æra octingenteſima quinquageſima nona, & ſex annis regnauit,ſed quia in Bardulia pro accipienda vxore aliquandiu fecit moram,Nepotianus quidã comes palatij attentauit regnum tyrannide obtinere, Ranimirus autẽ hoc audiens feſtinato reuertitur, & apud ciuitatem Galleciæ, quæ Lucus dicitur, exerci æra. dccclix. Bardulia. Lucus.

tum congregauit, & Aſturias irruptione inuaſit, eo quod Aſtures Nepotiano faue-
bant. Nepotianus autem ſumpta manu Aſturum, & Vaſconum Regi Ranimi-
Narceia. ro occurrit, & ad pontem fluuij, qui Narceia nuncupatur, nec mora deſtitutus a ſuis
in ipſo certamine fugam parat, fugitiuus a duobus comitibus Somna, & Scipione in
Pramaria Pramaria capitur, & ſic regnum Ranimiro pacifice ſubiugatur. Rex autem Nepo
Normani tianum in monaſterio relegari præcepit, vt ibi finem vitæ orbus, & monachus expe-
Pharus. ctaret. Tempore Ranimiri gens Normanorum crudeliſſima, & pagana, ad Pha-
rum Galleciæ applicuit, cum multis nauibus, & trieribus, quod, vt comperit Rex Ra
nimirus, congregauit exercitum comitum, & magnatum, & in Pharo Galleciæ ſupra
dicto, intulit eis bellū, & Domino adiuuante, gens Normanica, licet aſpera, fuit victa,
& ſeptuaginta naues eorum incendio concrematæ, magna eorū multitudine interfe-
cta, qui ſupererant, nauigio aufugerunt ſpolijs multis victoribus derelictis. Fugientes
Hiſpalis. autem Hiſpalim confugerunt, & prædas agentes plurimos occiderunt, vſque adeo
quod ipſam Hiſpalim irruperunt, & poſt anni circulum ad propria redierūt. Dum
hæc aguntur Ranimirus bellis impellitur inteſtinis. Nam comes Palatij Aldere-
dus, & Piniolus procer palatij cum ſeptem filijs contra Regem in ſuperbiā ſunt ela-
ti, ſed eorum factionibus Ranimirus occurrens, Alderedum priuauit oculis, Pinio-
lum cum ſeptem filijs interfecit. Poſt hæc autem Rex Ranimirus nolens ocioſus
a Dei ſeruicio inueniri, aggreſſus eſt loca Arabum, & tam in villis, quam in agris cun
Anagarū. cta, quæ reperit etiam Anagarum incendio concremauit. Tunc Sarraceni cum ma
xima multitudine occurrerunt. Exercitus autem Regis Ranimiri viſa multitudi-
Clauigiū. ne in loco, qui Clauigium dicitur, ſe recepit. Cumq; in nocte de certamine dubita-
ret, apparuit ei beatus Iacobus confortans eum, vt certus de victoria ſequenti die bel-
lum Arabibus inſtauraret. Cumq; diluculo ſurrexiſſet, viſionem Epiſcopis, & ma
gnatibus reuelauit. Qui pro viſione gratias exoluentes, ad pugnam omnes ſe com-
muniter parauerunt apoſtoli oraculo roborati. Sed ex alia parte Sarraceni de mul
titudine confidentes, ad prælium proceſſerunt. Hinc inde itaq; conſerto prælio Sar
raceni confuſione turbati Chriſtianorum Gallijs terga dederunt, ita quod ex eis fere
ſeptuaginta millia occiderunt. In quo bello beatus Iacobus in equo albo vexillum
Albaida. manu baiulans fertur apparuiſſe. Tunc Rex Ranimirus cepit Albaidam, Claui-
Clauigiū. gium, Calagurram, & multa alia, quæ regno adiecit. Ex tunc, fertur, hæc inuocatio
Calagurra. inoleuit, Deus adiuua, & ſancte Iacobe. Tunc etiam vota, & donaria beato Iaco-
bo perſoluerunt, & in aliquibus locis, non ex triſticia, aut ex neceſſitate, ſed deuotione
voluntaria adhuc ſoluunt. Aderant autem cum Rege Garſias frater eius, qui a pa
tre eorum Veremundo Diacono poſt mortē patris infantulus eſt relictus, quem Rex
Ranimirus tanta benignitate foucbat, quod & tanquam ſeipſum diligeret, & partici-
pem faceret regni ſui. Vrraca autem vxor Ranimiri, quam ex Caſtella duxerat, cum
eſſet Chriſtianiſſima eccleſias ſancti Iacobi, & ſancti Saluatoris, multis donarijs ador
nauit. Conſtruxit etiam Rex Ranimirus eccleſiam ſanctæ Mariæ opere forni-
ceo in latere montis Naurantij, duobus miliaribus ab Oueto. Anno ſexto regni ſui
Naurantiū.m. propria morte deceſſit. Oueti honorifice tumulatus.

De Rege Ordonio, & eius magnalibus.
Caput. XIIII.

RANIMIRO defuncto Ordonius filius eius ſucceſſit in regno
ęra octingenteſima ſexageſima ſexta. & regnauit annis decem. vir pa æra. dccc. lxvi.
tiens, & modeſtus. vxorem duxit nomine Mamadona, ex qua ge-
nuit quinqꝫ filios. Aldefonſum, Veremundum, Nunium, Odoa-
rium, Froilam, qui dictus eſt Aragonius. Ciuitates deſertas, quas
eiectis Arabibus Aldefonſus maior inuaſione deſtruxerat, adductis
populatoribus reparauit, ſcilicet, Tudam, Aſtoricam, Legionem, Amaiam, Patriciã:
Contra Arabes ſæpiſſime dimicans triumphauit, in primo anni regni ſui aduerſus Tuda. Aſturica.
Vaſcones rebellantes exercitum congregauit, & coactos cædibus ſuo iuri eos, & pa- Legio.
triam ſubiugauit. Cumqꝫ victor ad propria remearet, audiuit Arabes contra ſe cum Amaia. Patricia.
exercitu aduenire, & cum toto ſui exercitus apparatu occurrit intrepidus ad bellan-
dum, & victor in Arabes plurimis eorum gladio detruncatis cæteri aufugerunt, &
ſumptis ſpolijs, & captiuis Rex Ordonius redijt glorioſus. Interim autem quidam
princeps Sarracenorum natione Gothus, ſed ritu Machometico inquinatus cum to-
ta ſua gente deceptus, quos Arabes Bencaharim dicunt, contra Regem Cordubæ re-
bellauit, eiqꝫ plurimas ciuitates, quaſdam fraude ſubplantauit, quaſdam gladio, Cęſa-
raguſtam, Toſcam, Tudeliam, & Toletum, vbi filium ſuum nomine Lupum prępo
ſuerat ciuitati, poſtea autẽ in Frãcos Cataloniæ, & Galliæ Gothicę arma vertit, præ-
das, & cædes plurimas inferendo, duoſqꝫ eorũ Francorũ duces Sanciũ, & Pulionem
fraude, & prælio vicit, & cepit catenis, & carceri mãcipauit. Duos etiam tyrãnos Sar
racenorum Ibembeanza, & Alporz cum filio ſuo Azeth partim Muza, partim filius
eius Lupus præliando ceperunt. Carolus autem Rex Franciæ non ille magnus,
qui iam deceſſerat, videns quod ſine magnis ſumptibus, & diſcrimine ei non poterat
obuiare, decreuit Muzam muneribus compeſcendum, & acceptis muneribus inquie
tare ceſſauit. Tunc de tot victoriarum ſucceſſibus eleuatus præcepit ſuis, vt eum
Regem tertium in Hiſpania appellarent. Poſt hæc præſumptione præterita non
contentus, collecta manu valida, contra Regem Ordonium ſe parauit, ſed Rex Ordo
nius ad eius inſaniam comprimendam venit Albaidam, quam dictus Muza nuper
Chriſtianis ablatam conſtruxerat, & muris, & turribus in ea præſidium obfirmarat, Albaida.
ad quam veniens Rex Ordonius concluſit obſeſſam. Quod audiens Muza manu
valida in ſuccurſum Albaidæ feſtinauit, & veniens ad montem, qui Laturcius dici- Laturci9.
tur, fixis tentorijs ſpectauit. Ordonius autem audiens aduentum Muzæ medieta-
tem exercitus in obſidione dimiſit, cum reliqua contra Muzam animoſe proceſſit. ini
toqꝫ certamine Muzam cum ſuo exercitu ſuperauit interemptis pluſquã decem mili-
bus de numero militari exceptis plebibus interfectis, quæ hunc numerũ excedebant.

Muza vero trino vulnere ſauciatus vix ſemiuiuus euaſit, & totius exercitus appa-
ratum, & munera, quę a Carolo ſuſceperat glorioſus, deuictus amiſit, quæ Rex Ordo
nius, & ſuus exercitus habuerunt, & ſic victor inclytus ad eos, quos in obſidione di-
miſerat, eſt reuerſus, & ſeptima die poſtquam redijt irruptione, munitionem accepit,
omnibus, qui inerant, interfectis, & ciuitate vſqꝫ ad fundamenta ſubuerſa, ad propria
redijt cum triumpho. Lupus autem filius Muzæ, qui principatui præerat Toleta-
no, auditis, quæ circa patrem ſuum acciderant, cum omnibus, quæ habebat, Regi Or-
donio ſe ſubiecit & dum vixit, ſubditus ei fuit, & contra Arabes pro Rege Ordonio,
cui ſe dederat, plurima bella geſſit. Rex autem Ordonius Cauriam cum rege ſuo
Zeyt, & Salmanticam cum Rege ſuo Muzerez potenter inuaſit. & pluribus interfe Cauria. Salmatica

Nomani ctis reliquum vulgus cum vxoribus,& filijs fecit vendi. Eiſdem temporibus Normani piratæ ad Hiſpaniæ littora peruenerunt, & loca maritima depredantes, homines gladio,terras incendio conſumpſerunt. Exinde intranſmarinã Mauritaniã tranſfretantes, Nacorum ciuitatem eius prouinciæ inuaſerunt, magna Sarracenorum multitudine interfecta. Deinde Maioricam, Minoricam, Euizam, Frumentariam, Baleares inſulas vaſtauerunt. Deinde aduecti Græciam patratis incurſionibus eodem nauigio ad propria redierunt. Rex autem Ordonius ſupradictus expleto anno decimo,quidam dicunt decimo ſexto regni ſui morbo podragico interceptus Oueti defunctus in eccleſia ſanctæ Mariæ cum prioribus Regibus tumulatur.

De Aldefonſo magno,& eius prælijs glorioſis. Caput. X V.

POST mortem Ordonij regnauit Aldefonſus filius eius. qui quatuordecim annorũ erat cũ regnare cœpiſſet. æra
æra. dccc. lxxv. octingenteſima ſeptuageſima quinta,& regnauit annis quadraginta ſex. Hic in morte patris a palatio abſens erat,ſed audita morte patris feſtinus venit Ouetum, ibiq; ab omnibus gratanter ſuſceptus regni faſtigiũ eſt adeptus. Cumq; regni negotia laudabiliter inchoaret, Froila Veremundi ex partibus Galleciæ cum magno exercitu veniens regnũ pre
Alaua. ſumere attentauit. Sed tamen ex improuiſo Rex Aldefonſus Alauę ſe recepit,vt collecto maiori exercitu Froilę Veremundi obuiaret. Inter hęc autem dum prędictus Froila plus tyrãnice, quam regaliter ſe haberet,Oueti interficitur a ſenatu,cuius mors quanto iuſtior,tanto gratior approbatur. Quod audiens Aldefonſus ab Alaua ad
Sublantia Aſturias properauit,& ſtatim vtilitati inhians,Sublãtiam,& Ceiam populauit. mu-
Ceia. ris,& turribus communiuit. Eilo autem Alauenſium comes corda ſuorum contra Regem indebite incitauit exſtimãs rebellare,ſed dum Rex collecta manu factioni reſiſtere properaret Alauenſium,aduentu Regis territi manus dederunt,pollicentes ſe de cætero ſubditos,& fideles. Sicq; Alaua a ſuo imperio ſubiugata,Eilonem comitem ferro victum miſit Ouetum. Eiſdem diebus legionem exercitus Arabum attentauit cum duobus ducibus Imundar,& Alchana,quorum aduẽtum audiens Aldefonſus cæde,& gladio effugauit. Poſt hęc volens,omiſſis alijs,ſtragi Arabum inſudare,& fidei terminos dilatare,Gallos,& Nauarros amicicia ſibi iunxit,& ex Francorũ regali genere vxorẽ duxit nomine Amelinã,quę poſtea Ximena mutato nomine fuit dicta,ex qua ſuſcepit quatuor filios,Garſiam,Ordonium,Froilam,& Gundiſaluum, qui fuit Archidiaconus eccleſię Ouetenſis. Hic Aldefonſus vir bellorum,pietatis, religionis,& iuſtitię fuit amator. Hic volens bellis domini tempora dedicare,aſſumptis Gallis Gothię,& populis Vaſconum.& Naruarrorum terras,quas Arabes de-
Lentia. tinebãt,fame,flamma,cędibus,& incurſionibus coartauit,Lentiam turribus igne conſumptis optinuit habitatoribus interfectis. Inter cetera autem pietatis, & religionis opera theſauros,quos pater ſuus ſibi reliquerat,eccleſijs,& pauperibus erogauit,eccle-
S.Iacobi. ſiam ſancti Iacobi,quę erat terrea,quadris lapidibus,& columnis marmoreis reparauit,eccleſias multas,& palatia intra diœceſim Ouetenſem, & per omnia loca regni ſui oppida,munitiones,& caſtra. Factum eſt auem,vt Arabum maxima mulitudo ex regno Toleti ad regni ſui exterminium aduenir et,ſed Aldefonſi Regis occurſu cõfuſi,

& caruere optatis, & quę attulerant perdiderūt, & maxima multitudine bello perem-
pta, etiam, quę fugę ſe dederant, perierunt. Peracta victoria in ripa Dorij, Rex re-
dijt cum gloria, & honore, & in his bellis Bernardo fortiſſimo milite ſibi ſtrenue aſſi-
ſtente. Verum quia pater eius, licet orbus, & decrepitus adhuc in vinculis teneba- Carpium.
tur, Bernardus extruxit caſtrum, quod Carpium appellauit in territorio Salmanticēſi, Salmātica.
indeq; fœderatus Arabibus cœpit regni confinia infeſtare. Vnde & Arabes aſſum-
pta maxima multitudine Legionem, & Aſtoricam, & adiacentia loca vaſtare cœpe-
runt. Sed Rex Aldefonſus abſolutione patris Bernaldum concilians contra Ara-
bes exercitum inſtaurauit, Arabes vero præ multitudine nil verentes in duas partes
exercitum diuiſerunt, vnam partem Pulverariam cum alia Regis exercitui occurre-
runt, ſed Bernaldus cum parte exercitus eam medietatē, quæ contra Regis exercitum
nitebatur in Vallemori pręuenit, & eos cęde mirabili deuaſtauit. Rex vero eis, qui
Pulverariam iuerant occurrendo, iuxta Vrbicum, vt potens proſtrauit, vt victor oc-
cidit, vt pręualens exterminauit, & præter eos, qui fugę periculo perierunt, in campo
cæſi vſq; ad duodecim millia remanſerunt, ita quod de vtroq; exercitu nulli alij eua-
ſerunt, præter decem, qui obtecti ſanguine remanſerunt.

Item de pręlijs, & pijs operibus Aldefonſi. Caput. XVI.

POST hęc iterum exercitus Arabum congregatus obſedit Zamo-
ram, quod Rex audiēs improuiſus cum ijs, quos ad manum habuit,
ingreſſus eſt ciuitatem mādans omnibus ſuę gentis, vt in ſuccurſum
eius quamtotius properarent, & Bernaldo ſolliciter inſtigante exer-
citus adunatus Arabes exterminio conquaſſauit Alchaman eo-
rum propheta gladio interfecto, quibus cędibus coacti Arabes ad
tempus cū Rege pacis fœdera firmauerunt. In diebus huius Aldefonſi dicunt quidā Vallis ro-
fuiſſe bellum Roſcidæ vallis, & non cum Carolo magno, ſed cum Carolo agnomi- ſcida.
nato Marcello, cum quo aſſerūt accidiſſe, ſed cum tres Caroli fuerūt ſucceſſiue, ſilicet, Caroli
Carolus magnus, Carolus Caluus, Carolus Marcellus ex cauſa ſuperius aſſignata, & tres.
quia in libris auctenticis inuenitur, & quia publica fama Francorū, & Hiſpanorum
communiter hoc proclamat, tempore magni Caroli dicimus accidiſſe. Si quis autem
melius dixerit correptionem in hoc corpuſculo non recuſo, per idem tempus Froila
frater Regis cum alijs quatuor fratribus, vt fertur, mortem Regis procurans, factio re
detecta in Bardulia ſe recepit, ſed Rex frater eum inſequens comprehendit, & omnes Bardulia.
fratres ſuos Veremundum, Nunium, Odoarium, & Froilam priuauit oculis ex hac
cauſa. Veremundus autem clanculo fugit Aſtoricam, & per ſeptem annos geſſit ty-
rannidem, cum quibus etiam acto exercitu Graliare obſedit, ſed ab Aldefonſo Rege Graliare.
proſtrato exercitu. Veremundus orbus ad Arabes fuga celeri conuolauit. Tunc
Rex in Ventoſam, & Aſtoricā, eo quod Veremundū receperunt, vindicauit. Coim- Ventoſa.
briam etiam a Sarracenis obſeſſam ſoluta obſidione ſuo imperio conſeruauit. Tnuc Aſturica.
etiam vrbes Portugalenſis, Viſenſem, Flauienſem cœperūt habitari ab incolis Chri- Coibria.
ſtianis, etiam vſque ad fluuim Tagum in partibus Portugallíæ aliqua populauit. Portugalia.
Quidam dux, & proconſul Arabum nomine Abohali bello comprehenſus Regi Viſeum.
eſt præſentatus, qui datis pro ſe cētum millibus aureorum permiſſus liber abijt, & ſe- Flauia.
curus. Idem etiam Rex Septem mancas, dominas, & alias villas in campis Gothicis

populauit. Poſt hęc Rex pàrtes Toleti deuaſtans, & aliquas munitiones euertens habitatoribus trucidatis, accepta a Sarracenis pecunia, eis per triennium pacem dedit. Sicque reuerſus ad propria, Addanium quendam de familia Palatina in mortem Regis comperit machinatum, quem fecit ilico laniari. Eccleſias quoqꝫ beati Iacobi, & ſanctorum Facundi, & Primitiui magnifice fabricauit, quas poſtea Arabes deſtruxerunt, caſtrum Gozon in maritima Aſturiarum obtuitionem patriæ obfirmauit. Ciuitatem Zamoram nobiliter populauit, quæ ex eo nomen dicitur accepiſſe.

S. Iacobi.
S. Fcnudi
Gozon.
zamora.

Cum Rex ipſe locũ aſcenderet ad videndũ, ſatelles quidam, qui inter cęteros Regem cum ſpiculo pręcedebat, vacã nigrã dicitur inueniſſe, quam volens ruſticã applauſus vocabulo delinire fertur dixiſſe Zemora, vacas enim eius coloris Hiſpani armẽtarij moras vocãt. Vnde & Rex Zemoram nomẽ indicit ciuitati, & cũ Rex tãtis proſperis lętaretᷣ, duos preſbyteros Seuerum & Deſiderium ad Ioannẽ Papam cũ ſuis literis deſtinauit, q reuerſi cũ Reinaldo eiuſdẽ Papa gerulo epiſtolã huiuſmodi detulerũt.

Epiſtola Ioannis. PP. ad Aldeſonſum Regem.
Caput. XVII.

IOANNES Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Aldeſonſo Regi Chriſtianiſſimo, ſeu cũctis venerabilibus Epiſcopis, Abbatibus, vel orthodoxis Chriſtianis. Quia igitur in cura nos totius Chriſtianitatis beati Petri apoſtolorũ principis ſempiterna prouidentia ſucceſſores, ea domini noſtri Ieſu Chriſti conſtrigimur adhortatione, qua beatũ Petrum apoſtolũ monuit, dicens quadã voce. Tu es Petrus, & ſuper hanc petrã ędificabo eccleſiam meam, & tibi dabo claues regni cœlorum, & reliqua. Hinc rurſus imminente domini noſtri articulo glorioſę paſſionis, inquit.

Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua, & tu aliquãdo cõuerſus cõfirma fratres tuos. Ideoqꝫ quia veſtrę noticiæ fama per hos fratres limina apoſtolorũ luſtrantes per Seuerũ, & Deſideriũ preſbyteros nobis miro odore bonitatis eſt reuelata, paterna vos adhortatione cõmoneo inceptis bonis operibꝰ gratia duce perſeuerare, quatenus copioſa vos beati Petri protectoris veſtri, & noſtra protegat benedictio, & quotienſcunqꝫ filij chariſſimi ad nos venire quilibet veſtrũ, aut tranſmittere voluerit, tota cordis exultatione, & animi gaudio de vltimis Galleciæ finibus, cui vos præter me dominus rectores conſtituit, tãquam iure filios noſtros vos colligimus, & eccleſię Ouetenſis, quã veſtro conſenſu, & aſſidua petitione metropolitanã conſtituimus, omnes vos ſubditos eſſe mandamus, & concedimus etiã prædictæ ſedi, vt ea, quæ Reges, ſeu quibus fideles iuſte obtulerunt, vel in futurũ domino opitulãte contulerint, ratum, firmũ, & inconcuſſum manere in perpetuum præcipimus, hos quoqꝫ latores literarum noſtrarum omnes hortor, vt habeatis commendatos, bene velete. Item alia epiſtola ab eodem Papa Romano directa per Arnaldum gerulum menſe Iulio.

Ouetẽſis eccleſia.

Alia epiſtola.

IOANNES Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Dilecto filio Aldeſonſo glorioſo Regi Galleciarum. Literas deuotionis veſtræ ſuſcipientes, quia deuotum vos eſſe cognouimus erga veſtrã ſanctam eccleſiam, gratias vobis multiplices referimus dominum exorantes, vt victor regni veſtri abundet de inimicis veſtris, victoriam vobis concedat.

Nam vos

Nam vos filij chariſſimi ſicut petiſtis ſedulas preces Domino, fundimus, vt regnum veſtrum gubernet, vos ſaluos faciat, cuſtodiat, & protegat, & ſuper inimicos veſtros. Eccleſiam autē beati Iacobi ab Hiſpanis Epiſcopis cōſecrari facite, & cum eis cōcilium celebrate, & nos quidem glorioſe Rex ſicuti vos, a Paganis iam conſtringimur, & die ac nocte cum illis bella cōmittimus, ſed omnipotēs Deus dat nobis de illis triūphum, huius rei gratia, rogamus dilectionē veſtram, & animū deprecamur, vt quia, vt diximus, valde a Paganis opprimimur, aliquantos vtiles, & optimos Mauriſcos, cum armis, quos Hiſpani cauallos Alpharaces vocant, ad nos dirigere non omittatis, qualiter nos recipiētes Dominū collaudemus, vobis gratias referamus, & per eorum portionem de benedictionibus ſancti Petri vos remuneremus. Bene vale dilectiſſime fili, & clariſſime Rex.

De ſublimatione Ouetenſis vrbis in Metropolim, & dedicatione eccleſiæ ſancti Iacobi, & concilio Ouetenſi. Caput. XVIII.

REX itaq; viſis Epiſtolis gaudio eſt gauiſus, & cōſtituit diem, in qua conuenirent nobiles, & magnates, & Pontifices, qui eccleſiā beati Iacobi dedicarent, & celebrata dedicatione, omnes cum gaudio ad propria redierunt, & fuerunt ibi in deditione multi Epiſcopi, Vincentius Legionenſis. Gomellus Aſtoricenſis, Hermegildus Ouetenſis, Didacus Tudenſis, Egila Aurienſis, Siſnandus Irienſis, Recharedus Lucenſis, Theodoſinus Britonienſis, horū ciuitates iam per Dei gratiā a Chriſtianis poſſidebantur. Fuerūt ibi alij Epiſpoci, quorū ciuitates aliquę deſertę, aliquę ab Arabibus tenebantur, Ioannes Aucenſis, Dulcidius Salmanticēſis. Iacobus Caurienſis, Fauſtus Coimbrienſis, Ardimirus Lamecenſis, Theodemirus Viſenſis, Guimagus Portugalenſis, Argimirus Bracharenſis, Heleca Cęſarauguſtanus, horū vrbes, & ſi aliquando Aſturiarū Reges optinuerunt propter impotentiam retinendi, ab Arabibus occupatæ, aut rerentæ, aut dirupatæ remanſerunt vſq; ad tempora Aldefonſi, qui cepit Toletum. Et carū Epiſcopi ad Aſturias fugientes tam in ciuitate, quam in diœceſi Ouetenſi partitis ſibi territorijs, vt poterant, victitabant. Vnde in aliquibus libris antiquis Ouetū dicitur ciuitas Epiſcoporū, & tranſactis autē. XI. menſibus prædictus Rex vnà cū vxore & filijs, Epiſcopis, Comitibus, & magnatibus autoritate Domini Papę Ioanni Ouetum ad celebrādum conciliū conuenerūt, in quo cū vniuerſali conuenientia ciuitas Ouetenſis dignitate Metropolitica inſignitur, & Hermigildus in Archiepiſcopū ſublimatur, quia Hiſpania captiuatis quinq; ſedibus Metropoliticis, ſilebat officio Metropolitico deſtituta. Incurſantiū enim hoſtilitate fugati intra Aſturiarū anguſtias Prelati, qui gladiū effugerant, confugerūt, & vt tanta anguſtia tolerabat, antiqua Toletani concilij inſtituta ſollicite contuentes Ouetenſem eccleſiā, & cæteras, quibus iam, vt metropolis præminebat, ordinabant iuxta Canonum ſanctiones, multiſq; ſecundum Deum vtiliter ordinantis, ſoluto concilio ad propria redierunt.

S. Iacobi eccleſia. Legioneñ. Aſtoriceñ. Oueteñ. Tudeñ. Luceñ. Aucenſis. Irienſis. Britonieñ. Salmanticeñ. Caurieñ. Coimbrienſis. Lameceñ. Viſenſis. Portugaleñ. &c. Ouetum.

De incarceratione Garſiæ filij Regis, & morte Aldefonſi. Caput. XIX.

POST hæc veniens Zemoram Garſiam filium ſuū comprehendit, & apud Gazonem ferreis vinculis mancipauit quia ſuſpectum habebat, eo quod ſocer eius Munio Fernandi tyrannidē actitans contra Regē rebellare parabat, ex quo facto alij filij indignati cōiuratione facta, patrem

Gazon.

ſuum regni regimine priuare parabant. Huius autem diſſenſionis cauſa fuit Regina Semena, quę dicta fuerat Amelina, quae ſatis inhumana ſtudebat noua grauamina, & ſeruitutis onera inuenire, nihilominus diſcidia, & ſchiſmata procurare. Hęc Regem Aldefonſum non habens charum, vt affectus expetit maritalis, excogitauit virum regno
Alba. Gordo. Arbolum Luna. Boides. priuare, & filium ſuum Garſiam, quē pater vinculauerat, ſubrogare. Albā, Gordonē, Arboliū, atq; Lunam cōmouit, vt filius eius in his rebellans auxiliāte ſocero Munione, captionis iniurias vindicaret coniuratione fratrū eum ad talia incitante. Rex autem tam filij, quam ſuorum perſecutionibus coarctatus in villa, quae Boides dicitur in Aſturijs, regni regimine ſe priuauit, & filium ſuum Garſiam licet inuitus regni conſtituit ſucceſſorē praeſentibus filijs, & potioribus regni ſui. Poſt haec orationis cauſa beati Iacobi limina viſitauit, & rediens a filio ſuo Rege Garſia, quē exaltauit, quia iam tunc fratribus pręminebat, vt ſemel impeteret Sarracenos, & obtento a filio, quod petebat, mouit exercitum contra Mauros, & eorum terris ſtragibus, & incendijs deuaſtatis, & factus inclytus ſpolijs, & captiuis victor ciuitatis reſtituitur Zemorenſi, & ſicut principium, ſic finem regni victorijs adornauit, ibiq; proprio morbo coactus foelicem ſpiritū creatori reſtituens vitae curſum foeliciter conſumauit. Et ſepultus Aſtoricae, poſt translatus Ouetum, in eccleſia ſanctę Mariae cum vxore ſua Semena Regina finalem obtinuit ſepulturam, cum regnaſſet annis. XLVI.

De praelijs Garſiae, & morte eius. Caput. XX.

ALDEFONSO defuncto Garſias filius eius ſucceſſit in regno
aera. dcccc xxi. aera. DCCCC. XXI. regnauit annis. III. Garſias igitur in initio regni ſui terras Arabum eſt agreſſus, & duris incurſionibus peragratas, euerſis pleriſq; munitionibus campeſtra flamma vorace conſumpſit, & habito praelio cum Aiola Rege Arabum, plurima ſtrage contritum vicit, & captiuauit. Praedaq; rerum, gregum, &
Tremul9 captiuorum maxima ſubſequente venit ad locum, qui Tremulus nuncupatur, ibiq; cuſtodium incuria Aiolas curioſus abſceſſit, & ad ſuos redijt fugitiuus. Garſias autem. III. annorum expletis circulis, Zemorae propria morte deceſſit, Ouetumq; delatus in monumentis Regalibus eſt ſepultus.

De Rege Ordonio, & bellis eius, & de translatione eccleſiae Legionenſi. Caput. XXI.

POST Garſiam Ordonius frater eius regni gubernacula legitur ſu
aera. dcccc xxiiij. ſcepiſſe aera. DCCCC. XXIIII. & regnauit annis. VIII. menſibus ſex. Hunc Ordonium Rex Aldefonſus Galleciae praefecerat, adhuc regnans. Hic autē Ordonius paterna facta foelici aemulatione capeſſēs, prudēs, & ſollers: iuſtus, & pius, & in neceſſitatibus pauperum conſolator regnum prouide gubernabat. Cum enim viuente patre principatū teneret, collecto exercitu aliquantas Bęticę prouincię ciuitates irrumpens loca cāpeſtria deuaſtauit plurimis habitatoribus interfectis. In initio autē regni Rex Ordonius collecto exercitu Talaueram oppidum animoſus obſedit, venienteſq;
Talauera Arabes, vt obſeſſis fierent in ſuccurſum, & ipſi pugna proſtrati, & obſeſſi fruſtrati, vtriq; gladio perierūt, & direpto oppido, quae ibi erāt, Regis Ordonij prędae ceſſe-

runt & principē exercitus Cordubēſis captū adduxit,qui multis prędis,& captiuorū cateruis eius gloriam ſubſequentibus in regnum ſuum reuertitur glorioſe. Poſt hæc autem tantis vaſtationibus arctati Arabes ad Regem Cordubę Abderramen, & Almotaraph Regem Tingitaniæ miſerunt auxilia poſtulantes, qui legationi lugubri annuentes in terminatione pœnali exercitus coëgerunt,& Auolalpaz Alcaidus Cordubenſis cum magno exercitu Arabū,& cum alio Rege Tingitanię Almotaraph nomine ad Caſtrū,quod ſanctus Stephanus dicitur,in ripa Dorij peruenerūt. Quod Rex Ordonius cū audiſſet, conuocato magno Chriſtianorū agmine feſtinus occurrit,& triūphali prælio proſtratos deleuit,& Rege Vlit,& Almohabat Duce magno, & alijs Ducibus interfectis,cęteros aut cęde, aut captiuitate poſſedit,& cū triumphali gloria ad propria eſt reuerſus. Sed a bellorū magnalibus impatiens abſtinere contra Emeritam exercitū congregauit,& totā Luſitaniam fere deuaſtās caſtrum Colubri, quod Turne Alariz dicitur occupauit,& acta præda auri,& argenti,& ſerici, & hominū triumphaliter remeauit. Sed illius prouincię incolæ occurrētes, oblatis muneribus pacem humiliter poſtulabant, qua ad tempus indulta ad propria eſt reuerſus, & veniens Legionem pro tantis victorijs omnipotenti Deo gratias referens, conuocatis Epiſcopis, & magnatibus, maiorem eccleſiam ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, quæ minus tute ſiſtebat, intra vrbem decreuit prouide transferendam,& in palatio regio,quod olim Balneum fuerat Paganorum, Epiſcopalem cathedram collocauit,conueniente Fruminio Legionenſi Epiſcopo cum alijs Epiſcopis, qui tunc temporis ibi erant,Et cum tres eſſent in palatio manſiones, in prima domo altare maius in honorem ſanctæ Mariæ ſemper Virginis erexerunt. In ſecunda domo ſancti Saluatoris, & apoſtolorum omnium conſtruxerunt. In tertia domo ſancti Ioannis Baptiſtæ, & omnium martyrum,& confeſſorum, quibus omnibus dedicatis prædicta altaria ornamentis aureis,& argenteis liberaliter decorauit, & ad dotem eccleſiæ poſſeſſiones varias cumulauit,& in eadem eccleſia communi fauore principū,& magnatum a duodecim Pontificibus fuit diademate inſignitus.

S. Stephanus. Emerita. Alariz. Colubri. caſtrum.

Item de prædijs Ordonij, & vxoribus eius, & captione magnatum & morte Regis. Caput. XXII.

HIS peractis Rex Cordubenſis dolens tantum interitum ſuæ gentis inuaſit terminos regni ſui,& ad Roindoniam vſque peruenit, cui occurrens Rex Ordonius,conſerto prælio multi ex parte Regis Ordonij,& ex Arabibus corruerūt, & cū per totā diē fortiter dimicaſſent, neuter victor, neuter victus fuit, ſed vterque redierūt ad propria cum iactura. Poſt hæc venit Abderramen cū magna multitudine ſuorū,& Africę, quos cōduxerat, terrāque ingreſſus eſt Nauarrorū vſque ad locū, qui Muez adhuc hodie nuncupatur,quos Rex Garſias filius Regis Sancij nequiēs tolerare Regi Ordonio nūciauit,qui cōfeſtim occurrēs cū ingēti auxilio properauit. Cūque in valle Vincaria ſibi adinuicē exercitus obuiaſſent, ſicut Dñs voluit ſuſtinere, multi de Chriſtiano exercitu corruerūt,etiā duo Epiſcopi Dulcidius Salmāticēſis, & Hermigius Tudēſis fuerūt ibi ab Arabibus cōprehēſi,& pro iſto Hermigio fuit ſobrinus eius ſanctus Pelagius datus obſes,qui poſtea fuit martyr. Similiter & Dulcidius fuit dato obſide liberatus. Is autē Rex Ordonius prouocatus ex ſuis agmina cōgregauit,& ingreſſus terrā Arabū,quę Sintilia dicitur,ſtrages,& plurimas cędes egit, caſtra,& op

Rōdonía Muez Sintilia.

Sarmaliõ. Elyph. Palmatiū Caſtellio. Magnãtia pida plurima in ore gladij occupauit, Sarmalion, Heliph, Palmatium, & Caſtellionē, & Magnantiā, & multa alia caſtra diripuit, & deſtruxit. Exinde Zemorā rediens cū triumpho vxorem ſuam Muninam Domnam, quę & Geloira alio nomine vocabatur, inuenit defunctam, ex qua ſuſceperat duos filios Aldefonſum videlicet, & Ranimirum plus de morte coniugis contriſtatus, quam de victoria iucundatus aliā quoq; duxit vxorem ex partibus Gallicię nomine Aragontum, quā poſtea ſuſpectā reliquit, pro quo condigne poſtea ſatisfecit. His tranſactis miſit pro Comitibus, qui Caſtellam regere videbatur ad locum, qui Tegulare dicitur in ripa fluminis Carrionis, qua ſi cum eis colloquium habiturus, & venerunt ad eum Nunius Fernandi, & Almondar albus, & filius eius Didacus, & Frenandus Anſuri filius, & nullo conſcio exceptis conſiliarijs cepit eos, & vinctos catenis Legionem adduxit, & carceri mācipatos poſt aliquantum tempus iuſſit occidi, & poſuit maculam in gloria ſua, & cruore innocuo baltheum gloriæ obfuſcauit. Et fœderatus Garſiæ Enechonis Ariſtæ Principi Nauarrorum filiam eius nomine Sāciam duxit vxorem. Poſt quod etiam cepit Anagarum, quod olim Tycium vocabatur, & Vicariam, quæ ex eo nomen dicitur habuiſſe, quod Gothorum tempore ſedes iudicij habebatur. Reuerſus autem ad propria, cum egrederetur, Zemoram in infirmitate percuſſus vitam finiuit. ſepultus Legione in eccleſia cathedrali.

(Margin: Tegulare. — Anagarū. Ticium.)

LIBER QVINTVS RERVM IN HISPANIA GESTARVM CRONICON. De Froila & iudicibus.

Caput Primum.

æra dcccc xxxij. POST mortem Ordonij Froila frater eius ſucceſſit in regno æra. DCCCC. XXXII. & regnauit anno. I. menſibus. II. & duxit vxorem nomine Munina Domna, ex qua ſuſcepit tres filios, Aldefonſum, Ordonium, & Ranimirum, & quartum de concubina nomine Acenare. Hic nihil egit memoria dignum, niſi quod filios Olmundi nobilis ſine culpa fecit occidi, & Fronimiū fratrem eorum Legionenſem Epiſcopum exilio condemnauit, & quia viri impij non dimidiant dies ſuos, percuſſus lepra vnius anni, & duorum menſium expleto circulo vitam finiuit, & iuxta fratrem ſuum Ordonium Legione inglorius ſepelitur, Epiſcopus Fronimius ſtatim fuit ſedi propriæ reſtitutus. Eiſdem diebus nobiles Bardul iæ, quæ nunc Caſtilla dicitur, attendentes nobiles ſuos Nuniū Fernandi, Almondar Album, & filiū eius Didacum vocatos ad colloquium, ex factione a Rege Ordonio interfectos, tyrannum etiam Froilam, & multa alia, quæ eis euntibus ad iudicium a Regibus, & magnatibus Legione iniurioſe fiebant, videntes etiam quod termini gentis ſuę ex omnibus partibus arctabantur, & pro iudicio contemptus, & contumelias reportabant, ſibi & poſteris prouiderunt, & duos milites non de potentioribus, ſed de prudētioribus elegerunt, quos & iudices ſtatuerūt, vt diſſenſiones patrię, & querelantiū cauſę eorum iudicio ſopirentur. Vnus fuit Nunius Nunij, dictus Raſoria, filius Nunij Bellidez, Alter dicebatur Flauinius Caluus, iſte tñ aut nil, aut parū de iudicijs

(Margin: Iudices.)

cogitabat, ſed armis, & militiæ inſiſtebat. Erat enim facile iracundus, nec cauſarum varia pacifice ſuſtinebat, quod non competit iudicanti. Ex huius genere proceſſerunt multi, & alij magni nobiles de Caſtella. Flauinus Caluus habuit duos filios, Fernandum Flauinum, & Veremundum Flauini. Fernandus genuit Flauinum Fernandi. Flauinus genuit Nunium Flauini. Nunius duxit vxorem nomine Egilonem, ex qua ſuſcepit filium Flauinum Nunij. Flauinus Nunij genuit Didacum Flauini. Didacus Flauini duxit vxorem filiam Roderici Aluari de Aſturijs viri nobilis, & magnatis, & ex ea genuit Rodericum Didaci, qui dictus fuit Campiator. Alter filius Flauini Calui dictus fuit Veremundus Flauini. Veremundus genuit Rodericum Veremundi. Rodericus genuit Fernandum Roderici. Fernandus genuit Petrum Fernandi, non illum, qui dictus fuit Caſtellanus.

De Nunio Raſura, & filijs eius. Caput. II.

NVNIVS autem cognomento Raſura fuit vir patiens, & modeſtus, ſollers, & prudens, induſtrius, circunſpectus, & ſic ab omnibus amabatur, vt vix eſſet, cui eius iudicia diſplicerent, aut eius ſententias cauſaretur, quas tamen rariſſime proferebat, quia in cōpoſitione amicabili fere omnia terminabat, & ſic charus ab omnibus habebatur, vt locus aliquis detractioni, vel inuidię non pateret. Hic habuit filium nomine Gudiſaluum Nunij, qui cum eſſet adoleſcens, bona indole coætaneis præminebat, & futurorū inditijs omnibus complacebat. Nunius vero pater eius fere ab omnibus Caſtellæ militibus Domicellos filios petijt nutriendos, quos curialitate, affabilitate, & bonis moribus ſic inſtruxit, vt patres adoleſcentium de profectu filiorum profiterentur ſe tali nutritio obligatos, & ipſi adoleſcētes ſic erant Gundiſaluo Nunij dilectione coniuncti, vt eū quaſi Dominū ſociarent, nec poſſent ab eius conſortio, vel ad modicū ſeparari. Cumq; creuiſſet factus miles, militiam ſtrenuus exercebat, & pacis dulcedinē in patria retinebat, ita quod patre ſuo mortuo, patri fuit fauore omnium ſubſtitutus, & etiam principatū militię conniuentibus ijs, qui ſecū nutriti fuerant, addiderunt, & duxit vxorem nobiliſſimam Semenam nomine filiam Nunij Frenandi, ex qua ſuccepit filium nomine Fredinandum. Hic fuit omnibus patre charior, in ſermone verax, in iudicio iuſtus, in militia glorioſus, multa enim ſtrenue contra Arabes peragendo fines patrię ampliauit. Hic habuit filiū, qui dictus eſt Fredinandi Gundiſalui. Hunc Deus ſupra patrē, & auū tot gratijs exaltauit, vt ipſo non attendente, tam a magnatibus, & militibus, quā ab vniuerſis populis Caſtellanis in Comitē crearetē, & omnes ſe ſuę ſubijcerēt dicioni. Qui factus Comes totā Caſtellā ſic pacifico dn̄io confouebat, vt omnes Deo gratias agerent, qui per talē Comitē a populo ſuo releuauerat ſarcinā ſeruitutis. Hic cōtra Arabes plurima bella geſſit, quoniā & ſanctū Stephanum, & alia plurima loca Chriſtianę reſtituit dicioni. Ex quo iſte ſuſcepit ſuę patrię comitatū, ceſſauerunt Reges Aſturiarū inſoleſcere in Caſtellā, & a flumine Piſorica nihil amplius vindicarunt, ſtrenuitate enim ſua eorum inſultibus reſiſtebat, nec propter eos a bellis Arabum deſiſtebat. Monaſterium ſancti Petri in ripa Aslancię fluminis ædificauit, & multis poſſeſſionibus illum dotauit, morte propria defunctus, in eodem monaſterio eſt ſepultus, cui ſucceſſit filius eius Garſias Fredinandi homo Catholicus, qui bella plurima contra Reges Aſturiarum conantes Caſtellæ finibus præminere, glorioſe peregit, & caſtra plurima in ripa Dorij munifice reparauit,

S. Stephanus. Piſorica. Aslantia flu.

& vſq; ad fluuium Carrionem iuriſdictionis ſuæ terminos dilatauit. Hic conſtruxit monaſterium in honore ſancti Coſmæ, & Damiani iuxta ripam Dori fluminis Alſantiæ, in villa, quę Cauteæ rubeæ nuncupatur, & ampliſſimis poſſeſſionibus dilatauit, & loca, quæ dedit, ſtatuit, Infantaticum appellari eo intuitu, quod ſi aliqua de genere ſuo non poſſet, aut nollet mariti comparis ſolatia adipiſci, de bonis monaſterij prouiderentur eidem largiter, & decenter, demptis duntaxat neceſſarijs clericorū, qui inibi Deo, & ſanctis martyribus deſeruirent. Obijt autem morte propria, & in monaſterio ſancti Petri de Cardonia tumulatur

Dorius. Cautea rubea.

De Comite Sancio, & morte eius. Cap. III.

HVIC ſucceſſit filius eius Comes Santius Fernandi, vir virtutum, amator patriæ, & in ſubditos totus pius. Hic optinuit Pennam fidelem, & Septem publicam, & Madolium, & Montelionē, & Varinatium, Oaromam, & ſanctum Stephanum, quæ in captione patris perdiderant Chriſtiani, & multa intulit agarenis. Antiquos foros Septem publicę iſte dedit. Caſtellanis militibꝰ, qui & tributa ſoluere, & militare cum Principe tenebantur, contulit libertates, videlicet, vt nec ad tributum aliquod teneantur, nec ſine ſtipendijs militare cogantur. Hic habuit filium, qui dictus fuit Infans Garſias, & Legione fuit proditionaliter interfectus. & habuit filiam nomine Geloiram, quam duxit in vxorem Sancius maior Rex Aragoniæ, & Nauarræ, de quo, ſi Deus dederit, poſtea proſequemur. Huius mater optās commertium cuiuſdam Principis Sarraceni, propoſuit filium interficere, vt ſic cum munitionibus, & oppidis optatis nuptijs potiretur. Cumq; quodā fero lœtali poculo virus mortiferū miſcuiſſet, filius reuelatione pediſecæ hoc præſenſit, & matri, vt prius biberet, ſupplicauit, quod ipſa renuens demum coacta, quod male miſcuerat, deguſtauit, & parricida mater hauſit, & meruit mortē in poculo, quod parauit. Et tandē Comes Sancius contriti cordis, pœnitentia ſtimulatus conſtruxit monaſteriū nobile, quod Oniam nominauit, eo quod matrem viuentem Minoniam more Hiſpanico appellabat. Demum poſt multas victorias ſtrenue conſummatas fœlicem ſpiritum ſuo reſtituit creatori, & in monaſterio Onienſi, quod ipſe conſtruxerat, eſt ſepultus. Nunc autem ad genus, & acta Regum Aſturum reuertamur.

Garſias. Geloyra. Sancius.

Onia.

De Aldephonſo, & Ranimiro, & diſcordia fratrum. Caput. IIII.

MORTVO Froila, Aldefonſus filius Regis Ordonij adeptus eſt ſceptra patris æra. DCCCC. XXXIII. & regnagnauit annis. V. menſibus. VII. anno vno menſium numerato. Nomen vxoris eius Semena, ex qua genuit infantem Ordonium, qui dictus eſt malus, & fuit iuxta Cordubā interfectus. Hic Aldefonſus leuitate potius, quā virtute deliberauit apud ſe, vt ad viam confeſſionis, & pœnitentiæ ſe transferret, & ideo religionis operibus deuouit ſe, & aliquandiu huic propoſito inhærendo decreuit ſibi ſubſtituere fratrem ſuum nomine Ranimirum. Cumq; propoſitum fratri per nuncios intimaſſet, Ranimirus audito nuncio cum magno exercitu venit Zemoram, & Aldefonſo regni regimen reſignante, Ranimirus ſuſtituitur fratri ſuo. Aldefonſus autē iam Exrex ad locū, qui Dominos ſanctos vulgariter

æra. dcccc xxxiij.

dicitur, ſuper ripam Ceiæ fluminis properauit, habitumque monachalem aſſumens viam perfectionis elegit.

De regno Ranimiri, & rebellione monachi Aldefonſi. Caput. V.

RANIMIRVS autem ſucceſſit in regno æra nongenteſima tri geſima nona vno anno mēſium numerato, & regnauit annis decem, & nouē menſibus, diebus. II. & cum eſſet vir bellis deditus, mouit exercitū contra Mauros, & dum exercitū congregabat, frater ſuus ea leuitate, qua de Rege ſe monachum fecerat, a monaſterio apoſtata reſiliuit, & Legionem veniens cœpit inibi rebellare, & ad regnum ite rum inhiare. Ranimirus cum hoc audiuit, direxit congregatum exercitum contra eum, & duobus annis obſeſſum, in dedicionem recepit ad ſuæ beneplacitum voluntatis, & ſtatim in carcere mitti iuſſit. Et dum hæc fierent Aldefonſus, & Ordonius, & Ranimirus filij Regis Froilę ſupra dicti cum conniuentia in Aſturijs rebellarunt, & tyrannidem exercentes Aldefonſum, qui maior erat, honore regio præferebant, Aſtures enim indignati eo, quod inceſſione Aldefonſi, & ſuſtitutione Ranimiri non fuerant euocati, rebellionem huius modi factitabant. Vnde & Aſtures in dolo euocant Ranimirum, vt ſi fieri poſſet, in manus filiorum Froilæ deueniret, quod præſentiens Ranimirus armata manu Aſturias eſt ingreſſus, & coactos prælijs mancipauit, ſecumq; ducens cum fratre ſuo Aldefonſo quōdam Rege in eodem carcere coarctauit, & poſt aliquantulum temporis interuallum fratrem, & ſobrinos crudeliter excæcauit. Tandem Ranimirus pœnitentia ductus prope Legionem in ripa Turij monaſterium ſancti Iuliani conſtruxit, & in eo fratrem, & conſobrinos pie prout potuit, collocauit, vbi vſq; ad finem vitæ neceſſaria habuerunt. Mortuus autem Aldefonſus ibidem ſepultus eſt cum vxore ſua Regina Semena, & conſobrinis. Regnauit autem Aldefonſus annis quinque, & menſibus ſeptem, & in quinto anno regni ſui fuit orbatus oculis, & poſtea duobus annis, & ſeptem menſibus ſuperuixit.

æra. dcccc xxxix. — Turi9. fl. S. Iulian9.

De victoria Ranimiri, & comitis Fernandi Gundiſalui. Caput. VI.

RANIMIRVS autem regnum ingrediens Toletanum obſedit oppidum Maioritum, & muros diſrumpens, ſublatis rebus incolas captiuauit, & reduce exercitu remeauit. Poſt hæc Arabes fines Caſtellæ inuadere decreuerūt, & comes Fernandus Gundiſalui, qui Caſtellæ tunc temporis præſidebat, nunciauit aduentum Arabum Ranimiro, qui conuocato exercitu, properauit in auxilium comitis Caſtellani. Cumque Legionenſis, & Caſtellanus exercitus conueniſſent, Arabibus apud oppidum Oxoniam occurrerunt, & collatis ſignis adinuicem dimicarunt, ſed Dei gratia adiuuante Chriſtianis victoria, Arabibus ceſſit fuga, multaque millia captiuorum Chriſtiono exercitui prouenerunt. Sicque Rex Ranimirus ad ſua fœliciter eſt reuerſus.

Maioritū.

De proditione Abenaiæ, & victoria Ranimiri. Caput. VII.

Cæſarau-guſta. POST hæc iterum Ranimirus contra Cæſarauguſtam exercitum
congregauit, Abenaia autẽ, qui inibi princeps erat, audito quod Ra-
nimirus, & Ferdinãdus Gundiſalui comes Caſtellæ adinuicem con
cordarant, timuit in immenſum. Vnde & ſeipſum cum terra Ra
nimiri ſubdidit dicioni mentitus Abderramen Regi Cordubæ, cui
erat ſubiectione ſimili obligatus. Rex autem Ranimirus omnes mu
nitiones regni Cæſarauguſtæ, quæ Abenaiæ reſiſtebãt, cędibus, & irruptionibus coë-
git Abenaię obedire. Poſt quę Ranimiro ad ſua reuerſo, Abenaia, proditionis non
immemor, fregit pacta, & reconciliatus principi Cordubenſi ratus eſt poſſe inuadere
Septem mancæ. terminos Ranimiri. Et agens exercitum peruenit celeriter Septem mancas, quod au-
diens Ranimirus aſſumpto exercitu proceſſit obuius contra eum, & ibidem adinui-
cem vtroq; exercitu dimicante, cęſi Arabes, nec fuga, nec ſtrage, ſed victoria caruerũt,
Et ſecunda feria in feſto, ſcilicet, ſanctorum Iuſti, & Paſtoris ex Arabibus vſque ad
octoginta millia perierunt, & Abenaia proditor fuit captus, cæteri, qui euaſerant, ad
Alfõdega oppidum quod Alfondega dicitur, confugerunt. Ranimirus autem plus ſanguine
Arabum, quam prælijs, vel ſpolijs cupiens ſatiari, eos viriliter inſecutus in caſtro Al-
fondega, quo confugerant, comprehendit. Abderramen autem cum paucis fugæ co-
mitibus vix abceſſit. Tunc fuit ſolis eclipſis per vnam totam horam diei. Tunc
Rex, & ſui cum multis ſpolijs, & multa turba pediſequa captiuorum reuertitur glo-
rioſe ſecum ducens Abenaia captiuatum.

Item de prælijs Ranimiri. Caput. VIII.

HIS peractis exercitus Sarracenorum per ripã Turmij fluminis eſt
Turmius ingreſſus ſub principe, qui Aceipha dicebatur, & fauẽtibus ſibi Fer
nando Gundiſalui, & Didaco Munionis magnatibus regni ſui cœ
pit populare Salmanticam, Leteſmiam, Ripas, Balnea, Alfondegã,
Salmãtica Pennam, & alia multa caſtra. Tunc etiam comes Rodericus po
Leteſmia. pulauit Amalam, & prædas exercuit in Aſturijs in partibus ſanctę
Ripæ. Alfõ dega Iulianæ. Poſt Rex Ranimirus talibus coniurationibus prouocatus exijt obuiam
Penna. Sarracenis, & bellis, & cædibus ſæpe repulſi a cœptis operibus deſtiterunt, & Fernan
Amaia. dum Gundiſalui non illum comitem Caſtellę, & Didacum Munionis fautores Ara
S. Iuliana. bum comprehendit, & alterum Legione, alterum Gordone in carcere vinculauit. Sed
procedente tempore, quia captione eorum magnates alij murmurabaut, recepto ab eis
iuramento fidei obſeruandæ a carcere liberauit, & filio ſuo Ordonio dedit vxorem
Vrracam filiam Fernandi Gundiſalui comitis Caſtellani. Poſt hęc Rex Ranimi
rus, qui ex Regina Tharaſia ſorore Garſiæ Tremuloſi Regis Nauarrę cognomine
Florentina genuerat Sancium, & Geloiram in honore ſancti Saluatoris iuxta regale
palatium, monaſterium fabricauit, & ibidem Geloiram filiam Deo dicauit. Decimo
nono regni ſui anno obſedit oppidum, quod olim Aquis, nunc Talauera vocatur in
Aquis. q Talauera. diœceſi Toletanenſi. Arabes autem ei ſuccurrere feſtinantes victi a prædicto Rege
in prælio ceciderunt, & cęſis fere duodecim millibus, vſq; ad ſeptem millia captiuauit,
& reuerſus ad ſua ſe miſericordiæ operibus dedicauit, & vxore ſua Regina Tharaſia
Ceia. operante, ſancti Andreę, & ſancti Chriſtophori ſuper Ceiã, & ſanctæ Marię in ripa
Orna. Deſtriana Dorij, & ſancti Michaelis archãgeli in valle Ornæ, quę nũc dicitur Deſtriana, mona

ſteria ædificauit, & poſſeſſionibus multis ditauit. Et cum Ouetum cauſa orationis adiſſet, ibidem grauiter ęgrotauit, & Legionem allatus, in vigilia Epiphaniæ facta confeſſione Epiſcopis, & Abbatibus, qui ſecum aderant, deuote ſuſcepit ſacramētum corporis, & ſanguinis domini Ieſu Chriſti, quo facto a ſe regnum, quod a patre ſuſceperat, abdicauit proclamans cum lachrymis. Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc, dominus mihi adiutor, nón timebo quid faciat mihi homo. His ita peractis vitam finiuit, & in monaſterio ſancti Saluatoris, quod filię ſuę conſtruxerat, tumulatur. In his decem & nouem annis computantur quatuor anni Aldefonſi prędicti, quia poſt primum annum ſtatim ſubſtituit ſibi fratrem, per ſe autem regnauit Aldefonſus anno vno. Ranimirus annis quindecim.

De Rege Ordonio, & diſſenſione cum Caſtellanis, & morte eius. Caput. IX.

HVIC ſucceſſit in regno Ordonius filius eius ęra nongētesima quinquageſima octaua, & regnauit annis quinque, mēſibus ſex. Iſte Ordonius ſatis prudens, & in regimine exercitus circunſpectus. æra.dcccc lviij. Vnde frater eius Sancius, quem Rex Ranimirus ex Tharaſia ſorore Garſiæ Regis Naruarræ ſuſceperat, fauore, & auxilio eiuſdem Garſię auunculi, & Fernandi Gundiſalui comitis Caſtellani ipſis perſonaliter cum ipſis venientibus, Legionem acceſſit, vt fratrem ſuum a regno expellēret, & ipſe dignitate regia donaretur. Sed Rex Ordonius, vt erat in armis ſtrenuus, ciuitates muniuit, & munitiones viriliter defenſauit, & regnum ſibi intrepidus conſeruauit, & vxorem ſuam Vrracam, quia comitem Fernandum ſocerum ſuum hoſtem ſenſerat, dereliquit, & duxit vxorem aliam nomine Geloiram, ex qua genuit filium, qui fuit podagricus nominē Veremundum. Gallecij autem audientes diſſenſionem inter Legionenſes, & Caſtellanos cœperunt contra Regem Ordonium rebellare. Ipſe vero congregato exercitu Gallecos perdomuit vſq; Vlixbonā, & vaſtatione, & incendio omnia deprędatus eſt, & redijt inclytus multis ſpolijs, & captiuis.

Poſt hæc autem inter Regem Ordonium, & Fernandum Gundiſalui comitem Caſtellanorum diſcordiam ſedata, exercitus Arabum venit ad ſanctum Stephanum in ripa Dorij, & vſque Burgis omnia deuaſtabat, ſed comes Fernandus Gundiſalui cum exercitu Regis Ordonij, & ſuorum, eos vſq; Dozium inſecutus pugna ſubegit, & magnam multitudinem victor occidit, plurimaque captiuauit. Dozium. Quo audito Rex Ordonius diſpoſuit in Arabes exercitum congregare, ſed infirmitate præuentus Zemoræ moritur, & Legionem delatus in monaſterio ſancti Saluatoris, quod pater ſuus condiderat, ſepelitur.

De Rege Sancio, & Ordonio malo. Caput. X.

DEFVNCTO Ordonio frater eius Sancius Regis Ranimiri filius ſucceſſit in regno, æra nongenteſima ſexageſima tertia. Et regnauit annis duodecim. æra.dcccc lxiij. Cumq; magnates regni contra ipſum vnanimiter conſpiraſſent, ad Garſiam Regem Nauarræ, qui dictus eſt Tremuloſus, ſuum auunculum feſtinauit. Erat autem Sancius intolerabili pinguedine aggrauatus, vnde dictus fuit Sancius graſſus, & conſuluit ei auunculus Abderramen principem Cordubæ poſtulare, vt poſ

ſet a tantæ pinguedinis pondere releuari. Cumque cum eo pacem firmaſſet, Cordubam veniens ab Abderramen magnifice eſt ſuſceptus, qui conuocatis medicis antidoto cuiuſdam herbæ a grauitate pinguedinis liberatur, & agilitati, & diſpoſitioni reſtituitur cæterorum. Inter hæc autem comes Fernandus, & magnates regni Aſturiarum Ordonium malum, quem Rex Aldefonſus cæcus ex vroxe ſua Semena ſuſceperat, in Regem, & principẽ elegerunt. Et comes Fernandus Gundiſalui dedit ei vxorem filiam ſuam Vrracam Regis Ordonij derelictam. Erat autem tunc temporis quidam nobilis adoleſcẽs nomine Vegila, qui cum eſſet de nobilioribus illius patriæ, nolebat comiti Fernando, vt ſubditus obedire. Comes autem cum grauiter inſecutus compulit exulare, & ad Arabes compulit tranſmigrare. Rex autem Sancius aſſumpta ab Abderramen multitudine Arabum eſt reuerſus, vt abſens regnum, quod perdiderat, veniens obtineret. Quod audiens Ordonius malus in Aſturijs ſe recepit, vt difficultate montium inibi rebellaret. Rex autem Sancius olim graſſus, quam cito aduenit, rebellibus domitis regnum recuperauit. Ordonius autem malus cum eſſet vilis, & puſillanimis, & effœminatus, Deo, & hominibus prauus, operibus odioſus, nec in Aſturijs ſe tutum reputans iuit ad ſocerum ſugiens, & abiectus. Comes autem filiam ei abſtulit, & alteri viro dedit, & ad Arabes ire coëgit, cum quibus dum vixit, vilitatis ſuæ pœnas exſoluit. Rex vero Sancius regno pacato, duxit vxorem, quæ Tharaſia dicebatur, ex qua genuit Ranimirum. Tunc Rex Sancius cum eſſet homo deuotionis ſuadentibus vxore ſua Tharaſia, & ſorore ſanctimoniali Geloira
Legio. Corduba misit Velaſcum Legionenſem Epiſcopum, & alios nuncios pro pace firmãda, & pro petendo corpore ſancti Pelagij martyris, qui ſub Abderramen fuerat Cordubæ martyrio coronatus. Rex autem conſtruxit monaſterium Legione, in quo corpus ſancti Pelagij ſtatuerat collocandum, & hac legatione pendente, Galleci diſcordes inter ſe prædas, et iniurias exercebant. Sed Rex adueniens inſolentes domuit, et iniurio-
Dorius. ſos coëgit vſq; ad Dorium, qui diuidit Galleciam, et Luſitaniam. Quod audiens Gundiſaluus, qui trans flumen Dorij princeps erat vſq; ad ripam eiuſdem fluminis congregato potentiæ ſuæ exercitu, præceps venit, ſed videns ſe Regi Sancio non poſſe reſiſtere, ſuæ gratiæ ſe commiſit, & præſtito iuramento de tributis ſoluendis, etiam terrę ſuę dominium Regi Sancio recognouit. Verum proditionis virus in corde reſeruat, virus mortiferum pomo immiſſum Regi obtulit ad edendum, in cuius eſu cor Regis cœpit ilico titubare, ſicut natura exigit venenorum, & Rex intelligens dum Legionem mortis conſcius properaret, tertia die in via moritur, & Legione iuxta patrem in ſancti Saluatoris monaſterio ſepelitur.

De rege Ranimiro, & ſtrage Normanorum.
Caput. XI.

SANCIO defuncto, filius eius Ranimirus habens a natiuitate an-
æra.dcccc lxxv. nos quinque patri ſucceſſit in regno æra nongenteſima ſeptuageſima quinta. Et regnauit annis viginti quinque. Hic de cõſilio ma-
dcccc. xxxvij. tris ſuę Reginę Tharesię, & amitę ſuę Geloirę monialis, ſecũdũ legationem patris cum Arabibus pacem fecit, & corpus ſancti Pelagij, pro quo pater miſerat, impetrauit: & in monaſterio, quod pater ad
Normani hoc conſtruxerat, collocauit. Anno ſecundo regni eius multitudo Normanorum cum Rege ſuo nomine Gundiredo in finibus Galleciæ applicarunt, & ſtragibus, &

incurſibus vrbes, & loca Gallecię vaſtauerunt, & Siſnandum Epiſcopum ſancti Ia-
cobi peremerunt diſcurrentes patriam, vſq; ad locum, qui mons dicitur Onagrorum Onagrorum.m.
Tertio anno cum patratis vaſtationibus vellent ad propria nauigare, inuocato nomi-
ne Domini, & beati Iacobi, Comes Gundiſaluus Sancij occurit eis, ſi poſſet extermi-
nium vendicare, & cum prælium iniuiſſent, Dei gratia, & virtute Apoſtoli, qui ſine
lege vaſtauerant, Dei iudicio ſunt proſtrati, & tam ipſi, quam Rex eorum in ore gla-
dij ceciderunt, & comes Gundiſaluus Sancij eorum nauigia igne conſumpſit.

De vaſtatione Caſtellæ, & Zemoræ, & Gallecię, & morte Ranimiri. Caput. XII.

ET dum hæc fierent, Arabes per Ranimiri Regis pacem ſecuri con-
tra Caſtellanos exercitum direxerunt. Cumq; Ferdinandus Gun-
diſalui comes reſiſtere non valeret, occuparunt Arabes Septē man- Septem
cas, Donias, & Septempublicam, et Varinatium, et multa alia terrā mancæ.
cædibus, et incendio deuaſtātes. Ad hęc oīa inhumaniter adiuuante Doniæ.
Vegila quodam nobili, qui a Fernando Gundiſalui comite ob rebel- Septem publica.
lionē a partibus Alauę erat eiectus. Ex tanto ergo ſucceſſu Arabes inſolentes etiam Varinatium.
fœdus, quod cum Ranimiro habuerant, infregerunt, et venientes Zemoram inuaſam zamora.
funditus ſubuerterunt. Ea tempeſtate vir ſtrenuus Fernandus Gundiſalui Comes
Caſtellę moritur, qui in acquiſitione, et tuitione, & dilatione patrię viriliter, ſtrenueq;
et fideliter laborarat, & in monaſterio ſancti Petri de Aslātia, quod ipſe cōſtruxerat ſe-
pelitur. Rex vero Ranimirus duxit vxorem nomine Vrracam. Cumq; eſſet puer, Aslantia.
nec ad diſcretionem ętatis veniſſet, ſtultis actibus cœpit comites Gallecię prouocare,
iam a conſilio matris, & amitæ alienus. Cumq; Galleci non poſſent eius inſolentiam
tolerare, quendam Veremundum filium Regis Ordonij ſuper ſe Regem beati Iacobi
creauerunt. Quod audiēs Ranimirus contra ipſum collecto exercitu in Gallæciam
feſtinauit. Et ex alia parte veniens Veremundus in Portella de Arenis prælium com- Portella.
miſerunt, et licet inuicti adinuicem diceſſiſſent, ex vtraq; quam plurimi cæde mutua
cęciderunt, & duobus annis non ſine grandi vtriuſque gentis exterminio bellum in-
ualuit inteſtinum. Ranimirus autem morbo correptus obijt Legione, & in De- Legio.
ſtriana traditur ſepulturæ. Interea Alcorrexi Rex Agarenorum eam partem Gal- Deſtriana
leciæ, quę nunc Portugalia dicitur, & vſq; ad ſanctum Iacobum nō veritus Apoſto-
lum deuaſtauit, ſed merita Apoſtoli occurrerūt, & immiſſa in eis infirmitate, aut pau-
ci, aut nulli ſuperſtites euaſerunt, qui in patria nunciarent.

De Rege Veremundo, & miraculo Tauri. Caput. XIII.

MORTVO itaq; Ranimiro, Veremundus filius Regis Ordonij
veniens Legionem ab omnibus ſuſcipitur, & ad regni gloriam pro-
mouetur, eo quod mortuo Sancio patruo ſuo, & Ranimiro conſo-
brino ad ipſum erat de iure regni ſucceſſio deuoluta æra Milleſimā, æra.M.
& regnauit annis decem & ſeptem. Hic leges Gothorum liberaliter
confirmauit, & ſanctorum patrū canonicas ſanctiones ſeruari pręe-
cepit, & licet alias eſſet ſatis prudēs, ſuſurronibus, & detractoribus aures bibulas incli-
nabat. Accidit autem quod tres ſerui de familia eccleſiæ ſancti Iacobi, quorum vnus

vocabatur Zadon,alterCadon,alter Anſilon a pud Regem Dominum ſuũ Aathaul
phum de crimine peſſimo accuſarent,& quod etiam promiſerant Sarracenis ſe legem
Mahometicam ſuſcepturum,& Galleciam traditurum. Rex autem credidit,eo quod
Epiſcopus eſſet filius illius principis,qui Regi Sancio in pomo mortis poculum pro
pinaret. Cumq; prædictus Epiſcopus vocatus ad curiam quinta feria ante Paſchave
niſſet Ouetum,conſulentibus ſibi aliquibus, vt antequam eccleſiam deſcenderet,ſe Re
gis conſpectui præſentaret,Epiſcopus conſtanti animo ſic reſpôdit,quod prius ſe præ
ſentiæ Saluatoris omnium exhiberet,& poſt in præſentia tyranni Principis compa-
reret,intranſq; eccleſiam Saluatoris ilico indutus ſacris veſtibus diuina officia celebra-
uit. Rex autem taurum ferocem præceperat adduci, vt inuenientem Epiſcopum de-
ſæuiret. Sed Epiſcopus innocens cum talia præſenſiſſet, conſummatis officiis, ad lo-
cum vbi taurus æſtuans mugiebat,acceſſit intrepidus,& mox taurus ad Epiſcopum
veniens,cornua in manibus eius miſit, quibus dimiſſis ad montem vnde venerat, re-
meauit. Epiſcopus autem cornua,quæ ſibi taurus dimiſerat, coram altari deponens
Domino Saluatori cum cæteris fidelibus ſoluit laudes,actores vero fallæ ſuggeſtio-
nis, & eorum ſemine maledicto coarctans ad exemplum Dauid, qui pro morte Ab-
ner innocui, Ioab cum ſemine condemnauit, ſententialiter ſic profatur. De ſemine
Zadon,Cadon,& Anſilon nõ deficiat leproſus,& claudus,cæcus,& mancus,vilis,&
tenens fuſum. Rex autem viſo miraculo perturbatus obtulit Epiſcopo ſatisfactio-
nem, ſed Epiſcopus regem videre noluit,immo ſecunda feria poſt feſtum paſchæ iter
Pamariẽſis. arripiens ad Pamarienſem eccleſiam ſanctæ Eulaliæ vſque peruenit,ibi infirmitate cor-
reptus quarta feria vitam finiuit. Cumque ſui vellent corpus eius ad eccleſiam bea-
S.Eulalia. ti Iacobi deportare, immobile eſt inuentum, & attendentes quod a Domino fieret,
tradiderunt corpus in eadem eccleſia ſanctæ Eulaliæ ſepulturæ.

De inſolentiis Veremundi,& vxoribus eius,& de victoria Almanzori.

Caput. XIIII.

REX vero Veremundus habuit duas nobiles concubinas,& erant ſoro
res,legem Domini obliuiſcens. Et ex vna genuit infantem Ordonium,
& ex alia Geloiram. Infans autem Ordonius procedente tempore ex
infante Fronilda genuit Aldefonſum,Pelagium,Sancium,& Semenam.
Prædictus etiam Veremundus habuit duas vxores legitimas Vela-
ſquitam videlicet,quam viuentem dimiſit,& non contentus inceſtu,ſibi aliam nomi-
ne Geloiram adulterio contubernio copulauit,ex qua genuit Aldefonſum,& Thare-
ſiam. Ex Velaſquita autem genuit Chriſtinam infantem. Ipſa vero Chriſtina ex Or
donio cæco filio Ranimiri Regis genuit Aldefonſum, Ordoniũ,Pelagiã Comitiſſam,
& Eldontiã. Eldontia autem ex Pelagio Froilæ diacono genuit comitẽ Petrum,Or-
donium,Pelagiũ Munionem,& matrẽ Suerii comitis,& fratrẽ eius, & Tharesiam cõ
mitiſſam. Quæ cũ eſſet dña Carrionis,ibi eccleſiã ſancti Zoili ædificauit. Hi omnes
dicũtur vulgariter infantes de Carrion. Igitur propter peccata Principis Veremun-
di,& populi Chriſtiani,Rex Arabũ,qui Alhagib dicebatur,ſe Almanzor conſtituit
nominari. Alhagib autem interpretatur ſupercilium,quia ſicut ſupercilium defenſio
eſt, ſiue vmbraculum oculorum, ſic & ipſe dicebatur defenſio populorum. Vnde
& clariori vocabulo ſe Almanzor inſtituit nominari. Almanzor autem interpre-
tatur

tatur defenſus, ſiue defenſio, eo quod multis victorijs glorioſus ſe, & ſuos ſtrenue de-
fenſauit. Cumq; Vegila, de quo prædiximus, & quidam Comites, & alij plurimi
Chriſtiani ad eius præſidium confugiſſent, promittebant ei terram reliquiarum Hi-
ſpaniæ ſe daturos, & hac ambitione commotus adunato exercitu Arabum, & Chri
ſtianorum, qui ſecum aderant, aſſumpto etiam filio ſuo Abdelmelic, quod in tempo
re famulus erat Regis, cœpit Legionis, Caſtellę, & Nauarrę prouincias deuaſtare, cui
exterminio pro maiori parte cauſam præbuit diſſenſio principum Chriſtianorum,
qui ſibi ad inuicem auxilia denegabant. Almanzor autem cum eſſet prudens, ſtre-
nuus, hilaris, atque largus ita ſibi Chriſtianos allicere ſatagebat, vt Chriſtianos Ara-
bibus oſtenderet chariores. Hac benignitate chariſſimus erat ſuis adeo, quod om-
nes ex animo ei ſeruire pari ſtudio laborabant, ita quod a Dorio, qui erat limes inter Dorius.
Chriſtianos, & Arabes, vſq; ad fluuium Eſtolam omnia vaſtauit, in cuius ripa ten Eſtola.
toria collocauit. Quod audiens Veremundus cum exercitu properauit, & inſul
tum faciens in tentoria Almanzori multos de ſuo exercitu interfecit. Cum autem eſ-
ſet Almanzor magnanimus, atque conſtans, a proprio ſolio depoſito aureo pileo,
quem pro corona geſtabat, humi reſedit iuxta morem Principum gentis ſuæ.

Exercitus autem, qui eum ex animo diligebat, confuſionem autem ferre non ſu-
ſtinens, prælium reſtaurauit, & fugatis Veremundi militibus vſque ad Legionis
ianuas peruenerunt. Sed vrgentibus pluuijs hyemalibus, quæ ſolent in illis parti-
bus inundare, Almanzor ad propria eſt reuerſus. Ciues autē Legionenſes, & Aſto
ricenſes timentes in futuro anno ſuper ſe tantam multitudinem aduenturam, corpora
Regum, quæ erant ſepulta Legione, & Aſtorica cum corpore ſancti Pelagij marty-
ris ad Aſturias tranſtulerunt, & apud Ouetum in ecclesia ſanctæ Mariæ ſepelie-
runt, & ſuper altare beati Ioannis Baptiſtæ corpus ſancti Pelagij poſuerunt. Qui-
dam autem ex ciuibus Legionenſibus corpus ſancti Froilani Epiſcopi deferentes in-
fra Pyrenæum ad vallem, quæ Cæſaris dicitur, in ſancti Ioannis Apoſtoli ecclesia Vallis Cæ
collocarunt. ſaris.

De irruptione Legionenſi, & Aſtoricę.

ADVENIENTE autem verno tempore Almanzor iterum
exercitum congregauit, & veniens Legionem obſeſſam firmiter Legio.
impugnauit. Veremundus autem ſe apud Ouetum recepit mor-
bo podagrico prępeditus. Almanzor vero captioni Legionis fer
uenter inſiſtens, dum fere per anni circulum impugnaſſet, in porta
occidentali prima irruptio facta fuit. Quarta die poſt hoc ſecun-
da irruptio iuxta portam meridionalem. Tunc Guillemus Gonſalui Comes Gal-
leciæ, qui ad defenſionem venerat, grauiter ægrotabat, ſed audiens murum effractum
ad locum periculi ſe armatū deferri pręcepit, vt mortem videret antequam excidium Aſturica.
ciuitatis. Irruentibus itaq; Arabibus idem Comes occiditur, & ciuitas occupatur, & Coiāca.
Almanzor portas vrbis opere marmoreo cōſtructas, & arcē pręcipuā portę orienta Valentia.
lis murū, & cęteras turres fecit deſtrui a fundamētis, vna dūtaxat relicta, quę eſſet po- S.Facūd9
ſteris in memoriā, quod taliū murorū, & tantarū turriū deſtruxerat ciuitatē. Cepit Alba.
Aſtoricā, et ſumitatē turriū decurtauit, Coiancā, quę nūc Valētia, et ſanctū Facundū Luna.
& alia plurima loca ſubuertit, Albā, Lunā, Gordonē, & Arboliū, licet impugnauerit, Gordo. Arboliū.

Oxonia. non potuit optinere. Deinde rediens per terras Caſtellæ, Oxoniam,& Alcouelam, Alcouela. Valeranicam, quæ nunc Berlanga, & Atentiam optinuit,& deſtruxit, exinde ad ſua Valeranica. quę nunc Berlanga. redijt faſtu,& ſuperbia eleuatus. Sic enim ſuper Chriſtianos ira cæleſtis Regis exarſerat, vbi cum fere per duodecim annos Chriſtianorum terminos inuaſiſſet, & vt Atentia. voluerat, vaſtauiſſet, & plurima loca ſibi tributaria effeciſſet, ſemper inuictus redijt cum triumpho. Vnde etiam ab Hiſpania Gothorum gloria receſſiſſet, theſauros eccleſiæ Arabes abduxerunt, & cultus eccleſię datus eſt in contemptum. Et plaga,quæ acciderat tempore Roderici, & iam videbatur obduci, paſſa eſt recidiuum.

De morte Almanzor. Caput. XV.

Portucale IGITVR anno. XIII. Almanzor reſumpto exercitu ingreſſus eſt per eam partem Gallecíæ, quæ dicitur Portugale, munitiones, & ciuitates hoſtiliter deuaſtando. Cumq́ ad maritima perueniſſet, etiam ciuitatem, & eccleſiam beati Iacobi deuaſtauit, ſed fulgure territus ab eo loco, vbi eſſe corpus Apoſtoli credebãt, abſtinuit, quod S. Iacob9 tamen propoſuerat violare. Nihiſominus tamen campanas minores in ſignum victorię ſecum tulit,& in Mezquita Cordubenſi pro lampadibus collocauit, quæ longo tempore ibi fuerunt. Almanzor autem cum ſuo exercitu percuſſus a Domino pro ſcelere ſacrilegij dignam ſuſtinuit vltionem, nam qui ſanctum locum apoſtoli profanarat, immũda ſui plaga, ſcilicet dyſenteria, fere totus exercitus eſt conſumptus, reliqui morte ſubitanea perierunt. Quod audiens Rex Veremundus miſit multitudinem peditum expeditam, qui imbelles, & infirmitate conſumptos in montanis facile trucidarunt, & ſic Almanzor coactus peſte ad propria eſt reuerſus. Rex autem Veremundus coactus hoſtibus legationem miſit Garſiæ Fernandi Comiti Caſtellano, & Garſiæ Tremuloſo Regi Nauarrorum, vt obliti iniuriarum ad agenda prælia fidei fœderati inſimul conuenirent. Quod audientes Rex Garſias miſit exercitum, Comes Garſias Fernandi perſonaliter cum ſua multitudine, & Rex Veremundus licet podagricus geſtatus humeris baiulorum, collecta potentia regni ſui omnes inſimul conuenerunt, & in loco quodam, qui Arabice Calacanazor, Calatanazor. Latine autem dicitur Vulturum altitudo, Almanzor venienti cum ſuis arabibus, vt caſtellam inuaderet, occurrerunt. Cumq́ ſeſe mutuis cædibus inuaſiſſent, maxima pars cecidit de exercitu Agareno, tamen noctis tenebris intercepti, neuter neutri ceſſit campum,& tanta ſtrage comperta ſuorum bellum in craſtino timuit reſtaurare. Vnde & de nocte fugiens cum veniſſet ad vallem Borgecorexi, dolore vexatus Borgecorexi. animam exhalauit, & ad Medinam, quæ cælum dicitur,eſt delatus. Cumq́ dies Medina Cæli. craſtina illuxiſſet, exercitus Chriſtianus putauit Arabes ad prælium reuerſuros, ſed cum tentoria vacua hominibus conſpexiſſent, ipſa tentoria, & ſupellectilem,& ſpolia varia occuparunt. Comes autem Garſias Ferrandi viriliter inſecutus eos, qui cædem euaſerant, fere vſq́ ad internitionem deleuit. Almanzor autem, qui ſemper inuictus fuerat, tanto dolore proſternitur, vt a die prælij neq́ cibum, neq́ potum ſumpſerit, donec diem concluſit extremum.

De fuga Abdelmelich, & morte Regis Veremundi. Caput. XVI.

IBIDEM anno ſequenti Abdelmelich filius eius poſtquam paternum ſuſcepit honorem, exercitum congregauit, vt vaſtationibus in Chriſtianorum finibus reſtauraret, veniensq; Legionem, quod reſiduum inuenit, in muribus, & turribus diſſipauit, ne poſſet iterum reparari. Sed Comes Garſias Fernandi adueniens ex Caſtella cum magna multitudine militum, & populorum ſibi Legionem adiunxit, & Abdelmelich in ore gladij effugauit. Sicq; Chiſtianis finibus a tot cladibus liberatis, aliquo tempore terra quieuit. Tunc reuocatis militibus Chriſtianis, Rex Legionis, & Rex Nauarræ, & Comes Caſtellæ poſſeſſiones, & iura militibus reſtituerunt, ne particularia ſchiſmata fierent Arabibus occaſio præualendi.

Eo tempore Rex Veremundus a ſuſurrone deceptus præcepit capi Gudeſt eum Epiſcopum Ouetenſem, ſed vt tantum nefas non procederet impunitum, facta eſt ſiccitas magna in terra, ita quod totus populus ciborum penuria arctabatur. Cumque quibuſdam religioſis fuiſſet a Domino reuelatum peſtem propter iniuriam Epiſcopi accidiſſe, & Regi eſſet reuelatio intimata, confeſtim abſoluit Epiſcopum, & per Semenum Aſtoricenſem Epiſcopum, cui Rex Epiſcopum commendauerat, fecit reſtitui Gudeſteum, & ſtatim Dominus pluuiam voluntariam ſegregauit, & terra attulit fructus ſuos. Tunc Rex Veremundus corde compunctus eccleſiam beati Iacobi, & cætera loca, quæ Almanzor profanarat diripiens, prout potuit, reſtaurauit, & bonis operibus, & eleemoſynis iam intentus de commiſſis cum conſilio Prælatorum pœnitentiam agere ſatagebat, & in villa, quæ eſt in Berizo, moritur, & ſepelitur, & ab Alphonſo filio, & ſucceſſore transfertur poſt aliquantũ temporis Legionem, & in eccleſia beati Ioannis Baptiſtæ cum coniuge Geloira, denuo ſepelitur. Berizo.

De Aldephonſo, & miraculo ſororis ſuæ, & morte Comitis Garſiæ Fernandi. Caput. XVII.

POST obitum Veremundi Aldephonſus filius eius ſucceſſit in regno, q quinq; annorũ erat cum regnare cœpiſſet æra. M. XVII. & regnauit annis. XXVII. nomen matris eius Geloira. Cum eſſet paruulus datus eſt nutriendus Menendo Gundiſalui Comiti Galleciæ, & vxori eius Comitiſſæ Maiori. Cum autem adoleuiſſet, accepit vxorem eorum filiam Geloiram, ex qua duos filios dicitur habuiſſe Veremundum, & Sanciam, & hæc Sancia procedente tempore nupſit Regi Fernando filio Regis Sancij Nauarrorum. Hic autem Aldephonſus in reprobum ſenſum datus, cum eſſet puer, dedit Tharaſiam ſororem ſuam in vxorem Abdallæ Regi Toleti ſub pacto auxilij contra Principem Cordubenſem, ipſa penitus reclamante. Cumq; Rex ille vellet eam ſuis amplexibus commiſcere, inquit illa, Chriſtiana ſum, & abhorreo connubia aliena, noli me tangere, ne interficiat te, quem colo, Dominus Ieſus Chriſtus. Ille autem deridens talia inuitam corrupit, ſtatimq; percuſſus ab Angelo ſenſit mortis periculum imminere, vocatiſq; familiaribus oneratis camelis auro, & argento, & veſtibus precioſis, & ſupellectili valde decora remiſit eam protinus Legionem, quæ ibidem in monachali habitu diu vixit, ſed ad monaſterium ſancti Pelagij ſe poſtea transferens ibidem, & vitam finiuit, & ſepulturam accepit. Eiſdem diebus Sancius filius Comitis Garſiæ Ferdinandi contra patrem viſus eſt rebellare. Cumque inter patrem, & filium eſſet diſcordia

æra.M. xvij.

Abula. Clunia. S. Stephanus.

concitata, Sarraceni ſomentum impetus habuerunt, & Caſtellæ terminos inuadentes Abulam, quæ populari cœperat, deſtruxerunt, Cluniam, & ſanctum Stephanum occuparunt, cædes, & incendia in patria exercentes. Cumque Comes Garſiæ Ferdinandi talia percepiſſet, magnanimitate pulſatus, licet gens ſua in eum, & filium eſſet diuiſa, eligens mori pro patria cum Arabibus decertauit, ſed multitudine circumcluſus viuus capitur inter cæſos vndique comprehenſus, ſed paucis diebus moritur, eo quod in bello fuerat lœtaliter vulneratus, & corpus eius a Sarracenis redemptum in monaſterio ſancti Petri de Cardonia requieſcit.

Cardonia

De Sancio Comite, & pijs operibus Aldephonſi. Caput. XVIII.

HVIC ſucceſſit in Comitatu Sancius filius eius, vir prudens, iuſtus, liberalis, ſtrenuus, & begninus, qui nobiles nobilitate potiore donauit, & in minoribus ſeruitutis duriciam temperauit. Hic patris iniuriam impatiens ſuſtinere, iuxta fœdus cum patre initum Nauarrorum, & Legionenſium exercitus conuocauit, & ingreſſus cum eis ad partes Toleti cæde, & clade cuncta vaſtauit, & prædis abductis, quæ remanſerant, flamma conſumpſit, nec ab his ſtragibus fuit regnum Cordubæ alienum. Sed vtroque regno vaſtatione conſumpto, & munera obtulerunt, & indignationis faciem donariorum copia placauerunt, & ſic patris iniuria vindicata glorioſus, & inclytus remeauit. Rex autem Aldephonſus concilium celebrauit, & reædificauit Legionem, quam Almanzor, & Abdelmelich filius eius deſtruxerant, prout ſuperius eſt expreſſum, & leges Gothicas reparauit, & alias abdidit, quæ in regno

Legior

Legionis etiam hodie obſeruantur, & colligens oſſa Regum varijs direptionibus diſpartita in ſancti Ioannis Baſilica ſepeliuit. His temporibus duo filij Vegilæ ad Sarracenos transfugæ propter inſolentias, quas agebant, a Sancio Comite receſſerunt, & a Rege Aldefonſo benigne recepti in ſubmontaneis dominium acceperunt. Poſt hęc

Viſeum.

Rex Aldefonſus cum ſuo exercitu veniens ad oppidum, quod Viſeum dicitur, mox obſedit. Cumque inermis infirmiora oppidi proſpectaret, inter ſcapulas ſagitta percuſſus lœtalis vulneris ſenſit ictum, & rebus in pręſentia pontificum ordinatis facta confeſſione, & ſumpto viatici ſacramento vitam finiuit, & ſoluta obſidione a ſuis Legionem deducitur, & in paterno mauſolo ſepelitur.

De Rege Veremundo, & filiabus Sancij Comitis Caſtellani. Caput. XIX.

æra. M. xliij.

POST mortem Aldefonſi Veremundus filius eius ſucceſſit in regno æra. M. XLIIII. & regnauit. X, annis, & quamuis puer poſtremis patris actibus adhærens, tam eccleſias, quam monaſteria, quam loca ſacra ab Arabibus diſſipata ſtuduit reparare, & malorum inſolentias refrenare. Hic duxit vxorem nomine Tharesiam filiam Sancij Comitis Caſtellani, qui Sancius habuit aliam filiam nomine Geloiram, alij dicunt vocatam Maiorem, quam dedit vxorem Regi Nauarrorum Sancio, qui dictus eſt maior, ex qua ſuſcepit idem Sancius duos filios Garſiam videlicet, & Fernandum.

De ortu, & genealogia Regum Nauarrenſium.
Caput. XX.

VERVM quia genealogiæ Regum Caſtellæ linea, & Legionis in iuris poſt tempora Veremundi, & Comitis Sancij defecerut, & ſuc ceſſiones Caſtellæ, & Legionis fuerunt ad fœminas deuolutæ, opor tet genealogiam texere a Regibus Nauarrorũ, qui hęredes fœminas in matrimoniũ aſſumpſerunt. Cum enim Caſtella, Legio, & Nauarra varijs Arabum incurſionibus vaſtaretur, vir aduenit ex Bigorciæ comitatu bellis, & incurſibus ab infantia aſſuetus, qui Enecho vocabatur, & Bigorcia. quia aſper in prælijs Ariſta agnomine dicebatur, & in Pyrenęi partibus morabatur, & poſt ad plana Nauarræ deſcedens ibi plurima bella geſſit, Vnde & inter incolas regni meruit principatum, hic genuit filium Garſiam nomine, cui vxorem Vrracam de regio ſemine procurauit.

De Rege Garſia Enechonis, & filio eius Sancio.
Caput. XXI.

MORTVO autem Enechone Ariſta regnauit Garſias Enechonis filius eius, vir largus, & ſtrenuus, & in bellis continue ſe exercens. Cumq; quadã die minus caute in quodam viculo, qui Larumbe dicitur reſideret, ſuperuenientes Arabes improuidũ occiderunt, & Re Larumba ginam Vrracam vxorẽ ſuam prægnantẽ in vtero lancea percuſſerunt. Sed continuo aduentu ſuorum latrunculis Arabum effugatis Regina morti proxima, tamen viua, per vulnus lanceę ſicut Domino placuit, infantulum eſt enixa, & fotus miniſterio muliebri vitę miraculo omnium eſt ſeruatus, & Sancius Garſiæ fuit vocatus. Mortua autem matre, quidam nobilis, qui a tempore Enechonis Ariſtæ adhæſerat Regi Garſiæ ſuſcepit infantulum, & fecit eum diligentiſſime enutriri, & tranſactis infantiæ, & pueriçiæ annis, cum adoleſcentiam perueniſſet, ætatem indolæ, & indolem ſtrenuis operibus ſuperabat, & ſucceſſit in regno Regi Garſiæ æra. DCCCC. XVIII. Nutritius autẽ eius cum eſſet nobilis, & abun æra. decccc dans ſemper eum conſilijs, & auxilijs ad magnalia prouocabat, & procuratus eſt ei xviij. vxorem de Regio ſemine, quæ Theoda vocabatur, ex qua ſuſcepit filium Garſiam nomine, qui agnominatus eſt Tremuloſus, habuit etiam quatuor filias, Semenam, Mariam, & Tharaſiam, & Valaſquitam, quæ fuit data Comiti Biſcagiæ Munioni.

Verum Rex Sancius ex Cantabria Arabes grauiter infeſtabat adeo, quod vſq; ad mortem Auce, & Tudeliam, & prope Oſcham fere omnia ſubdidit dicioni. Acquiſiuit etiam Aragoniam, & Montana. Verum populi Cantabrorum agilitati, Auca. Tudela. & frigore aſſueti tempore irruptionis Arabum expeditiones viriliter ſuſtinebant, & Oſca. quadam vice cum Arabes hyemali tempore inuaderent Pampiloniam, & Rex San Aragonia Pompelo cius vltra Pyrenæum ageret, audito periculo, periculo ſe ingeſſit, & propter impor tunitatem niuium de crudis corijs fecit abarcas, quibus pro ſotularibus per medias niues tranſiuit illæſus, & ab hoc facto fuit exinde dictus Abarca, & aliqui, qui ex genere eius proceſſerunt, adhuc hodie cognomen retinent ab Abarca, & circa auroram obſeſſis adueniens impetu dirupuit obſeſſores, & tanta ſuccubuit multitudo, vt vix ſupereſſet, qui Arabum infortunium nunciaret, & quia habebat populos agiles, & in ſpiculorum actibus expeditos, vt eos ad bella, & infeſtationibus Arabum amplius prouocaret, interdum cum militibus ſtudio militari, interdum cum peditibus officio peditali,

ſemper tamen prælijs fidei inſiſtebat, & in rupibus arduis munitiones ſæpius conſtruebat, & aliquando pugna, aliquando furtim caſtra plurima occupabat, & more peditum calciatis abarcis peditibus comitatus pari, immo præcellenti agilitate, in Carpentania, & Celtiberia loca plurima acquiſiuit, quæ adhuc hodie Regis Sancij Abarcę dicuntur, & ipſe Rex Sancius Abarca adhuc hodie memoratur, & inde ſic compeſcuit incurſantes, vt terra diebus eius ſecuritate continua lætaretur, & regnauit Rex Sancius dictus Abarca annis. XXV. & deceſſit æra. DCCCC. XLIII.

æra. dccc xliij.

De Rege Garſia, qui dictus eſt Tremuloſus. Caput. XXII.

HO mortuo, Garſias filius eius regnauit pro eo, qui dictus eſt tremuloſus, eo quod quando rumores periculi audiebat, vel debebat in prælio experiri, a principio totus tremulabat, ſed poſtea conſtantiſſimus perſiſtebat. Hic bonus, pius, & largus, ſtrenuus, & benignus, & quicquid habere poterat militibus erogabat, & quia imitator patris interdum ſe peditum phalangibus immiſcebat, peditans aggregatim, & etiam calceamētis ſimilibus vtebatur: Vnde dictus fuit Garſias Abarca. Regnauit autem annis. XXV. & mortuus fuit æra. DCCCC. LXVIII.

æra. dccc lxviij.

De Rege Sancio, & generationibus Regum Nauarræ. Caput. XXIII.

POST mortem eius filius eius Sancius dictus maior ſucceſſit in regimine Nauarrorum, & duxit vxorem filiam Comitis Sancij de Caſtella, quæ Maior, vel Geloira ſecundum alios, dicebatur, & ſuſcepit ex ea duos filios, Garſiam, & Fernandum, & Rex Garſias habuit duos filios Regem Sancium, quem ſibi ordinauerat ſucceſſorem, ſed fuit occiſus in Pœna leni, & alium, qui Sancius ſimiliter

Pena lenis

eſt vocatus, apud Rhodam fuit proditionaliter interfectus. Hic habuit filium

Rhodam

Ranimirum Infantem, qui Ranimirus duxit vxorem filiam Roderici Didaci, cum Valentiæ morabatur, & ſuſcepit ex ea filium Garſiam Ranimiri, qui primus regnauit in Nauarra, ex quo Fernandus filius Sancij Maioris ſedē regni a Nauarra tranſtulit in Caſtellam, & tunc temporis Nauarri inter regnum Caſtellæ, & Aragoniæ, quaſi acephali fluctuabant. Vnde cum poſt mortem Petri, & Aldefonſi Regum Aragoniæ, qui ſine filijs deceſſerunt, regnum Nauarræ diuerſis ſtudijs traheretur, Nauarri Garſiam Ranimiri, de quo diximus, miſſis duobus Baronibus, Guiller-

Oteica. Montio.

mo Acenarij de Oteica, & Fortunio Enechonis de leet, clanculo a Montionis curia euocarunt, & eum ſibi & Principem elegerunt, & per eum fuit regnum Nauarræ ſatis tenue reparatum. Hic duxit vxorem Magelinam filiam Rotronis Co-

Perticarū C.

mitis Perticarum, ex qua ſuſcepit filium nomine Sancium, qui fuit prudens, magnanimus, & ſtrenuus in agendis, habuit etiam duas filias Rex Garſias, Blancam, quæ nupſit Sancio Regi Caſtellæ, & habuit filium nomine Aldefonſum, de quo inferius proſequemur, habuit & aliam filiam nomine Margaritam, quæ nupſit Guillermo Regi Siciliæ, ex qua ſuſcepit Regem Guillermum, qui ſemper diuitijs, & delicijs abundabat. Hic duxit vxorem Ionnam filiam Enrici Regis Anglorum,

nec tamen habuit ex ea prolem. Sed eo mortuo vxor ſua Regina Ioanna nupſit
Raimundo comiti de Toloſa,ex quo ſuſcepit filium nomine Raimundum,qui Tolo Toloſa.c.
ſę adhuc hodie principatur. Mortua Margelina,Rex Garſias duxit vxorem Vr-
racam filiam Imperatoris,quam habuit ex Gontroida ſorore Didaci Abrregonis,ex
qua ſuſcepit tertiam filiam. Et mortuo Rege Garſia, Vrraca Regina nupſit Aluaro
Roderici,& me ſua tempora inuenerunt. Et ex iſta habuit Rex Garſias tertiam fi
liam nomine Santiam,quę data fuit Gaſconi vicecomiti Bearnenſi,& eo mortuo ſine Bearnēſis
prole,nupſit Petro comiti Molinēſi,& ſuſcepit ex ea filium nomine Aimericum, qui Molinēſis
fuit vicecomes Narbonenſis,eo quod comes Petrus fuit filius Ormiſindæ,ad quam Narbonenſis.
Narbona ſucceſſione prouenit. Sancius autem Rex Nauarræ duxit vxorem
nomine Beatiam filiam Imperatoris,ex qua genuit duos filios. Sancium, qui ſucceſſit
in regno,qui dicebatur agnomine Inſeratus,eo quod, in caſtro Tudeliæ reſidens ſe Tudelia.
ab omnibus præterquam a paucis domeſticis occultabat,habuit & alium filium Fer-
dinandum,qui erat merito probitatis in oculis omnium gratioſus ſed caſu miſerabi-
li equi præcipicio quaſſatus apud Tudeliam vitam finiuit. Habuit & tres filias, Be
rengariam,quæ Ricardi Regis Angliæ fuit vxor. Quo mortuo ſine prole,in uidui Anglia.
tate laudabili diu vixit,& in ciuitate Cenomānis ex donatione propter nuptias, quā Cenomani.
habebat,frequentius morabatur. Eleemoſinis,& orationibus,& pijs operibus inten
dendo caſtitatis,& religionis exemplo prouocans ſtudia fœminarum,& in eadem ci-
uitate vitæ curſu,fœlici exitu conſummauit. Secunda filia Regis Nauarræ fuit
Conſtantia,quæ fuit mortua nondum nupta. Tertia filia fuit Blanca,quæ nupſit co-
miti Campaniæ Theobaldo, & ſuſcepit ex eo filium poſthumum Theobaldum, hic
duxit vxorē de Lothoringia filiam Metenſis comitis, ſed ab ea poſtmodum fuit iudi- Lotorigia
cio eccleſiæ ſeparatus. Poſtea duxit filiam nobilis baronis Guiſcardi de bello ioco, & Metēſis.c.
Sibiliæ filiæ Philippi comitis Flandriæ,& Hanoni,ex iſta ſuſcepit filiā nomine Blan Flandria. Hanonia.
cam,quæ eſt vxor nobilis Ioannis ducis Britanniæ. Poſtea duxit vxorem tertiā no- Britannia
mine Margaritam filiam nobilis principis Archenbaudi, ex qua ſuſcepit duos filios
Thebaldum, & Petrum, & filiam Alienor, quorum infantiam Dominus alat, pro-
uehat,& exaltet. Hic Theobaldus fidei zelo ſuccenſus aſſumpta ſecum maxima mul
titudine militum,principum,& baronum iuit in ſubſidium terræ ſanctæ,& loca plu-
rima acquiſiuit,quæ Chriſtianæ reſtituit poteſtati,ibiqꝫ omnibus militibus indigen-
tibus etiam ijs,qui in expenſis eius non iuerant, vſqꝫ ad reditum in ſumptibus ſatisfe-
cit,pleroſqꝫ milites,quos Agarenorum verſutia captiuauerat,pactis,& pecunijs libe-
rauit, & reuerſus in Campaniam comitatum, & regnum laudabiliter gubernauit,
omnibus manſuetus,iuſtus, pacificus,& modeſtus, qui nunc Nauarræ, & Campa-
niæ principatur, & Dominus dirigat vias eius.

De infante Garſia,qui fuit occiſus in Legione.
Caput. XXIIII.

NVNC ad hiſtoriam Regis Sancij, qui dictus eſt maior,a qua di-
uertimus, reuertamur. Mortuo comite Sancio ſucceſſit in comita
tu filius eius Garſias,cui magnates Caſtellę vxorem procurati ſunt
Regis Veremundi ſororem, quæ Sancia dicebatur. Cumqꝫ in-
fans Garſias cum ſuo exercitu, & Rege Sancio Nauarrorum vſqꝫ
ad ſanctum Facundum facturus nuptias perueniſſet,ibidem dimiſ

ſo exercittu cum paucis clanculo iuit Legionem, vt poſſet ſponſam conſpectu mutuo
intueri. Erant autem tunc temporis Legione filij Vegilę Comitis, Rodericus Vegi-
lę, Didacus Vegilę, & Enechus Vegilę, qui ob patris odium proditionis anheli in fi-
lium congeſſerant factionem, & ei obuiam occurrentes, manus oſculo, pro vt exigit
Hominiũ mos hiſpanus, ſe eius dominio ſubiecerunt, quorum Hominio iam ſecurus, & para-
nymphis dulci alloquio perſuaſis, permiſſus eſt infans optatis ſolacijs delectari. Cũqꝫ
ſe mutuo conſpexiſſent, ita fuit vterqꝫ amore alteri colligatus, vt vix poſſent a mutuis
aſpectibus ſeparari. Tunc quidam milites de regno Legionis cum prædictis filijs
Vegilæ ad Sarracenos transfugæ, eo quod a comite Sancio indignanter receſſerant a
Caſtella proditione tracta, infantem Garſiam annorum terdecim occiderunt, Rode-
rico Vegilæ ea manu, qua eum de ſacro fonte leuauerat, gladio feriente, & proditionem
huiuſmodi ſponſa ſua Sancia, quæ vtcumqꝫ perceperat, reuelarat, ſed magnates, qui ſe-
cum aderant, cum eſſent nobiles, & fideles tantum facinus credere noluerunt. Vnde
& peracto facinore Caſtellani, & Legionenſes inteſtinæ plagæ vulnere corruerunt.
Sponſa vero ſponſi dulcedine vix guſtata, ante vidua, quam traducta, fletu lugubri
ſemiuiua lachrymas cum occiſi ſanguine admiſcebat, ſe occiſam ingeminãs cum occi-
ſo. Qui cum in eccleſia ſancti Ioannis cum patre ſponſæ ſepeliretur, & ipſa cum ſe-
pulto voluit ſepeliri. Aliqui autem de proditoribus ad montium ardua confuge-
runt. Sancius autem dictus maior, qui ſororem infantis Garſiæ maiorem duxerat
in vxorem, ſtatim Caſtellę ingreſſus eſt Comitatum, ad quem erat ratione vxoris ſuc-
Cãtabria. ceſſio deuoluta, ad quem etiam Ducatus Cãtabrię pertinebat, eo quod pater eius Rex
Garſias fuerat filius Sancij, qui regno Nauarræ Cantabriæ addiderat principatum.
& regnum Nauarrę, & comitatum Caſtellæ, & ducatum Cantabriæ bellis indeſinen-
tibus mirabiliter ampliarat, cuius ſedes fuit Anagarum ab antiquo. Sub iſto Comes
Anagarũ. Didacus Porcelli populauit Burgis, quam quia ex Burgellis plurimis adunerat, Bur-
Burgelli. Burgis gis ſtatuit nominari. æra nongenteſima vigeſima ſecunda, & iter ſancti Iacobi, quod
conditur. propter inſultus Arabum per Alauam, & Aſturiarum deuia frequentabant, ab Ana-
æra.dcccc xxij. garo per Birueſcam, & Amaiam immutauit, & per confinia Carrionis donec ad Le-
Anagarũ. gionem, & Aſtoricam veniatur.

Birueſca. Amaia. Carrio.

De diuiſione regni, & infamatione Reginæ.

Caput. XXV.

CVMQVE Arabes victorijs attriuiſſet, ſatis ſecure degebat, ha-
bebat autem equum, quem tenerrime diligebat, eo quod celeri fortitu-
dine equis omnibus præminebat, erat enim ſtrenuus, domitus, &
probatus, & in eo tanquam in vitæ ſubſidio confidebat, quem dimi-
Anagarũ. ſit Anagari vxoris fidei commendatum. Tanta erat tunc tem-
poris infeſtatio Arabum, quod milites, Comites, & etiam Reges in
domibus vbi vxorem Talami ornabatur, equis ſtatio parabatur, vt quacunqꝫ hora
clamor inuadentium inſonaret, ad equos, & arma poſſent ſine dilatione aliqua feſtina-
re. Filius autẽ eius Garſias, qui erat primogenitus, commendatũ equũ a matre petijt
ſibi dari. Et cum illa annuiſſet precibus inclinata, miles quidam Reginæ ſeruitio de-
putatus, eam a propoſito reuocauit, ne forte contra eam Regis indignatio incanderet.
Sed & ipſa acceptans conſilium, quod promiſerat, denegauit. Indignatus autem
filius vehementer ſuaſit fratri, vt matrem ſuam apud patrem de familiari commertio

cum milite, qui de equo diſſuaſerat, accuſarent. Sed Fernandus nolens eſſe matris delator dixit fratri, non accuſabo, ſed quæ dixeris, tolerabo. Garſias autem cuius furor maledictus, quia pertinax, & indignatio quia dura, matris infamiam coram patre propoſuit impudenter, & fratris teſtimonium innouauit. Et Rex credulus filiorum vxorem ſuam in caſtro Anagari obſeruauit, & ſuper hoc curia congregata decretum eſt Reginam condemnandam duelli certamine, aut ſaluādam. Sed cum nullus adeſſet, qui contra Regis filios vellet in certamine pro Regina experiri, Ranimirus aduenit homo pulcherrimus, & in armis ſtrenuus, & Regis Sancij filius, non ex illa, quam alij ortus matre. Ipſe ſe obtulit duelli periculo pro Regina. Cumq; negotium in magno diſcrimine tractaretur, acceſſit monachus ſanctitate præcipuus ex monaſterio Anagarenſi, qui dixit Regi. Si Regina falſo ſuſurro accuſatur, velletis eam a crimine liberare, & delatoribus indulgere? Qui reſpondit. Si poſſet cum iuſticia liberari, nihil poſſet mihi gratius obuenire, filij autem confeſſi fuerant ſancto viro, ſe in matrem ſuam falſo infamiam congeſſiſſe. Vir autem ſanctus timens ne in tanto periculo Regina innocens damnaretur, Regi qui perceperat, reuelauit: & ſaluatus eſt Reginæ ſanguis innoxius illa die. Rex autem de abſolutione Reginæ iucundius eam rogauit, vt filijs impietatis facinus indulgeret. Tunc Regina annuit ea lege, vt Garſias in Regno Caſtellæ, quod ei ex parte patris prouenerat, non regnaret. Quod & ita fuit. Nam cum regnum filijs diuidere decreuiſſet, ne occaſio diſcordiæ viam daret Arabibus præualendi, ordinatione patris Garſiæ primogenito regnum Nauarræ, & Ducatus Cantabriæ prouenerunt, Fernando vero Caſtellæ tradidit principatum. Regina itaque honori priſtino reſtituta, & etiam ampliori, Aragoniam, quæ eius erat ex donatione propter nuptias, dedit Ranimiro priuigno, qui propter eam ſe obtulerat ad duellum, idipſum Rege Sancio confirmante.

LIBER SEXTVS RERVM HISPANARVM CHRONICON.

Caput Primum.

SED quia Ranimirus principium fuit Regum, qui in Aragonia regnauerunt, a genealogia fratrum ſuorum aliquantulum diuertentes ſucceſſionē Regum Aragonum, qui multis victorijs claruerūt, ſtilo cōtinuo vſq; ad hæc tempora proſequemur. Fuit itaq; Ranimirus filius Regis Sancij, q dictus eſt maior, quē ſuſcepit ex quadam nobiliſſima domina de caſtro Aiuarum, qui patre mortuo cum eſſet ſtrenuus primus *Caſtrum Aiuarū.* in Aragonia Regem ſtatuit ſe vocari, & hic fuit in Aragonia Regum primus. Hic genuit filium, quem a patris nomine Sancium nominauit.

Hic Sancius obſedit Oſcam, & ſagītta percuſſus ſenſit ſe lœtaliter vulneratum, & *Oſca.* adiurauit filios ſuos Petrū, & Aldefonſum, quod nunq; ab obſidione recederēt, donec ciuitas caperetur, & ipſo vitam ex vulnere finiente, corpus eius inhumatum tandiu ſeruauerunt, donec ciuitas fuit capta. Cumq; ad ſoluendam obſidionem multitudo Arabum aduenitſſet, Petrus, qui inter filios maior erat, & ibidem mortuo patre in Re-

gem fuerāt eleuatus, ſ monaſterio ſancti Victoriani martyris fecit afferri corpus, & eius orationibus ſe commẽdans cum Arabibus concertauit, & martyris oraculo confortatus pugnæ inſtituit, adeo quod & fugauit Arabes, & de eorum ſpolijs exercitui inopia laboranti copiam miniſtrauit, & interpoſitis paucis diebus, ſic ciuitatem ſtrenue impugnauit, vt & ciuitatẽ ſibi redderent, & ſe eius dominio mãciparent. Hic eſt Petrus, qui in bello poſtmodũ a Roderico Didaci fuit captus, ſed hoſtis clemẽtia continuo liberatus. Hic habuit duos fratres Aldefonſum, cuius facta poſtea proſeq̃mur, & Ranimirũ, q in monaſterio ſancti Pontij de Thomaris fuit monach⁹, & ſacerdos.

Oſca capitur. — Tomaris

De diſſenſione Aragonenſium, & de regno monachi Ranimiri. Caput. II.

VERVM interpoſitis multis annis, alijs duobus fratribus decedentib⁹ ſine prole, fuit inter Aragonẽſes diſſenſio ſubſecuta, quia cũ Ranimirus, vt diximus, eſſet monach⁹, & ſacerdos, nõ poſſet bella, neq; iuſticiam more regio exercere, nec poſſet vxor legitime ſibi dari.

Vnde & quendã nobilẽ qui dicebatur Petrus Tharaſiæ, volebant Regi mortuo ſubrogare, & quia ille min⁹ ꝓuide ſe gerebat, cœpit de futuro nomine ſe inſolere, & ſpei, nõ rei dominio ſuperbire, & nobiles dedignari. Vnde duo magnates ſilicet, Petrus Titionis de Catherecta, & Peregrinus de caſtello Acioli cum eſſent nobiles, & potentes, & vellent fidelitatem naturali domino cuſtodire, plurimorum animos a primo propoſito reuocarunt, & vt Ranimirum monachum a monaſterio euocarẽt, vigilanti ſtudio procurarunt. Dum enim quadam die apud Boriam Aragonenſium curia prouenisſſet, vt prædictum Petrum ad regni faſtigium ſubleuarent, & ex Nauarra aliqui ex magnatibus aduenisſent, & eos Aragonenſes minus curialiter recepiſſent, Petrus Titionis eis occurrens recepit liberaliter, & iucunde, & ſciens Petrum Tharaſiæ balneis detineri, prædictos magnates duxit ad eum, ſed fuit eis a ianitoribus aditus denegatus. Et indignantes ilico abierunt, & peracto prandio cum Petro Titionis mutato propoſito receſſerunt. In eadem autem curia procurantibus dictis magnatibus, fuit promotio Petri Tharaſiæ impedita, & res dilatata vſque ad curiã Montionis. Cumq; in Montione iterum conueniſſent, potiorũ conſiliũ hoc firmauit, vt Ranimirũ monachũ fratri mortuo ſubrogarent, & eductum de monaſterio apud Oſcam in regni ſolio collocarunt, & ſororem Comitis Pictauienſis in vxorem ei poſt modicum temporis aſciuerunt. Hic fuit in prælijs fortunatus, & ſuis benignus, propicius, liberalis adeo, quod fere omnes villas, & caſtra regalia militibus eſt largitus. Suſcepit autem filiam nomine Petronam, quæ poſtea dicta fuit Vrraca, quæ Raimundo Barcinonenſi Comiti fuit nupta, & cum eſſet nubilis, ſtatim Rex monachus fuit ſuo monaſterio reſtitutus, qui tamen dum in regno exiſteret, monaſterium ſuum eccleſijs, & poſſeſſionibus multis ditauit, quæ adhuc hodie poſſidet in Aragonia, & Nauarra.

Boria. — Pictauiẽ.

De vnione regni, & comitatus Barcinone, & filijs Comitis, & Reginæ. Caput. III.

EIVS itaque filia Vrraca coniuncta Comiti Barcinonę, fuit regni, & Comitatus vna deinceps ſucceſſio ſubſecuta, & ſuſcepit idẽ. Comes ex Vrraca Regina duos filios, & vnã filiã, Aldefonſũ, ſcilicet, & Sanciũ, & Dulciam, quę nupſit Regi Sancio Portugalenſi, cuius generationẽ infe-

rius deſcribemus, Sancius duxit vxorem Sanciam filiam Nunij Comitis ex Caſtel-
la, ex qua ſuſcepit filiū Nuniū, qui fuit mortuus ſine prole. Aldefonſus autē primo-
genitus patri, & matri ſuccedēs ſceptra regni, & comitatꝰ. Hic fuit ſtrenuus, & libera
litatis ſatis amator, & in partibus Prouinciæ multa geſſit. Comitatus enim Prouin
ciæ ſuus erat. Hic populauit Turolum, & alia plura caſtra, & duxit vxorem San Turolum
ciam nomine, quam Imperator Hiſpaniarum ſuſceperat ex Richa Imperatrice, quæ
fuit filia Ducis Poloni, ex qua ſuſcepit tres filios, ſcilicet Petrum, Aldefonſum, & Fer
nandum, & tres filias, Conſtantiam, Alienor, Sanciam. Aldefonſo dedit comitatum
Prouinciæ. Hic fuit bonus, ſtrenuus, atq; largus, & duxit vxorem neptem Comitis
Folcalquerij, ex qua ſuſcepit filium, qui nunc Prouincię principatur, & eſt ſtrenuus,
atq; prudens, qui ciuitates multas, & caſtra a comitatu deperditas acquiſiuit. Hic du
xit vxorem Beatricem filiā Comitis Maurienem, ex qua ſuſcepit quatuor filias, qua-
rum vna nupſit Regi Francorum domino Ludouico. Aliam duxit dominus An-
gliæ Rex Enricus. Conſtantia filia Regis Regi Vngariæ fuit nupta, & viro mor-
tuo ſine prole in Aragoniam eſt reuerſa, quā Rex Petrus frater eius dedit in vxorem
Regi Siciliç Federico, qui fuit poſtea Imperator. Cumq; Aldefonſus Comes Prouin
ciæ frater eius cum ſorore Regina in Sicilia nauigaſſet, ipſa iūcta matrimonialiter Fe
derico Aldefonſus Comes vitam finiuit cum multis alijs nobilibus, qui cum eis ex
Aragonia, et Catalonia nauigarant, Federicus autem ſuſcepit ex Cōſtantia filium En-
ricum, qui adultus duxit vxorem filiam Ducis Auſtriæ. Sed quia contra patrem
intentauerat rebellare, pater eum tandiu tenuit captiuatum, donec in Apulia diem vl-
timum conſummauit.

De Petro Rege Aragoniæ, & eius morte.
Caput. IIII.

PETRVS autem, qui erat primogenitus Aldefonſo patri ſucceſ-
ſit in regno. Hic fuit ſtrenuus curialis, & largus, & vndecumque pe
cunias habere poterat, liberaliter erogabat adeo, quod interdum ca-
ſtra, & municipia creditoribus obligabat, ne manus ſolita ſemper
dare, inueniretur a largitionibus aliena. Hic ſemper fuit Regi Ca-
ſtellæ Aldephonſo nobili fidei amicitia fœderatus, & cum eo in fa-
moſiſſimo bello Vbetæ fuit victor, vt inferius latius diſſeremus. Hic cepit caſtel- Vbeta.
lum Albdelmuz, & alia caſtra, quæ a Sarracenorum inſtantia liberauit. Hic Albdel-
duxit vxorem Mariam filiam principis nobilis Guillermi montis Peſulani, quam ha muz.
buerat ex filia Imperatoris Conſtantipolitani, & ſuſcepit ex ea filiū nomine Iacobum.

Hic Rex Petrus ſub Innocentio Papa tertio Romam adiens, ab eodem Papa fuit
in eccleſia ſancti Pancratij diademate coronatus. Demum cum venerabilis Arnal-
dus Narbonenſis Antiſtes contra hęreticos, qui prouincia Narbonenſi nomen Do-
mini blaſphemabāt, de Gallijs crucis ſignatorū multitudinē aduocaſſet, aduenit Petrus
Rex Aragonū in auxiliū Comitis Toloſani. Nam ipſe Raimundus Comes Tolo
ſę Alienor ſororē Petri Regis Aragonenſis duxerat in vxorem. Raimundus etiā eius
filius patri ęquiuocus ſorori Regis nomine Sanciæ erat matrimonio copulatus, & ex
iſta Sancia genuit filiā, quę nupſit Aldefonſo filio Ludouici Regis Francorū Comiti
Pictauienſi. Rex itaq; Petrus cū paucis Aragonenſibus, & pluribus Catalanis, &
prędicto Comite, & etiā cum Fuxenſi, & alijs magnatibus Galliç Gothicę, iuxta ca-

Murelum ſtrum,quod Murelum dicitur,cũ Gallicis cõmiſerunt,& ſicut Domino placuit Rex
Fuxenſis. cum Aragonenſibus in prælio ceciderũt,quia ipſi ſoli viriliter perſtiterũt, Fuxenſi, &
Toloſano Comitibus terga; præbentibus cum aliquibus Catalanis. Nec Rex Petrus,
cum eſſet plene catholicus,in fauorẽ venerat blaſphemorũ, ſed, vt diximus, affinitatis
Sexena. debito. Mortu⁹ autẽ ſepultus eſt in Sexena,quã mater ſua Regina Sancia cõſtruxerat
hoſpitali,& inſtituerat ibi collegium dominarũ. Occubuerunt autem cum eo in bel
lo de magnatibus Aragonis,Aznarius Pardi, & Petrus Pardi filius eius, & Gome-
tius de Luna,et Michael de Luſia, & multi alij de potioribus Aragonis. Hoc præ-
lium fuit æra milleſima ducenteſima quinquageſima ſecunda.

æra.M.cc.lij.

De Rege Iacobo,& filijs eius,& magnalibus eiuſdem.
Caput. V.

MORTVO Rege Petro filius eius Iacobus adhuc paruulus fue-
rat a patre Simonis Comitis montis fortis cuſtodiæ deputatus, &
eius filiæ deſpõſatus. Sed quia in bello Murelli idem Simon Regi
Petro dederat cauſam mortis, ſedes Apoſtolica ſic prouidit,vt infans
ſuis naturalibus redderetur,& per Petrũ Beneuentanũ ſanctæ Ma
riæ in Acquiro Diaconũ Cardinalẽ fuit Rex Iacobus ſuis fidelibus
reſtitutus. Hæc omnia venerabili Hiſpano Socobienſi Epiſcopo ſollicite procurãte,
& in proprijs ſumptib⁹ perſonaliter laborante. Cũq; iam ad annos adoleſcẽtiæ perue
niſſet,Alienor filiã Aldefonſi Regis nobilis ex Caſtella,quã pater dimiſerat domicel-
lam,duxit vxorẽ,& genuit ex ea filiũ,qui dicitur Aldefonſus,ſed poſtea per venerabi
lem Ioannẽ apoſtolicæ Sedis Epiſcopũ Cardinalẽ,fuerũt iudicio eccleſiæ ſeperati. Eo
quod ſibi cõſanguinitatis linea attingebat,filio tamẽ per eundẽ legatũ legitimato. Rex
vero Iacobus æmulatione magna contendens parentum magnalia ſuperare,cœpit ter
Burriana. ras Arabum infeſtare,& cepit oppidum, quod dicitur Burriana, multis alijs caſtris,
& villis Arabum occupatis. Poſtea vero magno nauigio congregato ex omni littore
regni ſui Baleares inſulas eſt aggreſſus, & Maioricam caput regni ciuitatem nobi-
lem, maximam, & potentem impugnatione diutina fatigatam Rege, & incolis pene
cæſis, ſuo dominio ſubiugauit,licet de ſuis multi ceciderũt bellis varijs intercepti. Ob
tentis etiam Eniza,& Minorica relictis defenſoribus, in Aragoniam cisfretauit. Nec
vnius regni acquiſitione contentus regnum Valentiæ, quod multis munitionibus
præminebat, adijt confidenter, & longis concertationibus ciuitas infeſtata inuicto
Regi ſe victam tradidit. Et ſubiectam, nec ſe credens Rex inuictus aliquid peregiſſe,
dum agendum aliquid remanebat, & inuadens cæteras vrbes regni tamdiu incurſi-
bus,& cædibus regni incolas coarctauit,donec vrbes,caſtra, & fere omnia municipia
regni Valentiæ Regi inclyto reddiderunt, vt iam tranquillitate ſuis regnis vndique
procurata,& omnib⁹ aduerſarijs iam obtentis, non habeat,quibus moueat ex ſeguer
ram. Hic, vt diximus,a prima vxore per eccleſiam ſeparatus duxit aliam nomine Iole
ſam filiam Andreæ Regis Vngariæ, & Ioleſæ Reginæ, quæ fuit filia Petri Impera-
toris,& Ioleſæ Imperatricis Conſtantinopolitanẽſis, qui erant de genere Regũ Fran
corum, & ex hac vxore ſuſcepit filiam nomine Ioleſam, quam dedit vxorem domi-
no Aldefonſo primogenito Regis Fernandi, qui Caſtellæ, Toleto, Legioni, Galle-
ciæ, Cordubæ,Luſitaniæ, & Murtiæ principatur. Suſcepit autem ex eadem alios
filios paruulos,quibus Dominus benedicat,& deinceps dirigat vias eius.

De matri-

De Matrimonio Regis Fernandi cum ſorore Veremundi, & de morte Sancij Regis.
Caput. VI.

NVNC ad Regis Sancij, & filiorum eius hiſtoriam reuertamur.
Itaq; Rex Sancius dictus Maior patriæ finibus dilatatis, & pace
inter filios ordinata, contra Veremundum Regem Legionis arma
commouit, & de regno eius loca plurima acquiſiuit. Hic Sancius
dum quadā die ſe in venationis ſtudio recrearet, aprum ſecutus, con-
tigit in ciuitate olim nobili tunc deſerta, quæ Palentia dicebatur, cry- Palentia.
ptam in forma eccleſiæ inuenire, & altare in honore ſancti Antonini martyris adhuc
extans, ad quam cum aper fugiens aduenißet, & Rex vibrato venabulo feram in cry-
pta occidere voluißet diuino percuſſus miraculo, quod propoſuit, non potuit adim-
plere. Obriguit enim brachium eius dextrum, & ſic aper illæſus euaſit. Rex au-
tem conuerſus ad preces beati martyris Antonini ſuffragium implorauit, & ilico de-
ſtitutus iuſſit ciuitatem diruptam reparari, & ſuper cryptam eccleſiam ædificari, &
procurauit ibidem Epiſcopum conſecrari, & totam ciuitatem cum omnibus termi-
nis, & pleno dominio Epiſcopo, & eccleſiæ donatione obtulit liberali, villas, & poſ-
ſeſſiones alias ſuperaddens, quibus adhuc hodie gaudet eccleſia Palentina. Magnates
autem detrimentum patriæ attendentes Regem Veremundum ſuaſione, & cōſilio in-
duxerunt, vt ſororem ſuam Sanciam valde pulchram virginem daret Fernando filio
Regis Sancij in vxorem, qui & conſenſit, & a partibus veniens Galleciæ, regales nu-
ptias in magnis copijs, & muneribus celebrauit. Tunc Rex Sancius dictus Maior
quicquid acceperat vltra Piſoricam Fernando filio ſuo dedit Sanciæ nurui cum be-
neplacito Veremundi. Poſt hæc Garſias, qui Nauarris Rex fuerat aſſignatus, cauſa
voti beatorum apoſtolorum Petri, & Pauli limina viſitauit, & eo peregre ſic agente,
Rex Sancius pater eius plenus dierum vitæ terminum conſummauit, cum regnaſ-
ſet annis triginta quinq;. Obijt autem æra. M. L. III. quem ſuus filius Rex Fer- æra. M. L. iij.
nandus regalibus exequijs celebratis in Ouetenſi monaſterio ſepeliuit.

De victoria Regis Garſiæ contra Regem Ranimirum.
Caput. VII.

INTEREA Ranimirus, cui pater in Aragonia partem dederat,
conſœderatus Regibus Cæſarauguſtæ, Tudeliæ, atq; Oſcæ contra Cæſarau-guſta.
fratrem ſuum Regem Garſiam indebite conſpirauit. Qui cum per
acto voto Roma redijſſet, inuenit Ranimirum fratrem ſuum iam Tudelia.
Regis nomine ſuperbire, & ſuper Taſaliam exercitum congregaſ- Taphalia.
ſe. Sed Rex Garſias cum eſſet ſtrenuus, & magnanimus Ranimi-
ro occurrit, & inſultu turbatum fugæ reliquit, adeo enim improuiſus aduenit, quod
Ranimiro, & exercitui ad arma noluit conuolare, immo Ranimirus ſolis pannis li-
neis circumiectus nudis pedibus in equum proſilijt, equum non freno dirigens, ſed
capiſtro. Sicque peracta cæde tam in Reges, qui auxiliatores venerant, quam in
exercitum Ranimiri occupatis tentorijs, & ſupellectilibus vtrorumq; Rex Gar-
ſias victor reſedit, & quicquid Ranimirus a patre habuerat præter & ri-
pam Gurſiam Rex Garſias ſtrenue occupauit.

De morte Regis Veremundi. Caput. VIII.

PORRO eſt orta diſcordia inter Regẽ Fernandum, qui Caſtellę, & Veremundum qui præerat Legioni. Cauſa autem diſcordiæ iſta fuit. Cum Aldefonſus pater Veremundi adhuc puer regnare cœpiſſet, Rex Sanciꝰ a flumine Ceię verſus Caſtellã omnia occupauit. Sed cũ, vt dictũ eſt, Fernandus Regis filius Sancij ſororẽ Regis Veremundi duxerat in vxorẽ, terrã illã, quæ in cõtrouerſia habebatũ, pacifice poſſidebat, eo quod ſibi, & vxori fuerat a Veremũdo libere derelicta tẽpore matrimonij celebrati. Mortuo autẽ Rege Sancio, Veremũdus præteritæ iniuriæ reminiſcens pacta, quæ fecerat, non ſeruauit, & partẽ, quã ſponte ſorori dimiſerat, & ſorori, noluit vendicare, quod percipiẽs Rex Fernãdus aſcito Garſia fratre ſuo Rege Nauarrę contra Regẽ Veremundũ, qui cũ toto potẽtiæ ſuę exercitu veniebat iuxta fluuiũ Carrionis occurrit, ibiq; exercitus cõgredientes adinuicẽ pluribus cędibus ſe læſerũt. Et Rex Veremundus de velocitate, & fortitudine equi pręſumens, & ipſe acer per cuneos militares imperterritus ſe iniecit, vt Regem Fernandum poſſet impetere gladio ſpeciali. Sed Rex Garſias, & Rex Fernandus non minori ferocia pertinaces ex aduerſo viriliter reſiſtebant, & dum Rex Veremundus equi impetu traheretẽ, confoſſus lancea in terrã cecidit expers victorię, ſimul & vitę. Multi etiã de ſuis militibus poſt eius impetum concurrẽtes inibi ceciderunt, & eodẽ momento vita, & dominio caruerunt. Corpus autẽ Regis Veremundi Legionẽ delatũ cum vxore ſua Tharaſia eſt ſepultũ.

Ceia.

Carrio.

De vnione regnorum Caſtellæ, & Legioni, & de filijs Regis Fernandi. Caput. IX.

POST hæc autem æra. M. LIIII. cum regnum Legionis ad Regem Fernandum ratione vxoris ſuæ Sanciæ pertineret, non enim alius hæres ſupererat, cõgregato exercitu Rex Fernandus impetiuit Legionem. Et quamuis propter Veremundi mortem cœpiſſent indigne aliquatulum rebellare, tamen de facili obtinuit ciuitatem, eo quod nondum erat poſt deſtructionẽ Arabum firmiter reparata. Et ingrediens Legionem in Regem ab omnibus eſt receptus, & regali diademate decimo Kalendas Iulij a venerabili Seruando Legionenſi Epiſcopo inſignitus, & regnauit annis. XL. menſibus. VI. & ſic regnorum ſchiſmata quieuerunt. Confirmauit etiam leges Gothicas, & alias addidit, quæ ſpectabant ad regimen populorũ. Hic Rex Fernandus vir bonus, & iuſtus, ac timens Deum, & ſtrenuus in agendis, ex prædicta Sancia Veremundi ſorore genuit Vrracam primogenitam ornatam moribus, & decore, antequam regni faſtigium obtineret. Poſtea genuit Sancium, poſtea Geloiram, poſtea Aldephonſum, poſtea Garſiam, hos filios fecit inſtrui literalibus diſciplinis, adultos vero militaribus ſtudijs aſſuetos, incurſiones, & prælia indidit frequentare, filias autẽ in deuotione erudiri præcepit, & ſtudijs fœminarum.

æra. M. L.iiij.
Legio.

De diſcordia fratrum, & morte Regis Garſiæ. Caput. X.

SVCCEDENTIBVS autẽ proſperis Fernando, frater eius Garſias Rex Nauarrorũ cum eſſet magnanimus, & ſuperioris impatiens de fratris ſucceſſibus torquebatur. Cumq; eum contigiſſet apud Anagarum ęgrotare, & Rex Fernandus veniſſet ad eum gratia viſitandi, inique

Anagarũ.

cogitans Rex Garſias eum propoſuit retinere. Sed cum conſiliũ pàtuiſſet, Rex Fer-
nadus Dei gratia liberatus exiuit oppidũ, & ad propria remeauit. Paucis autẽ dieb⁹
interpoſitis Regem Fernandũ accidit infirmari. Cumq; ad viſitandũ Rex Garſias
modo ſimili aduenisſet, vt ſcelus præteritũ expiaret, quod in innoxium cogitauit, ipſe
noxius eſt perpeſſus. Et captus a Rege Fernando cuſtodiendũ Ceiæ deputatur, ſed Ceia.
paucis diebus elapſis promisſione ſuaſis cuſtodibus, ſoluitur, & ſuæ patrię reſtitutus
cœpit vindictã totis viribus procurare, & cõgregato exercitu tam ſuorũ, quam Ru-
chonũ, Vaſconũ, & Maurorũ ad fratris iniuriã properauit. Cũq; poſt tranſitũ mon-
tis Aucę cõſediſſet, in loco, qui dicitur Ataporca, Rex Fernandus veniẽs ex aduerſo,
per legatos pacem humiliter poſtulauit, vt contenti ſuis pace perpetua lætarentur. Auce mons.
Quod Rex Garſias renuẽs nuncios cõminando grauia inhonoros ad ſe miſit. Cum-
que iam belli periculũ immineret, magnates, & milites regni ſui ad ipſum communi-
ter acceſſerunt humiliter ſupplicantes, vt eis, & ablata reſtitueret, & leges patrias con
firmaret. Cum enim præcelleret ſtrenuitate corporis, & virium magnitudine ſuper
omnes, adeo vt omnibus præmineret, crudeli ſuperbia graſſabatur, & poſſeſſiones
militum infiſcabat, & iura patrià immutabat. Ipſe autem ſolis viribus autumans
præualere, petitiones militum refutauit, ne uideretur annuere ex timore. Tunc duo
milites, quorum bona proſcripſerat, naturale debitum abnegantes ſe in aduerſarium
trãſtulerunt, ad hoc Nutritius eius, qui eũ ab infantia nutrierat, vir prudẽs, & bonus:
ſtrenuus, & fidelis, ſinceris lachrymis cõſulebat, vt & petitis annueret, & ſibi ſuorum
animos complanaret. Rex vero animo induratus, neutris ſatisfecit. Tunc ille Nu-
tritius inquit: Intelligo quod hodie victus, & inglorius morieris, ſed ego præmo-
riar, ne te videam morientem, quem tanto ſtudio enutriui. Cumq; ſe exercitus cir-
cumſpicerent, & ad certamen vndiq; propperarent, ille Nutritius depoſitis clypeo, & Nutricij fides.
galea, & lorica, pannis duntaxat vſualibus circumtectus, ſola lancea, & gladio comi-
tatus, morti in prima acie ſe obiecit, ne alumni, & gentis excidij eſſet teſtis. Cũq; mu-
tuis cædibus hinc inde exercitus ſe impeterent, cœpit præualere exercitus Caſtella-
nus, eo quod numero, & potentia excedebat, & Rex Garſias ſuorum animos non ha-
bebat. Tunc quidam milites, qui fuerant ex familia Veremundi, & noctu collem, qui
Nauarrorũ exercitui imminebat, clanculo occuparant, Regis Garciæ acies cum duo
bus militibus, qui ab eo receſſerant, impetu irrumpentes, ad Regis aciem peruene-
runt, & alter militum, qui ab eo receſſerat, dicitur eum lancea perfodiſſe, ex quo ictu
in terram cecidit Rex Garſias, & duo magnates, qui cum eo aderant inibi ceciderunt.

Cumq; Rex Fernandus fratre occiſo, & fugato exercitu de victoria lætaretur,
pietatis non immemor præcepit ſuis ne fugientes læderent Chriſtianos, tamen Sar-
raceni, qui aderant, pro maiori parte captiuitate, & gladio perierunt. Tunc Rex
Fernandus præcepit corpus Regis Garſiæ honorifice Anagarum deportari, & in
monaſterio ſanctæ Mariæ, quod ipſe conſtruxerat, & donarijs plurimis adornaue
rat, ſepeliri.

De Monarchia Regis Fernandi, & de acquiſitione Portugalliæ,
& diuiſione Regnorum. Caput. XI.

IGITVR Rex Fernandus non minus de Dei gratia, quã de victoria
glorioſus, regnum fratris obtinuit ſine mora factus Monarchus Hiſpa-
niæ vlterioris, ſcilicet Galleciæ, Aſturiarum, Legionis, & Caſtellæ,
Anagari, & Iberi. Terra autem Nauarræ inter Iberum, & Pyrenæum Anagarũ.

Pennaleni. remanſit Sancio filio Regis Garſiæ, qui fuit occiſus in Pennaleni, & Aragonia cum
Ripagurtia. Ripagurtia Ranimiro. Cumq; in tranquillitate ſecura gauderet, congregato exerci-
tu proceſſit, vt Portugaliam, & Luſitaniam occuparet, quas tunc temporis Arabes de
Sena. tinebant, & primo ingreſſu cęſis pluribus cepit Senam eo pacto, vt incolę remanerēt,
Viſeum. & eſſent ſubditi ſub tributo, inde Viſeum veniens obſedit eam. Sed quia ciuitas mul-
tis ſagittarijs abundabat, Rex exploratis ingreſſibus ciuitatis pręcepit vrbis ianuas ab
armatis, & fortibus obſeruari, & propter ſagittarum inſtantiam præcepit aſſeres cly-
peis ſuperponi, ne impugnantes a ſagittarijs lęderentur, & duplex lignum ſagittarum
impetus hebetaret. Cumq; ciuitatē fortiter, & continue, impugnaret Viſeorum, coa-
ctam obtinuit, & habitatoribus captiuatis, & interfectis, diripientibus dedit manus, re-
pertuſq; fuit ille ſagittarius, qui in alia obſidione ſocerum ſuū interfecerat Aldephon-
ſum eumq; captum fecit Rex oculis, & manibus, & pede altero mutilari. Indeq; pro
Lamecū. cedens peruenit Lamecum, & quamuis ciuitas loci difficultate inexpugnabilis videre
tur, tamen caſtris ligneis, & diuerſis machinis coarctata in continenti capit incolis, &
opibus occupatis, & partem habitantium interfecit, partem ad reſarciendas eccleſias
diruptas reſeruauit. His itaq; munitionibus occupatis propoſuit Coimbriam maio
rem illius patriæ ciuitatem cum Dei adiutorio impugnare, & ad petendum cæleſte
ſubſidium eccleſiam beati Iacobi viſitauit, & implorato per triduum diuinæ auxilio
Coimbria. Maieſtatis, beati Apoſtoli oraculo confortatus contra Coimbriam exercitum con-
gregauit, vbi fixis tentorijs circumquaq; machinas, & caſtra lignea eleuauit. Sed
quia ciuitas fortitudine, & magnitudine præminebat, obſidionē contigit diutius pro
telari. Erant autem ſub Arabum poteſtate monachi religioſi in loco arcto, qui Lor
Loruanū. uanum adhuc hodie appellatur, hi laboribus manuum inſiſtentes theſauros frumen-
ti, ordei, & milij, & ſiliginis ignorantibus Arabibus conſeruarant, hæc omnia pro-
prio victui ſubtrahentes. Verum quia protracta obſidio victualibus indigebat, de
receſſu ab omnibus tractabatur. Sed audientes monachi occurrunt, & quæ a longis
temporibus conſeruarant, Regi, & obſidioni liberaliter obtulerunt, & his victuali-
bus exercitus confortatus longanimis eſt effectus, & cibis refocilati impugnationi vr
bis de die in diem virilius inſiſterunt, donec obſeſſi fame, & pugna coacti elanguidis
animis marcuerunt. Verū Chriſtianis viriliter inſiſtentibus, & machinis vndiq; quaſ
ſantibus, auxilio Dei, & beati Iacobi interuentu murus irrumpitur ciuitatis, quo vi-
ſo Arabes conſternati ciuitatem, & opes Fernando Principi obtulerunt pro vita tan-
tummodo ſupplicantes, quod Regis clęmentia acceptauit, & die Dominica hora ter-
tia inuicto Principi ciuitatis dominium reddiderunt. Eo tempore fertur vir Græcu
lus ex Hieroſolyma cauſa peregrinationis ad eccleſiā ſancti Iacobi adueniſſe, qui inde-
uotione pernoctās audiuit indigenas enarrare, vt militē in Chriſtianorū prę lijs appa-
rere, ſed ipſe licet deuotus Apoſtolo prædicabat non militē, ſed piſcatorē, cūq; in tali
pertinacia permaneret, reuelatione diuina meruit intueri equū ſplendore conſpicuum
Apoſtolo pręſentatū, & armorū inſignijs decoratū obſidētibus Coimbriā ſubuenire,
& peregrinus, de quo diximꝰ, viſione huius certus factus, & diē, & horā captionis Co
imbrię in eccleſia Apoſtoli publice p̄dicauit, & ſicut ipſe p̄dixit, ſic poſtea rei veritas
Mondaicum. patefecit, & ſic remāſit terra citra Mondaicū fluuiū Chriſtianę fidei acquiſita. Cōmiſ-
ſit autē cuſtodiā illius patrię Siſenādo, qui olim exul adhęſerat Abenądab Regi Aga-
renorū, et ſuę merito probitatis fuit in eius oculis graciosus, q bella, et vaſtationes exer
cuit cōtra Chriſticolas Luſitaniā, et Portugaliā ha bitātes, iam nūc recōciliatꝰ Principi

Ferdinando fuit reſtitutus gratiæ, & honori Rex vero Ferdinandus pro triumpho
gratias agens eccleſiam beati Iacobi viſitauit, & oblatis donarijs ad propria eſt reuer-
ſus, & cœpit bonis actibus abundare, & toto tēpore vitæ ſuæ ab infeſtationibus Ara
bum non ceſſauit. Et timens ne poſt mortem eius de regno filij decertarent, ipſe vi-
uens regnū diuiſit, & dedit Sancio primogenito a flumine Piſorica Caſtellam, Ana- Piſoricā.
garum, & Iberum: & dedit Aldefonſo Legionem, Aſturias, & Tranſmeram vſq; Caſtilla.
ad flumen. quod dicitur Oue, Aſtoricam, & partem camporum, qui Gothici nuncu Anagarū.
pantur, & Berizum vſq; in Villā in monte, qui dicitur Ezebredus, dedit Vrracæ, & Traſmera Oue.
Geloiræ filiabus Zemoram, & Taurum: Garſiæ dedit totam Galleciam cum ea par Berizum/
te, quæ dicitur Portugale. Ezebred9.

De vaſtatione regni Toleti, & de translatione reliquiarum in regnum ſuum.
Capur. XIII.

POST hæc apud Legionem curia celebrata, direxit acies contra
Mauros, & quædam caſtra Chriſtianis infeſta victrici gloria ſubiu- Gormati
gauit, videlicet Gormatium, Vadum Regis, Aquilariam, Valerani- um.
cam, quæ nunc Berlanga dicitur, Ripam ſancti iuſti, ſanctam Eme- Vadum Regis.
rentianam, Gormicis, & turres multas Speculatorum, quas nunc di Aglaria.
ci mus Atalaias, per quas Chriſtianorum introitus nudabatur, in S.Emere-
valle Borgecorrexi, & in loco, qui nunc dicitur Caracena, vſq; ad Medinā Cælim tiana.
ſolo diruptas adæquauit. Inde ad loca Cantabriæ properans expulſis Mauris, mon Gormi-cis.
tana Auce & Ioniæ ſuę ſubdidit dicioni. Inde firmans propoſitum verſus Toletum, Borgeco-rexi.
Talamanticam, Guadalfaiaram, Alcala, Maieritum, cætera loca dominij Toletani Caracenā
ſic cæde, & incendio deuaſtauit, vt Rex Toleti ſuorum clamoribus concitatus, & mu Medina
nera dedit, & iuramento promiſit tributa annis ſingulis ſe daturum. Poſtea adeo cæli.
Regem Hiſpalis infeſtauit, vt corpus beati Iſidori permitteret inde leuari, quod a duo Auca.
bus epiſcopis Aluito Legionenſi, & Ordonio Aſtoricenſi multis miraculis coruſcan Ionia.
tibus translatum eſt ab hiſpali Legionem. Aliqui dicunt corpus beatæ iuſtę cum cor Toletum
pore beati Iſidori tunc translatū. Sed quia noſtris tēporibus corpora ſanctarū iuſtę, Talaman ca.
& Ruffinę reuelatione oſtenſa per Petrū Fernandi nobilem Principē ſunt translata Guadal-faiara.
ad regale monaſterium prope Burgis, ego nolo, ſed diffiniat, qui pręſumit. Verum Alcala.
Rex Fernandus eccleſiam honorificā fecit conſtrui, & in honore eiuſdem ſancti Iſido Maierit.
ri dedicari, quam auro, & argento, & lapidibus precioſis, & cortinis ſericis decorauit, Burgis.
& eandem eccleſiā veſpere, & mane, nocturniſq; horis, & ſacrificij tempore frequenta
bat interdum cum clericis in Dei laudibus modulando, interdum etiam vices cantoris
explebat. Cumq; Sepulturam in monaſterio ſancti Facundi, aut ſancti Petri de Aſ-
lantia eligere decreuiſſet, vxoris ſuę Reginę Sancię precibus inclinatus Legione in ec-
cleſia, quam conſtruxerat, elegit ſibi, & coniugi & ſucceſſoribus ſepulturas, & etiā ab
vxore ſuaſus Regem Sancium patrē ſuum a monaſterio Ouetenſi ad eandē tranſtu- Zemora.
lit ſepulturam, ad inſtantiā etiam Legionenſium Zemoram nobilem ciuitatem, quam Abulenſis.
Almanzor olim diruerat, reparauit. Poſtea cum ciuitas Abulenſis longis tempori
bus diruta remanſiſſet, Rex Fernandus ab ea corpora ſanctorum martyrum Vicen-
cij, Sabinę, & Chriſtetę dicitur tranſtuliſſe, ſed quia aliqui dicunt ea eſſe Abulæ, alij
in monaſterio ſancti Petri de Aslantia, alij corpus ſancti Vicencij Legione, alij cor-
pus Chriſtetę Palentiæ, dubium pro certo aſſerere non præſumo. Conſtituit etiam
vt in toto regno Legionenſi leges Gothicæ ſeruarentur.

De religioſis actibus Regis Fernandi, & morte eius, & vxoris illius. Caput. XIIII.

HIC itaq; Rex Fernandus iam ſenectute confectus vitam ſuam bonis operibus, & Deo placitis dedicauit. Eccleſias regni ſui, & precipue ſancti Iacobi, ſancti Saluatoris, ſancti Iſidori, & cathedralem eccleſiam Legionis poſſeſſionibus, & donarijs inclytauit, monaſteriorum etiam indigentiam de ſuis facultatibus ſubleuabat. Dum vero quadam die in cathedrali eccleſia Legionis audiret diuina, vidit miniſtros eccleſiæ cauſa familiaris inopiæ nudis pedibus miniſtrare, & ſtatim certos redditus ad calceamenta inſtituit miniſtrorum.

S. Facundus.

Cæterum cum ad ſancti Facundi monaſterium veniebat, cibis eorum contentus pari ordine, & conſortio quaſi vnus ex eis, & diuinis officijs inſiſtebat, & cibarijs regularibus vtebatur. Cumq; oblatū vas vitreum de manu Abbatis ad menſam reſidens ſuſcepiſſet, vas decidens de manu Regis ilico fractum fuit. Rex vero pro negligentia valde pœnitens incontinenti vas aureum gemmis ornatum fecit afferri, & Abbati offerens pro vitreo ſatisfecit.

Cluniacenſis.

Obtulit inſuper Cluniacenſi monaſterio de regio fiſco mille aureos annuatim perpetuo ſoluendos, nec minus eo regina Sancia vxor eius bonis, & pijs operibus abundabat, & in regni regimine, & bellorum diſcrimine eius ſollertia vtilis, & ſedula apparebat.

Celtiberia.

Carpetania.

Cumq; Regi Fernando Arabes Celtiberiæ, & Carpentaniæ tributa negarent, ipſe Rex cum exercitu eos aggrediens, & vaſtationibus infeſtauit, & priſtinę reſtituit ſeruituti. Sed iam vitæ ſibi termino imminente, apparuit ei beatus Iſidorus, & diē ſui obitus intimauit, & cum cœpiſſet poſt modicum infirmari, fecit ſe Legionem abduci, & nono Kalendas Ianuarij die Sabbati ingreſſus eſt ciuitatem, & ex more corpora ſanctorum, flexis genibus adorauit petens, & ſupplicans, vt cum dies obitus iam inſtaret, anima eius ab Angelis duceretur. In ipſa autē nocte Dominicæ natiuitatis licet æger ipſe Rex cum clericis interfuit matutinis concinens, vt infirmitas tolerabat, & obſeruabatur ibi tunc temporis officium Toletanum. Facto autem die vocatis Epiſcopis fecit ſibi Miſſam ſolenniter celebrari, & percepit corporis, & ſanguinis Domini ſacramentum. In craſtino autem vocatis Epiſcopis, & Abbatibus, & viris religioſis vna cum eis fecit ad eccleſiam ſe deferri, & impoſito capiti diademate, & indutus regalibus indumentis, coram ſarcophago ſancti Iſidori clamauit ad Dominum voce clara: Tua eſt potentia, tuum eſt regnum Domine, tu es ſuper omnes Reges, tuo Imperio omnia ſunt ſubiecta, quod te donante accepi, reſtituo tibi regnum, tantum animam meam in æterna luce iubeas collocari, & his dictis exutus regalibus ornamentis pro venia exorabat, & recepta ab Epiſcopis pœnitentia & gratia vltimæ vnctionis, indutus cilicio, & conſperſus cinere duobus diebus in pœnitentia, atq; lachrymis ſuperuixit. Tertia autē feria hora ſexta in feſto. S. Ioannis Euangeliſtæ plenus dierum reddit Deo ſpiritum immaculatum, & iuxta patrem ſuum in eadem eccleſia ſancti Iſidori eſt ſepultus. Regnauerat autem viuente patre annis. XII. In Caſtella mortuo patre. annos. XII. in Caſtella, & legione annis. XVI. In vniuerſo annis. XL. menſibus. VI. diebus. II. Regina autem Sancia vxor eius ſuperuixit. II. annis, & obijt ſexto Idus Nouembris, & ſepulta eſt iuxta eum.

De diſcordia Fratrum, & qualiter vicit Sancius Aldephonſum. Caput. XV.

POST mortem itaq; Regis optimi Fernandi, tres filij eius, & duæ filiæ remanſerunt. Sancius, Aldefonſus, Garſias, Vrraca, & Geloira, ſed licet ipſe regnum filijs diuiſiſſet, & partem ſuam vnicuiq; aſſignaſſet, quia omnis poteſtas impatiens eſt conſortis, & quia Reges Hiſpaniæ a feroci Gothorum ſanguine contraxerunt, ne maiores aliquem velint parem, nec minores ſuperiorem, ſepius inter Gothos regalia funera fraterno ſanguine maduerunt. Rex itaq; Sancius Caſtellæ, & Nauarræ finibus non contentus, in humanitatis Gothicę ſucceſſor, & hæres, & ſanguinem fratrum ſitire, & ad eorum regna cœpit cupidus anhelare, vt nihil fratribus, vel ſororibus de ijs, quæ pater dederat, remaneret, ſed ſolus totum ambitioſus haberet. Vnde contigit, & cædes varias prouenire, & ſanguinem innoxium ſæpe fundi. Pater vero eorum attendens filij Aldefonſi plus quam cæterorum modeſtiam, Vrracam, & Geloiram filias commendarat. Cum eſſet vero Vrraca ſollers, & prouida, Aldefonſus ei tanquam matri in omnibus deferebat, & eius conſilio ſe regebat.

De pugna fratrum, & tranſitu Aldefonſi ad Regem Toleti. Caput. XVI.

SANCIVS vero, qui erat primogenitus, cœpit regnare æra millesima nongenteſima quinta, & ſex annis regnauit. Hic Regna fra- æra.M.
trum ſibi noluit vēdicare, & primo incurſu cœpit Aldeſonſum, qui dcccv.
erat medius, infeſtare. Dum autem Rex Sancius contra fratrem exercitum congregaſſet, ille veniens ex aduerſo occurſu oppoſito ſe obiecit, & in loco, qui Plantaca dicitur ſunt congreſſi, & Domino Plantaca.
diſponente, qui Sancium extollebat, vt lapſu rueret grauiori, Rex Sancius fugauit fratrem, & exercitum Legionis, & de vtroq; exercitu plurimi ceciderunt. Et quod Arabes conſueuerant ſuſtinere, fraterno gladio in ſe verſo, Chriſtiani miſeri pertulerunt, victuſq; in prælio Aldefonſus abijt Legionem. Iterum autem diem conſtituunt ad pugnandum, tali pacto, vt victus victori regnum cederet ſine pugna. Cumq; in loco, qui Vulpecularia dicitur, conueniſſent, iuxta ripam fluminis Carrionis ex vtraq; Vulpecu-
parte pluribus bello cæſis, demum Rex Sancius fuit victus, & cū fugæ dubię ſe dediſ- laria.
ſet, Rex Aldefonſus volēs parcere Chriſtianis pręcepit, vt nullus pręſumeret perſequi fugiētes. Erat autem cum Rege Sancio miles ſtrenuus dictus Rodericus Didaci Campiator. Hic Regem ſuum deuictum animans perſuaſit, vt quoad poſſet fugientem exercitum reuocaret, & in aurora Legionenſibus, & Galleci[j]s improuidis adueniret. Gens enim illa conſueuit in proſperis ſe iactare, & alios deridere; in aduerſis fortiter comminari. Vnde nocturnis confabulationibus fatigati circa mane fortius dormierunt, & irruente exercitu Regis Sancij ſunt præuenti, & multis captis, alijſq; cæſis, cæteriſq; fugatis, Rex etiam Aldefonſus capitur in eccleſia beatæ Virginis, quę eſt in prælidio Carrionis, & Burgis ducitur captiuatus. Tandem procurante Petro Aſſurij Comite cum conſilio Vrracæ ſororis ea condicione educitur, vt in monaſterio ſanctorum Facundi, & Primitiui monachali habitu veſtiretur. Cumq; hoc totum Rex Sancius acceptaſſet, Rex Aldefonſus non propoſito, ſed timore ſumpſit habitum monachalem. Verum procurato conſilio cum Petro Aſſurij Comite fugit noctu & Toletum veniens ab Almeone Rege inibi dominante ſolenniter eſt receptus, & multis muneribus honoratus. Et Rex Toleti interpoſito iuramento ſecuri

tatis ſibi pręſtitit cautionem, & in ipſo atrio regio domos, & manſionem congruam fabricauit, vt Rex Aldefonſus extra ſtrepitum ciuitatis cum ſuis Chriſtianis commodius habitaret, & iuxta regale viridarium, vt recreationem reciperet quando vellet. Erant autem cum eo tres fratres viri nobiles, & fideles videlicet, Petrus Aſſurij, Gundiſaluus Aſſurij, & Fernandus Aſſurij, quos Vrraca Regina fratris ſui Regis Aldefonſi cuſtodiæ, & conſilio deputarat, & Almenon in eo gratias tot inuenit, quod eum quaſi filium diligebat. Ipſe vero pro Almenone contra vicinos Reges Arabum bella vtiliter exercebat, & pacis tempore per montana, & ripas fluminum venationibus intendebat.

De venationibus, & pronoſticis Aldefonſi.
Caput. XVII.

Teuina. Brioca.

VERVM tunc temporis inter condenſa arborum, & in humore fontium, ripa Teuiniæ vrſis, & apris, & alijs beſtijs abundabat, & ipſe aſcendens per alueum, locum ſibi placidum, qui nunc Briocadi citur, adinuenit. Cumque ſibi caſtellum, & loci amœnitas, & venationis copia placuiſſet, reuerſus Toletum a Rege poſtulans impetrauit, & collocatis ibi montarijs, & venatoribus Chriſtianis, remanſit locus ſuæ ſubditus dicioni, & pauculos Chriſtianos gnaros venandi, & officij ſagittandi ibi accolas collocauit, quorum ſucceſſio ibi manſit vſque ad tempora Ioannis tertij Archiepiſcopi Toletani, qui locum ipſum habitatoribus ampliauit, & vicũ parrochiæ ſancti Petri, quaſi ſuburbium, populauit. Quadam autem die cum Almenone deſcendit in viridarium gratia ſpaciandi, & cum eis turba Arabum circunſedit, & proſpiciens cominus ciuitatem, cœpit altius cogitare qualiter poſſet tanta ciuitas reſtitui Chriſtianis. Verum cum conſeſſu diuino fatigati per viridarium ambularent, Rex Aldefonſus ſub vna arbore decubuit recreandus, & eo ſomnium ſimulante, Rex Almenon cum ſuis Arabibus loquebatur, ſi poſſet tam fortis ciuitas virtute aliqua expugnari. Cui quiſpiam ſic reſpondit. Si per ſeptem annos huic vrbi fruges, & vindemiæ aufferrentur, deficientibus victualibus poſſet capi. Quod Aldefonſus audiens corde intimo conſeruauit. Iterum quadã die cum Aldefonſus iuxta Almenonem cauſa ſolacij conſideret, cœperũt erigi capilli verticis Aldefonſi. Et Almenon cœpit comprimere manu ſua, ſed capilli tanto amplius cœperunt erigi, quanto amplius premebantur. Et ſapientes Arabum hoc notantes ſuaſerũt Regi, vt interficeret Aldefonſum, qui pronoſticum hoc ſignabat ipſum ad vrbis dominium eleuandum. Almenon vero noluit fœdus promiſſæ fidei violare, ſed iurare petijt, ne eo viuente ſui regni terminos infeſtaret, & Rex Aldefonſus ſpontaneus Almenoni hoc iurauit. Eo itaque Toleti degente, Vrraca Regina præſenſit quod Rex Sancius frater eius intendebat eam ijs, quæ pater ſibi dederat ſpoliare. Zemorenſes vero Regis Aldefonſi exilium æquanimiter non ferentes, Arriam Gundiſalui virum nobilem, & potentem, qui Vrracam Reginam nutrierat, in principem elegerunt, vt eo duce reſiſterent Caſtellanis.

Qualiter regna fratrum Rex Sancius occupauit.
Caput. XVIII.

SED Rex Sancius ex Caſtellæ, & Nauarræ partibus exercitu congregato Legionem aduenit, & eam, licet modicum infeſtatam, vt victor inuaſit, & cætera, quæ Regis Aldefonſi fuerat dicionis. & ſibi trium regnorum impoſuit diadema. Et cum Rex Sancius circa huiuſmodi moraretur, Rex Garſias in ſuos tyrannide graſſabatur, & vilis ab omnibus, & a ſuis etiam habebatur, & contra fratrem bella, licet ſegniter, intentabat. Habebat autē quendam Vernulā cauſa familiaris ſecreti plus debito ſibi charū, cuius delationibus cōtra milites, & barones aures credulas adhibebat, & licet ſæpius ſupplicaſſent, vt a ſe prędictum Vernulam remoueret, diceſſum eius nullatenus voluit ſuſtinere. Et ipſi reputantes dedecus, & iacturam, quia eius delationibus lædebantur, delatorem in eius pręſentia occiderunt, in cuius morte ſe læſum reputans, & confuſum illatum dedecus ſæpe obijciens, omnes ſuos cœpit affligere indiſtincte, diſtricte cominans ſe indignationi ſuę nullum terminum poſiturum.

Sui autem minarum pericula paueſcentes, & illatum dedecus recolentes ab eius dominio, prout poterant, diſcedebant. Occupatis vero Legione, & Aſturijs, Rex Sancius vultum verſus Galleciam obfirmauit. Gallecis autem turbatione, qua diximus, in vota diuiſis, Rex Sancius de facili obtinuit, quod optabat. Interim autē Rex Garſias aſſumptis ſecū trecentis militibus iuit ad Agarenos, & niſus eſt ſuadere, vt ſecum contra fratrem ſuum exercitum deſtinarent, regnum fratris, & ſuum eis pollicens ſe daturum. Cui taliter reſponderunt. Cum Rex eſſes, regnum tibi ſeruare minime potuiſti; Quomodo ergo perditum nobis dabis? Honoratum tamen muneribus, ſed deſpectum ad Chriſtianorum patriam remiſerunt, qui duplici confuſione contritus cœpit prouincias infeſtare, & in Portugalia ſe receptans loca plurima occupauit.

Cui occurrens Rex Sancius frater eius in loco, qui ſancta Hirenea dicitur, ambo fraternas acies ordinarunt, & inito prælio, victus Garſias regno perdito captiuatur, & apud Lunam vinculis, & cuſtodiæ mancipatur. Luna.

De obſidione Zamoræ, & Sancij Regis morte. Caput. XIX.

OCCVPATIS itaq; fratrum regnis terrā ſororum voluit etiā occupare indignās ſororibus, eo quod Aldefonſo fugitiuo, & exuli condolebant, & dicionis ſuæ phalangibus conglobatis vrbbem aggreſſus eſt Zamorenſem, & obſidione concluſam cœpit fortiter impugnare. Zemora. Sed Arias Gundiſalui, de quo diximus, & obſeſſi alij viriliter reſiſtebant, nec obſeſſor obtinere potuit, quod obtabat.

Cumq; vtrinq; certamina agerentur, & miles quidam ex ciuitate egrediens, qui dicebatur Belidius Athaulphi Regem per caſtra deanbulantem lancea petijt incunctanter, & feſtinatione, qua venerat, ſe reſtituit ciuitati. Verum Rodericus Didaci Campiator zelo domini interfecti cū proſequitur ſine mora, & fere in ipſa vrbis ianua interfecit, ſed velocitatem Belidij non potuit præuenire. Rex autem Sancius priuatus habitis, & ambitis recepto vulnere, vita caruit, atq; regnis, & in exercitu turbatione non modica excitata inter obſeſſos, & obſeſſores cōflictus etiam interuenit. Et alij diuerſa fugæ pericula attentantes alij per deuia deuiantes in captiuatis & mortis ſupplicia inciderunt. Caſtellani autem, quorum conſtantia audaci conſilio ſemper fulſit, corpus principis in ſarcophago egregie locauerunt, & commertio lugubri, & re-

Ouienſis. ſonis planctibus ſubſequentes ad Ouienſe monaſterium detulerunt, vbi expletis exequijs ſepulturæ honore regio tradiderunt.

De receſſu Aldefonſi ab Almeone, & reditu in terram ſuam.

Caput. XX.

CELEBRATIS vero exequijs, Caſtellani, & Nauarri Burgis pariter conuenerunt, & quia Rex Sancius deceſſerat expers prolis, Caſtellani, & Nauarri fidelitatis inatæ ſemper memores Aldefonſum, qui a facie fratris Toletum confugerat, in Regem, & dominum concorditer elegerunt tali pacto, vt prius ab eo reciperent iuramentum, quod Rex Sancius de eius conſcientia non fuerat interfectus. Et eidem electos nuncios clanculo deſtinauerunt. Vrraca etiam Regina Legionenſium, & Zemorenſium curia congregata, & eorum recepto conſilio ad fratrem ſuum Aldefonſum, quem præ cæteris diligebat, & Toleti tunc temporis morabatur, nuncios deſtinauit, vt acceleraret accipere regna fratrum. Et præcepit nuncijs, vt hoc conſilium ſecretiſſimum haberetur, ne reuelatio in Regis periculum verteretur. Sed viri diabolici, qui nunc dicuntur initiati, & ſolebant Arabibus Chriſtianorum propoſita denudare, Regis Sancij morte comperta, nunciare Arabibus percurrerunt. Sed Petrus Aſſurij vir diſcretus, & in lingua Arabica eruditus, & pro rumoribus patriæ curioſus omni die extra Toletum, quaſi ſpaciandi gratia, ad tria milliaria, vel amplius equitabat. Et caſu accidit quodam veſpere, vt inueniret quempiam venientem, qui dixit ſibi ſe ideo aduenire, vt Regi Almenoni Regis Sancij interitum nunciaret. Petrus autem duxit eum quaſi cauſa colloquij extra viam, quem amputato capite interfecit, & ad viam rediens, & paulisper procedens inuenit alium rumore, & cauſa ſimili venientem, quem excidio ſimili decollauit, ſed via alia alijs venientibus ſecretum non latuit Almenonem. Petro vero Aſſurij greſſu tertio procedente Vrracę Reginæ nuncius ſuperuenit, qui, vt facta fuerant omnia, nunciauit, & ille feſtiuus Toletum rediens cepit Aldefonſo inſcio itineri neceſſaria præparare. Cumque die altero Caſtellanorum nuncius aduenißet, & Regi negotium indicaſſet, ipſe & Petrus Aſſurij dubitabant, ne ſi Almenoni nuncium reuelarent, Regem caperet, & pacta grauia poſtularet, vel ſi celarent, & ipſe alias poſſet ſcire, hoſtilius deſęuiret. Et dum ipſi tali dubio tenerentur, Rex Aldefonſus confidens in Domino ſic reſpondit, honorifice me recepit, & neceſſaria liberaliter miniſtrauit, & vt filium me tractauit, quomodo eum celare potero, quæ Dominus mihi fecit? & accedens ad eũ, quod per nuncios acceperat, reuelauit. Almenon autẽ hęc omnia iam ſciebat, & omniũ viarum tranſitus fecerat diligẽtiſſime obſeruari, vt ſi eo inſcio vellet abire, ab obſeruotorib⁹ caperet. Cumq; audiſſet, quę dixerat Aldefonſus, factus hylaris ſic reſpõdit. Gratias ago Deo altiſſimo, qui me ab infamia liberare, & te a periculo voluit cuſtodire. Si enim me inſcio affugiſſes, captionẽ, aut mortẽ nullaten⁹ euaſiſſes, Nunc autẽ vade, & accipe regnũ tuum, & de meo accipe aurũ, argẽtum, equos, & arma, quibus poſſis tuorum animos complanare. Cumq; inter eos multa amicabiliter tractarentur, inter cætera hoc exegit, vt Rex Aldefonſus iuramentum ſibi, & filio ſuo primogenito, quod de ſecuritate fecerat, innouaret. Et cum neceſſitas immineret, cõtra vicinos Arabes adiuuaret. Et ipſe, & filius primogenitus Aldefonſo ſe fœdere ſimili

obligarunt. Erat autem minor filius de cuius fœdere nil dixerunt, nec Aldefonſus
fuit ei in aliquo obligatus. His peractis Almenon cum maioribus gentis ſuæ vſq;
ad montem de Velatome Aldefonſo regaliter comitato, dedit munera, & pecunias, Velatome.
quibus Aldefonſus Rex inclytus, dicto vale, in ſummitate montium ab eis diſceſſit,
& ſuis fœliciter redonatur.

De ſublimatione Aldefonſi in Regem, & de vxoribus, & filiabus eius. Caput. XXI.

VENIENS itaq; Zemoram cum Regina Vrraca, quæ erat pru-
dens, & pijs operibus dedicata, habito conſilio diligenti cœpit in ope-
ribus iuſticiæ exerceri. Caſtellani etiam, & Nauarri ad ipſum ili-
co conuenerunt, & ante omnia iuramentum, vt diximus, exegerunt,
quod non fuerat conſcius mortis Regis Sancij fratris ſui. Sed cum
nemo vellet ab eo recipere iuramentum, ad recipiendum ſe obtulit ſo-
lus Rodericus Didaci Campiator. Vnde & poſtea licet ſtrenuus, non fuit in eius
occulis gratioſus. Et Rex Aldefonſus optento regno, quod perdiderat, & etiam re-
gnis fratrum omnibus acclamantibus viuat, viuat, omnes ei communiter iurauerunt,
& accepit imperij diadema æra mileſima centeſima prima. Tringinta annorum, æra. M.cl.
& ſeptem menſium erat, cum regnare cœpiſſet, & regnauit quadraginta tribus annis.

Hic habuit quinque vxores ſucceſſiue legitimo matrimonio ſibi iunctas, prima fuit
Agnes, ſecunda Conſtantia, ex qua ſuſcepit filiam nomine Vrracam, quæ fuit vxor
Comitis Raimundi, de qua ipſe Raimundus genuit Sanciam, & Aldefonſum, qui fuit
poſtea Imperator. Tertia Berta ex Thuſcia oriunda. Quarta Eliſabet, ex qua genuit
Sanciam quæ fuit vxor Comitis Roderici, & Geloiram, quam duxit Rogerius Rex
Siciliæ. Hic Rogerius fuit frater Roberti Guiſcardi, & filius Tancredi de Alta vil- Normania.
la, qui veniens a Normania Siciliam, & Apuliam, & Calabriam, & Capuam occupa-
uit. Quinta Beatriz ex partibus Gallicanis. habuit etiam aliam vxorem, quę Ceida
poſtea Maria fuit dicta, habuit etiam duas nobiles concubinas, vna dicebatur Seme-
na Munionis, ex qua genuit Geloiram, quæ fuit vxor Raimundi Comitis Toloſa- Toloſa.
ni, & ex illo Comite genuit Aldephonſum Iordanis, qui ſic dictus, eo quod fuerit in
Iordanis flumine baptizatus. Ipſa enim cum viro in Syriã transfretauit tempore illo, Syria.
quo exercitus ille magnus procedens ex partibus Galliarum iſto Raimundo Comi-
te, duce, ac præuio cum Epiſcopo Auicienſi Ieruſalem, Tripolim, & Antiochiã acqui- Auicieñſis
ſiuit, hortante, & perſonaliter in Gallijs, & Italia prædicante beatiſſimo Vrbano Pa- Tripolis.
pa ſecundo, qui primus ſubſtituit euntes in ſubſidium terræ ſanctæ in dextro hume- Antiochia.
ro crucis ſignaculo inſigniri, & eadem Semena Munionis genuit aliam filiam, quæ
Tharaſia dicta fuit, quam duxit Comes Enricus ex partibus Biſontinis, congerma-
nus Raimundi Comitis patris Imperatoris, ex qua ſuſcepit idem Enricus Aldefon-
ſum, qui fuit poſtea Rex Portugaliæ.

De virtutibus Aldefonſi. Caput. XXII.

NVNC ad geſtorum eius principia redeamus. Hic fuit ſtrenuitate
maxima nobilis, virtute excelſus, gloria ſingularis, abundauit in diebus
eius iuſticia, finem accepit ſeruitus, conſolationem lachrymæ, augmen-
tum fides, dilationem patria, audaciam populus, confuſus eſt inimicus,
obtinuit gladi⁹, ceſſauit Arabs, timuit Apher, ploratus, & vlulatus Hi-

paniæ vſq; ad iſtum manſit abſq; conſolatore, dextera eius præſidium patriæ, munimentum abſq; timore, fortitudo ſine perturbatione, protectio pauperum, virtus magnatum magnitudo cordis eius infra anguſtias Aſturiarum non potuit contineri, & elegit laborem indiuiduum comitem vitæ ſuæ, delicias miſeriam reputabat, & belli dubia experiri delectabile, & iucundum, id deperditum reputans vitæ ſuæ, in quo belli pericula non agebat. Rex accreſcens magnanimus Aldeſonſus, Rex accreſcens ſedit in forti, arcus eius confiſſus in Domino inuenit gratiam in oculis Creatoris, magnificauit eum in timore inimicorum, & in populo ſuo elegit eum zelare fidem, dilatare regnum, exterminare inimicos, concludere aduerſarios, multiplicare eccleſias, reſtaurare ſancta, reſtituere diſſipata. Cumq;, vt diximus, Almenoni, & filio primogenito fœdere teneretur, eum iuxta fœdus adiuuit in omnibus, quo aduixit. Et cum Rex Cordubenſis regnum Almenonis inuadere conaretur, Rex Aldeſonſus contra eum pro fœderis debito properauit. Cumq; aduentum eius Almenon audiuiſſet, timuit eum in ſui diſpendium aduenire. Sed Rex Aldeſonſus nunciauit eidem, quod in eius auxilium veniebat, propter pacta, quę olim præceſſerant inter eos. Tunc Almenon occurit ei cum actionibus gratiarū, & ambo intrātes fines Cordubæ omnia cædibus, & incendijs vaſtauerunt, & actis prędis, vterque ad propria fœliciter eſt reuerſus, nec præſumpſit Rex Cordubenſis regnum Toleti amplius infeſtare. Tunc mortua Agnete, duxit vxorem nomine Conſtantiam ex partibus Galliarum, cuius ſuperius fecimus mentionem.

De obſidione, & captione ciuitatis Toletanæ.
Caput. XXIII.

MORTVO Almonone, & filio ſuo Iſſem primogenito, de quo diximus, ſicut patri fuit ſemper propicius, & adiutor, ipſo mortuo ſecundus filius Almenon Hiaie dictus poſt fratrem in regno ſubſtituitur Toletano, qui a vijs fratris, & patris minus aberrans cœpit in ſeniores, & populum, quos tot angarijs, & perangarijs conuexabat, vt mortem vitæ præferrent. Alias ignominioſus, inutilis, & imbellis. Almenon autem pater ſuus Regi dederat Aldeſonſo quędam municipia, Canales, & Vlmos, in quibus cum ipſe veniebat in adiutorio Almenon, infirmos, & debi-
Canales. Vlmi. les collocabat. Cumq;, vt diximus, Toletani a ſuo principe prēmerentur, & a vicinis gentibus vexarētur, & Rex eorum de eorum miſerijs non curaret, coniurati inſimul Regi dixerunt, populi, & patriæ te exhibe protectorem, aut quęremus alium defenſorem. Hiaie autem captus luxurijs dicta dicentium paruipendit. Tunc ipſi preſſi dominio, & cladibus vicinorum Regi Aldeſonſo nuncios deſtinarunt antiquam eius noticiam attendentes, & auxilia impenſa fideliter recolentes. Et ei per nuncios ſupplicarunt, vt ciuitatem quamuis inexpugnabilem obſideret, vt coacti pugna colorem excuſationis haberent, cum ei traderent ciuitatem. Cumq; ipſe illi Regi nullo fœdere teneretur, ciuium oblatione ſuſcepta, congregauit exercitū ex omnibus partibus regni ſui, & fruges, & vindemias deuaſtauit per totū territorium Toletanum, & per quatuor annos id ipſum intulit ſucceſſiue. Et licet ciuitas cunctas ſuperet ſui opulentia ciuitates, tamen tot annorum vaſtatione continua non potuit victualibus non carere, & Rex Aldeſonſus id ipſum percipiens congregato exercitu infinito

Obſedit

O Obſedit ſecura ſuum Caſtella Toletum — Toletum
P Caſtra ſibi Septena parans, aditumq; recludens
P Rupibus alta licet amploq; ſitu populoſa,
I Circumdante Tago rerum virtute referta
D Victu victa carens inuicto ſe dedit hoſti.
A Huic Medina Cœlim, Talauera, Comimbria plaudat
C Abula, Secobia, Salmantica, Publica Septem.
A Cauria, Cauca, Colar, Iſcar, Medina, Canales,
P Vlmus, & Vlmetum, Magerit, Atentia, Ripa,
T Oſoma cum Fluuio lapidum, Valeranica, Maura,
A Aſcalona, Fita, Conſocra, Maqueda, Butracum
Victori ſine fine ſuo modulantur ouantes.
Aldephonſe tui reſonent ſuper aſtra triumphi.

Cepit itaq; Toletum æra. M. C. XXXIII. multis pactionibus interpoſitis, videlicet, vt Sarraceni haberent plene, & integre domos, & poſſeſſiones, & omnia, quę habebant, & Regi remaneret præſidium ciuitatis cum viridario vltra pontem. — æra. M. C. xxxiij.

Reditus autem, qui antiquo iure dabantur Regibus, ei perſoluerent Agareni, & etiam quod maior Mezquita eis in perpetuum remaneret. Sicq; Rex adepto præſidio, & ciuitatis dominio manſit ibidem pro ciuitatis tuitione magno periculo ſe exponens. Fuit autem capta in die Vrbani Papæ & martyris octauo Kalendas Iunij, viceſimo anno regni ſui, & quia de eius intentione dubium adhuc erat, diſtulerunt electionem Pontificis in futurum. Tunc Rex in vrbe Regia ſtatuit thronum ſuum, donec ſecurum præſidium ſtabiliret, & gentem fidei confirmaret, & electionis populus præualeret. — Mezquita.

De dote eccleſiæ Toletanæ. Caput. XXIIII.

VIDENS autem Rex, quod Deus proſpera indulgebat, conuocauit regni proceres, & maiores Epiſcopos, & Abbates, & viros religioſos, & qndecimo Kalendas Ianuarij omnes in vrbe Regia cōuenerunt, & habito diligenti tractatu dominum Bernardum virum religionis, & prudentiæ cōmuniter, & concorditer in Archiepiſcopum elegerunt, & Rex incontinenti dotauit eccleſiam liberaliter, & honeſte. & dedit ei Briocam, quam ſibi retinuerat a tempore Almeonis, Barciles, Cabañas, de Sagra, Couera, Rodiellas, Alcoleia ſub Talauera, Azecbuch, quæ nunc dicitur Melgar, Almonecir, Alpobrega, & in ciuitate omnes ſtationes, quas vulgariter tendas vocamus, necnon domos, molendina, furnos, viridaria, vineas, & hortos, pro quibus hodie eius memoriam, & exequias veneratur eccleſia Toletana, & multa alia priuilegia dedit immunitatis.

Brioca. Barciles. Cabañas. Couera. Rodiellas Alcolea. Azebuch Melgar. Almonecir. Alpobrega.

Quod Mezquita Maurorum facta eſt eccleſia Chriſtianorum. Caput. XXV.

ET quia adhuc litera Gothica, & tranſlatio Pſalterij, & officium Miſſæ inſtitutum ab Iſidoro, & Leandro Pontificibus, quod cum tranſlatione, & litera dicitur Toletanum, per totam Hiſpaniam ſeruabantur, ad inſtantiam vxoris ſuæ Reginæ Conſtantiæ, quæ erat de

partibus Galliarum miſit Romam ad Gregorium Papam Septimum, vt in Hiſpa/
nijs omiſſo Toletano Romanum, ſeu Gallicanum officium ſeruaretur. Bernardus au
tem Toletanæ eccleſiæ electus fuit de Agenenſi territorio oriundus ſcilicet de oppi/
Auxitani. do Saluitatis. Hic cum fuiſſet ab infantia literatus omiſſo clericatu militiæ ſe aſcri/
pſit, & poſtmodum infirmitate coactus in monaſterio ſancti Aurentij Auxitani bea
ti Benedicti regulæ ſumpto habitu ſe dicauit, exinde vocatus ab Hugone Clumacen
ſi Abbate cum eo laudabilem egit vitam. Deinde cum Rex Aldephonſus vellet ſan
ctorum Facundi, & Primitiui ex ea cauſa, quam diximus, monaſterium ampliare, mit
tit ad venerabilē Hugonem Clumacenſem Abbatem, vt ei virum prouidum, & reli
gioſum mitteret, qui in prædicto monaſterio ſanctorū Facundi, & Primitiui Abba/
tis officio fungeretur, & ſicut in Gallijs illud monaſteriū pręcellebat, ita & iſtud om/
nibus monaſterijs eiuſdem ordinis in Hiſpanijs preſideret. Predictus autem Abbas
Clumacenſis Bernardum, quem ob ſanctitatis meritū charum habebat, cum alijs mo/
nachis deſtinauit, qui mox veniens factus Abbas, omnibus ſe exhibuit amabilem, &
benignum, adeo quod cum Deus omnipotens Toletum Chriſtianæ reſtituit pote/
ſtati, mox ipſe poſt modicum interuallum fuit electus in Archiepiſcopum, & Prima
tem. Cumq; rex ad partes Legionis iuiſſet, ipſe electus Regina conſtantia hortante
aſcitis militibus Chriſtianis maiorem Mezquitam ingreſſus eſt Toletanam, & eli/
minata ſpurcitia Mahometi erexit altaria fidei Chriſtianę, & in maiori turri campanas
ad conuocationem fidelium collocauit. Quod cum ad Regis notitiam perueniſſet,
indignatus animo, & dolore accenſus, eo quod Sarracenis pactum firmauerat de Mez
quita, a ſancto Facundo tribus diebus venit Toletum, proponens Bernardū electum,
& Reginam Conſtantiam incendio concremare. Cumq; tanti furoris indignatio ad
Magam. noticiam Toletanorum Arabum perueniſſet, maiores, & minores cum paruulis, &
vxoribus in pago, qui Magam dicitur, Regi obuiam exierunt. Cumq; Rex ad eo/
rum multitudinē perueniſſet, exiſtimans eos cauſa quærelæ veniſſe ſic reſpondit,
non vobis iniuria facta fuit, ſed mihi, cuius fides fuit hactenus illibata, ſed iam de cæ/
tero de fide non potero me iactare, mea autē intererit, & vobis ſatisfacere, & in præ/
ſumptores acrius vindicare. Arabes autē, vt erant prudentes, eleuatis vocibus, & fle/
xis poplitibus cum lachrymis audientiam poſtularunt. Tunc Rex aliquantū ſubſti
tit tenens equum, & Arabes in hunc modū perorare cœperūt: Bene nouimus, quod
Archiepiſcopus, Dux, & Princeps eſt legis veſtræ, & ſi cauſa fuerimus necis eius, ob
zelū fidei Chriſtiani nos percutient vna die, & ſi Regina perierit cauſa noſtri, ſemini
eius erimus perpetuo odioſi, & poſt dies tuos acrius vindicabunt. Vnde petimus, vt
parcas eis, & nos voluntarie te abſoluimus a fœdere iuramenti. His auditis ira Regis
in gaudium commutatur, eo quod Mezquitam habere poterat ſine fidei læſione, &
ingreſſus vrbem Regiam, omnia pacifice pertractauit.

De commutatione officij Toletani. Caput. XXVI.

GREGORIVS autem Septimus, de quo diximus, ad petitionem
Regis Aldefonſi miſit quendā Ricardum Abbatem ſancti Victoris
Marſilienſis, vt eccleſias Hiſpaniæ tot perſecutionibus perturbatas,
eccleſiaſtico moderamine ordinaret. Qui minus religioſe officium
peragens cœpit irregularius ſe habere. Quod attendens Toletanus
electus per maris, & terrę pericula ſe Romani Pontificis conſpectui

preſentauit, & Gregorio Septimo viam vniuerſę carnis ingreſſo inuenit Vrbanum Secundum in ſede Apoſtolica ſubſtitutum, a quo gratanter, & benigne ſuſceptus con ſecrationem, pallium, & priuilegium obtinuit, & primas institutus Hiſpaniarum Apoſtolicæ ſedis benedictione ſuſcepta, & per Toloſam rediens ibidem cum Epiſcopis Gothicæ Galliæ, & Narbonenſis Archiepiſcopo concilium celebrauit. Ideo per pyrenæum in Hiſpanias tranſiens omnium eccleſiarum Hiſpaniæ curam geſſit, & ſtatuto die in feſto ſcilicet ſanctorum Criſpini, & Criſpiniani octauo Kalendas Nouenbris in honore beatæ Mariæ, ſemper virginis, & beatorum apoſtolorum Petri, & Pauli, & ſanctæ crucis, & beati Stephani protomartyris Toletanam eccleſiam conuocatis Epiſcopis dedicauit, & in maiori altari multas, & precioſas reliquias, quas a ſede Apoſtolica attulerat, & quas Rex, & Regina de ſuis, & patrum ſuorum theſauris obtulerant, collocauit, quorum hodie beneficijs lætatur populus Chriſtianus. Verum quia Ricardus legatus ſe gerebat in aliquibus minus caute, religione, & autoritate compeſcuit attentata, adeo quod ille Ricardus legatione priuatus, fuit ab Vrbano ſummo Pontifice reuocatus. Verum ante reuocationem clerus, & populus totius Hiſpaniæ turbatur, eo quod Gallicanum officium ſuſcipere a legato, & Principe cogebantur, & ſtatuto die, Rege, Primate, legato, cleri, & populi maxima multitudine congregatis, fuit diutius altercatum clero, militia, & populo firmiter reſiſtentibus ne officium mutaretur, Rege a Regina ſuaſo contrarium minis, & terroribus intonante, ad hoc vltimo res peruenit militari pertinacia decernente, vt hæc diſſenſio duelli certamine ſedaretur. Cumq; duo milites fuiſſent electi, vnus a Rege, qui pro officio Gallicano, alter a militia, & populis, qui pro Toletano pariter decertarent, miles Regis ilico victus fuit populis exultantibus, quod victor erat miles officij Toletani. Sed Rex adeo fuit a Regina Conſtantia ſtimulatus, quod a propoſito non diſceſſit, duellum iudicans ius non eſſe. Miles autem, qui pugnauerat pro officio Toletano, fuit de domo Matantiæ prope Piſoricam, cuius hodie genus extat. Cumq; ſuper hoc magna ſeditio in militia, & populo oriretur, demum placuit, vt liber officij Toletani, & liber officij Gallicani in magna ignis congerie ponerentur & indicto omnibus ieiunio a Primate, legato, & clero, & oratione ab omnibus deuote peracta, igne conſumitur liber officij Gallicani. Et proſilijt ſuper omnes flammas incendij cunctis videntibus, & Dominum laudantibus, liber officij Toletani illæſus omnino a combuſtione incendij alienus. Sed cum Rex eſſet magnanimus, & ſuæ voluntatis pertinax executor, nec miraculo territus, nec ſupplicatione ſuaſus, voluit inclinari, ſed mortis ſupplicia, & direptionem minitans reſiſtentibus, præcepit vt Gallicanum officium in omnibus regni ſui finibus ſeruaretur. & tunc cunctis flentibus, & dolentibus inoleuit prouerbium. Quo volunt Reges, vadunt leges. Et ex tunc Gallicanum officium tam in Pſalterio, quam in alijs nunquam ante ſuſceptum fuit in Hiſpanijs obſeruatum, licet in aliquibus monaſterijs fuerit aliquanto tempore cuſtoditum, & etiam translatio Pſalterij in plurimis eccleſijs cathedralibus, & monaſterijs adhuc hodie recitatur. Ricardo itaq; legatione priuato, primas Bernardus cœpit in Hiſpanijs eccleſias ordinare.

Matantia. Piſorica.

De ſchiſmate clericorum, & de reditu Primatis, & de bonis viris a Gallijs ductis.
Caput. XXVII.

EISDEM diebus ſanctiſſimus Vrbanus Papa ſecundus tactus dolore cordis, eo quod ab Agarenis Hieroſolymitana ciuitas tenebatur, perſonaliter verbum crucis cœpit omnibus prædicare, ſicut ſuperius meminimus nos dixiſſe, eius indulgencijs prouocatus. Venerabilis Primas Bernardus de clericis indigenis Toletanam eccleſiam ordinauit, & aſſumptis ad viam neceſſarijs, crucis ſignaculo inſignitus receſſit a propria ciuitate volens cum exercitu, de quo ſuperius diximus, in Syriam transfretare. Cumq; vix eſſet tribus dietis a ſede propria elongatus, clerici, quos in eccleſia inſtituerat, ſtulte locuti dixerunt adinuicem primatum ſuum nunquam de cætero reuerſurum. Vnde ſpiritu malignitatis, & inſipientiæ, inflammati alium electione indebita ſubrogarunt, & primatis domeſticos eiecerunt, qui gradu concito Dominum conſequentes, prout factum fuerat, intimarunt, at ille non immerito admiratus Toletum redijt in auctores ſceleris indignatus, quos cum electo ſuo non tardius degradauit, quam ipſi ſceleri præcipitio intronizauerant maledictum & tollens aliquos de monachis ſancti Facundi in eccleſia collocauit, ne interim, dum rediret, eccleſia diuino officio fraudaretur. Ipſe vero cœpto itinere Romam iuit. Sed cum ad ſedem Apoſtolicam perueniſſet, prohibuit eum Dominus Papa Vrbanus, ne procederet, ſed in tanta nouitate ad ſedem propriam remearet, ne paſtoris abſentia nouella plantatio periculo ſubiaceret. Cumq; eum a voti & crucis propoſito abſoluiſſet, ipſe per partes redijt Galliarum, vbi eligens de diuerſis locis viros honeſtos, & literatos, necnon & iuuenes dociles, quos habere potuit, in Hiſpaniam ſecum duxit. De Moſaico duxit beatum Giraldum, quem prius cantorem in eccleſia Toletana, poſtea fecit Archiepiſcopum Bracharenſem. De Vituricis ſanctum Petrum, quem prius Archidiaconũ toletanum. Poſtea fecit Epiſcopum Oxomenſem. De Aginno Bernardum, qui fuit cantor eccleſiæ Toletanæ, poſtea fecit eum Epiſcopum Seguntinum, poſtea Archiepiſcopum Compoſtellanum, & de eadem ciuitate Petrum, qui fuit iuuenis nutritus in eccleſia Toletana, poſtea Archiepiſcopum, poſtea Epiſcopum Socobienſem; & alium Petrum, quem fecit Epiſcopum Palentinenſem, & Raimundum, qui fuit oriundus de Saluitate, & fecit eum poſt beatum Petrum Epiſcopum Oxomenſem, qui poſtea ſucceſſit eidem in eccleſia Toletana, & Hieronymum de partibus Petragoricæ quoniam tempore Roderici Campiatoris fecit Epiſcopum Valentinum, ſed in breui ciuitate deperdita eum Dominus Bernardus Metropolitanus eius, & primas, in ciuitate poſuit Zamorenſem, vt ibi Epiſcopalia exerceret, in qua nondum fuerat nec Epiſcopus, nec eccleſia cathedralis. Duxit etiam de eiſdem partibus Bernardum, quem poſt mortem Hieronymi fecit Epiſcopum in eccleſia Zemorenſi, & iſte fuit primus proprius Epiſcopus Zemorenſis.

Maſaicus

Compoſtellanus:

De ſchiſmate, & deſpoſitione Burdini. Caput. XXVIII.

DVXIT etiam de Lemouicis Burdinum, quem primo fecit Archidiaconum Toletanum, poſtea Epiſcopum Coimbrienſem, poſtea Archiepiſcopum Bracharẽſem. Hic erat aſtutus, & verſipellis, qui cum vocaretur Burdinus, factus Epiſcopus fecit ſe Mauricium appellari, & immemor fidelitatis, & gratię ſanctę recordationis Vrbano Papa ſecundo viam vniuerſę carnis ingreſſo, acceſſit ad Paſchalem Papam ſecundũ, qui prędicto Vrbano fuerat ſubſtitutus, & magnum pondus pe-

cuniæ ſecum portans promiſit Domino Paſchali Papæ ſecundo nouiter inſtituto magnam pecuniam ſe daturum, ſi remoto Bernardo, qui eum creauerat, fieret ipſe Pontifex Toletanus. Qui nequiciam eius in eo, quod deliquerat volens punire, accepit pecuniam, & eum poſtea petitione fruſtrauit. Cumq; eo tempore eccleſia perſecutione grauiſſima læderetur, eo quod Imperator Oto prædictum Papam captiuatum cum Cardinalibus carceri mancipaſſet, idem Burdinus dolore pecuniæ inſtimulatus ad ſchiſmaticum Imperatorem acceſſit, eius famulatui ſe deſpondens. Cumque de alio eligendo in Papam Imperator tractaret, attendens Burdini aſtutiam, mox præcepit eum eligi ad culmen Apoſtolicæ dignitatis, & factus Papa, immo verius Antipapa, Romam ingreditur Imperiali potentia comitatus, & in eccleſia ſancti Petri, vt Papa reſedit, & ſolennia celebrauit vocatus Gregorius Papa octauus. Cumque diuina gratia adiuuante Paſchalis Papa carcerem euaſiſſet, perſecutione coactus per maritima, & Apuliam ferebatur incertus, ibiq; diu degens, vt exul, perſecutionem conſtantiſſime tolerauit, & Gaiete dicitur obijſſe. Ibidemq; fuit in Papatu Gelaſius ſubſtitutus qui ſcripſit Toletano Primati, ſicut in eiuſdem Papę inuenitur regeſto epiſtolam ſub his verbis: Gelaſius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Venerabili fratri Bernardo Toletano Primati, & cęteris Hiſpaniarum Epiſcopis. Non latere credimus fraternitatem veſtram, qualiter frater noſter Mauritius Bracharenſis Epiſcopus ſe iam diu habuerit, & quomodo eccleſiā ſuā dimiſerit, & quomodo Regi excommunicato adhęſerit. Illud etiam, vt opinamur, noſtis, quod a prędeceſſore noſtro ſanctę memorię Paſchali Papa in concilio excommunicatus ſit, & quod Bracharenſi eccleſiæ ſit mandatum, vt paſtorem ſibi alium prouideret. Nunc tandem per Regis tyrannidem poſt longum electionis meæ ſpacium in cubile ſanctæ matris Eccleſiæ ſe ingeſſit. Ideoq; fraternitati veſtræ mandamus, vt ad electionem in Bracharenſi eccleſia faciendam ſolicitudine charitatis debitæ operam præbeatis. Ipſum vero Mauritium excommunicatum, periurum, & matris eccleſiæ conſtupratorem, cæteris eccleſiæ filijs publicetis. Datis Gaiete, octauo Kalendas Aprilis. Et eidem Papa in Gallias nauigans Lugduni deceſſit in Pontificatu anni circulo vix expleto. & huic ſucceſſit Calixtus ſecundus, qui erat Archiepiſcopus Vienenſis frater Raimundi Comitis patriæ Aldephonſi Imperatoris Hiſpani. Hic mox pace formata debite reſtituitur dignitati, & Burdinum iam ab Imperatore abiectum Sutrij concluſit obſeſſum & captum. Et depoſitum. Calabriæ in monaſterio ſanctæ trinitatis de Cauca captiuitati perpetuæ mancipauit, qui ibi vixit fere vſq; ad tempora Eugenij Papæ tertij, a quo fuit quartus Dominus Alexander. Vnde & in ſecretario palatij Conſtantiniani hi verſus reperiuntur inſcripti.

Lugdunũ
Vienna.
Sutrium.

Ecce Calixtus, honor patriæ, decus Imperiale:
Nequam Burdinum damnat, pacemq; reformat.

Hos inquam prædictos viros literatos, prouidos, & honeſtos, primas Bernardus per Gallias tranſiens in Hiſpania ſecum duxit, & eos in Toletana eccleſia canonicos ordinauit. Monachos, quos ibi reliquerat, ſancti Facundi monaſterio, & ex eis, quos ſecū duxerat, vt ſapiens architectus fundandis eccleſijs prouidit primaria fundamēta, quorum ſolers prudentia, & honeſta religio cauſam dotationis, & incrementi eccleſijs præbuerunt, ſicut adhuc hodię patet in priuilegijs poſſeſſionum, & libertatum, quæ eccleſijs ſupra dictis ob eorum ſanctitatis reuerentiam Principes indulſerunt.

De captione Alcalæ, & Valentiæ. Caput. XXIX.

Alcala. CVM ergo primas Bernardus ad ſedem propriam rediſſet, Caſtro, quod dicitur Alcala, vix expugnabili obſidionem parauit, & incolæ, qui eidem caſtro immineret, caſtrum aliud obfirmauit. Demumq; fame affecti loci incolæ per deuia aufugerunt; relicto caſtro venerabili Bernardo Primati, quod adhuc hodie in Toletanæ eccleſiæ poſ-
Valentia. ſeſſionibus numeratur. Rex autem Aldephonſus acquiſita iam vrbe Regia, & munita, reſtauratis oppidis, & ciuitatibus extremorum Dorij, inertiæ inſcius Sarracenorum patrias peragrauit, loca munitiora diruens, & plana deuaſtans adeo, quod ſibi coegit ſeruire Ciſmarinos Arabes ſub tributo, & cum tanta gloria emineret in priuilegijs, quæ perſonis, vel eccleſijs conferebat, Imperatorem Heſperiæ ſe vocabat. In diebus eius Rodericus Didaci Campiator, qui ex cauſa, quam diximus, non erat in eius oculis gratioſus, conferta manu conſanguineorum, & militum aliorum propoſuit per ſe Arabes infeſtare. Cumq; verſus frontariam Aragoniæ
Dorius. perueniſſet, congreſſus cum Rege Petro Aragoniæ obtinuit contra eum, & etiam viuum cepit, ſed continuo manumiſit. Et inde procedens peruenit Valentiam, & obſedit. Cumq; ad ſuccurſum Valentiæ Buchar Rex Arabum cum exercitu aduenisſet inito certamine obtinuit Rodericus, & Buchar fugit vix vitæ relictus, cæſa tamen ex ſuis multitudine infinita. Et incontinẽti ciuitas ſe reddidit Roderico, & eam habuit, quoad vixit, & fuit in ea Hieronymus, de quo diximus in Epiſcopum conſecratus a Domino Bernardo Primate Archiepiſcopo Toletano. Sed poſtea mortuo Roderico Didaci, fuit ciuitas iterum ab Arabibus occupata. Corpus autem Roderici Didaci inter inſultus Arabum fuit a ſuis fideliter, & ſtrenue deportatũ ad monaſterium ſancti Petri de Cardigna, vbi hodie etiam quieſcit humatus.

De morte Regis Garſiæ, & ſororis eius. Caput. XXX.

HIS diebus Rex Garſias cœpit in vinculis ægrotare, quod audiens Rex Aldephonſus doluit vltra modũ, diligebat enim eum, & quia filium non habebat propoſuerat eum ſubſtituere ſucceſſorem, & quam cito Toleto redijt, a vinculis abſoluiſſet, ſed verebatur ne cum eſſet inſolens, in regnis rebellia excitaret. Vnde fecit eum liberiori cuſtodia cuſtodiri, & placita indulgeri. Et cum eſſet infirmus & ſanguinem minuiſſet, præcepit Rex, vt a vinculis ſolueretur. Ex quo ipſe ait: Deus noluit, vt in vita ſoluerer, abſolutionem renuo moriturus, ſed rogo, & mando ſororibus meis, vt me cum compedibus ſepeliant Legione. Cumq; eum ducerent Legionem, prout præceperat, a ſororibus, & Pontificibus, qui conuenerant,
æra. M.C. XVII. ibidem regio funere eſt ſepultus, anno. XVI. regni fratris, æra. M.C.XVII.

Et interfuit etiam Renerius legatus, & Romanæ eccleſiæ Cardinalis, ibidemq; celebrato concilio cum Bernardo Toletano primate, multa de officijs eccleſiæ ſtatuerunt, & etiam de cætero omnes ſcriptores omiſſa litera Toletana, quam Gulfilas Gothorum Epiſcopus adinuenit, Gallicis literis vterentur. Poſt hæc obijt Regina Vrraca Fernandi, & ſepulta eſt legione. Poſt modicum tempus obijt etiam Geloira, quę cum ſorore ſua Vrraca, & patribus Legione habuit ſepulturam.

De aduentu Arabum, & morte Auenabet.
Caput. XXXI.

MORTVIS autem vxoribus, quas habuerat ſucceſſiue Agnate, ſcilicet, Conſtantia, Berta, & Eliſabet, duxit Ceidam filiam Auenabeth Principis Hiſpalenſis, quæ poſtea baptizata dicta fuit Maria. Hic auditis magnalibus Aldefonſi, licet non viſum, vehementi tamen deſiderio adamauit, adeo vt fidem Chriſti ſuſciperet, & caſtra, quæ ſibi pater dederat, Regis Aldefonſi dominio manciparet. Caſtra autem, quę viro dedit, ſunt iſta, Caracuei, Alarcuris, Cōſocra, Mora, Oecania, Aurelia, Veleſium, Opta, Amaſſatrigo, & Cōcha, & ſuſcepit ex ea filium, qui Sancius vocabatur, quem Comiti Garliæ de Capra dederat nutriendū, & de conſilio ſoceri Auenabet vocauit ab Aphrica Almorauides, qui in gente Arabū tenebant tunc tēporis principatum, vt eorum auxilio vteretur cōtra Arabes ciſmarinos. Sed in contrarium res euenit. Nam cum ipſi in magna multitudine ciſfretaſſent, cœperunt Auenabeth grauius infeſtare, adeo quod eum in quodam prælio peremerunt, reputabant enim eum, quia filiam, & caſtra Chriſtiano dederat, Chriſtianum. Cumque Vandalutij eorum potentiam perpendiſſent, adinuicem tractauerunt, quid eſſet gratius, aut Chriſtianorum porcos, aut camelos Almorauidum cuſtodire, & ſectæ ſuæ zelo commoti ſeruire Almorauidibus elegerunt. Et extunc vltra marini, & ciſmarini ſub vnius Regis regimine ſeruierunt.

Caracuei. Alarcuris. Conſocra. Mora. Ocania. Aurelia. Veleſium. Opta. Amaſſatrigo. Concha. Vandalutij.

De ſtrage Chriſtianorū in Sacralijs, & victoria Aldefonſi in prouincia Hiſpalenſi.
Caput. XXXII.

CONGREGATI igitur Agareni cœperunt inuadere Chriſtianos, & effuſi ſunt ſuper terræ faciem vt locuſtę. Cūmq; veniſſent ad locum Caſtellæ, qui Roda dicitur, occurrerunt eis duo Comites, Garſias, & Rodericus. Et in congreſſu interfectis vtrinq; multis militibus, tandem ſuccubuit exercitus Chriſtianus, & magna captiuitate patrata, & locis plurimis concrematis Agareni cum ſuperbia redierunt. Poſt hæc Aldefonſus ſtragem huiuſmodi non leuiter ferens iterum exercitū adunauit occurrens exercitui Agareno, qui cū ſuo maximo principe, quē Amiramomeninū vocant, ex oppoſito egreſſus eſt. Cumq; ambo exercitus in loco, qui Sacralia dicitur, concertaſſent, demum ceſſit populus Chriſtianus. Et licet multi de Arabibus perijſſent, tot & tanti de Chriſticolis perierunt, quod illius belli ſtrages, & memoria, quaſi in prouerbium adhuc extant. Fugatus itaq; Rex Aldefonſus, quem tot victoriæ coronauerūt, non fuit tamen animo conſternatus, ſed reſumptis ſuis, & conuocatis de omnibus regnis omnibus conuocandis corde magnifico ad victoriam eleuato, eodem anno faciem contra Hiſpalim obfirmauit. Intranſq; Bæticam, & eam partem Luſitaniæ, quæ ſibi non ſuberat, predis, vaſtationibus, & incendijs ſic omnia deuaſtauit, quod horū fuga, & Agarenorum victoria fœlici commertio mutarentur. Et licet Amiramomeninus multos haberet cum Comite Garſia Ordonij Chriſtianos, non tamen auſus fuit Regi occurrere venienti. Et Rex Aldefonſus reuerſus eſt preda, & victoria glorioſus.

Roda. Sacralia. Hiſpalis.

De obſidionę Veleſij, & morte Infantis Sancij.
Caput. XXXIII.

Velſeus.

CVM itaq; poſt labores, & bella plurima Rex Aldefonſus longæuus degeret, & grandęuus confractus infirmitatibus & ætate, Amiramomeninus, qui Hali proprio nomine dicebatur, venit Veleſium obſidere. Sed Rex Aldefonſus, vt diximus, ſenio, & grauedine non permiſſus, miſit Garſiam Comitem cum filio ſuo Sãcio adhuc paruulo, & cum eis magnates, & milites regni ſui. Cumq; prope Veleſium perueniſſent, Sarracenorum maxima multitudo, quæ iam obſeſſis Veleſij præualebat, contra veniẽtes egreditur ad pugnandum, & hinc inde diſpoſitis aciebus congredi incœperunt. Et ſicut Domino placuit, pars Chriſtiana cœpit virtute Arabum infirmari, & in ea parte vbi Comes cum paruo aderat, cœpit fortius inualere.

Cumq; quiſpiam equum, cui infans Sancius inſidebat, grauiter vulneraſſet, Comiti dixit. Pater pater equus, cui inſedeo, eſt percuſſus. Cui Comes prętolare, quia te etiam ferient ſucceſſiue, & incontinenti cecidit equus, qui fuerat ſauciatus, & Regis filio ſimul cadente, Comes deſcendit, & inter ſe, & clypeum paruum collocauit, cęde vndiq; perurgente. Ipſe vero cum eſſet ſtrenuus, & clypeo paruum tutabatur, & vndiq; irruentes cædibus repellebat, ſed pede ictu gladij amputato, non potuit amplius ſuſtentari, & incubuit ſuper paruum, vt ipſe, quam puer, antea cæderetur. Cæteri vero magnates, & milites Chriſtiani, qui mortis periculum euaſerunt fugientes, & victi victoriam effugerunt. Cumq; Comes Garſias Ferrandi, & Comes Martinus, & alij Comites, & magnates ad locum, qui nũc Septem Comites dicitur perueniſſent, eos Arabum ſequella præuenit. Et ſeptem de magnatibus cum multis alijs ibidem occiſis, occiſionis locum vocauerunt Arabes Septem porcos, quem poſtea locum Petrus de Franco Commendator Velenſis mutato nomine ſeptem Comites appellauit.

Septem comites. Septem porci.

Comites autem & magnates, qui fugerant a conflictu, cum Toletum deiectis vultibus adueniſſent, & Regis præſentiæ aſtitiſſent, Rex dolore ineffabili conturbatus tali dixit eis. Vbi eſt filius meus iucunditas vitæ meæ? ſolacium ſenectutis, vnicus hæres meus? Ad quod Comes Gometius ſic reſpondit. Nobis filium, quem expoſcitis, non dediſtis, cui ille, & ſi dedi alijs, conſortes prælij & cuſtodiæ vos adiunxi, & ille cuius cuſtodię ſpecialiter reputaui, ſuſtinuit, incubuit, & occubuit ſuper eum, vos autem relicto puero cur veniſtis? Tunc Aluarus Fanun vir ſtrenuus, & fidelis ſic dicitur reſpondiſſe. Memores laborum, quos ab adoleſcentia toleraſtis, ciuitatum, & oppidorum, patrię, & caſtrorum, pro quibus totiens ſanguinẽ effudiſtis, & quod auxilium extincto paruo non prodeſſet, huc aduenimus, ne cum extincto paruo magnalium veſtrorum gloria extinguatur, ſi ea, quę a iuuentute veſtra fœliciter acquiſiſtis, nobis perditis perderẽtur, ſed nec ſic vis doloris potuit mitigari, quãto enim talia dicebantur, tanto amplius rediuiuis ſingultibus memoria filij torquebatur. Tunc perdita fuit Concha, Amaſſatrigo, Opta, Veleſium, Aurelia, Ocania, & Conſogra.

Concha. Amaſſatrigo. Opta. Veleſiũ. Aurelia. Ocania. Conſogra Magam.

Quod Vrraca Regis filia datur in matrimonium Regi Aragoniæ Aldefonſo. Caput. XXXIIII.

ALIQVANTO itaq; temporis interuallo videntes Comites, & magnates Regem dolore, & ſenio tẽdere ad defectum in pago prope Toletum, qui Magam dicitur, pariter conuenerunt tractaturi, vt Vrracha Regis filia, quæ mortuo Raimundo Comite viro ſuo adhuc vidua permanebat, nuptui traderetur. Et cum inter ſe aliquandiu tractauiſſent,

demum communi conſilio elegerunt, vt Comiti Gomezoni dicto poſtea de Campo Campus
ſpinę, qui erat potior matrimonio iungeretur. Et quia conſilium Regi proponere non ſpinæ.
audebat animoſitatis eius magnificentiam formidantes, quendam Iudęum Cidellum
nomine aſciuerunt, qui ſatis erat famliaris Regi propter induſtriam, & ſcientiam medi
cinæ, & huic conſilium denudantes mittunt ad Regem, vt quæ tractauerant, nuncia-
ret. Tunc Rex quaſi dolore duplici ſtimulatus Iudęo tale dicitur dediſſe reſpon-
ſum. Non tibi imputo, quod hoc dicere præſumpſiſti, ſed mihi, cuius familiaritate
in tantam audaciā prorupiſti. Caue ergo ne de cętero audeas in mei prę ſentia com
parere, quod ſi feceris, ilico morieris. Mea autem intererit, meæ filię ſed non, vt poſtu
lant, prouidere. Hoc audito receſſerunt confuſi Comites, & magnates. Iiſdem die-
bus Aldefonſum paruulum filium Raimundi Comitis & Vrracę Comes Petrus de
Traua in Gallecia nutriebat, de quo quia Comes Raimundus non fuerat in Regis o- Traua.
culis gratioſus, quaſi eius immemor non curabat, ſed vocato Toletano primate, & cę
teris Epiſcopis, & abbatibus regni ſui, decreuit cum eis, vt filia eius Vrraca Aldefonſo
Regi Aragoniæ matrimonio iungeretur, & vocato Rege Aragonum, quod decreue
rant impleuerunt. Nuptijs itaq; amara conſperſione peractis, Aldefonſus Rex Ara
goniæ vxorem ſuam in Aragoniam ſecum duxit. Rex autem Aldefonſus dictus
Heſperiæ Imperator in ſenectute ſua regni pericula ſic ſedauit, vt nobiles, & ignobiles
potentes, & impotentes vnius legis moderamine regerentur, adeo vt vtriuſque ſexus
quantumlibet imbecillis per omnes regni ſemitas incederet ſine metu.

De morte Regis Aldefonſi, & miraculoſo prognoſtico mortis eius.
Caput. XXXV.

CVMQVE ei vitæ terminus immineret, fere per annum infirmi-
tate chronica tenebatur, & tamen conſilio medicorū cotidie aliquan-
tulum equitabat, vt laboribus aſſuetus, exercitio foueretur, & quia
Deus omnipotens eius opera acceptarat, eius obitum prognoſtico
flebili voluit intimare. Octauo etenim die in natiuitate ſancti Ioan-
nis hora ſexta de lapidibus, qui erant in altaris gradibus cemētati non
ex terra, vel ex iuncturis, ſed ex ipſa ſubſtantia lapidum cœpit aqua cunctis videnti-
bus emanare, & tribus diebus continue emanauit. Erant autem illis diebus in ciui-
tate Petrus Legionenſis Epiſcopus, & Pelagius Ouetenſis, qui audito miraculo cum
vniuerſo clero, & populo ciuitatis, induti ſacris veſtibus ab eccleſia cathredali vſq; ad
altare ſancti Iſidori vbi hoc acciderat, proceſſerunt, & peracta miſſa, & ſermone pro-
poſito ab Epiſcopo Ouetenſi ad locū miraculi acceſſerunt, & ex ipſa aqua Pontifices,
& cæteri laudantes Dominum cum lachrymis potauerunt, ignorantes tamen quid
portenti nouitas præſignaret. Sed morte Regis audita ilico cognouerunt, quod lu
ctus, & tribulatio Hiſpaniæ orphanę immineba t, quare & duri lapides plorauerunt.
Plenus itaq; gratiæ, & dierū, kalendis Iulij, quinta feria clareſcente, reliquit luctum
populo ſuo, periculum patriæ, gaudium hoſtibus, lamentum pauperibus, ſuſpiria reli Aldefon-
gioſis, in eius obitu exiuit latro, præſumpſit prædo, latuit pauper, conticuit clerus, luit ſus Rex
incola, ſęuit hoſtis, fugit victoria, creuit fuga, gladius in domeſticos efferatur, & patria moritur.
exterminio præparatur, quolibet, quod bonum erat, in ſuis oculis faciente. Rege itaq;
finito exitu glorioſo primas Bernardus cum magnatibus, & alijs qui aderant, viginti
dierum exequias celebrauit. Sed quia de tuitione ciuitatis Rege mortuo non ſpera-

bant, corpus eius ad monaſterium ſanctorum Facũdi, & Primitiui, quod ipſe ditaue-
rat, detulerunt. Vbi ſepultus cum hymnis, & laudibus requieſcit. Regnauit autem
duobus annis fratre viuente, ſed iſti anni annis fratris annumerantur. Poſtquam
vero Toleto rediit annis quadraginta, mẽſibus ſex, diebus duodecim, qui cũ aliis menſi
bus fiunt quadraginta vnꝰ anni, ſepultus ibidẽ cũ ſuis vxoribus ſuperius nominatis.

LIBER SEPTIMVS RERVM HISPANARVM CHRONICON.

Caput Primum.

VERVM Rex Aragonum Aldefonſus ſoceri ſui au
dito deceſſu, mox cum vxore ſua Vrraca in Caſtel-
lam congregato exercitu properauit, & totam terram
nullis ferè reſiſtentibus, eo quod vxori eius ſucceſſio-
ne prouenerat, occupauit: quam vt bonus princeps
quiete, & pacifice ordinauit, & a Maurorum incurſi-
bus viriliter cuſtodiuit, & regnum Caſtellæ tanquam
proprium vndique dilatauit, & loca deſerta reſtituens
Belliſoramen. ductis incolis populauit, videlicet Belliſoramen, Vale
ranicam, Soriam, Almazanan. Cumq; de vxoris
Valeranica. contubernio dubitaret, eo quod conſanguinea eius eſſet, munitiones plurimas Regis
Soria. Caſtellę Caſtellanis omiſſis Aragonenſium fidei commendauit, quas eorum aliqui
Almazanum. diu fideliter tenuerunt. Hæc autem erat conſanguinitas inter eos. Rex Sancius di-
ctus maior fuit pater Fernandi Regis Caſtellæ, & Ranimiri Aragonię primi Regis,
Fernandus genuit Aldefonſum, qui cœpit Toletum, Aldefonſus genuit Vrracam
Reginam, Ranimirus genuit Sancium, qui Oſcam obſedit, Sancius autem genuit
Oſca. Aldefonſum, qui duxit Vrracam. Verum Comes Petrus Aſſurii a Rege Alde-
fonſo, qui cœpit Toletum, Reginam Vrracam paruulam ſuſceperat nutriendam.

Mortuo autem Rege poſt patris exequias Regina ingratitudinis ſpiritu incitata,
terrã abſtulit Comiti Petro Aſſurii. Sed Rex Aragonum vxoris ingratitudinem
non acceptans reſtituit Comiti terram ſuam, & quia Regina in his, & in aliis excede-
Caſtellare bat, Rex fecit eam in caſtro, quod Caſtellare dicitur, collocari. Regina autem indi-
gnanter tolerans cuſtodiri, vocauit milites ex Caſtella, cum quibus ſuaſis cuſtodi-
bus ſibi datis reditum obtinuit in Caſtellam, ſed magnates regni ab ea diuortium pro-
curatum nullatenus approbantes variis tractatibus interpoſitis viri gratiæ reddi-
derunt. Sed tempore procedente cum Rex intellexiſſet a ſuis beneplacitis alienam,
Soriam vſque eam duxit, ibiq; repudians dimiſit eam ſuæ arbitrio voluntatis, & ipſa
ad Comitem Petrum Aſſurii properans ſuo conſilio ſe commiſit. Tunc celebrata
curia terram petiit ab omnibus Caſtellanis, quam tamen a Rege Aragonię tunc tene-
bant. Sed, vt fidelitatis debitum expoſcebat, terram, quam tenebant, ei communi-
ter reddiderunt. Cumq; ſui ad eam ex omnibus regni partibus cõuenirent indigna-
tione maxima prouocati, eo quod Rex Aragonum eam repudiauerat, & in dominio
patriæ Aragones præponebat, eiuſdem Regis dominium abiecerunt, & munitio-
nes, & caſtra omnia, quæ tenebant, Reginę naturali dominæ reddiderunt. Tunc Co-

mes Petrus Aſſurij indutus ſcarlato, & inſidens equo albo, & portans funem in ma-
nu acceſſit perſonaliter ad Regem Aragonum in caſtro, quod dicitur Caſtellare, cui Caſtellare
manu, & ore hominium fecerat proterra, quam ab eo acceperat in honorem, in plena
curia ſic proponens. Terram, quam mihi dediſtis, Reginę reſtitui, cuius erat, meę do
minę naturali. Manus autem, os, & corpus, quæ fecerunt hominium vobis offero
morte, vel diſpendio conſumenda. Tunc Rex cum eſſet aliquantulum iracūdus, vo
luit in continenti ſententialiter condemnare, ſed ſuaſus a ſuis ſentētiam diſtulit promul
gare. In craſtino autem magnates ſui in conſilio ſuaſerunt, vt tali principi, qui fideli
tatem naturali dominæ ſic ſeruauerat, & ei corpus, & membra ad diſpendium offere-
bat, liberaliter indulgeret, fidelitatem enim vtriq; domino obſeruarat, pro vt dominij
debitum expoſcebat, & inſontem remiſit cum muneribus, & honore, cuius factum
Hiſpani adhuc hodie imitantur.

De victorijs Regis Aragoniæ contra Gallecos, & Caſtellanos, & morte Comitis Gomitij. Caput. II.

CASTELLANI autem conſ[illegible]ſtim caſtra, & oppida intermutа-
runt & ſic regnum in diſcidio conſtitutum, ab vtraq; parte graui-
ter vexabatur. Interea Comes Gomitius ad Reginæ connubium
anhelabat, ſicut patris tempore, vt prædiximus, a magnatibus fuerat
pertractatū, ſed Regina Vrraca clanculo non legitime Comiti Go-
mitio ſatisfecit. Vnde & Comes quaſi de matrimonio iam ſecurus,
cœpit agere bella regni, & pro viribus Aragones propulſare, & genuit ex Regina fi-
lium furtiue qui dictus fuit Fernandus Furatus. Interim autem quidam Comes Pe
trus de Lara reginæ gratiam clandeſtine procabatur, quod voluit, impetrauit, vt exi-
tus comprobauit. Cumq; regnū diſcidio, & cladibus vexaretur Aldefonſus Rex
Aragonum, qui adhuc munitiora loca in Caſtellæ terminis detinebat, exercitu cōgre-
gato Caſtellæ fines inuaſit, & Caſtellani omnes cum Gomitio Comite congregati
ei communiter occurrerunt. Cumq; vtriq; in Cāpo ſpinę prope Septem publicam
cōuenitſſent, Caſtellani ſuas acies ordinarunt. Primam aciem cum regni vexillo Pe Campus
tro de Lara Comiti conceſſerunt. In poſtrema vero fuit Comes Gomitius tāquam ſpinæ.
maior, & cum exercitus congredi incœpiſſent, Comes Petrus, qui ad Reginæ connu Septem
bium anhelabat, in primis ictibus vexillo proiecto ceſſit hoſtibus ſine pugna, & venit publica.
Burgis, vbi Regina tunc temporis morabatur. Comes autem Gomitius cum cęteris Burgis.
Caſtellanis bello inſtitit ſtrenue pręliādo, ſed pręualente Rege Aragonię victus oc-
cubuit, & occiſus. Sed & miles quidam de domo Oleæ, qui vexillum Comitis in ſua Olea.
acie præferebat, occiſo equo, ad terram cecidit, & amputatis manibus ſolis brachijs ve
xillum tenens non ceſſabat, Oleam, Oleam fortiter inclamare. Fugijt ergo exercitus
Caſtellanus, multis ex eis cædibus detruncatis, & Caſtella nuper inclyta pro vili
commertio proſternitur derelicta. Aragonenſes autem de Caſtellæ victoria eleua
ti, Doriam tranſeuntes per campos Gothicos adeunt Legionem, intermedia irruptio Doria.
nibus, & incendijs deuaſtantes, & licet inclyti eſſent prædis, tamen cœperunt defectu Campi
pecunię ſtipendia minorari. Vnde & Rex Aragonum ad ſanctuaria miſit manum, Gothici.
& theſauros auri, & argenti, & precioſorum lapidum quos Regum, & Reginarum
deuotio dedicauerat, manu ſacrilega vſurpauit, & etiam poſſeſſiones oblatas a Regi-
bus infiſcauit. Vnde erga Deum, & homines ceſſit ei in ſcandalum, & peccatum,

ſperabat enim ſe regna vxoris perpetuo habiturum. Cumq; vlterius proceſſiſſet,
Galleci, & Legionenſes cum infante Aldefonſo, qui, vt diximus, in Gallecia conſiſte-
bat, Regi Aragonum occurrerunt inter Aſtoricam, & Legionem in loco, qui dici-
tur Via anguis, & commiſſo prælio fugatis Legionenſibus, & Gallecis, & cæſis pluri
bus ex vtriſq;, Rex Aragonum fuit victor, & per partes Caſtellæ rediens fautores Pe
Pallentia. tri Comitis deuaſtauit, & eos perſequens, in Montione prope Palentiam coarctauit,
vbi fugientes ſe receperant cũ Regina, & ex eis aliquos ibi cepit, & ſic in Aragoniam
rediit triumpho duplici coronatus. Petrus autem Comes de Lara cum familiare
commertium cum Regina indebite propalaret, ſperans illud matrimonio cõfirmare,
omnibus præminebat, & cœpit Regis officium exercere, & quaſi dominus omni-
bus imperitare, ſed magnates alij infamiam dominæ non ferentes, cœperunt ei reſi
ſtere, & matrimonij propoſitum impedire.

De electione Aldefonſi Regis in Regem.
Caput. III.

VERVM timentes, ne res ad effectum caſu aliquo perueniret, Go
Maceneto castro. metho de Maceneto, & Guterrius Fernandi de Caſtro, præ omni
bus inſtiterunt, vt Aldefonſum Reginę filium, & Comitis Raimun
di, quem a tempore aui in Gallecia nutriebant, ad regni faſtigiũ euo
carent, qui fauore omnium euocatus, in regni ſolio collocatur, reſi-
ſtente nihilominus ſibi matre, & Comite Petro de Lara, ſed adiu-
tus a ſuis Comitem Petrum de Lara a regno expulit, & expulſus ad Aſilum Comi-
tis Barcinnonę abijt deſtitutus. Rex autem matrem ſuam Reginam Vrracam obſe-
dit in turribus Legionis, ſed pace inter matrem, & filium, procurata, retentis, quæ Re-
gina voluit, cætera filio reſignauit, & inteſtinis diſcidijs iam ſedatis cœpit Rex, quãuis
iuuenis, potentiam Aragonum attentare, qui adhuc in regno ſuo potiora loca ſub po-
teſtatis ſuæ dominio detentabant. Cumq; ex Gallecia, Legione, Aſturijs, & Caſtel
Anagarũ. la, exercitum congregaſſet, Rex Aragonum ex aduerſo per partes Anagari cum ſuo
exercitu veniebat. Videntes autem Epiſcopi, & Abbates Caſtellæ, & Aragoniæ
quod iſta diſſenſio poſſet Arabibus viam dare, ſicut tempore Roderici, vtriq; Regi hu
militer ſupplicarũt, vt a prælio abſtinerent, donec de concordia tractaretur. Demum
cum eſſet iunior Rex Aldefonſus, fuit taliter procuratum, vt ſupplicaret per Epiſco-
pos, & Abbates Regi Aragonum tanquam patri, vt ſibi reſtitueret regnum ſuum, &
cum de iure non poſſet, nollet eum de facto priuare, quia ipſe paratus erat tanquam
filius, eum in omnibus adiuuare. Et Rex Aragonum his auditis, cum eſſet vir pius,
& optimus, ſic reſpondit. Gratias ago Deo vero, qui filio meo tale conſilium inſpi
rauit, quia & ſi antea hoc feciſſet, me nunquam hoſtem, ſed propicium habuiſſet, & ec
ce nunc ex quo petijt gratiam, nihil eorum, quæ ad eum pertinent, mihi volo, ſed cun-
cta reſtituo incunctanter. Mandauit itaq; omnibus, qui munitiones, caſtra, & oppi-
da detinebant, vt Regi iuueni priuigno ſuo omnia reſtituerent ſine mora, & firmata
pace concorditer, & benigne, vterq; exercitus ſine belli periculo ad propria remeauit
Aldefonſo Rege iuuene in integrum reſtituto. Verum Rex Aragoniæ audiuit ibi
Fraga. dem Arabes ſuis finibus adueniſſe, & in eorum occurſu properans in loco, qui Fraga
dicitur, cum Arabibus decertauit, & qui alias ſemper inuictus fuerat, ſtrenuitate Ara
gonum frigeſcente ſacrilegij, quod Legione commiſerat, ſoluit pœnas, nam victus oc-
ciditur.

cidditur, & ſi occiſus inuētus fuerit, dubitatur. Ab aliquibus enim dicitur corpus eius in montis Aragonis monaſterio tumulatum, a Mauris tamen ante redemptum. Ab alijs dicitur viuus a prælio euaſiſſe, & confuſionem prælij nequiens tollerare, peregrinum ſe exhibuit huic mundo, effigie, & habitu immutatus. & annis aliquot interpoſitis quiſpiam ſe oſtendit, qui ſe eundem publice fatebatur, & multorum Caſtellæ, & Aragoniæ id ipſum teſtimonia affirmabant, qui cum eo in vtroq; regno fuerant familiariter conuerſati, & ad memoriam reducebant ſecreta plurima, quæ ipſe olim cum eis habita recolebat, & antiquorum aſſertio ipſum eſſe firmiter aſſerebat. Demum tamen quia eum ex regno plurimi ſectabantur, & de die in diem eorū numerus augebatur, Aldephonſus Rex Aragoniæ fecit eum ſuſpendio interire.

Aragonis mons.

De magnalibus Regis Aldephonſi circa principium regni ſui.
Caput. IIII.

ALDEPHONSVS autem filius Comitis Raimundi cœpit regnare æra. M. C. XLVI. & regnauit. LI. annis. Mater autem eius regnauerat poſt mortem Aldephonſi, qui cepit Toletum. IIII. annis & fuit vir bonus, largus, ſtrenuus, manſuetus. Cuius tempora viris optimis, Comitibus magnatibus, & alijs ſtrenuis magnatibus abundarunt, cum quibus magna, & ardua attentauit, & fœlici exercitu conſummauit, circa principium regni ſui ciuitatem Cauriam acquiſiuit, & in ea per Bernardum Primatem, qui eius tempore adhuc erat, dignitatis perditæ inſignia reformauit, & Mauros, qui in Luſitania habitabant, ſæpe, & ſæpius conculcauit. Interea Bernardus Primas venerādus ordinatis eccleſijs prouinciæ, & Primatus, beneplacitis Deo actibus glorioſus quarto Nonas Aprilis quartodecimo anno regni Imperatoris defectu naturæ migrauit ad Chriſtum, & in eccleſia, quam de Mezquita ad Titulum beatę virginis conſecrarat, obtinuit cunctis flentibus ſepulturam, aclamantibus vniuerſis Cur nos pater deſeris deſolatos. Vixit in Pontificatu annis quadraginta quatuor. Eſt autem titulus tumuli ſic inſcriptus. Primo Bernardus fuit hic Primas venerandus. Huic ſucceſſit Raimundus Epiſcopus Oxomenſis. Poſtea Imperator per partes Toleti Mauros aggrediens, Calatrauam, quæ regnum Toleti grauiter infeſtabat, & diu obſeſſam pugnis, & machinis occupauit, & eccleſiam cum multis poſſeſſionibus, & decimis regalium redituum Domino Raimundo Toletano primati conceſſit, & eiuſdem villæ iuriſdictionis municipia, quæ munitionibus pręminebant, quædam retinuit, quædam ſolo dirupta adequauit, ſcilicet Alarcuris, Caracoi, Petrochium, ſanctam Euphemiam, Meſtantiam, Alcudiam, Almodouar. Et cum eſſet irruptione frequenti Mauris infeſtus, omnia ſibi proſpere ſuccedebant, & iam Hiſpaniarum Regem in ſuis ſeuocabat.

æra. M. c. xlvi.
Cauria.
Calatrauā
Alarcuris
Caracoi.
Petrochium.
S. Euphemia
Meſtantia
Alcudia.
Almodouar.

De ortu, & genealogia Regum Portugalliæ.
Caput. V.

VERVM Comes Enricus, de quo diximus, quod Rex Aldephonſus Tharaſiam filiam ei dederat in vxorem, cum eſſet vir bonus, iuſtus, ſtrenuus, timens Deum cœpit aliquantulum rebellare, non tamen ſubtraxit Hominium toto tempore vitæ ſuæ, ſed a finibus Portugalliæ eiecit, prout potuit, Agarenos, ſibi iam ſpecialem vendicans

Principatum. Hucuſq; etenim cum gente ſua mandatū ad exercitum, & ad curiam veniebat, ſed benignitas immo negligentia Aldephonſi tanquam conſanguineo, & af-
Viſeum. Lamecū. fini improvide deſerebat. Ipſe vero Enricus Viſeo, & Lameco, & Portugali ſedes
Portugale. reſtituit cathedrales, & a Toletano Primate earum Epiſcopi fuerunt conſecrati. Co-
Coimbria. imbriæ etiam eius tempore fuit Burdinus, de quo diximus, primus Epiſcopus conſecratus. Bracharam etiam, quæ varijs vaſtationibus adhuc diruta permanebat, vigi-
Bracharā. li ſtudio reſtaurauit, & per Bernardum Toletanum Primatem fuit dignitati priſtinæ reſtituta. In ea enim ſanctum Giraldum Toletanum cantorē, de quo diximus, in Archiepiſcopum conſecrauit. Comes autem Enricus ad petitionem vxoris ſuæ Tharaſiæ, quæ Regina, quia Regis filia dicebatur, terræ ſuæ ciuitates ſingulis Epiſcopis donationis titulo aſſignauit, præter Coimbriam, quæ apud eos tunc temporis, vt vrbs Regia habebatur. Hic Enricus genuit ex Tharaſia Aldephonſum, qui mortuo patre ſucceſſit in principatu, & a principio Dux Portugalliæ dicebatur.

Hic duxit vxorem Mafaldam filiam Comitis Maurienæ, ex qua ſuſcepit filium Sancium, & Vrracam, quæ fuit poſtea vxor Fernandi Regis Legionenſis, & genuit ex ea filium Aldephonſum, de cuius genere poſt dicemus, & aliam filiam, quæ
Flandria. Annoni. Tharaſia dicebatur, & nupſit Philippo Comiti Flandriæ, & Hannoni, & fuit mortua ſine prole. Filius eius Sancius duxit vxorem nomine Dulcem filiam Raimundi Comitis Barcinonæ, & Vrracæ Aragonenſis, & ſuſcepit ex ea filios Aldephonſum, qui ei ſucceſſit in regno, & habuit vxorem Vrracam filiam Regis Caſtellæ nobilis Aldephonſi, & genuit ex ea filios Sancium Regem Portugalliæ ſucceſſorem, qui etiam adhuc regnat, habuit ſecundum filium Aldephonſum, qui duxit vxorem
Babylonia. Matillam nomine de partibus Franciæ Babiloniæ Comitiſſam, & per eam habet hodie Comitatum, habuit etiam tertium filium nomine Fredinandum, qui in Caſtella duxit vxorem Sanciam filiam Comitis Fredinandi, habuit etiam filiam Alienor, quæ nupſit Regi Datiæ, & ibi fuit mortua ſine prole. Rex autem Sancius, de quo diximus, præter Aldephonſum, cuius generatio iam eſt dicta, filium habuit alium nomine Petrum. Hic duxit vxorē filiam Argmengaudi Comitis Vrgelenſis, quæ expers prolis vitam finiuit, habuit & alium filium Ferdinandum qui duxit vxorem
Flandria. Flandriæ Comitiſſam, & antequā prolem ſuſciperet, vitam finiuit, habuit & aliam filiam Tharaſiam nomine, quæ Aldephonſo Regi Legionenſi fuit inceſtuoſo contubernio copulata, ex quo ſuſcepit filium nomine Fernandum, & filias Sanciam, atq; Dulcem, & Fernando, & Sancia iam defunctis, Dulcis remanet nondum nupta.

De inſignibus præliorum Regis Portugalliæ Aldephonſi. Caput. VI.

NVNC contexta generatione Principum Portugalliæ ad Aldephonſum Ducem, de quo cœpimus, reuertamur. Hic Aldephonſus fuit ſtrenuus, & pertinax in agendis. Hic primus in Portu-
Rex primus Portugalliæ. gallia ſibi impoſuit nomen Regis, cum pater eius Comes, & ipſe Dux antea dicerentur, & ab Eugenio Papa tertio, cui regnum ſuum conſtituit cenſuale, multa priuilegia, & indulgentias impetrauit. Hic apud Coimbriam conſtruxit monaſterium ſanctæ Crucis, quod donarijs, & poſſeſſionibus multis ditauit. Conſtruxit & aliud monaſterium, quod
alcobaria Alcobatia nominatur, quod multis dotauit poſſeſſionibus, & ditauit, cepit ſanctam

Irenéam, Sintriam, & Vlixbonam, Elboram, & Alanquellum, multa etiam loca, quæ patriæ vtilitas expoſcebat, & muris firmauit, & diu deſerta nouiter populauit. Habuit bellum cum Fernando Rege Legionis, in quo fuit victus, & captus: ſed clementia aduerſarij ſuis protinus redonatus propria autem morte deceſſit, ſepultus Coimbrię in monaſterio ſanctę Crucis. Cui ſucceſſit filius eius Sancius, de quo diximus, vir magnæ prudentiæ, & ſtrenuus in agendis, contra Mauros plurima bella geſſit, & Syluam nobilem ciuitatẽ animoſus obſedit, & aduentantibus ex Flandria plurimis bellatoribus demum cepit, & in ea Pontificalem cathedram eleuauit, ſed poſtea incurſu Arabum veniente remanſit primis incolis ſubiugata expulſo inde catholico incolatu, populauit etiam loca plurima, quæ in dicione Regis Portugalliæ adhuc extant. Cauam Iuliani, quę vulgariter dicitur Couillana, Guardiam, Montem ſacrum, Portum molarum, & turres nouas, & multa alia, quibus remanſit Portugallia dilatata, & morbo chronico diu detentus vitam finiuit, in monaſterio ſanctæ Crucis iuxta patrem traditus ſepulturæ. Huic ſucceſſit filius Aldephonſus in principio Chriſtianiſſimus, in fine ſuę deditus voluntati. In diebus eius Alchazar, & caſtra alia in deditionem fidei catholicæ peruenierunt, moriturus autem elegit in monaſterio Alcobatię ſepulturam. Poſt hæc Sancius filius eius ſucceſſit in regno, huius temporibus Heluis, Iurmenia, Serpia, & multa alia caſtra Maurorum Chriſtianorum victorijs acceſſerunt. Adhuc extat, & Dominus dirigat vias eius. Et vt genealogię Regum Portugallię ſeriem texeremus a propoſito diuertimus aliquantum.

S. Irenea. Sintria. Olyſſimo. Elbora. Alanquellum. Silua. Flandria. Caua Iuliana. Couillana. Guardia. Sacer. M. Portus molarum Turres nouæ. Alcazar. Alcobatia Heluis. Iurmenia Serpia.

Quod Imperator diuiſit imperium filijs ſuis. Caput. VII.

NVNC ad geſta Aldephonſi Hipaniarũ Regis, prout cœpimus, reuertamur. Mortuo itaq; Aldephonſo Rege Aragonum, & ſubſtituto eidem Ranimiro monacho fratre ſuo cœpit Aldephonſus Rex Hiſpaniarum Aragoniam infeſtare, adeo quod ciuitates, & caſtra, quæ ſunt citra Iberum, & loca omnia occupauit, Tandem poſt longa certamina ea lege in concordiam redierunt, vt Rex Aragonum omnia ſupradicta teneret in feudo a Rege Hiſpaniarum, & ei fieret in vaſſallum, quod & fuit fideliter obſeruatum, vſq; ad obſidionem Conchæ, in qua dicitur Rex Caſtellæ Aldephonſus nobilis Regi Aragonum Aldephonſo hominium, & dominium remiſiſſe. Poſt hæc rediens Legionem impoſuit ſibi Imperij diadema, & vocatus fuit deinceps Imperator. Habuit autem duas vxores, Berengariam, atq; Richam, ex Berengaria genuit Sancium, & Fernandum, Eliſabeth, & Beatiam, Eliſabeth nupſit Ludouico Regi Francorum, ex qua genuit filiam, quæ dicta fuit Adelodis, & fuit vxor Comitis de Pontino. Et illa comitiſſa genuit Mariam, quæ fuit mater Ioannæ Reginæ Caſtellæ, & Legionis. Beatia nupſit Sancio Regi Nauarrę, & ſuſcepit ex ea duos filios, & tres filias, de quibus ſuperius eſt iam dictũ. Poſt hæc conſilio quorumdam Comitum Amalarici de Lara, & Fernandi de Tranſtamarim diſcidia ſeminare volentium, diuiſit regnũ duobus filijs Sancio, & Fernando, Sancio primogenito dedit Caſtellam vſq; ad ſanctum Facundum, & Morum Reginæ, & aggerem fumorum, & Oroniam, Couellas, Medinam, & Araualum, & totum territoriũ Abulẽſem, & inde ſicut diuidit calciata, quæ dicit̃ deguinea, & in aſturijs ſicut diuidit ripa Oue. Reſiduũ verſus mare, & Portugalliã dedit minori filio Fernando.

Concha. pontinũ. Lara. Tranſtamera. S. Facundus. Morum. Agger fumorum. Oronias Couellas. Medina. Areualũ. Strata gumea.

De captione Cordubæ. Caput. VIII.

POSTEA cum magna ſuorum multitudine metuẽda vrbem aggreſſus eſt Cordubenſem. Cumq; prope eam veniſſet, Princeps
Corduba Auengamia, qui Cordubę pręſidebat, de viribus non confidens exiuit obuiam Imperatori, & claues obtulit ciuitatis eius dominio ſeſe tradens. Cumq; Imperator acceptaſſet oblata, recepit etiam ciuitatem, & in Mezquita Raimundus primas, & Archiepiſcopus Toletanus ritu catholico ſolennia celebrauit. Cum vero ciuitas eſſet populoſa, nec Imperator ſufficeret tot ibi ad conſeruationẽ dimittere bellatores, qui poſſent reſiſtere incolis, ſi vellent forſitam malignari, demum conſilio minus ſano Auengamiæ, qui ei ciuitatem dederat, commiſit cuſtodiam ciuitatis, & ille ſuper librum Mahometi, qui Alchoranus dicitur, ſibi & Regi Sancio filio ſuo fecit hominium, & iurauit.

De aduentu Regis Franciæ in Hiſpaniam.
Caput. IX.

POST hæc quidam maligni inter eum & Regem Franciæ volentes odium ſeminare, Regi Franciæ obrepſerunt dicentes, Heliſabeth vxorem ſuam eſſe ortam ex villiſſima concubina, & Rex Ludouicus volens experiri ſuggeſta iter arripuit ad ſanctum Iacobum veniendi, quod
Burgis. præſentiens Imperator Burgis occurrit, turba herilium procerum comitatus, equorum & theſaurorum copijs adornatus, & gener eius ab eo, & Rege Nauarræ, qui cum eo venerat glorioſiſſime eſt ſuſceptus, ita quod ipſe Rex Franciæ in aſpectu tantæ gloriæ obſtupebat. Cumq; eum vſq; ad ſanctum Iacobum produxiſſet, inde rediens Toleti curiam celebrauit tam Chriſtianorum, quam Arabum eius Imperio ſubiectorum, cui etiam interfuit Raimundus Comes Barcinonenſis. Cumque Rex Franciæ tam nobilem curiam inſpexiſſet, admiratus omnia dixit coram omnibus proteſtatus, ſimilem curiam, ſimilem apparatum in orbis ambitu nuſquam eſſe, nec tantam ſupellectilem ſe vidiſſe. Tunc imperator oſtendens ei Comitem Barcinonæ, qui in magno, & honorabili apparatu erat. Ecce, inquit, ex huius ſorore Berengaria ſuſcepi filiam, quã vobis contuli in vxorem, & ſi vobis hanc ignobilem, & me inglorium ſuggeſſerunt, oculi veſtri videant veritatem. Tunc Rex Ludouicus gratias egit dicens: Benedictus Deus, quod filiam tanti Domini ex ſorore tanti Principis habere merui in vxorem. Obtulit autem Imperator infinita donaria, quæ ſine valore numerum excedebant, ſed nil eorum voluit recipere Ludouicus, niſi quendam Carbunculum, quem in corona ſpinæ Dominicę apud ſanctum Dionyſium collocauit; quem etiam memini me vidiſſe.

De ortu Almohadum. Caput. X.

IN diebus autẽ huius Imperatoris Aldefonſi ſurrexit apud Arabes vir quidam nomine Auentumerth, homo in Aſtronomia, & naturalibus valde doctus. Hic curioſitate vigili inueſtigans quæſiuit iuuenem filium figuli, qui Abdelmon proprio nomine dicebatur, & ei ſuadens grandia prædixit eum Regem Arabum affuturum, qui mox conſentiens prophetię monitis acquieuit. Auentumerth autem aſciuit quendam, qui Almohadi vocabatur, & erat in Mahometi doctrina

valde per'tus, & cœpit librum Mahometi, qui dicitur Alchoranus, exponere, & docere, & Caliphe de Baldac, qui eſt Papa Arabum, & deſcendit generationis linea de ſe- Baldac. mine Mahometi contraria prædicare, ſimiliter contra Almorauides, qui tunc culmen regni in Africa optinebant, rebellia adhortari, & tantam ſeduxerunt populi multitudinem, quod licet Rex Albadi, qui erat Rex. & Dominus Almorauidum, cum eis ſæpius concertaſſet, & etiam deuiciſſet, tanta fuit commotio eius gentis, quod non potuit præualere. Ille etiam Abdelmomus, qui regalia exercebat, adiutus prædicatione Almohadi, & concilijs Auentumerthi, Regem Aboali vicit, & interfecit, & totum regnum optinuit Africanum, & apud Marrochum gentis illius Metropolim Marrochum. ſtatuit ſedem ſuam, & Almohadi quaſi Dei prophetam in omnibus honorabat, cuius prædicatione totã Africam acquiſiuit, & ſuo gladio ſubiugauit. Tandem etiam in Hiſpaniam cisfretauit, & fere ſuo dominio omnes Arabes incuruauit. & eo reuerſo in terram ſuam, mortuus eſt Almohadi, quem Abdelmomus non longe a Marrochis regio funere ſepeliuit, & in tanta veneratione habetur, vt in neceſſitatibus ſuis ad eum recurrant ſubſidia petituri, & ab eius nomine complices huius ſectæ Almohades nominantur. Alij tamen dicunt Almohades, vnitos interpretari. Poſt hæc mortuo Abdelmuno filius eius Aueniacob ſucceſſit in regno, qui in Hiſpanias veniens a quodam Chriſtiano occiſus fuit in Portugali. Cui ſucceſſit frater eius Aduenïuçeph, qui in bello Alarcuris repulit Chriſtianos, & hoc mortuo ſucceſſit ei filius eius Auenmahomath, qui in Nauis Toloſę ab Aldephonſo Rege nobili fuit victus, quæ victoria diſceſſionis, & exterminij Almohadibus cauſam dedit.

De captione Beatiæ, & Almariæ. Caput, XI.

CVMQVE iam in purpura diadematis ſeminarium diſcidij germinaſſet, congregato exercitu obſedit Beatiam, & cum de ſuis aliqui Beatia. receſſiſſent, Sarraceni vndiq; congregati ad ſoluendã obſidionem illico aduenerunt. Apparuit autẽ in nocte Sanctus Iſidorus confortans Imperatorem, & in congreſſu craſtino ſe pollicens adiutorem. Igitur luce craſtina apparente, inito prælio iuxta promiſſum ſancti Iſidori obtinuit Imperator, & fugatis auxilijs, Mauri incolæ, quia reſiſtere non valebant, eius dominio ſe dederunt, & ei vrbis præſidium tradiderunt, quod ipſe incontinenti repleuit bellatoribus, & incolis Chriſtianis, & remanſerũt Mauri ſubditi ſub tributo, & propter miraculum eccleſiam ſancti Iſidori conuentu regularium ordinauit, & donarijs plurimis adornauit. Et inde procedens peruenit ad ciuitatem maritimam, quæ dicitur Almaria. Cumq; aliquandiu ibi manſiſſet: Raimundus Comes Barcinonæ, & naues Ianuenſium aduenerunt. Qui cum eum in acquiſitione fideliter adiuuiſſent, obtinuit. Et ſibi retinuit ciuitatem, & ſpolia omnia Ianuenſibus eſt largitus, inter quæ inuentum fuit vas Smaradineum, vt ſcutella, & Ianuenſes illo contenti cætera dimiſerunt, quæ fere omnia Comiti Barcinonæ contulit Imperator, & reuerſus eſt Imperator inclytus victoria, & honore, & Beatiam vſq; peruenit, ibi- Almaria. que relicto filio ſuo Sancio ad cuſtodiam ciuitatis, & Andugari, & quod Sate ipſe Beatia. Imperator per montem, qui muratal dicitur, iter arripuit redeundi. Cumq; veniſſet Andugarum. ad Ilicem quandam frondibus denſam, & ramis, ibidem infirmitate vexatus vitam Muratal. finiuit, & ſtatim Fernandus filius eius timens a fratre ſuo Sancio pręueniri cum magnatibus regni ſui regnum adijt Legionis.

De ſucceſſione Regis Sancij in Regno Caſtellæ.
Caput. XII.

CVMQVE Rex Sancius, qui Beatię remanſerat, hoc ſenſiſſet, re-
lictis omnibus, qui vltra montem de Muratal Chriſtianitas poſſide-
Bratia. Muratal. bat, ad funus patris velociter properauit, & cum Primate Ioãne, qui
tunc aderat, patrem ſuum duxit Toletum, & ibidem in patriarchali
æra. M c. xc. vij. eccleſia honorifice ſepeliuit, & cœpit regnare æra. M. C. XC. VII.
& regnauit anno vno, & ex tunc cœpit aſſignati regni negotijs pro-
uidere, & viuente patre vxorem duxerat nomine Blancam filiam Garſiæ Regis Na-
Pertice. uarræ, & Margelinę filiæ Rotronis Comitis Perticarum, ex qua iam ſuſceperat fi-
lium nomine Aldefonſum, qui trium annorum remanſerat in morte imperatoris.
Hic Rex Sancius tanta benignitate pollebat, quod clypeus nobiliũ dicebatur, & tan-
ta congerie virtutũ claruit, vt pater pauperum, amicus religionũ, defenſor viduarum,
tutor pupillorũ, iuſtus iudex omniũ ab omnibus vocaretur. Nihil arduum reputa-
bat, quod ad cordis magnificentiam pertineret, aſcenſiones uirtutum in corde ſuo con-
tinue diſponebat, & mundiciã amans ad ea, quę virtuoſum faciunt, anhelabat. Quid
de moribus eius, de ſtrenuitate in hoſtes, de liberalitate in omnes, de iuſticia in ſuos,
de pietate in fratrem, de deuotione in eccleſias, de timore in Deum dicam? Huic pa-
ter diuiſit imperium, ſed ipſe virtutes omnium in ſe virtutum fibula colligauit.

De reſtitutione magnatum Legionis per Regem Caſtellæ.
Caput. XIII.

REX autem Fernandus cum eſſet pius, miſericors, & benignus, ſu-
ſurronũ tamen linguis aures credulitate facili inclinabat, qui volen-
tes regni exordia perturbare mala de quibuſdam Comitibus ſuggeſ-
ſerunt, & ipſe eorum ſuſurris inclinatus abſtulit eis temporalia feu-
da, quæ tenebant. At illi Regem Caſtellæ Sancium adierunt, qui
S. Facundus. ſtatim congregato exercitu, venit ad ſanctum Facundum. Quod
cum Fernandus Rex Legionis audiſſet, verẽs cum fratre cõmittere habito ſuorũ con-
ſilio, fratris arbitrio ſe cõmiſit, & cum paucis equitans venit ad fratrẽ velociſſime ſine
armis. Ipſo vero improuiſis omnibus veniente Rex Sancius in menſa conuiuij con-
ſedebat, & adeo Rex Fernandus venit feſtinus, quod vix potuerunt ei aſſurgere con-
uiuantes. Rex autẽ Sancius, vt improuiſus aduentus potuit tolerare, eum recepit cu-
rialiter, & iucunde, & iuxta ſe in collegio regio collocauit. Erat autẽ Rex Fernãdus
de cultu non curans, & venit illotus veſtes, & caput. Cumq; vidiſſet eum Rex San-
cius, qui mundiciã veſtium, & corporis diligebat, fecit incontinenti balneum præpa-
rari, & tandiu in menſa non comedens expectauit, donec lotus corpus, & caput opti-
mis veſtibus innouatus in cõuiuio cultu regio ſedit ornatus. Et cõuiuio ſplẽdide cele-
brato, Rex Sancius aduentus ſui cauſam, & cuius cõſilio ſic aduenerat, ſciſcitatur. Cui
reſpondit: Ad vos tanquã ad patrẽ, & Dominũ veni ſecurus de virtute bona præſu-
mẽs, & ſupplico, quod regni mei fines inuadere non velitis, quia etiam ſi velletis, vobis
hominiũ facere ſum paratus. Cui Rex Sancius ſic reſpondit. Abſit a me, vt terrã, quã
pater meus vobis contulit, meę ſubijciã poteſtati, vel frater meus filius tanti patris ali-
cui hominio ſit aſtrictus. Sed cũ pater noſter regnum nobis diuiſerit, & vos veſtris,
& ego meis, & prouentus, & terrã tenemur magnatibus impartiri, quorum auxilio

patres noſtri terram perditam habuerunt, & Arabes repulerunt. Reddatis ergo feu-
da ſua Comiti Pontio de Minerba, & alijs magnatibus, quos priuaſtis, & non creda-
tis ſuſurronibus contra eos, & ego in continenti recedo. Tunc Rex Fernandus cum
eſſet pijſſimus, & benignus, omnia, quæ Rex Sancius dixerat, acceptauit, & ſtatim
abinuicem amicabiliter receſſerunt.

Quod Calatraua data fuit Abbati Fiterienſi, & de morte Regis Sancij. Caput. XIIII.

QVIBVS peractis Rex Sancius venit Toletum, & rumor incre- Calatraua
uit, quod Arabes veniebant cum magno exercitu Calatrauam, fra-
tres autem militiæ templi, qui arcem Calatrauæ tenebant, timentes
quod non poſſent Arabum violentiæ obuiare, ad Regem Sancium
acceſſerunt ſupplicantes, vt & arcem, & villã Calatrauæ reciperet,
quia non erat eis facultas Arabibus reſiſtendi, nec inuentus fuit ali-
quis de potentioribus, qui vellet defenſionis periculum expectare. Erat autem tunc
temporis in vrbe regia Raimundus homo religionis Abbas Fiterij, & cum eo mona- Fiterium.
chus quidam, qui Didacus Velaſqui dicebatur, homo nobilis, & quondam ſtrenuus
in officio militari, & de Buronę partibus oriundus, & a iuuentute cum Rege Sancio Burona.
enutritus. Qui vidẽs Regem ſollicitum pro diſcrimine Calatrauæ, ſuaſit Abbati, vt
a Rege peteret Calatrauam, & licet Abbas ſe a principio retraxiſſet, demum conſen-
ſit monacho olim militi ſupplicanti, & accedens ad Regem petijt Calatrauam. Et li-
cet aliqui fatuum reputarent, tamen ſicut Domino placuit, Rex conſenſit. Et Abbas
cum monacho incontinenti venerunt ad primatem Ioannem, qui tunc præerat eccle-
ſię Toletanæ. Qui audiens ſanctum propoſitũ gratias egit Deo, & ſtatim rerum
ſuarum dedit auxilium, & fecit publice prædicari, vt omnes euntes in auxilium Cala-
trauæ omnium peccatorum veniam mererentur. Et facta eſt tanta commotio in ci-
uitate, vt vix eſſet, qui aut in propria perſona nõ iret, aut equos, aut arma, aut pecunias
in ſubſidium largiretur. Et Rex Sancius incontinenti dedit Abbati, & ſanctę Ma-
riæ de Fiterio in poſſeſſionem perpetuam villam, & præſidiũ Calatrauæ, & Abbas
cum Didaco Velaſqui monacho venit duce Domino Calatrauã, & ſic eſt factũ diſpo-
ſitione altiſſimi ordinãte, quod Agarenorum exercitus, de quo rumor increuerat, non
aduenit. Et tunc multi, quos deuotio incitauit, temperato habitu, vt militaris agili-
tas expoſcebat, eorum ordinem receperunt, & incontinenti cœperunt contra Arabes
cædes, & prælia exercere, & Domino adiuuante proſperatum fuit opus in manibus
monachorum. Tunc Abbas reuerſus ad monaſterium armenta, & greges, & cæ-
tera mobilia, quibus tunc temporis Fiterium abũdabat, nec non & multitudinem bel-
latorum, quibus ſtipendia, & viatica miniſtrauit, duxit ſecum veniens Calatrauam
exceptis debilibus, & ægrotis, quos ad miniſterium monaſterij dereliquit, & vt audi-
ui ab his, qui viderant, fere viginti millia hominum ſecum duxit, & hic fuit in Fiterio
primus Abbas. Mortuus autem ſepultus eſt in villa, quæ Cirolos dicitur prope Ciroli.
Toletum, vbi Deus per eum, vt fertur, miracula operatur. Didacus autem Velaſqui
poſtea diu vixit, quem etiam memini me vidiſſe, & obijt in monaſterio ſancti Petri
de Gomello, & ibi ſepultus requieſcat in pace. Rex vero Sancius poſtquam dedit Gomello
Fiterio Calatrauam, conſummatus in breui compleuit tempora multa, placita enim
erat Deo anima illius, & ideo feſtinauit eum Dominus educere de medio iniquitatis,

& dare ei imperium non diuiſum. Obijt autem Toleti ſecundo Kalendas ſeptem-
bris cui regni, & vitæ anni circulus finem dedit. Regnauit enim anno vno, diebus
duodecim, iuxta patrem ſepultus in maiori eccleſia Toletana.

De Rege Aldefonſo, & perſecutione, quam infantia tolerauit, & nuptijs eius.

Caput. XV.

POST obitum deſiderabilis Sancij ſucceſſit ei filius nomine Alde-
æra.M.c. xcvij. fonſus Trimus, & patris priuilegio amplectēdus, æra milleſima cen
teſima nonageſima octaua, hunc genuerat ex Blanca filia Garſiæ Re
gis Nauarræ. Hic ab infantia vultu viuax, memoria tenax, intelle-
ctu capax. Sed quia regnorum principia vix carent diſcordia etiam
in adultis, multi de ſuis, qui ad diſcidia inhiabant, Fernando Regi Le
gionenſi infantis patruo ſuaſerunt, vt Regis pueri initia perturbaret, qui continuo
acquieſcēs aliquas ciuitates, & oppida occupauit, ita vt ipſe Rex paruulus quæretur.
Cauſa autem huius ſeditionis, vt dicitur, iſta fuit. Cum deſiderabilis Sancius pater
eius videret diem obitus imminere, vocatis magnatibus mandauit omnibus, vt terra-
rum dominia, quæ ab eo tenebant feudo temporali, vſq; annos quindecim retine-
rent, & tunc filio ſuo fideliter reſignarent. Cumq; puer Guterio Fernandi de Caſtro
a deſiderabili Sancio fuiſſet commiſſus, & ipſe poſt patris obitum Cuſtodiæ pueri di
Atia. ligentiam adhiberet, acceſſerunt ad eum Garſias Garſiæ de Atia Comes Amalaricus,
Comes Aluarus, Nunius Petri de Lara, & hi tres vltimi erant fratres filij Comitis
Petri de Lara, & Auę Comitiſſę. Garſias Garſię erat frater eorum ex matre, & filius
Comitis Garſię, qui in bello Veleſij cum infante Sancio fuit occiſus. Itaq; omnes
ſuaſerunt Guterio Fernandi de caſtro, vt daret puerum Comiti Amalarico, qui erat
Extrema- potens, & charus habitantibus Extrematuram, & ſic poſſet terrę ſeditio complanari,
tura. & ipſi autem Guterio Fernandi tanquam maiori deferrent. Erat enim vir grandę
uus, & honorabilis, qui etiam deſiderabilis Sancij patris pueri curam habuerat, cum
viueret Imperator. Hic dicitꝰ fere quingētos milites manu propria accinxiſſe cingulo
militari, & habuit vxorē nomine Theodam, ex qua tamen prolē aliquā non ſuſcepit,
ſed habuit fratrem nomine Rodericum Fernandi, qui fuit Caluus agnominatus.
Hic habuit quatuor filios Fernandū Roderici, & Aluarum Roderici, & Petrum
Roderici, & Guterium Roderici, & filiam Sanciam Roderici, quæ fuit vxor Aluari
Guzman Roderici de Guzman. Cumq; Guterius Fernandi adhibuiſſet fidem verbis Comi
tis Amalarici, & fratrum ſuorum, eorum fidei commiſit infantem, & infantem rece-
Atia. ptum Garſiæ Garſię de Atia tanquàm maioris cuſtodiæ commiſerunt. Ipſe vero
cum eſſet ſimplex, & rerū non prouidus diſpenſator, quęſiuit a fratribus vnde poſſet
de ſumptibus prouidere. Ipſi vero gaudentes eo quod ad cuſtodiam pueri anhelabāt,
dixerunt ei, vt ſe ab expenſarum onere expediret, & traderet puerum Comiti Amalari
co, quod & ipſe acceptans ſumptibus caruit, & regimine, & honore.

De diſpenſatione magnatum Caſtellæ ſuper cuſtodia Regis Caſtellæ, & de fuga eiuſdem Matienza.

Caut. XVI.

CVM vero Guterrius Fernandi percepiſſet hos fratres cum Rege
paruo rebellare, iuxta quod promiſerat, petijt ab eis reſtitui ſibi Re-
gem, quem ipſi tanquam improuidum deriſerunt. Cumq; inter
vtramq; domum de Caſtro videlicet, & de Lara longa concertatio Caſtrum
incidiſſet, multa hinc inde pericula, multa homicidia acciderunt, adeo Lara.
quod hæc diſcordia occaſionem prębuit Legionenſibus præualen-
di, in tãtum quod & aliquam partem Caſtellæ, & Extremorum Dorij occuparent. Extrema.

Cumq; Comes Amalaricus, & fratres ſui ſibi timerent, Regem puerum Sorię di
miſerunt ſub fidei cuſtodia in parrochia ſanctæ Crucis. Inter hęc autem Guterrius
Fernandi vitam finiuit, & in monaſterio ſancti Chriſtophori de Eucis fuit ſepultus,
& Comes Amalaricus in continenti petijt terram a nepotibus Guterrij Ferdinandi,
ſed illi vſq; ad quintum decimum annum pueri iuxta ſtatutum Regis Sancij patris
ſui reddere noluerunt. Vnde & ipſi corpus Guterrij Ferdinandi inhumaniter exhu-
mantes, de proditione niſi terram reſtituerent, reputarunt. Sed nepotes eius ab im-
petitione huiſmodi liberarũt dicentes, quod Rex ab ipſo nunquã petierat terrã ſuam.
Vnde iam mortuus non poterat criminari, & ſentẽtia curiæ abſolutus propriæ re
ſtituitur ſepulturæ. Cumq; in nepotes eius vellent obiecti criminis infamiam retor-
quere, reſponderunt ſe teſtamentali edicto Regis Sancij terram ſibi creditam vſq; ad
annos quindecim retinere, & tunc parati erant terram reſtituere Regi ſuo. His de-
certationibus inflammati terram Regis pueri cum deberent fideliter regere, & tueri,
incurſionibus, & cladibus affecerunt, & creſcentibus malis vſq; adeo res proceſſit, vt
Regi Legionenſi fere totius regni, & etiã Toleti per duodecim annos ſoluerentur red-
ditus, & tributa, & Comes Amalaricus ad tantæ neceſſitatis articulum fuit ductus, vt
Regi Legionenſi facere hominium cogeretur de dando Rege puero in vaſallum.

Cumq; cum ipſo Rege Soriam perueniſſet, vt iuxta hominium Regem puerum re Soria.
ciperet in vaſallum, facto concilio Sorienſi, illi quorum fidei Rex Tenellus fuerat de-
putatus Amalarico Comiti ſic dixerunt. Liberum vobis damus, & liberum cuſto-
dite, & tunc puer a quopiam concitatus in brachijs Bauili cœpit flere, & in domum
ducitur ſub ſpecie cibi dandi, vt ſic a fletu ceſſaret, & patruo traderetur. Tunc Pe-
trus Nunij de fonte Almexiri miles ſtrenuus, & fidelis Regem puerum protexit ſub
cappa, & velociſſimo equo inſidens ea die ad caſtrum ſancti Stephani duxit eum.

Cumq; in concilio Sorienſi Rex Legionis, & Comites, & Varones varia varie
pertractarunt, & ſimulatum ſomnium Regis pueri ſpectarẽt, Rex Legionis de puero
percunctatur. Erat enim ſpectatione, & deſiderio fatigatus. Et dum quæreretur a
pedagogo pueri quonam eſſet, reſpondit, miles venit, qui eum duxit patruo præſen-
tandum. Cumq; Comites moram varijs protractionibus procurarent, demum in
ciuitate facta perturbatione non modica, ea conditione a Rege patruo receſſerunt, vt
ſollicite inquirentes vbilibet inuenirent, puerum reſtituerent iuxta pactum. Et ea
nocte ad ſanctum Stephanum peruenerunt. Sed Comes Nunius quaſi quæſitu- S.Stepha-
rus puerum præcurrit, & inde aſſumpto puero ſequenti die Atentiã ſe recepit, & pa- nus.
cta, & hominia pro liberatione domini non curauit. Quod audiens Rex Fernandus
doluit reputans ſe deluſum, & miſit quendam militem Comiti Amalarico, qui eum de Atentia.
infidelitate, & periurio appellaret. Qui attendens pro liberatione domini natura-
lis quidlibet faciendum, & tenellum dominum omnibus præponendum, nũcium, qui
ad reptandum venerat, iocoſe deluſum ſine reſponſo alio remiſerunt. Tandem cum

Rex Ferdinàndus Comitem Amalaricũ prȩſentialiter reptàret, Comes Amàlaricus ſic dicitur reſpondiſſe. Si ſum fidelis, aut proditor, aut alcuoſus, neſcio: ſed quocunq; modo potui tenellum puerum dominũ meum a ſeruitute indebita liberaui, cum ſim eius dominij naturalis. Ad hȩc omnium iudicio eſt ab impoſito crimine obſolutus.

Quod Rex Fernandus obtinuit fere totam Extremaduram. Caput. XVII.

OCCVPAVIT itaq; Rex Fernãdus omnes ciuitates, & caſtra, & villas prȩter pauciſſimas, in quibus Rex puellus receptabatꝰ aliquãdo minus tute, & qui adhuc a mamillis nutricis paruulus dependebat, ȩtatis gratia fauorabilis, naturȩ beneficio innocẽs, patris priuilegio amplectendus, futurorum indicijs obſeruãdus quaſi iam reus, vel nocens ad mortẽ quȩritur, quaſi non verus hȩres exhȩredatur, quaſi non filius primogeniti Imperatoris, qui debebat eſſe hȩres ex integro, a patrimonio effugatur. Quid mali fecit, qui loqui non poterat, qui nec ſtatũ ſuȩ infantiȩ agnoſcebat? niſi hoc dignũ perſecutione dicatur, quod quicqd poſſibilitati illius ȩtatis ſuberat, hoc in puero bonorũ prȩſagijs monſtrabatur, quȩ omnia proceſſus infantiæ iam in pueritia oſtendebat, in qua regalis grauitas leuitatis puerilis ignara ſucceſſione temporum mirabiliter coalebat. Quȩq; in alijs principibus vix ȩtas etiam operatur, in iſto gratia ſuperabat. Itaq; puerorum ludicra vir mente tranſcendens, & bella plurima contra patruum decenter exercuit. Et munitiones plurimas immerito perditas merito recuperauit, fauentibus ſibi Amalarico, & Nunio Comitibus, & plurimis magnatibus, qui toto tempore vitæ ſuȩ ei inſeparabiliter, & fideliter adhæſerunt, qui etiam eum proprijs humeris, & brachijs nutrierunt. Nec etiam fuit locus, vel ciuitas, licet Regem Fernandum prȩdictis de cauſis ſtulta vulgi mobilitas ſequeretur, in quibus aliqui ſaniori, & fideliori mente præditi Regi puero non fauerent. Vnde & quidam ex eis perſecutionẽ, & damna a Fernando Rege, & ſuis complicibus pertulerunt, & ipſi magis elegerunt eum vero domino fideliter exulare, quam fide læſa vtilitatis cauſa indebito principi obedire. Horum nomen, & genus etiam hodie habetur in omnibus regni finibus glorioſum, remuneratione plenũ, obprobrio vacuum, potentia ſublimatum, familiaritate regia honeſtatum.

De commendatione fidei, ſeu fidelitatis. Caput. XVIII.

QVID fide glorioſius, impoſſibile eſt eſt Deo placere quempiam ſine fide. Si prima gratia in iuſtificatione impij fides a Theologis prædicatur, per hanc dãnatus homo gratiæ redonatur. Quid fidelitate potius appetendum? cum enim ſit vtilis, & honeſta, ſine hac Deus, qui omnia poteſt, noluit mundum regi, quia ſi hæc periret, homo homini non ſubeſſet, nec quiſquam ab alio tutus eſſet, & conuictus inter homines non adeſſet, ſed nec quiſquam ſufficeret ſibi ſolus, & ita congregatio hominum deperiret, igitur cuncta pro nihilo facta eſſent. Fides itaque ſit præuia omnibus, per quam quilibet Deo placet, qui eſt Dominus dominorum, fidelitatem etiam circa inferiores tanquam pupillam oculi inuiolatam cuſtodiat, & illeſam. Nunquam enim hæreditatis eius tuta poſſeſſio violatur, & eius negotiatio nunquã mercede fraudatur, non eſt in ea labor ſine præmio, nec eſt timor ſine adiutorio, oculi eius ſecuri, frons velari ne-

ſcia non indiget velamento,tuta in occulto glorioſa in publico, iucunda inter amicos nobilis inter odioſos,probris infeſta,laudibus gratioſa,ab omnibus acceptatur, etiam vbi diſplicet approbatur. Sed & vitiorum monſtroſa caterua fidelitatem abnuens, quam in ſe renuit,in alijs concupiſcit,dignitate enim humanæ naturæ conſpicua non prono,ſed vultu incedit erecto,& terr.is dedignata ſimilis cæleſtib⁹ inuenitur. Quie-ſcit ſecuritate conſcientiæ,roboratur ſpei magnitudine,tota pura,tota deſiderabilis,tota vtilis inuenitur. Hanc exquiſiuit a iuuentute ſua Aldefonſus deſiderabilis Sancij filius,qui cum eſſet paruulus,vt dictum eſt,& fere regno priuatus ſuorū fidelitate, & induſtria recuperauit perdita. Acquiſiuit non habita,reędificauit deſerta,donec iace ret fundamēta vrbium,& erigeret excelſa turrium,& ruinas a ſęculis repararet. Proficiebat enim apud Deum,& homines ſapientia,& ætate,perſequentium manus euaſit ſuorum ſolertia liberatus. Tandem etiam Toletum obtinuit, quam duodecim annis occupauerat Rex Fernandus,perſecutus eſt perſecutorem, & quem iniuſte ſenſerat hoſtem, ſæpe perſecutus eſt fugientem. Omnia enim,quæ perdiderat,acquiſiuit, & etiam infantaticum,quod ſub dubio vertebatur. Erexit eum Deus altiſſimus,& magnificauit eum Creator ipſius, donec ſtabiliret illi ſolium gloriæ,& exaltaret ei diadema victoriæ. In fraude circumuenientium illi affuit, & honeſtum gloria fecit illum,cuſtodiuit eū ab inimicis,& a ſeductoribus tutatus eſt illum,& dedit illi certamē, vt vinceret, & ſciret quoniam omnipotens regit Reges, & per eum principes tenent terram. Obtinuit itaq; omnia, quæ fuerant patris ſui.

Infantaticum.

De Rege Fernando Legionenſi filio Imperatoris. Caput. XIX.

NVNC a proſecutione propoſiti aliquantulum diuertentes Regis Fernandi magnalia proſequamur. Fuit autem Rex iſte Fernandus pius, hilaris, liberalis, ſtrenuus, benignus, & in prælijs fortunatus,erga religiones,& eccleſias ſic deuotus,vt eis fere omnia regalia largiretur, quæ tamen filius eius poſtea reuocauit, & adeo communis omnibus habebatur,quod,tanquam regularis, in mobilibus fere proprium non habebat, & quamuis induſtria immoratus,plus fauore, quam timore ab omnibus amabatur. Et accepit vxorem Vrracam nomine filiam Regis Portugalliæ Aldefonſi,ex qua ſuſcepit filium nomine Aldefonſum, Rex igitur Fernādus licet gener Regi Portugalliæ pacificus raro fuit. Vnde ad conſilium cuiuſdā Vernali,qui a Rege Portugalliæ læſus effugerat, locum optimum populauit, qui dicitur Ciuitas Roderici, ex qua Portugalliæ intulit multa mala,populauit etiam Leteſmam in territorio Salamantino, & Granatam in territorio Caurienſi. Beneuentum,& Coiancam,quæ nunc Valentia dicitur in diœceſi Ouetenſi. Villare pandum,Manſellam,& Maioricā in diœceſi Legionenſi.caſtrum Toraph,in diœceſi Zamorenſi.

Roderici ciuitas. Leteſma. Granata. Beneuētū Coianca. Valentia. Villarepādum. Manſella. Maiorica Caſtrum Toraph.

De bello eiuſdem cum Salamantinis. Caput. XX.

CVMQVE Salamantina ciuitas cæteras regni vrbes, & habitatoribus,& terminis ſuperaret,indignati ciues eo quod Rex eorum terminos decurtabat,contra Regem fauentibus ſibi Abulenſibus ſeditionē mouerunt, & in valle Muzę pariter congregati cum duce quodam, qui Munio Rauia dicebatur, cum Rege Fernando prælium inierunt, & pręter

Vallis Muzę.

ſpem omnium victoria Regi prouenit, & ducem, quē ſibi fecerant, Munionem Rauię viuū cepit, quē capitali ſententia condemnauit, & ſic maioribus ſibi fauentibus, quorum ſentētia principio non potuit praeualere vim vulgi multitudine faciente, demum experti praeſumptionis flagellum, & potentia minorati, nunc ſuis maioribus, & ſuo principi pro venia ſupplicabant, & ſic Rex victor ciuitatem, vt voluit, ſubiugauit maioribus, qui ſibi fauerant, honoratis. Poſt hęc Rex Fernādus corpus Regis Ranimiri Deſtrianę ſepultum Aſtoricam tranſtulit, & in cathredali eccleſia ſepeliuit.

Deſtriana.

De ſuccurſu ciuitatis Roderici. Caput. XXI.

Rodrici ciuitas.

ERAT autem tunc temporis vir nobilis, de quo diximus, ex Caſtella Fernandus Roderici agnomine Caſtellanus, qui, poſtquam feuda, quae tenebat, Regi reſtituerat Caſtellano, receſſerat a Caſtella, & tranſiuit ad Agarenos, & cum eorum maxima multitudine ad ciuitatem Roderici venit feſtinus, vt praeoccuparet locū, & incolas improuiſos. Sed dicitur ſanctus Iſidorus cuſtodi ſacrorum ſuae eccleſiae aduentum praedicti principis, & Arabum reuelaſſe, vt ipſe Fernando ſimiliter reuelaret, & Rex Fernandus audiens egit gratias incontinenti properans ad ſubſidium obſeſſorum. Sed quia ciuitas nondum erat muris munita, populatores quadrigas, & ſcrinia, dolia, arcas, & lectos, & lignamina omnia in circuitu poſuerūt, quibus vſq; ad aduentum Regis hoſtibus inſtiterunt. Rex autem veniens inuictus animo, confiſus in Domino, & oraculo confortatus cum obſeſſoribus concertauit. Et maxima eorum multitudine interfecta, quae vix poterat numerari, alios egit fuga, alios retinuit in captura, & munita ciuitate Roderici quieuit terra a praelijs diebus multis.

De bello Fernandi Roderici. Caput. XXII.

Lubricale Campi Gothici.

ET Rex Fernandus optans ſtrenuos, Fernandum, de quo diximus, reuocauit. Sed idem Fernandus quieſcere neſcius coepit inuadere Caſtellanos, & in campis Gothorum in loco, qui dicitur Lubricale, pugnauit cum Comitibus Caſtellanis. Et ſocerum ſuum Oſorium Comitem, qui degebat tunc temporis in Caſtella, & Aluarum Guterrij fratrem Roderici Guterrij interfecit, & multis alijs fugatis, captiuatis, & interfectis, Comitem Nunium, & Rodericum Guterrij captiuauit, qui tamen poſtea recepto reuertendi hominio taliter deceſſerunt, vt Comes Nunius ſtatuto tempore, & Rodericus Guterrij poſtquam ſepeliſſet Aluarum Roderici, ſe reſtituerent captioni. Sed cum Rodericus Guterrij eſſet ſagax, fratrem ſuum in ſarcophago poſuit, & tandiu diſtulit ſepelire, donec Fernandus Roderici vitam finiuit, & ſic fuit a captiuitatis hominio liberatus. Comes autem Nunius die, & loco, quo redire debebat, aſſumptis ſecū ſexcentis militibus venit Donias, & in praeſentia omnium Fernandi Roderici ſe obtulit captioni dicens coram omnibus, ecce adſum, & iuxta condictum me recipite in captiuum. Sed cum Fernando Roderici non eſſet facultas ſexcentis militibus reſiſtendi, nemo manus in eum iniecit. Et Comes Nunius proteſtatus coram omnibus captiuitati ſe tempore placiti obtuliſſe abijt liberatus, & ſic ſollicitudo deluſa eſt captiuantis. Occiſo autem Oſorio Comite Fernandus Roderici filiam eius, quam in vxorem duxerat, dereliquit afflictę addens afflictionem, ſed ipſa nupſit Petro Arię, ex quo genuit Rodericum Petri de villa Luporum, & poſt paucos dies Rex Fernandus foro

Donias.

dus ſororem ſuam ex parte nomine Stephaniam ei matrimonio copulauit, ex qua ſuſ-
cepit idem Fernandus filium Petrum Fernandi, qui fuit poſtea magnus, & coram
Regibus honoratus.

De victorijs Regis Fernandi, & morte eius. Caput. XXIII.

ALDEPHONSVS autem Rex Portugalliæ dolens, quod
Rex Fernandus ędificauerat ciuitatem, miſit exercitum cum filio ſuo
Sancio primogenito contra eam. Sed quia Rex Fernandus a Rege
Caſtellæ infeſtabatur, diuiſo exercitu partem reliquit, quæ occur-
reret Caſtellanis, partem duxit contra exercitum Portugallis, & oc-
currit filio Regis Sancio venienti in termino ciuitatis in loco, qui
dicitur Arganale, & conſerto prælio, Regi Fernando victoria, Portugallenſibus Arganale.
ceſſit fuga, & multis occiſis multiſq; fugatis cæteri Regis Clæmentiæ ſe dederunt,
quos non vt victor euertit, ſed vt clemens abire permiſit. Rex autem Portugallię
indignatus cœpit Galleciam infeſtare, & occupauit totam Linciam, & Turonium,
& alia multa loca, deinde congregato exercitu Badallocium eſt aggreſſus, quæ in di- Lincia. Turoniū
uiſione acquirendorum prouenerat Regi Fernando. Cumq; ſuper hoc nuncius ad Badallocium.
ueniſſet, Rex Fernandus congregato exercitu bellum intulit Aldephonſo, & cum ſuc-
cumberet exercitus Portugallis. Rex eorum confugit ad eam, de qua agitur, ciuitatem,
iam enim fere duas partes occupauerat ciuitatis Agarenis in arce concluſis. Sed nec
ibi quidem ſe tutum exiſtimans, dum per portam effugeret ciuitatis, quę peſulo ferreo
claudebatur, impegit ad peſulum, & crure confracto vix in equo poterat reſidere.

Vnde & ilico fuit captus, & Regi Fernando ſatis miſerabilis præſentatus, quem
benigne ſuſcipiens Rex Fernandus iuxta ſe in conſeſſu regio collocauit. Sed Rex
Portugalliæ grauis diſcriminis attendens ſtatum, confeſſus eſt ſe Regem Fernan-
dum indebite offendiſſe, & pro ſatisfactione regnum obtulit & perſonam. Sed Rex
Fernandus pietate ſolita manſuetus, ſuis contentus Regi Portugalliæ ſua remiſit.

Tunc reſtituit rex Aldephonſus Regi Fernando Luniam, & Turonium, & cæ- Luniū.
tera, quæ ſuæ fuerant ditionis, & dimiſſus ad propria eſt reuerſus, nec propter læſio-
nem tibiæ potuit poſtea militare officium exercere. Rex autem Fernandus cum
iterum Badallocium obſideret, egreſſi ad eum Agareni ab arce ſeci cum præſidio
tradiderunt, quorum hominio, & fide ſuſceptis præfecit eis quendam Arabem, qui
Abenhabel dicebatur, cuius fidei commiſit cuſtodiam ciuitatis. Sed Rege ad pa-
triam redeunte prædictus Arabs oblitus fidei continuo rebellauit, & Amiramoni-
no ſe tradens Regem Fernandum poſtea grauiter infeſtauit. Arabes autem attenden-
tes Regem Aldephonſum debilitate, qua diximus, præpeditum, eundem in caſtro ſan-
ctæ Ireneæ congregata multitudine obſederunt. Quod audiens Rex Fernandus in S. Ireneæ.
ſuccurſum eius celeriter properauit, & eius aduentu territus Rex Aldephonſus timuit
ne ad vindicādas iniurias adueniret, ſed cognita veritate egit gratias, vt debebat. Aga-
reni autem Regis Fernandi præſentiam non ferentes ab obſidione continuo receſſe-
runt, & Rex Fernandus ad regnum rediens dimiſit Vrracam vxorem, quia eum con-
ſanguinitatis gradu tertio attingebat, & duxit vxorem Tharaſiam filiam Comitis
Fernandi, quæ fuerat vxor Comitis Nunij de Caſtella. Et ea mortua duxit Vrra-
cam filiam Lupi Comitis Naiarēſis, ex qua ſuſcepit duos filios Sancium, & Garſiam,
quorum vterq; expers prolis vitam finiuit. Cæterū Rex Fernandus annis triginta

vno in regno fœliciter conſumatis, obijt Benauenti æra. M. CC. VIII. & in eccleſia beati Iacobi eſt ſepultus iuxta auum ſuum Comitem Raimundum, & Imperatricem Berengariam matrem ſuam.

De Rege Aldephonſo, & eius militia, & filijs.
Caput. XXIIII.

MORTVO Rege Fernando, ſucceſſit ei eius filius Aldephonſus. Hic fuit homo pius, ſtrenuus, & benignus, ſed ſucceſſionum viciſſitudine mutabatur, & a conſobrino ſuo Aldephonſo Rege Caſtellę, & Sancio Rege Portugallię infeſtatus circa principium regni ſui

Carrion.

venit ad Regem Caſtellę, & in curia Carrionis accinctus ab eo cingulo militari manū eius fuit in plena curia oſculatus, & in eadem curia Rex Caſtellę nobilis Aldephonſus Conradum filium Frederici Imperatoris Romani accinxit ſimiliter cingulo militari, & ei primogenitam Verengariam deſponſauit. Sed ipſo Conrado in Teutoniam reuertente prædicta domicella deſponſationi continuo contradixit, & per Gundiſaluum Toletanum Primatem, & Gregorium Sancti angeli Diaconum Cardinalem Apoſtolicę ſedis legatum diuortio celebrato, puella Verengaria manſit innupta, & ſic ad tempus quieuit terra pace amicabiliter reformata. Sed quia, vt diximus, auriculariorum ſuſurris ad varia trahebatur, eorum conſilio duxit Tharaſiam filiam Sancij Regis Portugalliæ in vxorem, licet eſſent conſanguinei in ſecundo gradu, ex qua ſuſcepit Sanciam, & Fernandum, qui fuerunt mortui ſine prole, & aliā filiam, quæ dulcis dicitur, & adhuc viuit, & in odium Regis Caſtellæ fuit hoc contubernium procuratum ſuggerentibus enim ſuis vernulis, dolebat ſe a Rege Caſtellæ recepiſſe cingulum militare, & tamen ab illa vxore fuit iudicio eccleſiæ ſeparatus. Demum inter ipſum, & Regem Caſtellæ guerris, & vaſtationibus perpetratis, duxit vxorem Dominam Verengariam Regis Caſtellæ filiam, de cuius virtutibus poſt dicemus, & ſuſcepit ex ea filios Fernandum, cui Caſtellæ, & Legionis prouenit poſtea Principatus: & Aldefonſum, & duas filias, Conſtantiam, quæ fuit in Burgenſi monaſterio monialis, & Verengaria, quæ nupſit Ioanni de Brena, qui ex parte vxoris, quam habuerat, Ieroſolimitani regni ad tempus negotia miniſtrauit. Poſtea vero filiam ſuam, quam ex prædicta Verengaria ſuſceperat, Baldouino Imperatori Conſtantinopolis deſponſauit, & quia idem Baldouinus adhuc puer a Græcorum incurſibus non poterat Imperium defenſare, ſedes Apoſtolica Ioanni dicto Regi commiſit Imperium toto tempore vitæ ſuæ, & ſic fuit deinceps Imperator, & vxor eius Verengaria Imperatrix, quibus defunctis Baldouinus cum vxore ſua Maria in Imperij culmine dominantur, & Dominus caſtodiat eorum ſtatum. Rex autem Aldephonſus, & Regina Verengaria ſuſceptis filijs ſupradictis propter conſanguinitatem fuerunt ab Innocentio Papa Tertio ſeparati. & poſtea inter Reges guerræ, & vaſtationes vix aliquo tempore ceſſauerunt, Rege tamen Caſtellæ in omnibus præualente, & de regno alterius caſtra, & plurima occupante, ſed tamen nec ſibi, nec filio, ſed nepoti Fernando omnia acquirebat.

De actibus Aldephonſi Regis Legionenſis.
Caput. XXV.

VERVM in ſenectute poſitus Rex Legionis actus ſuos Domino dedicauit, & Arabibus mouit guerram, & obtinuit ab eis Montem angij, Emeritam, Badallocium, Alcantaram, atq; Canceres, populauit etiam Saluã leonem, Saluam terram, & Sabucale, & alia plurima loca, per quę regni terminos ampliauit, & conflixit etiam cum Auhenhuc induſtrio Sarraceno, qui nuper expulſis Almohadis Vouandalię vſurpauerat monarchiam. Sed bello ſubactus Aldephonſo Regi prope Emeritam dedit terga, & victa Emerita dedit manus. Mortuus eſt autem in Villa noua de Sarria æra milleſima ducenteſima ſexageſima octaua, & in eccleſia beati Iacobi requieſcit, & reliquit duas filias Sanciam, atq; Dulcem, quibus etiam ſucceſſionem regni legauit. Sed quia omnes regni nobiles tam de ciuibus, quam de alijs olim filio ſuo Fernando iurauerant, non potuerunt regnum filiæ obtinere. Sed aliquantis diſcidijs procuratis, & ciuitatibus, & nobilibus in varia ſtudia ſeparatis, Nobilis Verengaria Regina Caſtellæ interpoſuit partes ſuas, & ſic omnes gratiæ ſolertia dulcorauit, quod licet infantes quam plurimos fautores haberent, & munitiones, & caſtra quam plurima in omnibus fere regni finibus poſſiderent, ad hoc infantes & matrem, earum Reginam Tharaſiam neceſſitate induxit, vt eius gratiæ ſe ſponderent. Vnde paternæ largitatis in omnibus imitatrix curialitate ſua vt infantes coadiuuarent, magnos redditus fecit a filio aſſignari, & ſic obtinuit pacifice regnum patris æra milleſima ducenteſima ſexageſima octaua.

Mons angij. Emerita. Badallocium. Alcantara. Canceres. Saluãleon. Saluaterra. Sabucale. Villa noua. Sarria: æra.M.cc. lxviij.

æra.M.cc. lxviij.

De inſignibus Nobilis Aldephonſi, & captione Conchæ. Caput. XXVI.

NVNC ad Aldephonſi Regis hiſtoriam reuertamur. Licet igitur fidelitate ſuorum regni perdita reparaſſet, tamen ſemper fuit a patruo infeſtatus. Poſt hæc Rex Nobilis Aldephonſus guerram habuit cum auunculo ſuo Sancio Rege Nauarræ, & eiecit ab eo Lucronium, Nauarretum, & Antilenam, Grannonem, Cæſareum, & Birueſcam, & fere omnia vſq; Burgis, quæ idem auunculus in eius infantia occuparat. Poſt hæc orta eſt diſſenſio inter eum, & Regem Aragonũ Aldephonſum, & abſtulit ei nobile caſtrum, quod Feriça nuncupatur, per induſtriam nobilis viri, qui Nunio Sancij dicebatur, qui cepit caſtrum, & dedit illi nobili Regi Aldephonſo. Poſt hæc autem virtute altiſſimi roboratus conuertit manus ad infideles, vt bella fidei exerceret. In manu robuſta vaſtauit eos, & in cordis magnificentia coëgit eos, ſuccendit ignibus ciuitates, & ſuccidit viridia delitiarũ, repleuit terram timore ſuo, concluſit Arabes aduentu ſuo, deſtruxit munitiones inſidiantium, & fidei terminos dilatauit, obſedit Concham munimentum Arabum, & laboribus pluribus arctauit eos, extruxit in gyro plures machinas, nec die, nec nocte pepercit eis, & cibus, & victus defecit ei, ſed cor regiũ confortauit eũ, neglexit delicias ſeducentes, & zelatus eſt nomen glorię, longanimitas ſua glorificauit eum, & regalis cõſtantia direxit eum donec concluderet obſeſſos in arcto, & hoſtis clementiam imploraret. Miſerunt legatos ad Almohades, verba doloris ad gentẽ Arabię, induratus auditor concluſit aures, & ſuum auxiliũ denegauit, timor belli confudit eũ, & odor belli terruit eũ, fama Regis concluſit mare, & nomen eius compeſcuit trãſeuntes, donec reddita eſt ei munitio Conchę, & turres eius ſubditæ ei, rupes eius factæ ſunt peruiæ, & aſpera eius in planicies,

Lucroniũ. Nauarretum. Antilena. Granon. Cęſareũ. Birueſca. Feriza.

Concha.

poſſedit etiam poſt labores multos, & extruxit eam in vrbem Regiam, poſuit in ea
cathedram fidei, & nomen præſulis exaltauit in ea, congregauit ibi diuerſos populos,
& vniuit in populum magnitudinis, ſtatuit in ea præſidium fortitudinis, & Regiam
decoris honeſtauit in ea. Dedit ei Aldeas ſubiectionis, & paſcuis vbertatis deliciauit
eam, ampliauit in alto muros eius, & vallauit eam munimine tuto, creuit in vrbem
multitudinis, & dilatata eſt in terminos populorum, miratur eam antiquus incola,
& in aſpectu eius formidat Arabs, munitio eius in rupibus eius, & abundantia eius
Concha. in decurſibus fluuiorum, gloria eius in Principe ſuo, & ſanctimonia eius in cathedra
dignitatis, deliciæ eius in paſcuis gregum, & copia eius in pane, & vino. Recole Con-
cha dies Principis, & in memoria eius exhilara faciem, nomen eius in laudibus tuis, &
gloria eius memoriale tuum, addidit protectionē terminis tuis, & dilatauit iuriſdictio
nem cathedræ tuæ.

Item de magnalibus, & pijs operibus nobilis Aldephonſi. Caput. XXVII.

Alarchon CEPIT Alarconem in rupibus ſempiternis, & firmauit feras de-
fenſionis, Aldeis multis dotouit illud, vt abundaret in eo incola fidei,
conſtituit fortes in munimine, vt eſſet Arabibus via necis, deſerta
Velesium apte repleuit gētibus, & in via tutatus eſt habitotores, Alcarias rupiū
domuit populis, & duriciam ilicis conuertit in vias. In Veleſio ſta
tuit caput ordinis, & opus eorum enſis defenſionis, perſecutor Ara-
bum moratur ibi, & incola eius defenſor fidei, vox laudantium auditur ibi, & iubi-
lus deſiderij hilareſcit ibi, rubet enſis ſanguine Arabum, & ardet fides charitate, men-
Tagus. tium execratio eſt cultori dęmonum, & vita honoris credentium in Deum. Ripam
Ocania. Tagi repleuit habitatoribus, & incolis defenſionis ſaltus Ocaniæ, obtulit excelſo ter-
Aurelia. ram illam, & militiæ ſancti Iacobi dedicauit eam, rupes Aureliæ vniuit ei, & præ-
Fiterium. ſidium more ſubiecit illi, vt dedicaret terram ſanctimoniæ, & particeps fieret religio-
nis. Deſiderabilis Sancius pater eius dedit Fiterio Calatrauam. Aldephonſus no-
Zurita. bilis conſumator eorum, ſuſcepit militiā contemplatio, & egreſſus fratrum a Fiterio.
Almocharia. Rex Aldephonſus educauit eos, & poſſeſſionibus ditauit eos, Zuritam, & Almocha
Mcqueda riam, Machedam, Acecham, & Cuculutum obtulit eis, & ſuſtulit ſarcinam pauperta
Acecham Cucullū. tis, & ſuper addidit diuitias competentes, multiplicatio eorum corona Principis, qui
laudabant in Pſalmis, accincti ſunt enſe, & qui gemebant orantes ad defenſionem pa-
triæ victus tenuit paſtus eorum, & aſperitas lanæ tegumentū eorum, diſciplina aſſi-
dua probat eos, & cultus ſilentij comitatur eos, frequens genu flexio humiliat eos, &
nocturna vigilia macerat eos, deuota oratio erudit illos, & continuus labor exercet
eos. Alter alterius obſeruat ſemitas, & frater fratrem ad diſciplinam.

De populatione Placentię, & exercitu Martini Primatis. Caput. XXVIII.

CONVERTIT manum ad nouitatem operum, & ædificauit de
nouo ciuitatem gloriæ. Statuit in ea præſidium patriæ, & nomen eius
vocauit Placentiam, conuocauit populos in vrbem nouam, & exaltauit
ibi Tiaram Pontificis, Sacerdotio legis ordinauit eam, & dilatauit ter-
minos enſis ſui. Toletanam vrbem vallauit caſtris, & territorium

eius repleuit populis. In diœceſi eius extruxit oppida, & religionem fidei locauit in eis, magnificenciæ ſuæ addidit opus, & ædificauit Alarcuris vallem ſanguinis. Iu- *Alarcuris* dicia Dei abiſſus multa, & ignota filijs hominum. Iudicium Dei ſuper opera eius, & ſententia cœli in agmen illius. Commouit arma in Regem Aphricæ, & prouocauit cito gentem Arabiæ, populus eius inſtaurauit acies, & arma potentiæ direxit in Mauros. Exercitus eius tranſiuit Bætim, & Dux eius Præſul Toleti. Magnates regni in conſilijs præſulis, & exercitus omnis ſub Præſule dignitatis, nomen eius Martinus Magnus. Et genus eius a Piſorica, honor gentis vita eius. Et ſtola eius *Piſorica* diadema eccleſię. Sapientia eius pax multorum. Et lingua eius informatio diſciplinæ. Manus eius ad ſubſidium pauperum. Et cor eius ad compaſſionem humilium. Cingulum eius zelus fidei. Et arma eius ad perſecutionem blaſphemiæ. Agmen omne ad nutum illius, ſanguis Arabum in conſpectu illius. Regio Betica flammis ſuccenditur, & factum Preſulis proſperatur, proceſſit enim per caſtra Bęticę terras, & oppida ſuccendendo, fœliciter autem ad propria eſt reuerſus.

De bello Alarcuris. Caput. XXIX.

SVbſannauit eum blaſphemia Aphricę, & incanduit ira Arabum. Ioſeph Mazemutus regnabat in Aphrica, & genus Almohadum caput gentis. Surrexit Princeps in multitudine magna, & varijs vocibus repleuit campeſtria, Parthus, Arabs, Apher, Aethiops, Almohat, & de claris montibus in exercitu eius, & Valdus Bæticæ ad nutum illius, tranſiuit Tyrrhenum in ſtricto Hiſpalis, & vndas maris calcauit triremibus. Exercitus eius innumerabilis, multitudo illius vt arena maris, Applicatio eius ad Hiſpalenſem Metropolim, & proceſſus illius ad campeſtria Cordubæ, firmauit vultum verſus Alarcuris, & faciem indignationis ad regnum Toleti, *Alarcuris* plana Toloſæ nudauit paſcuis, & ſcopulorum ſemitas ampliauit Vngelis, tranſiuit montis ſupercilia, & in multitudine nimia ſiccauit riuos, fama volatilis perfudit ſæcula, & celer rumor pulſauit Hiſpaniam, in auditu nuncij lætati ſunt multi, & aduentus hoſtium prouocauit plurimos, ignorat homo viam altiſſimi, & filij Adæ conſilia cœli. Cumque congreſſi fuiſſent exercitus, ſuccubuit exercitus Chriſtianus, & nobilis Rex a ſuis violenter eductus a bello, ſuorum induſtria eſt ſaluatus, licet ipſe mori potius eligeret, quam ſaluari. obtinuit etiam Agarenus poſt prælium quædam caſtra. Hoc eſt bellum Alarcuris, quod fuit æra. M.CC.XXXIII. Quindecimo *æra.M.cc.xxxiij.* Kalendas Auguſti ſedente Celeſtino Papa Tertio.

De diſcidio Regum Legionenſis, & Nauarræ, à Rege Aldephonſo nobili. Caput. XXX.

CVM autem Aldephonſus Rex Legionis, & Sancius Rex Nauarræ venire in auxilium ad bellum Alarcuris ſimulaſſent, & iam ad regni Caſtellæ confinia perueniſſent, audito quod in prædicto bello non bene ſucceſſerat, a propoſito deſtiterunt, & Rex Nauarræ, qui iam ad regnum Caſtellæ peruenerat, retroceſſit. Rex Legionis peruenit Toletum, vbi paucis diebus cum Rege nobili commoratus ad terram rediit Legionis, & poſt modicum temporis interuallum ambo regnum Caſtellæ hoſtiliter inuaſerunt. Sed Rex Legionis Arabibus fœdere ſociatus, multis ex eis

Soria. Almazanum. Toletum Mageritũ Alcala. Opta. Concha. Velesium Alcaratiũ Bolani. Vallis arearum. Caſtrum viride. Coianca. Carpium Paradinæ S.Eulalia. Placentia S. Crux. Mons angij. Turgellũ Caſtrum legionis Ardon. C.Gundiſalu. C. Terræ Alba de aliſte

ſecum aſcitis regnum Caſtellæ per campos gothicos eſt ingreſſus diruẽs, diripiens, &
deuaſtans, & Rex Nauarræ ex alia parte deuaſtãs Soriam, & Almazanum cędes, &
incendia exercebat. Ex illa parte contra Toletum Rex Almohadum, dictus Iuceſ,
anno ſecundo obſedit Toletum, deinde Mageritũ, & Alcalam, Optam, & Concham,
& Veleſium, & deinde per Alcaratium eſt reuerſus vaſtatis omnibus, & deſtructis,
quæ extra murorum ambitum ſunt inuenta. Rex autem nobilis Aldefonſus fœde-
rato ſibi fideli amico Petro Rege, qui in Aragonia tunc regnabat, terram ingreſſus
eſt Legionis, & optinuit plura caſtra, ſcilicet Bollanos, Vallem Arearum, Caſtrum
viride, Coiancam, quę mutato nomine Valentia nuncupatur, Carpium, & Paradinas,
& plurimis prędis actis, & cædibus perpetratis, effugatis etiam Agarenis, quos Rex
Legionis ſecum duxerat, ambo ad propria redierunt. Tertio autem anno Rex Al
mohadum, de quo diximus, iterum veniens obſedit Toletum, Maquelam, & Tala-
ueram, ſed nullam earum potuit obtinere. Euertit tamen ſanctam Eulaliam, & alia
loca, quæ munitione carebãt, & inde procedens cepit Placentiam, Sanctam crucem,
Montem angij, & Turgellum, & inde cum faſtu, & ſuperbia eſt reuerſus. Tunc
temporis Rex Caſtellæ, & Rex Aragonum iuxta Abulam in monte Palumbaria
morabantur. Reuerſo autem Agareno ad propria ex monte Palumbaria ambo
Reges contra Regem Legionis pariter proceſſerunt, & obtinuerunt Caſtrum legio
nis & Ardon, & Caſtrum Gundiſalui, & Caſtrum terræ, & Albam de aliſte, & vſ-
que ad Aſtoricam cuncta cædibus, & incendio vaſtauerunt, & inde per partes Aluę,
& Salmanticæ venientes omnia exterminio conſumpſerunt, & Montem regalem
caſtrum nobile occuparunt, inde ad propria remearunt. Sed Rex nobilis Aldefon
ſus dignum iudicans furori cedere venienti, ad tempus cum Rege Arabum fecit tre
guam, vt poſſet tutius vicinis Regibus obuiare.

Quod Rex Aldephonſus nobilis dedit filiam ſuam Regi Legionenſi. Caput. XXXI.

CVMQVE proponeret Regem Legionis truciori diſpendio
infeſtare, quidam guerræ periculum paueſcentes familiari conſilio
procurarunt, vt Rex Legionenſis peteret a Rege Caſtellæ filiam ſu-
am Berengariam in vxorem, & licet Rex nobilis hoc reſpueret, eo
quod ipſe, & Rex Legionenſis conſanguinitatis linea eſſent vincti,
Alienor Regina vxor nobilis Aldefonſi, cum eſſet prudẽtiſſima ſa-
gaci prouidentia, & ſolerter rerum pericula attendebat, quibus per coniunctionem hu
iuſmodi poterat obuiare, & Regi Legionis vallem Oleti cum ſuis magnatibus ve-
nienti, dedit prædictam filiam in vxorẽ, & propter nuptias datis donationibus, quæ
tantæ Dominę competebãt, & nuptijs ſolenniter celebratis traduxit eam in regnum
ſuum. Rex autem Caſtellæ nobilis Aldephonſus omnia, quæ abſtulerat, nunc ge-
nero olim hoſti dedit filiæ ſuæ nuptæ, & ſic pace quaſi cum filio reformata a vaſtatio-
nibus quieuerunt.

De captione Victoriæ, Guipuzchuę, & Iuidæ. Caput. XXXII.

Ruconia. Aiuara. Zura. Miranda.

POST hoc Rex nobilis Aldephonſus volens Regis Nauarræ iniu-
rias vindicare, cum Rege Aragonum fideli amico congregauit exerci-
tum in Nauarram, & obtinuerunt Ruchoniam, & Aiuare, quæ Regi
Aragonum prouenerunt. Obtinuerunt etiã Inzuram, & Mirandam,

quæ Regi nobili remanſerunt. Et ſic vterq; Regum patratis varijs vaſtationibus, ad
propria eſt reuerſus. Iterum autem Rex Caſtellæ nobilis Aldefonſus cœpit Ibidam, Ibida.
& Alauam infeſtare, & obſidione diutina Victoriam impugnauit. Interim autem Alaua.
Sancius Rex Nauarrę fortis viribus, armis ſtrenuus, ſed voluntate propria obſtina- Victoria.
tus, regno diſcrimini derelicto cum paucis magnatibus migrationis comitibus ad
ad Arabes tranſmigrauit, & ęis aliquandiu commorans nuncios, quos ad Miramo-
meninũ Tranſtyrrhenum trãſmiſerat expectauit, quibus pecunias, & donaria redu-
centibus Rex nihilominus deductionis cauſa peragrans Arabum ciuitates, & in eo-
rum patria morabatur. Interim autem obſeſſi Victoriæ pugnis, & laboribus fati
gati, & defectu victualium macerati in deditionis periculum inciderunt. Sed vene-
rabilis Garſias Pampilonenſis Epiſcopus libertatis ſtudio gratioſus cum famis peri-
culum comperiſſet, ad Regem Sancium in terram Arabum cum obſeſſorum aliquo
feſtinauit, qui rei expoſita veritate a Regę obtinuit, vt Regi Caſtellæ Victoria trade
retur. Qui rediens tempore conſtituto cum eo milite, quoniam obſeſſi Victoriæ
deſtinarant, Regis Sancij mandatũ expoſuit, vt Regi Caſtellæ Victoria redderetur.
Obtinuit itaq; Rex nobilis Aldefonſus Victoriã, Ibidã, Alauã & Guipuſcuam, & ea Guipuſcua.
rum terrarum munitiones, & caſtra, præter Treuennium, quod fuit poſtea commu- Treueniũ
tatione Inzuræ datum ſibi, Mirandam etiam dedit commutatione ſimili pro Portel Zura.
la, ſanctum Sebaſtianum, Fontem Rapidũ, Beloagam Zeguitagui, Aircorroz, Aſlu Miranda.
ceam, Arzorociam, Victoriam Maranionem, Auſſam, Athauit, Iruritam, Portella.
& Sanctum Vicentium acquiſiuit, verum Rex Nauarræ redijt onuſtus muneribus S. Sebaſtianus.
Agareni, ſed exoneratus prædictis omnibus, & honore. Fons Rapidus.

De diſcidio Didaci Lupi, & obſidione Caſtellæ, & ædificatione monaſterij regalis.

Caput. XXXIII.

HIS igitur conſumatis Didacus Lupi Biſcagiæ dominus, qui in- Biſcagia.
ter omnes magnates Hiſpaniæ præcipuus habebatur, a volũtate Re
gis nobilis familiari diſcidio diſcordauit. Vnde feuda, quæ tenebat
reſtituens, ad Regem ſe tranſtulit Nauarroũ, indeq; bellis, & incur
ſationibus frequenter inſiſtens, damna plurima intulit Caſtellan[is]
ſed Rex nobilis Aldefonſus iniuriarum impatiens aſcito ſibi gene[ro]
ſuo Rege Legionis fines ingreſſus eſt Nauarrorum. Cumq; Stellam nobiliſſimum Stel[la]
oppidum obſediſſent, Didacus Lupi ex Biſcagia, qui erat in oppido cum multis Ca
ſtellanis nobilibus impugnantibus, reſiſtit violenter, & inter obijces vinearum inter-
ceſſerunt cędes, & pericula præliorum. Sed quia oppidum ſui munitione vires im-
pugnantium minorabat, nec ſpes victoriæ animos protrahebat, Reges ab obſidione
oppidi receſſerũt, & vaſtatione in circuitu damnoſa incolis conſumata Reges ad pro
pria redierunt. Poſtea autem inter Regem Caſtellæ, & Regem Nauarrę, & Regem
Legionis treuga per interuallum temporis interuenit. Rex enim nobilis Aldefon
ſus bellum de Alarcuris corde altiſſimo reponebat. Sed vt altiſſimo complaceret,
prope Burgis ad inſtantiam ſereniſſimæ vxoris ſuę Alienor Reginæ monaſterium Burgis
dominarũ Ciſtercienſis ordinis ædificauit, & nobiliſſimis fabricis exaltauit, & multis Monaſterium.
redditibus, & poſſeſſionibus varijs ſic dotauit, vt virgines ſanctæ Deo dicatę, quæ
ibi die, ac nocte laudabiliter Deo pſallunt, nec inopiam ſentiant, nec defectum, ſed ſtru-

in ſequentem ãnnũ belli dubia prorogari, vtilior eſt enim dilata opportunitas, quam audaciȩ prȩceps temeritas.

De condicto bello, & morte infantis Fernandi. Caput. XXXVI.

AGARENVS autem adeptus prȩſidium Saluȩ terrȩ cum magna ſuperbia ad propria eſt reuerſus. Aldefonſus vero Rex nobilis habito cum Archiepiſcopo, Epiſcopis, & magnatibus conſilio diligenti, ore eius vniuerſis acclamantibus eſt prolatum melius eſſe in bello voluntatem cœli ſub diſcrimine experiri, quam videre mala patriȩ, & ſanctorum. Fecitq; ædictum per omnes prouincias regni ſui, vt milites, & pedites relictis ſuperfluis veſtium, & aurifigij, & ornatus cuiuslibet, quȩ ad rem non pertinent, armis vtilibus ſe munirent, & qui prius inſuperfluis diſplicebant, nunc in neceſſarijs, & vtilibus altiſſimo complacerent. Omnes autem a minimo vſq; ad maximum voluntati regiȩ paruerunt.

Ad hȩc omnia dulciſſimo Fernando filio primogenito nobilis Aldefonſi competentem ſuȩ modeſtiȩ operam impendente, qui eodem tempore febre correptus finiuit vitam, antequam belli terminus adueniſſet. In cuius morte fletus patriȩ, luctus inconſolabilis genitori, quia in ipſum tanquam in vitȩ ſpeculum contemplabatur.

Erat enim ſpectatio populorum. Sic enim eum Dominus honeſtauerat, vt etiam ab omnibus amaretur, & quod ȩtas in adoleſcentibus non permittit, iam in ipſo gratia diſpenſabat. Obijt itaque in oppido Magerito in diœceſi Toletana mẽſe Octobri, ȩra milleſima ducenteſima quadrageſima nona vacuus dierum, plenus gratia, & virtute. Sepultus eſt in monaſterio ſanctȩ Mariæ regalis prope Burgis a Roderico Toletano Pontifice, & multis Epiſcopis, & magnatibu ſȩcularibus, & religioſis, excelentiſſima ſorore ſua Berengaria Regina, ad quam poſtea regnum Caſtellæ ſucceſſione prouenit, impendente liberaliter, & decenter officia funeris, & honoris, & gemitus doloris, vbi virtutum eius ſic plenitudo claruit, vt eius prudentia deuoti ſexus excederet pietatem. Et eleemoſinarum largitio, principum largitates, etiam pudica modeſtia inconſolabili luctui ſolatia procabatur, vt exinde famæ eius dulcorata ſuauitas in augmentum creſceret, & dulcorẽ. Religionum, & pauperum, & quorum titulos pauperies incruſtabat, toto tempore vitæ ſuæ ſubuentrix extitit, & leuatrix, præter opera magnifica, quæ regnante ſuo filio mirifice claruerunt. Verum nobilis pater conſolationem de morte filij niſi in magnalibus non admittens collecto ſuorum exercitu per ripam fluuij, qui Sucaris dicitur, terram aggreditur Sarraceni, & obſedit caſtrum, quod dicitur Alcala, & cepit illud, & Surcariam, & Garadem, & Cubas, in quibus multi Agarenorum capti, multa etiam ſpolia ſunt inuenta, quibus occupatis, & munitis vtiliter, fœliciter ad propria eſt reuerſus vrgente inſtantia hyemali.

Magerit. æra. M.cc. xlix.

Sucaris. Alcala. Surcaria. Garada. Cubæ.

LIBER OCTAVVS RERVM IN HISPANIA GESTARVM CHRONICON.

Caput Primum.

VERTENTE autem anno factum eſt, eo tempore, quo ſolent Reges ad bella procedere, Aldephonſus nobilis citatis gentibus, congregatis armis, virctualibus comportatis, nec non & omnium cordibus ad bellum
Toleium. erectis, factus eſt occurſus omniũ apud Toletum, quę ſola potuit ſui opulentia, omniũ neceſſitatibus non deeſſe. Interim Roderico eiuſdem vrbis Pontifice, & cæteris nũcijs propter opus ſimile deſtinatis, aduerſis partibus redierunt. Et cœpit vrbs regia repleri populis, abũdare neceſſarijs, inſigniri armis, diuerſificari linguis, variari cultibus. Nam zelo belli ex omnibus fere Europæ partibus ad eam diuerſarum nationum varietas cõcurrebat. Nec erat, qui poſſet alicuius rei cauſari defectũ, cum & ipſa ciuitas ſui abundantia occurreret, & prodiga manus nobilis principis omnibus ad omnia neceſſaria miniſtraret. Concurſus autem venientium a menſe Februario particularis incœpit, & multiplicationis paulatim incrementa ſuſcipiens per totum vernum tempus, & amplius creuit turbarum multitudine copioſa. Et quia diuerſarum nationum varietas diuerſitate morum, linguarum, & cultuũ diſcrepabant, de voluntate principis in eadem vrbe eiuſdem vrbis Pontifex morabatur, vt diſſidentium varietas per eius induſtriam ſedaretur, & ſic factum eſt per omnipotentis Dei gratiam, qui ſolo nutu omnia diſponebat, vt nulla ſeditio, nulla perturbatio exorta fuerit, quæ potuerit belli negocium impedire, licet per hoſtem humani generis fuerit ſæpius attentatum. Et quia de die in diem creſcebat numerus ſtigmata Domini in corpore ſuo portantium, ne intra vrbis anguſtias arctarentur, Rex nobilis volens eorum commodis prouidere extra vrbem circa fluenta Tagi delitioſa viridaria, quę ob
Tagus. Regiæ grauitatis recreandam maieſtatem coalita fuerant, eis expoſuit, vt ſub vmbraculis arborum æſtus iniurias euitarent, ibiq; ex fructiferis arboribus conſtructis tabernaculis vſq; in diem proceſſus ad bellum in regijs ſumptibus permãſerunt. Octauo itaq; die poſt feſtum, quo Chriſtiana religio Penthecoſten celebrat. Petrus Rex Aragonum nobilis Aldefonſi fidelis amicus ſecundum fœdus apud Concham initum dietis plus faſtu regio feſtinatis die præfixa venit Toletum: vbi a Pontifice, & toto clero proceſſionaliter eſt receptus, ibiq; in viridario regio fixis tentorijs gentis ſuæ præſtolabatur aduentum.

De aduentu vltramontanorum ad bellum. Caput. II.

COEPERVNT etiam venire magnates de partibus Galliarũ, Burdegalenſis, & Nanatenſis Epiſcopus, multiq; Varones de eiſdẽ partibus, & Italia conuerũt, & ſimplices milites, necnon & de pedeſtri ordine plurima multitudo. Aduenit etiã venerabilis Arnaldus,
Ciſtercienſis. qui, aliquãdo ſolicitudine Siſtercij funct⁹, tunc regebat eccleſiã Narbonẽſem. Hic paulo ante emulatiõe legis Catholicę prouocat⁹ cõtra

quoſdam qui in Narbornenſi, & vicinis prouincijs blaſphemare nomen Domini, & eccle am or nephario præſumpſerunt, corda fidelium excitauit vt ſigno crucis contra hereticorum verſutias armarentur. Et ſic factum eſt per Dei gratiam, quod vbi contempta prædicatio non profecit, falce crucis putatis hæreſibus fides Catholica de die in diem fœliciter coaleſcit, & deſtructis Biterijs, & Carcaſſona blaſphemantium ſanguine, & flamma vorace, & vltrici gladio eſt conſumptus æra milleſima ducenteſima quadrageſima ſexta. Hic itaq; pontifex cum multitudine citerioris Galliæ vaſis belligeris, ſignis, & armis honeſta vrbẽ ingreſſus eſt Toletanam, in qua decenter a nobili Rege, & eiuſdem vrbis præſule eſt receptus. Conuenerunt etiã ad eandem vrbem plerique milites de partibus Portugallis, peditum vero copioſa multitudo, qui mira agilitate expeditionis onera facile ſuſtinebant, & audaci impetu impetebant.

Biterij. Carcaſſona. æra. M. cc. xlvi.

De concurſu Pontificum, & magnatum Hiſpaniæ ad congreſſum, Caput. III.

AD hęc magnates Regis Aragonum ſtrenuitate inclyti, apparatu inſignes, armis, & equis honeſti Toletum ad exercitum peruenerunt, inter quos fuerunt Garſias Romerij, Eximinus Cornelij, Michael de Luſia, Anazarius Pardi, Guillermus de Ceruaria Comes Empurenſis, Raimundus Fulconis, Guillermus de Cardona, & multi alij principes, & Varones, & ſimplices milites, nec non balliſtariorum, & peditum copia gratioſa. Aderat in vrbe regia cum nobili Rege magnatũ ſuorum generoſa ſocietas, nobilitate, ſtrenuitate, & multitudine approbanda, quos ſic, & morum elegantia, & curialitatis prærogatiua, & ſtrenuitatis ſuper eminentia venuſtauerat, vt & in oculis hoſtium non ſolum terribiles, verum digni honoribus apparerent. Ciuitatum vero & oppidorum concilia ſic copioſe phalanges, & equis, & armis, & vehiculis, & victualibus, & omnibus ad bellum neceſſarijs præmunita venerunt, vt non eſſet inter eos, qui aliquo indigeret, immo ſua alijs liberaliter communicarent. Quamuis vero in oppidis, & ciuitatibus ſub vno degant principis regimine, tamen a ſuæ principio gentis, & armorum, etiam & militaris dignitatis inſignia habuerunt, & militare nomen ſortiti ſunt ab antiquo. Multa etiam contra Sarracenos, & contra Chriſtianos ipſi, & eorum parentes decenter exercuerunt. Fuerunt etiam ibi Pontifices, qui ſe, & ſua prout Deus dedit in ſumptibus, & laboribus deuote pro fidei negocio impenderunt. In ſolicitudinibus vigiles, in officijs deuoti, in conſilijs prouidi, in neceſſitatibus largi, in exortationibus ſeduli, in periculis ſtrenui, in laboribus patientes. De regno Caſtellæ Archiepiſcopus Toletanus, Tellius Palẽtinus Epiſcopus Rodericus Segontinenſis, Menendus Oxomenſis, Petrus Abulenſis. De regno Aragonum Garſias Tyraſonenſis, Berengarus Barcinonenſis electus. De ſeculari vero militia regni Caſtellæ Didacus Lupi de Pharo, Comes Fernãdus de Lara, Comes Aluarus, & Comes Gundiſaluus, frater eius Lupus Didaci de Camberis, Gonſaluus Roderici, & frater eius, & multi alij nobiles, & magni, & ſtrenui, quorum nomina longum eſſet enumerare. Fuerunt etiam fratres Calatrauæ ſub vno militiæ ſuæ magiſtro Roderico Didaci, grata Deo, & hominibus fraterna ſocietas, fratres militiæ templi ſub vno magiſtro Gomitio Ramiri, qui poſt bellum fœliciter expirauit. Hi ſunt, qui primi in nouo teſtamento ſigno crucis ſuſcepto ſuperbiæ militaris faſtum ſtrenuitate ſeruata, charitatis, & religionis vinculo arctaue-

Empo renſis. Ceruaria. Cardona.

Toletan. Pallantinus. Segõtieſis Oxomenſis. Abulēſis.

runt, fratres etiam militiæ hoſpitalis, qui fraternitatis, charitatis inſiſtentes deuote, zelo fidei, & terræ ſanctæ neceſſitate accenſi defenſionis gladium aſſumpſerunt. Hi ſub vno priore Guterrio Ermegildi, Fratres etiam militiæ ſancti Iacobi ſub vno magiſtro Petro Aue, hi in partibus Hiſpaniæ multa opera militiæ decenter egerunt multi etiam Chriſtianæ religionis diuerſorum votorum, & profeſſionum zelo, & compaſſione moniti, inſigniti ſignaculo ſanctæ Crucis inibi conuenerunt.

De prærogatiua virtutum, & largitatis nobilis Aldefonſi.

Caput. IIII.

LICET autem tam diuerſa, tam varia, tam extranea multitudo non eſſet facilis ad regendum, etiam patienti nobilis tamen Rex magnanimitate ſua omnia pacifice regebat, omnia equanimiter, & trãquille tolerabat, ita, vt tedium in virtutẽ mutaret, cum vultu hilari tedium ſuperaret. Irreuerenter prolata reuerenti reſponſo in reuerentiam conuertebat. Ambitionis loquacem triſtitiam larga manu in lętam iucundiam commutabat, curiali applauſu faſtibus militaribus occurrebat, regaliũ morũ grauitate ſeruata, id in ipſo operabat̃ benignitas, vt præexcellentia videretur ęqualitas, ſapientia grauitate cõſperſa, ſic omnia miniabat, vt his fieret eius curialitas in ſuſpirium, & ſtrenuitas in exemplum, ita quod de eo dici poſſet. Hic virtutis habet plus, quam poſſedimus omnes. Adoleſcentes, iuuenes, & quos virilis ætatis robur perſuderat, ſenes, & decrepiti, quid laudare, quid appetere ſi facultas ſuppeteret quid mirari, quid diligere repererunt, eius induſtriam in agendis ſtupore attoniti mirabãtur, quem doni. & dati perfectio ſic perfecit, vt gratiæ, & naturæ chariſmatibus abundaret, adeo vt mundi circulus fateatur Aldefonſum nobilem Hiſpaniæ ſe debere. Iuuenes, & adoleſcentes, quorum auorum nobilitas præſentabat, præficiebat titulo militari, vt quos nondum proprię virtutis extulerat gloria, & creantis manus, & parentum magnalia magnalibus obligarent. Hos ſic equorum tuta firmabat magnanimitate, armorum copioſa ſecuritate, veſtium ſpecioſa varietate, vt in ipſo inuenirent & dominum, quem diligerent, & munificũ, quem laudarent. Et quamuis diuerſus eſſet ritus alienigenarum, & in moribus ab indigenis diſſiderent, quia mores omnes virtus magiſtra diiudicat: potuit omnibus ſatisfacere, qui virtutes omnium in ſe potuit conſeruare, & quaſi non vnius patrię incola, ſic mores omnium in ſe ſciuit aſſumere, vt nulli videretur a ſuis moribus diſſidere. De largitate autem eius quis loqui præſumeret? cum id in ipſo modicum fuerit, quod in alijs vix poterat reperiri. Sic enim ab infantia largitatem ſeruauit, vt obliuiſci non potuerit, quod de matris vtero ſecum traxit. Sic omnia largitatis ſuę priuilegio confirmauit, vt ore omnium promulgata ſentẽtia omnib' munificis ſilentio impoſito pręrogatiuã munificẽtię ſentẽtialiter obtineret, & licet magnis magnifice diſtribueret, manũ a minorib' nõ retraxit. Cũ enim eſſent Vltramontani pluſquã decem millia equitũ, & centũ millia peditũ, dabant̃ omni die viginti ſolidi vſuales, pediti vero quinque ſolidi, mulieres, paruuli, debiles, & cæteri ad bellum inepti non erant ab hac gratia alieni. Hæc erant, quæ in communi, & publice donabantur, præter donaria priuata, quę ſui quantitate hunc numerum excedebant, quę magnatibus non diurna diſtributione, ſed potiori ſumma per nobilis Regis nuncios mittebatur. His muneribus cumulabatur equorum numeroſa

generoſitas, paruulorum iocunda varietas, quæ omnia tenacitatis curua ſeueritas vultu propitio non poterat intueri. His autem omnibus ſi iungantur Regibus oblata donaria, ſuis diſtributa ſtipendia, plus modus dantis, & hilaritas meruit, quam his omnibus emi poſſet. Et ad hæc omnia ne gens alienigena expeditionis omnibus indigeret, omnibus tentoria, & eorum vehicula eſt largitus. Addidit etiam gratiam gratiæ, & cibariorum vehicula cum cęteris neceſſarijs ſexaginta millia ſummas, & vltra cum ſummarijs erogauit.

De proceſſu ad bellum, & captione Malachonis. Caput. V.

SATISFACTO itaq; omnibus per omnia duodecimo Kalendas Iulij exercitus Domini ab Vrbe regia eſt profectus. Vltramontani p ſe dato eis pro Duce Didaco Lupi de Pharo. Petrus ſtrenuus Rex Aragonum cum ſuis. Aldephonſus nobilis cum ſuis, & licet ſeparatim procederent, modicum tamen ſpacium exercitus diuidebat. Primo die caſtrametati ſunt iuxta Alueum Guadararaz. Secundo iuxta Guadalcelet. Tertio iuxta Algodor. Vltramontani vero iuxta Daralferciam caſtra fixerunt. Et inde procedentes obſederunt præſidium Malachonis, Malacheõ & ſignum in bonum diuina gratia faciente, licet qui erant in arce ſatis viriliter ſe defenderent, inſtantia tamen vltramontanorum, quæ magna ſtrenuitate feruebat pro Chriſti nomine mori deſiderans, virtutem reſiſtentium, & munitionum præſidium in nomine Domini minorauit, cepitq; Malachonem, omnibus, qui inerant, interfectis. Sequenti die exercitus Regum aduenit, ibiq; ſubſtitit vno die, ſed & aliquantulum victualia defecerunt, tamen occurrit induſtria Regis nobilis, & fecit exponi victualia copioſe.

De captione Calatrauæ, & diſceſſu Vltramontanorum. Caput. VI.

INDE igitur procedentes omnes pariter peruenimus Calatrauam; Agareni autem, qui inibi rebellabant, excogitauerunt tribulos ferreos fabricare, & per omnes tranſitus Anæ fluminis proiecerunt, & quatuor habentes aculeos qualitercumq; caderent, vno eorum erecto pedibus hominum, & equorum vngulis figebatur. Sed quia humana artificia contra Dei prouidentiam nihil valent, ſic Deus voluit, vt pauciſſimi, vel nulli fere illis tribulis læderentur, & gratiæ Dei manu ſuppoſita tranſiuimus flumen Anam, & caſtrametati fuimus in circuitu Calatrauæ. Agareni autem oppidum illud ſic in ſummitatibus turrium armis, & vexillis, & machinis munierant, vt volentibus impugnare ſatis difficile videretur. Præterea licet ſit oppidum illud in plano, tamen ex vna parte muri eius per tactum fluminis inacceſſibile inuenitur, ex alijs partibus ſic muro, & antemurali, foſſatis, & turribus, & propugnaculis eſt munitum, vt abſq; longa machinarum impugnatione inexpugnabile videretur. Erat autem ibi Agarenus quidã nomine Auencaliz longa armorum aſſuefactione aſtutus, & bellorum exercitia frequenter expertus. De huius induſtria plus ſe ipſis confidebat populus obſeſſorum, licet eſſet ibi in præſidio quidam Almohat, qui præſidij cuſtodiæ præſidebat. Cumq; in obſidione per dies aliquot moraremur,

& Reges cum Principibus de impugnatione præſidij dubitarent, poſt longos tractatus placuit omnibus non relinquere oppidum intentatum, licet impunagnatio difficilis videretur. Plæriqꝫ autem melius iudicabant cepto itinere ad bellum procedere, quam impugnationibus caſtrorum inſiſtere, præſertim cum in talibus, & ſtrenui periclitentur, & exercitus fatigetur, cum & ius acquiſitionis, & retentionis talium pendeat ex fine belli. Aſſumptis itaqꝫ armis, lociſqꝫ oppidi ſpecialiter Religionibus, & Principibus aſſignatis voce fidei eleuata oppidum ſunt aggreſſi. Sicqꝫ per Dei gratiam factum eſt, vt die Dominica poſt feſtum ſancti Pauli expulſis Arabibus fuit

Calatraua reſtituitur

Calatraua Regi nobili reſtituta, quæ ſtatim a fratribus, qui dudum ibidem reſederant, fuit munita, & Chriſtiano nomini redonata. Nobilis autem Rex de omnibus ibidem inuentis nihil ſibi retinuit, ſed vltramontanis, & Regi Aragonum cuncta ceſſit. Sed quoniam humani generis inimicus non ceſſat Chriſtianis actibus inuidere, miſit Sathan in exercitum charitatis, & corda emulantium conturbauit, & qui ad certamen fidei ſe accinxerant, retrorſum a bono propoſito abierunt. Omnes enim fere vltramontani communi propoſito ſtatuerunt, vt relictis Crucis ſignaculis, omiſſis etiam belli laboribus ad propria remearent. Rex autem nobilis ſuorum victualia compartitus, quantum neceſſe erat omnibus eſt largitus, ſed nec ſic cepta obſtinatio potuit reuocari, immo paſſim omnes inglorij receſſerunt excepto venerabili Arnaldo Narbonenſi antiſtite, qui cum omnibus, quos habere potuit, & multis nobilibus de prouincia Viennenſi ſemper in bono conſtans a bono propoſito non receſſit. Et erant circiter centum triginta milites præter pedites, de quibus etiam aliqui remanſerunt. Remanſit etiam de partibus Pictauiæ Theobaldus de Blazon, homo nobilis, & ſtrenuus, & natione Hiſpanus, & genere Caſtellanus. Rex Aragonum cum omnibus ſuis vſqꝫ ad finem permanſit indiſſolubili dilectione Regi nobili fœderatus, & quia ſicut dicit Salomon: Si poſſides amicum, in tentatione poſſide illum. Hic probari potuit, quiſqꝫ qualiter diligebat. Sed quoniã diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, licet ſchiſmatis huius periculoſus exitus timeretur, omnia tamen cœperunt de die indiem fœlicius proſperari. Recedentibus itaqꝫ his qui Crucem Domini in Angaria attulerunt, ſoli Hiſpani cum paucis vltramontanis ſuperius nominatis proficiſci cœperunt ad bellum Domini confidenter, & primo venerunt Alarcuris, ibiqꝫ caſtrametati municipium occuparunt, necnon, & Caſtella alia in vicino. In eadem manſione aduenit Sancius Rex Nauarræ, qui licet a principio ſimulaſſet nolle venire, cum ad diſcrimen peruentum fuit, ſtrenuitatis ſuæ gloriam a Dei ſeruitio non ſubtraxit. Sicqꝫ Regum ternarius in Sanctæ Trinitatis nomine proceſſerunt, & primo die caſtrametati ſunt in circuitu Saluæ terræ. Dominica die ſequenti viſum fuit Regibus, & principibus, vt totus exercitus armaretur, & etiam omnia tanquam ad bellum diſponerentur, & per Dei gratiam talis apparuit multitudo armis, & ſignis, & equis ornata, vt intuentibus nobilis hoſtibus, & terribilis appareret, nobis amabilis, bello expediens diſceſſum abſentium compenſaret, ita quod etiam corda magnanimorum creuerunt, puſillanimes conſortati, dubij confirmati, & diſcedentiũ ſchiſma, quod multos terruerat, receſſit a cordibus timidorum: ibiqꝫ etiam die altero ſpectantes, poſt peruenimus ad aliam manſionem, quæ dicitur Fraxineda. Tandem peruenimus ad aliam manſionem eiuſdem nominis. Tertio vero die ad aliam manſionem in radice montis de Muradal, quæ dicitur Guadalfaiar.

Fraxineda. Muradal Guadalfaiar.

De occupatione montis, vnde ad prælium proceſſit Chriſtianorum exercitus. Caput. VII.

INTEREA dum hæc agerētur. Mahomat Rex Agarenorum
prope Gienniũ in montanis congregauerat gentes ſuas, ibiq; præſto-
labatur exercitum Chriſtianorũ. Nec erat ei corde pugnare, quia ve-
rebatur auxilia peregrina, ſed vt in redditu inſiliret, vt forte Chriſtia-
ni fatigati laboribus, diminuti mortibus ei reſiſtere non valerent. Et
ideo forte conſilio altiſſimi factum fuit, quod aduenticij diſceſſerunt,
poſt diſceſſum enim eorum, quidam inicitati diabolo clanculo de noſtro exercitu ſe fu-
rantes ad Arabes transfugerunt, eis ſtatum Chriſtiani exercitus, & defectum victua-
lium detegentes, qui tamen ceſſauerat poſt diſcidium Calatrauæ. Sicq; procurantẽ
prouidentia, quæ in ſui diſpoſitione non fallitur, fuit factũ, vt Agarenus mutato con-
ſilio, aſſumpta audacia præſumens gloriã a partibus Gienni proceſſit, contra nos pro-
perans Beatiam vſq; peruenit, & aliquos inde miſit ad Nauas Toloſę, vt in anguſtia
tranſitus, vbi eſt rupis fere in via, alueiq; vorago, vt Chriſtianorum tranſitum impe-
dirent. Et ſi Chriſtiani ſummitatem montium non cepiſſent, in montis ſupercilio re-
ſiderent, vt aſcenſum exercitus Domini prohiberent, ſicut capti in bello poſtea nar-
rauerunt. Hac intentione obſeruabant tranſitum, vt tandem deficientibus victuali-
bus affecti tedio, & inedia rediremus. Domino autem aliter faciente, Didacus Lupi
de Pharo, cui ducatus exercitus erat commiſſus, præmiſit filium ſuum Lupum Di-
daci, & duos nepotes eius Sancium Fernandi, & Martinum Munionis, vt præcede-
rent ad montis ſupercilia obtinenda. Verum cum illi de ſtrenuitate confiſi aliquantu-
lum procederent improuiſi, in ſummitate montis iuxta caſtrum, quod Ferral dicitur, Ferral.
quoſdam Arabes inuenerunt, qui inſultum facientes in eos fere læſiſſent, niſi diuina
gratia operante acceptis armis prædicti Chriſtiani cum ſuis Arabes viriliter repuliſ-
ſent, & ſummitatem montis per Dei gratiam obſeruarunt, ita quod ſtatim fixis ten-
torijs inibi remanſerunt. Quinta autem feria circa horam nonam venimus ad pe-
dem montis, & eadem die plerique de noſtris ad montis ardua conſcenderunt. Maior
vero pars circa Guadalfaiar alueum remanſerunt. Sexta feria in mane tres Reges Al- Guadalfaiar.
dephonſus de Caſtella, Petrus de Aragonia, Sancius de Nauarra, inuocato nomine
Domini aſcenderunt, ibiq; in quodam decliuo montis fixis tentorijs reſederunt, & ea
die occupatum fuit a noſtris Caſtrum Ferral, ſub quo ſunt quædam voragines, & in
rupe anfractus, & ſcopulorũ præcipitia iuxta Loſam, & tanta eſt ibi anguſtia tranſ-
itus, vt etiam expeditos impediat difficultas. Ibiq; quædam phalanges Agareno-
rum per diem illum, & partem ſequentis Chriſtianorum tranſitus obſeruabant, ibi-
que frequenter illo die inter noſtros, & ipſos quædam belli præludia interceſſerunt,
ita quod ex vtraq; parte aliqui non tamen plurimi ceciderunt. Dum hæc agerentur,
Regum, & Principũ deliberatio eligebat, qua eſſet ſine periculo procedendum, tranſi-
tus enim Loſæ non erat poſſibilis ſine damno. Et cum iam exercitus Agareni vici-
nior nobis eſſet, necnon & eius tentorium rubeum appareret affixum, diuerſorum de
proceſſu exercitus diuerſæ ſententiæ ferebantur. Aliqui enim attendentes impoſſibili-
tatem tranſitus retro cedere conſulebant, & per locum faciliorẽ ad Agarenorum cam-
peſtria tranſmeare. Ad hoc nobilis Aldefonſus Rex Caſtellæ, & ſi hoc conſiliũ diſcre-
tione fulgeat, periculũ ſecũ portat, populus enim, & alij inexperti cũ nos retro cedere
viderint, non bellũ quęrere, ſed bellũ fugere iudicabunt, & fiet diſceſſio in exercitu, nec

poterunt retineri. Sed ex quo ex vicino hoſtes proſpicimus, ad eos neceſſe eſt, vt eamus, ſicut autē fuerit voluntas in cælo, ſic fiat. Cumq; hoc conſilium nobilis Regis præualuiſſet, Deus omnipotens, qui negociū ſpeciali gratia dirigebat, miſit quendam hominem plebeium ſatis deſpicabilem, & habitu, & perſona, qui olim in montanis illis pecora pauerat, & cuniculorum, & leporum ibidem captioni inſtiterat, oſtendit facilem viam, omnino poſſibilem per decliuum lateris montis eiuſdē, nec oportet ab aſpectu hoſtium occultari, & ipſis videntibus, nec impedire valentibus, venire ad locū pugnæ congruum poteramus,

De proceſſu ad locum pugnæ, & occurſu Agarenorum. Caput. VIII.

SED quia in tanto diſcrimine tali perſonæ vix credi poterat, duo Principes præceſſerunt, Didacus Lupi de Pharo, & Garſias Romerij, vt ſi inuenirent eſſe vera, quæ paſtor dixerat, montē quendam in ſummitate ſui habentē planiciem occuparent, & dante Domino ſic euenit, vt ille tanquam Dei nuncius, qui infima mundi eligit, verax inueniretur, & prędicti Principes montis planiciem occuparunt, & tres Reges die Sabbati ſummo mane ſuſcepta benedictione Pontificali, & gratia ſacramenti, ad prædictum montē cum ſuis agminibus peruenerunt: Caſtrum Ferral quaſi omnino tunc inutile eſt dimiſſum. Ipſi tamen credentes nos a pręlio deuiare, eo quod Loſæ tranſitum non ſeruauimus, prædictum Caſtrum cum magna lætícia occuparunt, Reges itaq; poſtrema exercitus obſeruantes cum toto comitatu ad ſuos Principes, qui præceſſerant, peruenerunt. Quod attendentes Agareni non eſſe ſubterfugium ſed proceſſum, grauiter doluerūt, & proſpiciētes tentoria, quę in prædicti montis cacumine figebant, cateruā militū deſtinarūt, vt a metatione caſtrorū primos agminis cohiberent. Nos enim propter viæ anguſtias porrecto agmine procedere cogebamur: cum noſtris autē diutius confligentes Domino faciente viriliter ſunt repulſi, & noſtri occupata planicie montis per Dei gratiā caſtra fœliciter locauerunt. Et tentorijs vix metatis, videns Rex Agarenorū, quod in obſeruatione tranſitus nihil ei proderant inſidiæ, neq; doli, diſpoſitis aciebus eadem die proceſſit ad campum, & præcipuam aciem, quæ eius erat cuſtodię deputata, ſuper quodā promontorio, ad quem difficilis erat aſcenſus, nobiliter collocauit, cæteris ſuis aciebus a dextris, & a ſiniſtris prudentiſſime ordinatis, & ibi ab hora ſexta vſq; ad veſperū ſpectarunt, putantes nos eo die ad prælīū proceſſuros. Sed conſilij deliberatione habita prouiſum fuit, vt bellum vſq; ad ſecundā feriā differretur, eo quod equi erant montiū difficultate vexati, & exercitus fatigatus, & vt etiā ſtatum eorū, & proceſſum poſſemus in iſto medio contueri. Cumq; intellexiſſet Agarenus, quod non procedebamus ad bellū, elatus in gloriā, nō ex cautela, ſed prouenire credidit ex timore, Vnde epiſtolas miſit Beatiā, & Giennum quod tres Reges obſederat intra triduū capiendos. Tamen aliqui de ſuis, qui altius cogitabāt, dixiſſe talia referūtur: Videmus prouide, & ſollicite collocatos, & plus videntur ad pugnā parari, quā ad fugę ſubſidia anhelare. Sequēti die Dominica ſummo mane iterū egreſſus eſt Agarenus in cāpū, vt pridie, & manſit in cāpo uſq; ad meridiē diſpoſitis aciebus, & ad æſtus iniuriā repellendā allatū fuit tentoriū rubeū ad vmbraculū Agareni diuerſis artificijs adornatū, ſub quo glorioſus debito reſidēs conflictū faſtu regio expectabat. Nos vero ſicut pridie fecimus eorum exercitū attendentes obſeruatis caſtris deliberabam⁹, qualiter in craſtino procedere deberemus. Toletanus autē, &

Caſtrum Ferral. Loſæ.

cæteri Pontifices per ſingularum ciuitatum, & ſingulorũ Principum manſiones ver
bum exhortationis, & indulgentię deuotiſſime proponebant. Eo die illuſtris Rex A
ragonum conſobrinum ſuum Nunium Sancij accingit cingulo militari. Agareni
etiam in modum torneamenti circa vltimam partem caſtrorum quędam belli prælu
dia attentabant. Tandem inter ſextam, & nonam poſt longam expectationem Aga
reni ad locum, quo caſtra metati fuerant, ſunt reuerſi.

De diſpoſitione acierum, & ordinibus bellatorum. Caput. IX.

SEQVENTI vero die circa mediam noctem vox exultationis,
& confeſſionis inſonuit in tabernaculis Chriſtianis, & per vocẽ prę
conis inclamatum eſt, vt omnes ad bellum Domini ſe armarent. Ce
lebratis itaq; Dominicę paſſionis miſterijs, & facta confeſſione, ſum
ptis ſacramentis, acceptis armis ad campi certamina proceſſerunt, di
ſpoſitiſq; aciebus ſicut iam dudũ fuerat pertractatũ, inter Principes
Caſtellanos Didacus Lupi cum ſuis habuit primos ictus. Mediã aciem Comes Gun
diſaluus Nunij cũ fratribus Templi, & Hoſpitalis, & Veleſij, & Calatraug. Collate
ralem habuit Rodericus Didaci de Camberis, & Aluarus Didaci frater eius, & Ioan
nes Gundiſalui, & alij nobiles cum eiſdem. In vltima acie nobilis Rex Aldefonſus,
& Rodericus Archiepiſcopus Toletanus cum eo, & alij epiſcopi ſupradicti. De Ba
ronibus Gundiſaluus Roderici, & frater eius Rodericus Petri de Villa luporũ, Sue
rius Telli, & Fernandus Garſię, & alij. In qualibet autem iſtarum acierũ, erant com
munia ciuitatum, ſicut fuerat ordinatum. Strenuus autẽ Petrus Rex Aragonum ex
ercitum ſuum diſpoſuit in totidẽ aciebus: primos ictus habuit Garſias Romerij, ſecun
dam aciem Eximinus Cornelij, & Aznarius Pardi: in vltima fuit ipſe cũ alijs magna
tibus regni ſui: ſimiliter & in collaterali acie alios de ſuis nobilib' collocauit. De com
munibus etiã ciuitatũ Caſtellę habuit ipſe ſecũ. Rex Nauarrę Sancius ſpeciali prærо
gatiua ſtrenuitatis perſpicuus cũ ſuis a dextris Regis nobilis procedebat, & in comita
tu ſuo cõmunia ciuitatũ Sicobiæ, Abulę, & Medinę. Diſpoſitis itaq; aciebus, eleuatis
ad cælum manibus, directis ad Deum oculis, cordibus ad martyriũ excitatis, proten
ſis vexillis fidei, & nomine Domini inuocato ad belli diſcrimina omnes pariter perue
nerunt. Primi autẽ, qui primos ictus dederunt in acie Didaci Lupi de Pharo, fuerunt
ſuus filius, & nepotes ſuperius nominati ſtrenui, & audaces. Agareni vero in ſummi
tate quadam præſidium inſtar atrij firmauerunt de ſcrinijs ſagittarũ, infra quod erant
pręcipui peditũ collocati, ibidemq; Rex eorũ recedit habens iuxta ſe enſem, induens
cappam nigram, quæ fuerat Abdelmumi, qui fuit principiũ Almohadum, & librum
etiam ſectę nefarię Mahometi, qui dicitur Alchoranus. Extra atrium erant etiam alię
acies peditum, quorum quidam tam de interioribus, quam de exterioribus ſibi ad
inuicem colligatis, vt quaſi de fugę præſidio deſperarent, cõſtanter belli inſtantiã ſuſti
nebant. Erat autẽ exterius ante atrium acies Almohadum militaris equis, & armis,
& infinita multitudine terribilis in aſpectu: a dextris autẽ ipſorum, & a ſiniſtris erant
Arabes velocitate, & lancearum agilitate nocui inexpertis, qui & fugiendo impetunt,
& fugati acrius inſoleſcunt. In planitie vero vbi volubilitati non obeſt anguſtia, no
ciuiores reperiuntur, hi ſimiles Parthis ſagittarum inſiſtunt negocijs, & in clauarum
ponderibus vaſa ferũt vertiginis, & hi, & illi extraordinarijs vagationibus intẽti acie
rum ordinem non obſeruant, vt aduerſarios incurſionibus turbent, & ſuis ordina

tim venientibus ruptis agminibus ex aduerſo graſſandi tribuant facultatem. Sed & iſtorum, & aliorum innumerabilem multitudinem nullum credo de noſtris potuiſſe veraciter extimare, niſi quod poſtea ab Agarenis audiuimus, quod erant octoginta millia militum, peditum vero turbæ non poterant numerari. Ad hæc dicebantur adeſſe quidam Agareni de partibus Azdorę prope Marrochos mirius accepti in oculos Regis ſui, hi equis relictis, Regi ſuo, vt eius gratiam compararent, pedites aſti terunt, & ex his omnibus nullus creditur euaſiſſe, aſtabat etiam Regi corū quædam acies ſtupenda multitudine obſtipata, & militaribus inſignibus mirabiliter adornata.

Azdora. Marrochi

De victoria Chriſtianorum, & ſtrage Sarracenorum, Caput. X.

AGARENI autem fere immobiles in loco manentes cœperunt repellere primos noſtrum, qui aſcendebant per loca ſatis congreſſui importuna, & in his repulſis aliqui ex noſtris congreſſoribus difficultatibus fatigati aliquantulum ſubſtiterunt. Tunc etiam aliqui ex medijs aciebus Caſtellæ, & Aragoniæ in vnum agmen ad primas acies conuenerunt, & fuit ibi commotio magna, & res dubio periculoſa, ita vt etiam aliqui, non tamen de magnis, viderentur fugæ præſidio inhiare, ſed primi, & medij, ex Aragonia, & Caſtella coniunctim congreſſui inſiſtebant, collaterales etiam acies cum Agarenorum aciebus acriter dimicabant adeo, quod qui dam eorum terga vertentes fugere videbantur. Quod attendens Aldephonſus nobilis, videnſq; quoſdam plebeia vilitate quid deceat non curare, dixit omnibus audientibus Pontifici Toletano: Archiepiſcope ego, & vos hic moriamur. Qui reſpon dit ei: Nequaquam, immo hic præualebitis inimicis. Rex autem inuictus animo ſe ſtinemus, inquit, primis ſuccurrere in periculo conſtitutis. Tunc Gonſaluus Roderici, & fratres eius proceſſerunt ad primos. Fernandus vero Garſiæ vir ſtrenuus, & in militia induſtrius retardauit ipſum Regē conſulens, vt obſeruato moderamine pro cederent ad ſuccurſum. Tunc Rex inquit iterum: Hic Archiepiſcope moriamur, talis enim in tali articulo mors non dedecet. Et ille: Si Deo placet corona victorię non mors inſiſtat. Sin autem aliter Deo placuerit, vobis commori omnes communiter ſumus parati. In his autē omnibus teſtificor coram Deo nobilis Rex non mutauit vul tum, nec geſtum ſolitum, nec loquelam, immo viriliter, & conſtanter, vt leo imperterritus, aut mori, aut uincere firmus erat, nec diutius valens tolerare primorum periculum feſtinato greſſu vſq; ad atrium Agareni dante Domino hilariter vexillorum inſignia peruenerunt. Crux vero Domini, quæ coram Toletano Pontifice conſueuerat baiulari, præferente eā Dominico Paſchaſij canonico Toletano per Agarenorum acies miraculoſe tranſiuit, & ibidem illęſo baiulo ſine ſuis vſq; ad finem belli, ſicut Do mino placuit, perdurauit. Erat autē in vexillis Regum imago beatę Marię virginis, quæ Toletanę prouincię, & totius Hiſpanię ſemper tuttrix extitit, & patrona. In cuius aduentu acies illa mirabilis, & turba innumerabilis, quæ hactenus ſatis immobilis permanebat, & rebellis noſtris obſtiterat, cæſa gladijs, fugata lanceis, victa ictibus terga dedit. Tunc etiam ad inſtantiā germani ſui, qui Zeit Auozecrith vocabatur, Rex Agarenus iumēto varij coloris inſidēs fugę pręſidio ſe cōmiſit, & cum quatuor militibus periculi ſocijs Beatiam vſq; venit, & Beatienſibus quid facerent ſciscitantibus, dicitur reſpondiſſe: Nec mihi, nec vobis poſſum conſulere, Dominus ſit vobiſcum.

Beatia.

Ibiq; mutato iumento, Giennũ ea nocte peruenit. Interea Aragonenſibus ex ſua, Caſtellanis ex ſua, Nauarris ex ſua parte inſtantibus cæſa ſunt multa millia Agarenorum. Quo viſo, & audito Toletanus Pontifex hęc verba dixit nobili Regi. Eſtote memor gratię Dei, quę omnes defectus in vobis ſuppleuit, & opprobrium aliquandiu toleratum hodie releuauit. Eſtote etiam memor veſtrorum militum, quorum auxilio ad tantam gloriam perueniſtis, his & alĳs in hunc modum dictis, ipſe Toletanus, & alĳ Pontifices, qui ſimul aderant, cum lachrymis deuotionis in laudis canticum eleuatis vocibus proruperunt dicentes. Te Deum laudamus, te dominum confitemur. Erat etiam ibi Tellius Palentinus Epiſcopus, Rodericus Segontinenſis, Menendus Oxomenſis, Dominicus Placentinus, Petrus Abulenſis. Multi etiam alĳ clerici Domino cantica decantantes. Campus autem ſic ſtrage Agarenorum plenus erat, vt etiam in robuſtiſſimis equis vix ſuper eorum cadauera abſq; periculo tranſiremus. Erant autem Agareni, qui ſupra prædictum atrium inuenti ſunt, ſtatura proceri pinguedine dilatati, & quod mirabile eſt dictu, licet iacerent in omnibus partibus corporis detruncati, & iam a pauperibus ſpoliati, in toto campo nec ſignum ſanguinis poterat inueniri. Quibus peractis noſtri gratiæ Dei terminum nolentes imponere, per omnes partes vſq; ad noctem eos infatigabiliter ſunt ſecuti, & ſecundum extimationem creduntur circiter bis centum millia interfecta. De noſtris autem vix defuere viginti quinquę.

De magnalibus bellatorum. Caput. XI.

QVAE autem ſpecialiter facta ſunt a magnatibus, neminẽ credo ſufficienter poſſe dicere, cum nemo potuerit omnia particulariter intueri. Scilicet qualiter Aragonenſium audax ſtrenuitas operam dedit ſtragi, qualiter agilitate facili præuenerit fugientes. Quam viriliter Eximinus Cornelĳ cum turba ſuorum aduenerit agentibus primos ictus. Qualiter Garſias Romerĳ, & Aznarius Pardi cum alĳs magnatibus Aragonię, & Cathaloniæ belli dubia magnifice peregerunt. Qualiter Nauarrorum bellicoſa agilitas belli inſtantiæ ſe obiecit, & perſecuta ſit fugientes. Qualiter & Vltramontani, qui remanſerant in occurſum, magnanimi Agarenorum in curſibus reſtiterunt. Qualiter Caſtellanorum magnifica nobilitas, & nobilis magnanimitas largis copĳs ſuppleuit omnia, manu ſtrenua compreſſit pericula, victricigladio præuenit velocia, fœlici victoria cõplanauit aſpera, & crucis improperia in gloriam commutauit, & hoſtis blaſphemias laudum canticis dulcorauit. Sed ſi ſingulorum magnalia vellem proſequi, citius in ſcribendo manus deficeret, quam dicendi materia mihi deeſſet. Sic enim omnes pręuentrix armauerat gratia, vt nullus de ĳs, qui eſſe aliquid videbãtur, aliud appeteret, niſi aut pati martyrium, aut obtinere. His itaq; omnibus peractis fœliciter, iam circa ſolis occaſum in Agarenorum tentorĳs ſedimus fatigati, ſatis tñ pro victorię lætitia recreati neq; ex nobis ad caſtra qui redierunt, niſi famuli ad ſarcinas deportandas. Tanta autem fuit in campo Arabum multitudo, quod medietatem ſpacĳ vix potuimus occupare. In campo autem, qui voluerũt rapere, plurima inuenerunt, aurum ſcilicet, argentum, veſtes precioſas, ſuppellectilia ſerica, & multa alia precioſiſſima ornamenta, necnon & pecunias multas, & vaſa precioſa, quæ omnia pro maiori parte pedites, & aliqui milites de Aragonia habuere. Maiores enim, & quos fidei zelus, & Regis reuerentia, & amor ſtrenui-

tatis nobilitauerat, hæc omnia contemnētes vſq; ad noctem perſecutioni viriliter intenderunt. Præſertim cum præcedenti die Pontifex Toletanus ſub interminatione anathematis inhibuiſſet, ne quis prædę campi inſiſteret, ſi diuina prouidentia victoriam concedere dignaretur. Camelorum autem, & cęterorum animalium, necnon & victualium, quæ inibi ſunt inuenta, vix poſſet quantunlibet ſubtilis diſcretio ęſtimare. In eodem itaq; loco illo die, & ſequenti moram fecimus fatigati. Homines, & vehicula, & res, & ſarcinas, quæ fuerant ob belli inſtantiam propoſita, vel neglecta, famulorum ſtudio ſunt aduecta. Et quod vix videtur credibile, licet verum, in illis duobus diebus ad vſus omnes nulla alia ligna combuſimus, niſi haſtas lācearum, & ſagittarum, quas ſecum duxerant Agareni. Vix tamen in illo biduo potuimus conſumere medietatem, quamuis ex induſtria non ad neceſſitatem ignem apponerent, ſed ad eorum multitudinem conſumendam.

De captione Beatię, & Vbetæ, & aliorum caſtrorum, & reditu exercitus. Caput. XII.

EXINDE procedentes quidam ex noſtris caſtrum de Bilche fortiſſimum obſederunt. Nos vero die tertia poſt bellum quarta ſcilicet feria venientes cepimus caſtrum Bilche, necnon & alia tria ſcilicet, Ferral, & Balnea, & Toloſam, quæ vſq; hodie per Dei gratiam a fidelibus incoluntur, ibiq; moram per vnum diem fecimus, & procedētes ex noſtris ad ciuitatem Beatiam vacuam inuenerunt, fugientibus Agarenis, & ſuorum periculo iam comperto ſe in Vbetam receperūt, preter quoſdam inexpeditos, qui in eorum oratorio, quod Mezquita dicitur, incendio perierunt. Hoc audito Reges, & Principes communi conſilio decreuerunt Vbetam obſidere. Hoc factum fuit feria ſexta poſt bellum. Igitur ſecunda feria octauo ſcilicet die poſt bellum aggreſſi ſunt ciuitatem inuocato nomine Chriſtiano, & ſicut Domino placuit ex ea parte vbi inſtabant Aragonenſes, quidam armiger Lupi Ferrencij de Luna murum aſcendit, & in eius aſcenſu corda reſiſtentium languerunt, & ſe Regis gratiæ ſpoponderunt. Super hoc itaq; habito frequenti tractatu primo obtulerunt Sarraceni mille millia aureorum, vt ciuitas eis integra remaneret, quod & aliqui acceptarunt. Dolentibus admodum Regibus, diſſimulantibus tamen propter inſtantiam magnatorum, demum Toletano, Narbonenſi, & cęteris Pontificibus auctoritate Pontificali pacta huiuſmodi prohibentibus, factum eſt, vt ciuitas funditus euerteretur, Sarracenis ad vitam ſeruatis, captiuitati nihilominus mancipatis, & iam Dei gratia propter luxum hominum tepeſcente Chriſtiani cupiditate illecti intendebant iniurijs, & rapinis. Vnde & Dominus impoſuit frenum ori eorum, & percuſſit eos infirmitatibus, & iumenta, & vix erat in tabernaculis, qui commilitoni poſſet ſocio, vel domino miniſtrare. Et neceſſitate compulſi rediuimus Calatrauā, ibiq; inuenimus Ducem Auſtrię de partibus Theothonię, qui ſatis in magno venerat apparatu. Indeq; cum Rege Aragonum, cui erat conſanguinitate coniunctus, in Aragoniam eſt reuerſus. Nos vero cum nobili Rege Aldephonſo ad vrbem peruenimus Toletanam, ibiq; cum Pontificibus, & clero, & vniuerſo populo in eccleſia beatæ Marię virginis proceſſionaliter eſt receptus, multis Deum laudantibus, & in muſicis inſtrumentis acclamantibus, quod eis Regem ſuum reddiderat ſanum, & incolumem, & corona victoriæ coronatum. Inde diuiſo exercitu, vnuſquiſq; ad propria

Bilchæ. Ferral. Balnea. Toloſa. Beatia. Vbeta.

Auſtria. Teotonia

eſt reuerſus. Hic finis belli, quod fuit æra milleſima ducenteſima quinquageſima fe- ria ſecunda decimo ſexto kalendas Auguſti. æra.M.ccl

De captione Alcaratij, & Alcantarę, & aliorum caſtrorum, & fœdere cum Rege Legionenſi. Caput. XIII.

POST hęc autem, licet Chriſtianorum populi eſſent laboribus, & infirmitatibus fatigati, Rex tamen nobilis a magnalibus non pote- rat abſtinere. Et congregrato exercitu eodem anno menſe Februa rio Caſtrum Dominarum impugnatum machinis occupauit, & re ſtituit, quorum fuerat, fratribus Calatrauæ. Et inde procedens ce- pit caſtrum, quod Eznauexore dicitur, & militiæ ſancti Iacobi de- dit illud. Et inde perueniens ad caſtrum famoſum, quod Alcaratium dicitur, obſi- dione diutina impugnauit, & in die aſcenſionis Domini eiuſdem anni cepit illud Do- mino faciente, & a Roderico Toletano Pontifice, & clero, qui aderat, proceſſionali- ter eſt receptus in eccleſia ſancti Ignacij, quæ Mezquita fuerat, diuinis ſolenniter ce- lebratis, cepit etiam aliud caſtrum, quod Riuus Oppæ dicitur, expulſis Arabibus ab eodem. Et ſic reuerſus in terram ſuam, in villa eccleſiæ Toletanę, quę ſanctus Tor quatus dicitur, feſtum Pentecoſtes præſente vxore ſua Regina Alienor, & filio ſuo Enrico, & filia ſua Berengaria Legionenſi Regina, & nepotibus ſuis Fernando, & Al phonſo cum gratiarum actionibus, & gloria celebrauit. Accidit autem eo anno, vt Dei iudicium Hiſpaniam viſitaret, nam ſic in omnibus regni finibus victualia defece runt, vt homines panem petentes cum non eſſet, qui porrigeret, in plateis, & compi- tis famis exitio morerentur. Licet ipſe Rex nobilis largiſſime eleemoſinas erogaret, & Pontifices, & magnates milites, & populares ſupra poſſe ſtuderent, quæ habere po- terant, pauperibus impartiri. Nec tantum ſterilitas in fructu terræ, ſed etiam in volu cribus gregibus, & armētis, q̄ conceptu, & fœtu eo anno ſterilitate ſimili caruerunt, & equitaturæ, & equi multi defectu palearū, & ordei perierunt. Et licet tanta peſtis pa triam infeſtaret, Rex nobilis ab aſcenſionibus corde conceptis non potuit retineri, & cum Aldefonſo Rege Legionenſi olim genero fœdus initum innouauit, & reſtituit ei Rex Caſtellæ Carpium, & Montem regalem, vt diruta de cætero non ſtarent. Et dato ei in auxilium Didaco Lupi de Pharo magnate nobili, & potente, Reges pari- ter condixerunt, vt vterq; per confinia regni ſui exercitum duceret contra Mauros. & Rex Legionenſis in eo introitu cepit Alcantaram munitionem nobilem, quam de- dit poſtea fratribus Calatrauæ.

C. dñarū. Eznauexore. Alcaratiū. Oppæ riuus. S. Torcatus. Carpium. Mons regalis. Alcātara.

De obſidione Beatiæ, & tregua cum Arabibus, & populatione Miraculi, & peſte famis. Caput. XIIII.

ALDEPHONSVS autem nobilis Rex Caſtellæ, æra. M. CC. quinquageſima prima octauo kalendas Decembris congrega to exercitu vrbem ingreſſus eſt Toletanam, & per Conſocram, & Calatrauam trāſiens circa Beatiam fixit caſtra, & ſic inualuit fames ibi, vt exercitus carnes humano generi inſuetas edere cogerentur. ibiq; aduenit prædictus Didacus Lupi cum magno militum comi- tatu. Rex enim Legionenſis poſt captam Alcantaram reuerſus fuit in terram ſuam. Cumq; diu Beatiæ obſidio traheretur, nec a patria victualia portarētur, omnibus

æra.M.ccli. Conſocra. Calatraua. Beatia.

ſere fame deficiētibus, ſuorū conſilio Rex nobilis tregua cū Arabibus reformata rediję
Calatrauā, & cū fratres, & ſeculares, qui inibi morabanť fame, & inedia laborarēt, ma
gnates, & milites, & cęteri populorū, prout vnuſquiſq; potuit ſubuenerūt, ſicut tāta
aduerſitas tolerabat. Rodericus etiam Toletanus Pontifex attendens verbū Ioannis
Apoſtoli, qui viderit fratrē ſuū neceſſitatem habentem, & clauſerit viſcera miſericor
dię ſuę, quomodo Dei charitas eſt in illo. Et itē dicit ſcriptura. Paſce fame moriētem,
quē niſi paueris, occidiſti: totum argētum, quod apud ſe potuit inuenire, fratribus ero
gauit. Et ne caſtra frontariæ remanerent habitatoribus deſtituta, elegit ipſe cum in-
digentibus indigere, & cum fratribus in terræ ſolaciū, & ſubſidium eo tēpore remane
re. Rege itaq; cum exercitu ad patriā redeunte, prædictus Pontifex omnibus ſæcula
ribus remanentibus Calatrauæ a feſto Epiphaniæ vſque ad octauas ſancti Ioannis
omni die edulium miniſtrauit. Sed in quadrageſima ad tantæ neceſſitatis anguſtias
peruēerunt, quod ipſe Pontifex cum fratrum capitulo potius carnes comedere, quam
terram deſerere decreuerunt, niſi Dominus aliter prouideret, ſed Dei abundantia pie
tatis miſericorditer ſic prouidit, vt prædicto Pōtifici alimonia non deeſſet, & fratrū
indigentiam ſupportaret vſq; in diem, qua terra Domini diuitibus, & pauperibus
fructum dedit. Eo tempore idem Pontifex in via publica, per quam Toletū Ara-
Miracu ū. bes grauius infeſtabant, caſtrum, quod Miraculum dicitur, populauit, vbi cum ali-
quandiu cōſediſſet pluuijs & inundationibꝰ impeditus, caſtri fabrica non creſcebat, ta
men in eo quod fieri potuit, relictis militibus, & alijs bellatoribus, qui nouæ popula
tionis ambitum cuſtodirent, imminente ſolennitate Ramis palmarum venit ad ec-
cleſiam Toletanam. Vbi proceſſione ſolenniter celebrata, cum clamor inſurgeret
egenorum, idem Pontifex verbum expoſuit charitatis, & ſic Omnipotens corda au-
dientium inflammauit, vt ipſo incipiente cæteri, qui verbum Domini audiebant, vſq;
ad tempus fructuum cęteros pauperes receperint, & ſic charitatis gratiarum nume-
rum augmentauit, vt in tota vrbe vix remanſerit, qui exhibitorem proprium non ha
beret, & eadē die, qua fuit hęc diſtributio charitatis, ſeptingenti milites, & mille qua-
dringenti pedites Arabum caſtro Miraculi aduenerunt, & eos, qui intus aderant,
vnius diei cōcertatione fortiter impugnarunt, adeo quod aliquis de intrinſecis ſine mor-
te, aut effuſione ſanguinis vix remanſit. Agareni autem incluſorum conſtantiam
formidātes, multis ex ſuis ſagittis, gladio, & lapidibus interfectis, greſſu retrogrado
receſſerunt, & tanta fuit cæſio obſeſſorum, quod nullus ex eis in caſtro potuit rema-
nere. Sed poſt acceſſum Arabum Roderico Pontifici, cuius erant, nuncio deſtina-
to, ſucceſſores fortes, & incolumes receperunt, & ipſi Toletum vehiculis ſunt adue-
cti, vbi commoditate debita recreati vſq; ad ſanitatis gaudium ſub chirurgico reman-
ſerunt. Rodericus autem Pontifex his diſpoſitis iuit Burgis ad Regem nobilem Al-
dephonſum, qui opera eius commendans in Domino dedit ei viginti aldeas in poſ-
ſeſſionem perpetuam eccleſiæ Toletanæ.

De morte Regis nobilis Aldephonſi. Caput. XV.

CONSVMATIS autem quinquaginta tribus annis in regno,
Rex nobilis Aldephonſus generum ſuum Regem Portugalliæ ad col
loquium conuocauit. Cum q; eſſet in procinctu itineris eundi Pla-
Placētia. centiam vltimam ſui dominij ciuitatem in aldea quadam Areuali, quæ
Coternus dicitur Guterrius Munionis, cœpit grauiter infirmari, vbi demum ſe-

bre correptus vitam finiuit, & ſecum gloriam Caſtellę ſepeliuit, facta prius confeſſione Roderico Pontifici, & ſumpto ſummi Viatici ſacramento, aſſiſtentibus Epiſcopis Tellio Palentino, & Dominico Placentinenſi. Sequenti die in præſentia Alienor vxoris ſuæ chariſſimæ, & Reginæ Berengarię filiæ ſuę dulciſſimę cum Enrico filio, & Alienor filia, & nepotibus ſuis Fernando, & Alphonſo in ætate conſiſtētibus puerili. æra milleſima ducenteſima quinquageſima ſecunda in die Fidis virginis ſecunda feria decimo Kalendas Octobris, non plenus dierum, ſed virtutibus, & honore beatum ſpiritum ſuo, qui dederat, reſtituit creatori. Et factus eſt luctus omnium, & deſolatio magnatum, necnon & omnium populorum, & corpore eius in decenti ſarcophago collocato, ea die peruenimus Vallemoletum. Deinde ex omnibus regni partibus Pontifices, & Abbates, religioſi, & ſęculares, milites, & magnates, humiles, & maiores ad exequias tanti funeris conuenerunt. Sic enim corda hominum vulnerauit relatio mortis eius, quaſi quilibet improuiſę ſagittę iaculo feriretur. Sic enim ſtrenuitas, largitas, curialitas, ſapientia, & modeſtia eum ſibi ab infantia vendicarant, vt poſt mortem eius ſepulta credantur omnia cum ſepulto. Omnes enim non tantum in ſuis, ſed in alijs Hiſpaniæ finibus effrenatis ſtudijs, & laxatis habenis licentiæ, quo libuit abierunt, & nihil ſibi retinuerunt, cum theſauros verecundiæ amiſerunt. Sepultus eſt autem in regali monaſterio prope Burgis a Roderico Toletano, Tellio Palentino, Roderico Segontinenſi, Menendo Oxomenſi, Girardo Segobienſi Epiſcopis, & alijs religioſis officioſa obſequia funeris filia eius Regina Berengaria impendente: quę tanto dolore eius exequias conſumauit, qd' fere dilaceratione, & lachrymis ſe extinxit, & ſicut in vita regnū virtutibus adimpleuit, ſic in morte totam Hiſpaniā, immo mundum lachrymis madefecit. Sepultus eſt autem in prędicto monaſterio a Pontificibus ſupradictis, vbi laudum eius præconia, nec inuidia, nec obliuio poterit abolere.

æra.M.cc.lij.x.M.cc.xiiij.

LIBER NONVS RERVM IN HISPANIA GESTARVM CHRONICON.

Caput Primum.

IO igitur ſepulto iam continuo filius eius Enricus paruulus, & hæres, a Pontificibus, & magnatibus, vniuerſo clero, Te Deum laudamus, cātate ad regni faſtigium eleuatur. Vndecim annorum erat cum regnare cœpiſſet, & duobus annis, & decem menſibus regnauit.

Verum poſt mortem Regis nobilis viginti quinque diebus tranſactis Alienor vxor eius fuit rebus humanis exempta. Hęc erat Enrici Regis Angliæ filia, pudica, nobilis, & diſcreta, & ſepulta eſt in prædicto monaſterio iuxta virum, & cuſtodia pueri Regis, & regni gubernatio remanſit penes Berengariam Reginam ſororem eius. Cuius diligentia ſic apparuit toto tempore ſui regiminis, vt pauperes, diuites, eccleſiaſtici, ſęculares ſicut tempore Regis nobilis fuerāt, in ſuis ſtatibus ſeruarentur, licet Baronum varietas zelo inuidiæ circum acta diſcidia procuraret. Cum autem eſſent tres Comites, Fer-

nandus, Aluarus, Gundiſaluus filij Comitis Nunij ſupradicti cœperunt ad cuſto-
diam Regis pueri inhiare, vt concepta odia poſſent in his, quos oderant, vindicare, ſicut
pater eorum fecerat tempore puriciæ patris eius, aliqui etiam, quibus Regina Beren-
garia ſe credebat, eorum ſtudijs conſenſerunt, mediante quodam milite Palentino, qui
Garſias Laurentij dicebatur, & de mandato Reginæ erat cuſtodiæ Regis pueri depu
Tabulata tus. Hic promiſſa ſibi a Comite Aluaro in hæreditatem villa, quæ dicitur Tabu-
lata, Regi ſuaſit, vt ad Comitis Aluari cuſtodiã ſe transferret. Quod cũ ſolers Re-
gina Berengaria percepiſſet, animo gratanti conceſſit, ſed timens inſolentias, quæ ve-
nerunt, fecit iurare Comitem Aluarum & magnates, vt ſine ipſius Reginæ conſilio,
nec aliquibus terram auferrent, nec aliquibus terram darent, nec vicinis Regibus guer
ram mouerent, nec multam, quę Hiſpaniæ pecta dicitur, imponerent in aliqua regni
parte, & iuramento, & hominio in manu Roderici Toletani Pontificis firmauerũt,
& ſi contrarium facerent, proditionis infamia tenerentur. Sed quia Regina pro-
pter importunitates militum, & maiorum tędio erat affecta, timebat ne regnum in
ſui cuſtodia turbaretur, & ideo Comiti Aluaro dedit puerum conditionibus ſupra-
dictis. Qui cum Gundiſaluo Roderici, & fratribus ſuis tunc ſibi fauentibus inco
tinenti Burgis egrediens cœpit exterminia procurare, magnos humiliare, & vulgi di
uites exhaurire, religiones, & eccleſias ancillare, & decimarum tertias, quę ad eccleſia-
rum fabricas pertinebant, cœpit ſimiliter infiſcare. Sed excommunicatus a Roderi
co Toletano Decano, qui vices Archiepiſcopi tunc gerebat, coactus fuit reſtituere, &
iurare ne de cętero attentaret, & eccleſiarum homines, qui priuilegiorum regalium
immunitate gaudebant, cœpit Angarijs, & exactionibus ſubiugare.

De conturbernio Regis Enrici, & Dominæ Mafaldæ, Caput. II.

VERVM cum apud Vallemoleti curiam celebraſſent magnates
alij, Lupus Didaci de Pharo, Gonſalus Roderici, & fratres eius Ro
dericus Roderici, & Aluarus Didaci de Camberis, Alphonſus Tel-
li de Meneſis, & alij nobiles regni exterminio condolentes curauerunt
tantis cladibus obuiare, & Reginę Berengarię prudentiã adeuntes hu
militer ſupplicarunt, vt regni miſerijs condoleret. Comes autem Al
uarus cœpit Reginam nobilem infeſtare, adeo vt ea, quæ ſibi pater ſuus dederat, occu
paret, & ei etiam ore temerario demandauit, ne in regni finibus remaneret. Tunc Re
gina nobilis cum ſorore ſuà Alienor, quæ fuit poſtea Regina Aragonũ, & erat tunc
Apellum temporis domicella, in caſtrum Gunſalui Roderici, quod Aptellũ dicitur, ſe recepit,
ibiq; deguit vſq; ad mortem fratris. Sed prędicti magnates tanquã naturali dominę
fideliter adhęrentes Regi paruo fidelitatis debitum in omnibus ſeruauerunt. Cæte-
rum prædictę Reginæ ſolers induſtria omnia ſic prouide ordinauit, vt magnates ſi-
bi fauentes, & Comitis Aluari inſolentias refrenaret, & iura ſua Regi paruo conſer-
uaret. Verum cum Rex Tenellus intentionem Comitis ſagaci indole iam ſentiret,
libenter volebat ad ſororis cuſtodiã ſe transferre. Sed Comes Aluarus per ſuos cõpli
ces ita cauit, quod Rex puer, quod volebat, non potuit effectũ mãcipare. Nã Comes
callide cogitauit vxorem ex Portugallia ſibi dare, qua mediante poſſet puerum in
ſuo beneplacito retinere. Sed in contrarium res euenit. Nam cum Mafaldam fi-
liam Regis Portugallię adduxiſſet, & puer non eſſet in ætate nubili, remãſit domina
coniugali

coniugali commertio defraudata, & quia ſe conſanguinitatis linea attingebant, de man
dato Innocentij Papæ fuit contubernium ſeparatum, & poſt, vt fertur, inter ſe, & do-
minam voluit Comes Aluarus connubiũ procurare. Sed ipſa, cum eſſet pudica, ver-
bum reſpuit indignanter.

De morte nuncij, & captione Montis alacris, & obſidione Villæ albæ. Capur. III.

POST curiam Vallis oleti Comes Aluarus cum ſuis complici-
bus, & cum Rege extrema Dorij peragrauit maiorum animos ſibi
concilians, vt eorum fauore poſſet alijs imperare, & habentium diui-
tias exhaurire, & inde ſe tranſtulit vltra Serram. Et cum veniſſet
Maquedam, quæ eſt oppidum in diœceſi Toletana. Regina nobi- Maqueda
lis milit nunciũ de fratris ſtatu clanculo percunctari. Erat enim ſo-
licita, eo quod a Comite Aluaro negligentius ſeruabatur, & cum Comes Aluarus de
nuncio comperiſſet, fecit ſcribi literas impoſturæ, & falſo ſigillo Reginæ nobilis inter
cludi, in quibus continebatur, quod Regina nobilis ſcribebat aliquibus de conſilio ma
gnatum de campis, vt cum toxico ſibi miſſo fratri ſuo exitiale poculum propinarent,
vt ſic puerum ad ſororis odium grauius prouocarent, & hominem continuo ſu-
ſpenderunt. Sed cum labia malignorum ſibi velut ebria mentiantur, qui Suſan-
nam a falſo teſtimonio liberauit, Reginam nobilem, & innocentem ab impoſturæ
mendacio liberam declarauit, &, vt in ſuis mendacijs caperentur iniqui, communis,
& fidelis aſſertio omnium ſine dubio affirmabat Reginæ nobilis veritatem, deteſtans
maledictis, & conuitijs, quod iniquitas adinuenit. Et licet effronte ſuperbia Comes
Aluarus niteretur, tanta tamen efferbuit ſubſanatio populi contra eum, vt cogere-
tur recedere a partibus diœceſis Toletanæ, & Optam veniens ibi aliquandiu fecit mo
ram. Aduenit autem miles nobilis Rodericus Gundiſalui de Valle viridi, qui be- Opta.
neplacitum Regis pueri iam habebat, vt ad ſororem ſuam inſcio Comite Aluaro ſe
transferret. Sed cum Fernandus Munionis Comitis Aluari fautor, & nepos ad-
uentum prædicti nobilis comperiſſet, ei ex improuiſo aſſumptis militibus ſuperue-
nit, & captum duxit ad Alarconem. Tunc Comes Aluarus, vt in regno excidia Alarcon.
excitaret, fautoribus Reginæ nobilis mouit guerram, & aſſumptis, quos habere po-
tuit, cum Rege ad Vallem oletũ in ſequenti Quadrageſima peruenerunt, & Paſchate
reſurrectionis Dominicæ celebrato, cum militibus Caſtellanis, & de extremis Do- Extrema
rij Vallem triticariam vaſtauerunt, & domos magnatum, qui Reginæ fauebant, Dorij.
hoſtiliter diſſiparunt. Deinde in caſtro, quod Mons alacer dicitur, Suerium Tel- Vallis tri
lij obſederunt. Sed cum Gonſalus Roderici, & fratres eius, & Alphonſus Tellij ticaria.
pluribus militibus præminerent, Regis præſentiam reuerentes noluerunt obſeſſo Mons ala
fieri in ſuccurſum. Sed ipſe Suerius Tellij Regi petenti protinus caſtrum dedit. cer.

Ex inde Comes cum Rege procedens in campis plurima deuaſtauit, & apud Car- Carrion.
rionem per dies aliquos fecit moram. Deinde ad Villam albam de Alcor contra Al Alcor.
phonſum Tellij properauit, & quidam milites ex agmine præcurrentes extra mu- Villaalba
nitionem Alphonſum Tellij repererunt, & captis equis, & armis ipſum etiam vul-
nerarunt, & vulneratus in municipio ſe recepit, vbi per aliquos dies obſeſſus virili-
ter ſe defendit.

De morte Regis Enrici. Caput. IIII.

Pallentia. AB obſidione vero Comes recedens Pallentiam feſtinauit. Regi-
Cinisarũ na autem, & ſui nobiles in Aptello, & Caſtro Ciniſario moraban-
tur, & neſciebant quid agerent, eo quod in exercitum Rege præſen
te non poterant inſilire, nec illatas iniurias ſuſtinere. Vnde com-
muniter decreuerunt Regi reſtituere terram ſuam, & de cælo au-
xilium expectare. Cum igitur terra, vt dictum eſt, varijs incurſioni
bus vaſtaretur, & Comes cum paruo Pallentiam aduenisset, contigit eum in domo
Epiſcopi hoſpitari, & res eccleſiæ, vt hoſtem conſumere, & deuaſtare. Quadam
autem die cum Rex puer inſtaret ludicris cum coætaneis Domicellis minus prouide
cuſtoditus, Domicellus quidam e turre caſu tegulam proijciens Regem in capite vul
nerauit, ex quo ictu poſt dies paucos fuit mors lugubris ſubſecuta. Sed ante quam
rumorem loquacitas diuulgaſſet, Regina ſapiens miſit Lupum Didaci, & Gundi-
ſaluum Roderici magnates pro filio ſuo Fernando, qui apud Taurum cum patre
tunc temporis morabatur. Qui euntes rumorem de morte Regis pueri ſumpſe-
runt, & Regi Legionis cauſam aliam ſuadentes cum Infante Fernando ad Reginam
Verengariam redierunt. Interim autem Comes Aluarus tulit Regem a Pallentia,
Tarecum. vt in caſtrũ, quod Tarecum dicitur, cęlaretur. Sed quia res non potuit occultari, ſo
ror eius Regina funeſtis rumoribus concitata Pallentiam cum magnatibus propera-
uit, vbi a venerabili Tellio Epiſcopo ciuitatis cum proceſſione ſolenniter ſunt rece-
Doniæ. pti, & inde ad caſtrum, quod Doniæ dicitur, procedentes continuo vi ceperunt.

Tunc magnates cum Comite Aluaro de concordia tractauerunt, ſed nihil voluit
Comes Aluarus accepiare, niſi Infans Fernandus Rex futurus ſuę cuſtodiæ, vt auun
culus, traderetur, cui pactioni Regina nobilis, & magnates verentes præteritia nullate-
nus conſenſerunt, & procedentes ad Vallem oleti venerunt, & conſilio habito ad ex-
trema Dorij proceſſerunt. Et cum veniſſent ad villam, quæ Cauca dicitur, habita-
Cauca. tores villæ eos recipere noluerunt, ſed ad Aldeam quandam, quæ Sanctus Iuſtus di-
S. Iuſtus citur, ſeceſſerunt, & ibidem nuncios receperunt, ne Socobiam, vel Abulam, vel ad ali
Socobia. quam extremorum Dorij accederent ciuitatem. Nunciatum eſt etiam quod San-
Abula. cius Fernandi frater Regis Legionenſis contra Reginam, & filium eius magna cum
multitudine adueniret. Vnde & Regina nobilis, & filij ſui cum his, qui aderant, ad
Vallem oleti protinus redierunt.

Quod Infans Fernandus factus eſt Rex Caſtellæ. Caput. V.

CVM autem audiſſet Regina potiores extremorum Dorij, & de vltra Serram Socobiæ conuenire, miſit nuncios, qui eis fidelitatis debitum ſuaderunt. Cumq; viri extremorũ Dorij hoc audiſſent, uenire ad Reginam nobilem continuo conſenſerunt, & cum ad Vallem oleti communiter conueniſſent, ibidem tam extremorum Dorij potiores, qui pro omnibus venerant, quam etiam magnates, & milites Caſtellani communi conſenſu regnum Caſtellę fidelitate debita Reginę nobili obtulerunt, Ipſi enim decendentibus filijs, cum eſſet inter filias primogenita, regni ſucceſſio debebatur, & hoc ipſum patris priuilegio probabatur, quod in armario Burgenſis eccleſiæ ſeruabatur, & totum regnum, ante quam Rex haberet filium, bis

ſuramento, & hominio hoc firmarat; ipſa autem intrà fines pudicitiæ, & mode-
ſtiæ ſupra omnes mundi dominas ſe coarctans regnum ſibi voluit retinere.
Sed extra portam Vallis oleti educta multitudine extremorum Dorij, & Caſtel-
læ, vbi forum agitur, conuenerunt, eo quod tantam multitudinem domorum an-
guſtia non ferebat, & ibidem filio regnum tradens, Infans Fernandus, de quo dixi-
mus, omnibus approbantibus ad eccleſiam Sanctæ Mariæ ducitur, & ibidem ad re-
gni ſalutem ſublimatur, anno ætatis ſuæ decimo octauo, clero, & populo decan-
tantibus: Te Deum laudamus, te Dominum confitemur. Et ibidem omnes ei fece-
runt hominium, & fidelitatem Regi debitam iurauerunt, & ſic honore regio ad re-
gale palatium eſt reductus. Cum autem audiſſet Regina nobilis Aldephonſum Aloroill.
Regem Legionenſem ad villam, quæ Airoium dicitur, aduenisſe: modeſtiæ ſuæ in-
ſiſtens pudori, per Mauritium Burgenſem, & Dominicum Abulenſem Epiſcopos
humiliter ſupplicauit, vt ſe ab inquietatione filij temperaret. Sed ipſe Rex elatus
ſuperbia, quam cordi eius Comes Aluarus inſtillarat, ſupplicationi, & precibus con Piſorica.
tradixit, eo quod imperio inhiabat, immo tranſiuit Piſoricam, & venit Lacunam, Lacuna. Arcus.
vbi cum diebus aliquot permanſiſſet, direxit faciē contra Burgis, & cū loca plurima,
& domos militum deuaſtaſſet, & alias incendio concremaſſet, ad villam, quæ Ar-
cus dicitur, ſuperuenit: ſperans ciuitatem Burgenſem ſe capturum. Sed cum audiſſet
in eadem vrbe Lupum Didaci, & multos milites congregatos, fruſtratus ſpe vacua,
& inani contra conſiliarios indignatus in terram ſuam propere remeauit.

De tumulatione Regis Enrici. Caput. VI.

REGINA autem, in Regem filio ſublimato, dum hæc fierent Pal-
lentiæ morabatur, & ibi venerunt ad eam ex Secobia, & Abula,
& alijs oppidis extremorum Dorij milites copioſi conſiliorum ſuo-
rum ſeruitia offerentes. Et tunc Regina duos venerabiles Pontifi-
ces Tellium Pallentinum, & Mauritium Burgenſem miſit Tarci- Tareum
cum, vt Enrici Regis corpus reciperent cum ſuis parentibus tu-
mulandum, præſertim cum & hoc ipſum Comes Aluarus iam mandaſſet, & præfi- Munio.
ti Pontifices recepto corpore Pallentiam redierunt. Et inde Rex nouus cum ma-
tre ſua Regina nobili ad caſtrum, quod Munio dicitur, aduenerunt, & dum Rex op-
pidum impugnaret, Regina nobilis fratrem ſuum Enricum Regem in Sarcophago
nobiliter præparato detulit ad monaſterium prope Burgis, & ibidem iuxta fratrem
ſuum Fernandum Infantem cum planctu magno exequijs celebratis regaliter ſepe- Munio.
liuit. Inde vero Regina veniens Munionem inuenit caſtrum a Rege Fernando, & Lerma. Lara.
ſuis fidelibus occuputum, militibus, qui inerant, captiuatis. Poſt hæc ad Lermam
& Laram, quas Comes Aluarus detinebat, cum Burgenſi concilio procedentes in-
uaſas fortiter occuparunt, & rebellantes milites vi ceperunt. Inde ad vrbem Burgen-
ſem redeuntes a Pontifice, clero, & populo honorifice, & proceſſionaliter ſunt rece-
pti, gaudentibus omnibus quod liberati ab hoſtibus in dominæ naturalis dominio
remanſerunt.

De largitate Reginæ Verengariæ, & deceptione Comitis Aluari. Caput. VII.

VERVM quia perturbatione huiuſmodi obſiſtente, regales reddi
tus ad ſtipendia defecerunt, & Regina nobilis, quidquid habuerat
in largitionibus, diſpenſarat, ad argenti, & auri, & gemmarum do-
naria miſit manum, & quæq; ex talibus reſeruarat, in auxilium fi-
lij liberaliter erogauit, & de conſilio magnatum, qui ſecum ade-
Belli fora men. rant, ad partes Belli foraminis, Anagari, & Naiaræ proceſſerunt, &
Anagarū. receptus villis, quas ſibi incolæ gratiſſime reddiderunt, Burgis iterum ſunt reuerſi,
Naiara. munitiones enim, quas Comes Gonſalus Nunij detinebat, non potuerunt propter
ſui fortitudinem expugnare. Et dum Rex, & Regina nobilis eſſent Burgis, Co-
Alliorum mes Aluarus cum fratribus, & complicibus per Aggerem Alliorum, & Quinta-
agger. nam fortunij tranſierunt, & in Belli foramine hoſtiliter irruentes, nec ætati, nec ſexui
Qgitana pepercerunt, ſed cuncta cæde, & incendio conſumpſerunt, quod ceſſit nouo Regi, &
Fortunij Reginæ nobili in amaritudinem, & dolorem, & hac vaſtatione peracta Comites ad
propria redierunt, & Rex nouus cum matre Regina nobili, & ſuis magnatibus a
Pallētiola Burgis Pallentiam cœpit ire. Et dum ad villam, quæ Pallentiola dicitur, peruenisſ
ſent, Comes Fernandus in Ripella vallis Guiariæ aciebus diſpoſitis ſubſiſtebat. Co
mes Aluarus cum ſuis militibus Ferrariolam ſe recepit, & quarta feria quatuor tem
porum menſis Septembris cum Rex Fernandus, & Regina nobilis ituri Pallen-
Ferrariola tiam iuxta Ferrariolam pertranſirent, collateralem aciem cum Alphonſo Tellij, &
Suerio Tellij ſeparauit, ne agmen exercitus tranſeuntis a militibus Comitis læderе-
tur. Et cum Comes Aluarus extra villam cum aliquibus militibus reſediſſet, in vil
lam cæteris intromiſſis, vt poſſet exercitum contemplari, remanſit cum paucis in vil
lam colligi dedignatus. Sed cum Alphonſus Tellij, & Suerius Tellij, & Alua-
rus Roderici, & quidam alij eum eminus agnouiſſent, contra eum equorum impe
tu proceſſerunt, & videns multitudinem præminere, iam exanimis, quamuis ſuper-
bus recolligere ſeſe cœpit. Sed cum prædicti milites adueniſſent, Comes Aluarus
de equo deſcendit, & iacens in terra clypeo ſe obtexit. Sed illi manibus eum trahen-
tes captum cum duobus militibus concaptiuis Regi, & nobili Reginæ præſentarunt.
Et qui multos offenderat, qui nulli pepercerat, qui naturali dominæ eius dominium
abnegarat, diuino iudicio nunc proſtratus ſuorum militum, & fratrum intuentium
auxilio deſtitutus capitur inglorius, & confuſus. Tunc Regina nobilis gaudio, &
lachrymis Deum laudans diu gratiarum inſtitit actioni, quod inimicum ſuum, &
regni, & filij ſibi tradidit tam facili captione.

Quod Comes Aluarus, & Comes Fernandus reſtituerunt quædam caſtra nouo Regi. Capur, VIII.

Cannetū. VIDENTES igitur cuncti, qui aderant, quod Deus omnipotens
Alarcon. Reginæ nobilis opera dirigebat, cum gaudio, & actionibus gratia-
Amaia. rum Pallentiam intrauerunt, & inde ad Vallem oletiuerunt, vbi fuit
Belli fora men. Comes Aluarus in captione, & vinculis cuſtoditus. Cumq; ibidem
Anogarū. de compoſitione aliquandiu tractaretur, ea conditione fuit pactio ac-
Naiara. ceptata, vt Comes Aluarus reſtitueret caſtra omnia, quæ tenebat,
Pandicur uum. Caſtrum ſcilicet Cannetum, & Alarconem, Amaiam, & Tarecum Cæſareum, & Villam
Xoriz. francam, Turrim Belli foraminis, Anagarum, Naiaram, & Pandicuruum, & his de-
Orzeion. ditis ſolueretur. Caſtrum Xoriz, & Orzeionem detinebat Comes Fernandus

frater eius, & ad eorum captionem tenebatur Comes Aluarus cum centum militibus Regem ſequi, donec ea ſuæ potentiæ ſubiugaret. Comes autem Aluarus Gundiſaluo Roderici fuit commiſſus donec compleret ſuperius prænotata. Rex autem duxit exercitum verſus Caſtrum, & licet Comes Fernandus fultus copia victualiū, & multitudine armatorum inibi rebellaret, ea conditione reſtituit Caſtrum, & Orzcionem, vt eius vaſſallus fieret, & ab eo, vt vaſſallus proprius, Caſtra teneret. His peractis Domino diſponente, quieuit perturbatio noui Regis, & ſex menſium ſpacio fuit ſedicio ſic ſedata, quæ credebatur perpetuo duratura, quod Rex Fernandus ſuſceptus ab omnibus cœpit ibi iuriſdictionem regiam exercere.

De Comitum morte Aluari, & Fernandi. Caput. IX.

POST hæc autem, Comites videntes in Regno potentiæ ſuæ gloriam minoratam, immo potius annullatam, in Valle iuniperi territorij Pallentini cœperunt iterum rebellare, & prædas in campis Gothicis exercere. Sed Rex Fernandus cum Regina nobili matre ſua, & aliqua parte magnatum venit ad Aggerem fumorum, & Medinam de riuo ſicco, & ſic Comitum inſolentiæ pro parte maxima ceſſauerunt. Sed videntes Comites in Valle iuniperi non poſſe reſiſtere, Regis Legionenſis dominio ſe dederunt, &, vt moueret guerram filio, ſuaſerunt. Cumque vtrinque exercitus conueniſſent, & quidam nobiles ex Caſtella verſus partes Salmanticæ intrauiſſent, videntes Regem Legionis ſibi cum ſuo exercitu occurrentē, in Aldea Medinæ del campo, quæ Caſtellio dicitur, intrauerunt. Cumque Rex Legionenſis eos inibi obſediſſet, & Comes Aluarus cœpiſſet caligis ferreis calciari, percuſſus a Domino cœpit grauiſſime infirmari, & firmata tregua inter patrem, & filium ab inuicem diſceſſerunt. Comes autem Aluarus morbi, & treguæ dolore vexatus Taurum ſemianimis eſt delatus, vbi mortis anxietate coactus militiæ Sancti Iacobi ſeſe dedit, & ibidem vitam finiuit, & Veleſij eſt ſepultus. Et poſt modicum temporis Comes Fernandus frater eius, cui, non vt voluit, in regno Caſtellæ deſideria prouenerunt, in Africam transfretauit, & ab Amiramomenino ſuſceptis muneribus varia iactitauit, & dum ibi longa mora, vt moris eſt Arabum, traheretur, cum contigit infirmari, & fecit ad vicum prope Marrochos, qui Elbora dicitur, ſe transferri. Vicus enim a Chriſtianis duntaxat incolis colebatur, & dum percepit ex incurabili morbo interitum imminere, a Gundiſaluo fratre Hoſpitalis, qui Innocentij Papę Tertij familiaris extiterat, ſuſcepit habitum Hoſpitalis, & vniuerſę carnis viam ingreſſus cum alijs, qui ibidem obierant, ad domum Hoſpitalis, qui Pons fiterij dicitur, in diœceſi Pallentinenſi, in Sarcophago eſt delatus, & ibidem ab vxore ſua Comitiſſa Maiore, & filijs ſuis Fernando, & Aluaro, & multis alijs eſt ſepultus.

Vallis Iuniperi. Agger fumorum. Medyna Riuſ. Salmantica. Medina. Caſtellio. Taurus. Veleſium Elbora. Marrochi. Fiterij pons.

De Laude Regis Fernandi, & eius vxore Beatrice. Caput. X.

ADuerſarijs itaque ſic a Domino iudicatis, Rex Fernandus regnū obtinuit pacifice, & quiete, Regina nobili omnia diſponente, quæ adeo filium educauit, vt regnum, & patriam iuxta morem aui ſui nobilis Aldephonſi in pace, & modeſtia gubernaret, vſque ad regni ſui viceſimum quintum annum. Sed quia indecens erat, vt tam magnus Princeps extraordinarijs petulantijs traheretur, mater ſua, quæ ſemper voluit eum ab illicitis cuſtodire, procurauit ei vxorem nomine Beatricem, quæ

fuit filia Regis Philippi in Romanorum Imperatorem electi, & Mariæ filiæ Gorſac
Conſtantinopolitani Imperatoris, quæ fuit optima, pulchra, ſapiens, & pudica, miſ-
ſiq; pro ea nuncij, Mauritius Burgenſis Epiſcopus, vir laudabilis, & diſcretus: Pe-
trus Abbas Sancti Petri de Aslantia: Rodericus Abbas de Riuo ſicco: Petrus Odo
arij Prior Hoſpitalis ad Fredericum Romanorum Regem, ſub cuius cuſtodia erat
tunc temporis Domicella, in Theutonia acceſſerunt: ab ipſo Rege honorabiliter ſunt
recepti. Cumq; Legationis cauſam, vt iniunctum fuerat, explicaſſent, prædictus
Rex, & ſui Principes reſponſionem aliquandiu ſuſpenderunt, & fere per menſes qua-
tuor prædicti nuncij expectarunt. Tandem Rex Federicus in Imperatorem electus
conſobrinam ſuam Beatricem Domicellam nobilem, pulchram, compoſitam, & pru
dentem Regi Fernando per dictos nuncios cum apparatu nobili deſtinauit, & cum
Pariſius aduenissent, Rex Francorum Philippus nomine, qui tunc Gallijs præſide-
bat, eam honeſte recepit per terram ſuam honorifice dans ducem, ad regnum Caſtel-
læ fœlici itinere peruenerunt. Et Regina nobilis Verengaria cum comitatu nobili re-
Burgis. ligioſorum, & ſecularium magnatum, & Dominarum vltra Burgum, qui Victoria
Victoria. dicitur, occurrit nobili Domicellæ, & Burgis ex inde venientes inuenerunt Regem
Fernandum cum magnatibus, & nobilibus, & ciuitatum primoribus expectantem,
qui Domicellam, & nuncios honore, quo decuit, receptauit, & tertia die ante feſtũ San
cti Andreæ in regali monaſterio prope Burgis celebrata Miſſa a venerabili Mauri-
tio Burgenſi Epiſcopo, & armis militaribus benedictis ipſe Rex ſuſcepto gladio ab al-
tari manu propria ſe accinxit cingulo militari, & mater ſua Regina nobilis enſis cin-
gulum deaccinxit, tertia die in feſto ſcilicet Sancti Andreæ Beatricem dulciſſimam
Domicellam duxit ſolenniter, & legitime in vxorem, Miſſam venerabili Mauritio in
cathedrali eccleſia celebrante, & benedictionem nubentibus largiente. Et fuit ibi curia
nobiliſſima celebrata aſſiſtentibus totius regni magnatibus, dominabus, & fere o-
mnibus regni militibus, & primioribus ciuitatum.

De rebellione quorundam magnatum, & morte Comitis Gundiſalui. Caput. XI.

POST modicum vero temporis propter iniurias, quas Rodericus
Didaci de Camberis in terra ſibi credita exercebat, licet eſſet Cruce
ſignitus in ſubſidium Terræ ſanctæ, Rex Fernandus citauit eum,
vt ad curiam veniens ſatisfaceret de obiectis. Cumq; ille ad Vallem
Vallis Oleti. oleti curiam aduenisset, cum naturaliter iræ inconſtantia ducere-
tur, a falſis amicis ſuaſus inuiſo, & inſalutato Rege receſſit. Rex au
tem pro huiuſmodi indignatus abſtulit ei terram. Et cum prędictus Rodericus Di
daci nollet reſtituere munitiones, tandem reſtituit eo pacto, vt Rex daret ei quatuor
decim millia aureorum, & cum pecuniam ſuſcepiſſet, tunc demum reddidit caſtra Re
Molina. gi. Anno poſtea iterum reuoluto, Gonſalus Petri Molinæ conſilio Comitis Gun-
diſalui cœpit contra Regem minus prouide rebellare, & partem Reginæ Molinæ
vicinam rapinis, & vaſtationibus moleſtare. Cumq; monitus nec deſiſtere, nec
ſatisfacere voluiſſet, Rex Fernandus ſuper eum exercitum congregauit, ſed ſuperue-
nienti nobili Regina Verengaria matre ſua, cum Rex non poſſet Caſtrum Zapha-
re expugnare, concordiam procurauerat, & certis pactionibus Rex ſoluto exercitu a
Molina receſſit. Et diebus aliquot interpoſitis Comes Gundiſaluus Nunij, qui ad

Arabes ſe tranſtulerat, cum a Rege Caſtellæ beneficia non poſſet aſſequi, vt optabat, iterum ſe reſtituit Agarenis, & dum in partibus Cordubę moraretur, in villa, quæ Beatia dicitur, infirmitate grauiſſima contigit ipſum mori, & delatus a ſuis ſepultus eſt in Cephinis, vbi habent oratorium fratres templi.

Beatia. Cephini.

De filijs Regis, & primis vaſtationibus contra Mauros. Caput. XII.

SVSCEPIT autem Rex Fernandus ex vxore ſua gratiſſima Beatrice filios hic notatos, Aldephonſum primogenitum, Federicum, Fernãdum, Enricum, Philippum, qui oblatus a domina Berẽgaria Regina nobili auia ſua Deo, & Roderico Toletano Pontifici per manus eiuſdem Pontificis ad titulũ eccleſię Toletanę in ſortẽ Domini eſt vocatus, & in cõtinenti idẽ Pontifex prębendam, & alia beneficia in prædicta eccleſia aſſignauit. Habuit alios filios, Sancium, qui oblatus Roderico Toletano Pontifici, a quo cum clericali tonſura Pſalmiſtę officium eſt adeptus, prębendam, & beneficiũ in Toletana eccleſia eſt conſecutus: Hemanuelem, & duas filias Alienor, quę deceſſit paruula, & Berengariam, quę in regali monaſterio degit virgo Domino conſacrata. Verum Regina nobilis Berengaria mater Regis volens eum a Chriſtianorum iniurijs alienum, militię ſuæ primitias voluit Domino dedicare, & treguam cum Arabibus noluit vlterius protelari: ſed exercitu congregato, aſſiſtẽtibus ſibi Roderico Toletano Pontifice, & alijs magnatibus regni ſui per Beatiam, & Vbetam vaſtationes exercẽs aggreſſus eſt Caſeatam, & captis, & interfectis multis millibus Sarracenorum, quia caſtrum varijs impugnationibus erat dirutum, tunc noluit retinere. Rex autem Caſeata occupata, per ripam Bętis magni fluminis ad partes peruenit Gienni, & deſtructis quibuſdam munitionibus vrgente inſtantia hyemali ad propria eſt reuerſus. Poſt hæc autem iterum exercitum congregauit, & tradente eas ſibi Auomahomat, qui erat Arabum princeps nobilis filius Auoabdellę filij Abdelmumi cepit Beatiam, Andugarum, atq; Martos, & caſtrum iſtud nobiliſſimum dedit fratribus Calatrauę, & deſtructis alijs caſtris, & municipijs, ad ſua fœliciter eſt reuerſus. Et tertio ingreſſus terram Arabum cepit Seuiot, Xodarum, & Gartiez, & bellatoribus obfirmauit, alijſq; vaſtationibus peractis ad vrbem reuerſus eſt Toletanam. Eo tempore erat in Hiſpanijs legatus Romanæ eccleſiæ Ioannes de Abbatis villa, quæ eſt in Comitatu Pontini, Sabinenſis Epiſcopus Cardinalis, vir bonus, ſapiens, literatus, qui celebratis in ſingulis regnis concilijs, poſtquam monita ſalutis propoſuit, ad Sedem apoſtolicam eſt reuerſus, tribus annis legationis expletis. Poſt hæc iterum Rex Fernandus terram Arabum eſt ingreſſus, & cepit Eznatoraph, turrem de Albep, Sanctum Stephanum, & Chicranam, & alia vice duxit exercitum per Giennium ſancti Ioannis, quod propter ſui fortitudinem non potuit expugnari, & inde procedens cepit Pegum, & captis incolis, & occiſis, munitionem funditus deſolauit, & veniens ad oppidum, quod Alhama dicitur, captis habitatoribus, & occiſis, locum deſtructione ſimili diſſipauit. Poſt quod ad propria cum exercitu remeauit. In hac expeditione non interſuit Rodericus pontifex Toletanus, qui Guadalphaiare remanſerat febris acumine fatigatus, vbi finis periculum vix euaſit, ſed miſit cum exercitu Dominicum capellanum ſuum virum venerabilem Epiſcopum Placentinenſem, qui in exercitu loco eius pontificalia exerceret.

Beatia. Vbeta. Caſeata. Gienniũ. Beatia. Andugarum. Martos. Seuiot. Xodarũ. Gartiez. Pontinũ. Eznatoraph. Turria Albep. S. Stephanus. Gienniũ. Pegum. Alhama.

De captione Capellæ, & fundatione eccleſiæ Toleti, & Abenhuth. Caput. XIII.

Capella. ET procedens iterum contra Mauros obſedit Capellam, caſtrū munitiſſimum, in diœceſi Toletana, & diutinis impugnationibus tandem cepit, & expletis quatuordecim hebdomadibus expeditionis, ad vrbem Regiam eſt reuerſus. Et tunc iecerunt primum lapidem Rex, & Archiepiſcopus Rodericus in fundamento eccleſiæ Toletanæ, quæ in forma Mezquitæ a tempore Arabum adhuc ſtabat, cuius fabrica opere mirabili de die in diem, non ſine grandi admiratione hominum, exaltatur. In diebus huius Regis Fernandi ſurrexit quidam nomine Abenhut in caſtro

Rechor. Murcia. Rechoc in territoiro Murcienſi, & cœpit contra Almohades rebellare, qui ciſmarinos Arabes adeo crudeli dominio opprimebant, quod de facili Abenhuti propoſito conſenſerunt, & obtenta Murtia, & finitimis oppidis, & caſtellis omnes Almohades, quos habere potuit, capite detrūcauit, & omnes Mezquitas præſentia Almohadum iudicans inquinatas aſperſione, aquæ fecit a ſuis ſacerdotibus expiari, & armorū ſuorum inſignia fecit nigra, quæ in bellis, & alibi præferebat, quaſi luctu præſignās excidium gētis ſuæ, & in modico tempore obtinuit Vandaliam hiſpanorum, præter

Vandalia Valentiam, & confinia, in quibus Zaen de genere regio rebellauit. Erat autē Auenhut

Cæſarauguſta. de genere Abohaget olim Regis Cæſarauguſtæ, & cū fere Monarchus in ciſmarina Vandalia haberetur, audacia, largitate, iuſtitia, veritate, prout gentis eis infidelitas, ſeu verſutia tolerat, præminebat. Sed a quodam ſuorum, qui Abenroman dicitur, inuitatus ad epulas, & delitias familiares, quas gentis illius colit voluptas, factione hoſpitis, & vaſalli occiditur in conclaui apud præſidium Almariæ. Et tunc inualuit

Almaria. Arabs quidam dictus Mahoma Alienalaginar, qui paulo ante bouis, & aratri veſtigia ſequebatur. Hic Arionę, & Gienni, Granatæ, Vaſtæ, & Accij, & locis alijs

Ariona. Gienniū. Granata. Baſta. Accium. adhuc hodie principatur, & poſt interitum Abenhuti, Vandalia ciſmarina in plures Regulos eſt diuiſa, & ab Almohadibus ſeparata, quod Chriſtianis vtile inuenitur.

De morte Aldephonſi Regis Legionenſis, & ſucceſſione Regis Fernandi. Caput. XIIII.

POST hæc iterum obſedit Giennium, & machinis validis impugnauit, ſed videns quod ciuitas tāta fortitudine præminebat, quod non poſſet humano ingenio expugnari, habito magnatum ſuorum cōſilio inde

Abd. Sarra. æra.M.cc.lxviij. receſſit, & cum Abdaralſertiam perueniſſet, rumor aduenit patrē ſuum in villa noua de Sarria ab hoc ſeculo migrauiſſe, & in eccleſia beati Iacobi traditū ſepulturæ, æra milleſima ducenteſima ſexageſima octaua, & quod etiam regnum legauerat, quas ex Regina Taraſia ſuſceperat, filiabus. Propter quod mater eius Regina nobilis domina Berengaria ad eum materna ſolicitudine veniebat, vt ad recipiendum bonum paternum quamtocius feſtinaret, quod ei de mandato patris Pontifices, magnates, & ciuitatum concilia iurarunt, ne forte in mora perturbatio aliqua oriretur. Erant autem cum eo Rodericus Pontifex Toletanus, Lupus Didaci, Aluarus Petri, Gonſaluus Roderici, Garſias Fernandi, Alphonſus Tellij, Guillermus Gonſalui, Didacus Martini, & alij nobiles, & magnates, & plures milites ciuitatum, qui cum Rege inclyto venientes Reginam nobilem in pago, qui Orgatium

Orgatiū. dicitur, inuenerunt, & inde cōmuniter vrbem Regiam intrauerunt, a qua mora pro-

poſita omnes continuo receſſerunt, & ad oppidum, quod Agger Sellarum dicitur, peruenerunt. Indeq; ad caſtrum Sancti Cypriani de Mozoth cum matre, & comitatu veniens caſtrum ei, vt domino, reddiderunt. Sequenti die eum ſimiliter in Villa Lalij receperunt, vbi ad Regem, tanquam ad dominum, ex Tauro nobiliſſimo oppido milites aduenerunt, qui Regem ſui, & oppidi naturalem dominum cognouerunt, & vt ſequenti die Taurū adiret, inſtantiſſime ſupplicarūt, nobili Regina hæc omnia procurante. Altera vero die Taurum intrauimus, vbi omnibus annuētibus Rex Fernandus facto ſibi hominio in Regem, & dominum eſt receptus. Indeq; per caſtra dominæ Reginæ aliquandiu incedentes recepimus ex alijs ciuitatibus milites, & nuncios venientes, qui videbantur de receptione Regis aliquantulum dubitare. Sorores enim domini Regis Sancij, & Dulcis, de quibus diximus rebellionē cum complicibus præparabant. Sed tamen regni Prælati, quorum intereſt regnum & ſacerdotium contueri, in auditu auris Regem Fernandum in Regem ilico receperunt, ſcilicet Ioannes Ouetenſis, Nunius Aſtoricenſis, Rodericus Legionenſis, Michael Lucenſis, Martinus Salamantinus, Martinus Mindonenſis, Michael Ciuitatenſis, Sancius Caurienſis. Hi omnes cum ſuis ciuitatibus patre mortuo filio ſe dederunt nec rebellio cogitata potuit inualere. Nam quam cito venimus Maioricam, & Manſellam, Regi ſe protinus reddiderunt.

Agger ſellarum. S Cyprianus. Mazoth. Lalij villa. Taurum. Maiorica. Manſella.

De ingreſſu Legionenſi, & concordia Regis cum ſororibus.

Caput. XV.

SEQVENTI vero die intrauimus Legionem, quæ in regno illo ſedis regię pręminet dignitate, ibiq; ab Epiſcopo, & vniuerſis ciuibus ad regni Legionis faſtigium eleuatur, clero, & populo cantantibus concorditer, & iucunde, & extunc Rex Caſtellæ, & Legionis pariter eſt vocatus. Ibiq; nuncij aduenerunt ex parte Reginę Tharaſię ſuper compoſitione internuncia referentes & licet verbū magnatibus diſpliceret, tamen Regina nobilis intantum timuit regni, & pauperum vaſtationē, quod procurauit, vt Rex ſubſiſteret Legioni, & ipſa iret Valentiam de concordia cum Regina Tharaſia tractatura. Cumq; ambæ Reginę Valentiæ conueniſſent, ſic ſolertia Reginę nobilis Berengarię procurauit, vt Regis ſorores Regi reſtituerent omnia, quę tenebant, & ipſę eſſent prouiſione contentę, quam eis Rex, & Regina nobilis aſſignarent, ſi quid iuris in regno habebant, ſimpliciter reſignarent. Et pacto huiuſmodi cōfirmato, Rex aduenit, & inde omnes iuimus Beneuentū, quo etiam infantes filię Reginę Tharaſię aduenerunt, vbi Rex Fernandus, & Regina nobilis eis redditus triginta milium aui eorum in locis competentibus aſſignarunt percipiendos toto tempore vitę ſuæ, & ſic obtinuit omnes munitiones, & omnia caſtra quiete, & pacifice Rex Fernandus. Et in hoc enituit quam plurimum Reginę nobilis ſolers cura, qua non minori gratia Regi filio dedit hoc regnum, quam regnum Caſtellę, quod ad eam iure hęreditario pertinebat. Sic enim ſciuit omnia ordinare, vt licet regiorum vnio fere omnibus diſpliceret, ipſa ſtuduit taliter prouidere, vt ſine ſanguinis effuſione regnorum vnio proueniret, & vtrumq; regnum pace perpetua lætaretur. Indeq; Rex iuit Zemoram, Salamanticam, Leteſmiam, Ciuitatem Roderici, & Albam, & per cęteras regni partes, in quibus honore regio, & hominio ab omnibus eſt ſuſceptus. Tunc Rex Fernandus dedit Caſcatam iure hęreditario Roderico Archiepi-

Caſtellæ. Legio. Valentia. Beneuētū. Zemora. Salamantica. Leteſmia. Ciuitas. Roderici. Alba. Caſcata.

ſcopo Toletano, quę tamen aliquantulum reparata a Sarracenis incolis tenebatur.
Sed Rodericus Archiepiſcopus euolutis a donatione mẽſibus tribus exercitu con
gregato iuit contra Caſeatam cum multitudine armatorum, & expulſis Mauris, qui
ruinas oppidi reparabant, illud retinuit, & ad honorem Regis, qui illud dederat eccle
Pilos&c. ſię Toletanæ, cuſtodiuit hactenus, & cuſtodit cum alijs caſtris, ſcilicet Pilos, Toyam,
Lacra, Agoſmo, Fonte Iuliani, Turribus Dela, cum Ficu, Alaulula, Areola, duobus
Germanis, Villa Montini, Nubila, & Caſtorla, Concha, & Chelis. Poſt hęc ite-
Vbeta. rum Rex Fernandus obſedit Vbetam, oppidum populoſum bellatoribus, & muni-
tione magna tutatum, ſed adeo fortiter impugnauit, vt concluſi ſaluis corporibus op
pidum reſignarent. Et tunc Rex oppido acquiſito ad vrbem Regiam eſt reuerſus;
æra.M,cc. æra milleſima ducenteſima ſeptuageſima ſecunda. Obijt Regina Beatrix in oppido,
lxxij. quod Taurum dicitur, & ducta ad regale monaſterium prope Burgis iuxta Regem
Enricum regaliter eſt ſepulta.

De obſidione, & captione Cordubæ. Caput. XVI.

CAETERVM elapſo biennio a morte patris ſui Regis Legio-
nenſis obſedit Cordubam regiam, & patriciam ciuitatem, ad cuius
Corduba obſidionem hoc modo venit. Sarraceni quidem offenſi primori-
bus ciuitatis venerunt ad quoſdam milites Chriſtianos ſpondentes
ſe daturos vnum ambitum el Axarquia ciuitatis. Hi autem mili
Axarquia tes, qui Almogaueres dicuntur Arabice, verbum gaudij audientes,
licet non crederent, periculoſe ſe dederunt, & in noctis ſilentio ad murum Cordubæ
peruenerunt, & cum vocem vigilum non audiſſent, quia ſoporis ignauia tenebantur,
appoſitis ſcalis, quas ſecum tulerant, ad muri altitudinem aſcenderunt, & turres ali-
quas occuparunt, in quibus vigiles occiderunt, & ambitum, qui Axarquia dicitur,
inuaſerunt multis ex Arabibus interfectis, qui in hoc ambitu habitabant, & ipſi me-
tu poſtpoſito in turribus reſederunt, licet ex alio ambitu Arabes ſagittis fundis, iacu-
lis, & lapidibus fortiter impugnarent, & ſucceſſum huiuſmodi nunciarunt Chriſtia-
nis, qui in frontaria morabantur. Quod cum audiſſet miles quidam de familia Regis
qui Ordonius Aluari dicebatur, ſtatim omnes, quos habere potuit, Cordubam ſe-
cum duxit, & ſtatum obſidionis domino Regi continuo intimauit. Interim autem
aduenit Aluarus Petri de regni magnatibus potens, & nobilis, & obſidentibus ſe adie
cit, & Rex Fernandus, qui in regno Legionis eo tempore morabatur, recepto nũcio
conuocatis ciuibus, & militibus licet non expectatis vix cum centum militibus cœpit
continuo proficiſci, ſed imbrium, & fluuiorum inundationibus aliquantulum impe
ditus non potuit tam cito occurrere, vt volebat, aduenit tamen tempore opportuno,
& cotidie tam ex Caſtella, quam ex Legione veniebant milites, & magnates, & com
munia ciuitatum. Cœpit Corduba grauius coarctari, tandem affecta pugnis, & ine
dia victa redditur, & inuita, & vitæ tantum modo conſeruati incluſi Arabes exierũt,
& in feſto Apoſtolorũ Petri, & Pauli a ſordibus Machometi patricia ciuitas expur
gatur. Sed Rex in turri maiori, vbi ſolebat nomen perfidi inuocari, præcepit lignum
crucis viuificę exaltari, & cœperũt omnes cum gaudio, & lachrymis, Deus adiuua,
conclamare, & ſubſequenter regale vexillum iuxta crucem dominicam collocari, &
cœpit in iuſtorum tabernaculis gaudij, & lætitiæ vox audiri, clero cum Pontifici-
bus acclamante, Te Deum laudamus, te Dominum confitemur.

De reſtauratione, & dote eccleſiæ Cordubenſis, & campanis relatis ad ſanctum Iacobum.

Caput. XVII.

ET tunc venerabilis Ioannes Oxomenſis Epiſcopus regalis aulæ cancellarius cum Gundiſaluo Conchenſi, Dominico Beacenſi, Adamo Placentinenſi, Sancio Caurienſi Epiſcopis Mezquitam ingreſſus eſt Cordubenſem, quę cunctas Mezquitas Arabum ornatu, & magnitudine ſuperabat. Et quia venerabilis Ioannes, de quo diximus, Roderici Toletani primatis vices gerebat, qui tunc temporis apud ſedem Apoſtolicam morabatur, eliminata ſpurcitia Machometi, & aqua luſtrationis perfuſa in eccleſiam cõmutauit, & in honore beatæ Virginis erexit altare, & miſſam ſolenniter celebrauit, & ſermonem exhortationis diem proponens ſecundum ſapientiam ſibi datam, & gratiam ſuis labijs inſtillatam diffudit in cordibus auditorum, adeo vt pœnitentiali gaudio recreati contriti cordis ſacrificia, & labiorum vitulos immolarent. Et Rex Fernandus nouæ eccleſiæ dotem obtulit competentem. Poſtea conſecrato ibi Epiſcopo magiſtro Lupo, Rodericus primas, & Pontifex Toletanus, aliquos redditus priuilegio confirmauit, & Lucenam inſuper dedit ei. Et tanta eſt vrbis Lucena. illius abundantia, amœnitas, & vbertas, quod audito præconio tantę vrbis ex omnibus Hiſpaniæ partibus habitatores, & futuri incolæ relictis natalibus ſedibus, quaſi ad regales nuptias cucurrerunt, & ſic incolis continuo eſt repleta, quod domus habitoribus, non habitatores domibus defecerunt. Et cum in opprobriũ populi Chri- S. Iacob⁹. ſtiani campanæ ſancti Iacobi, quas, vt diximus, Almanzor detulerat in Cordubæ Mezquitam dependerent functæ officio lampadarum, Rex Fernandus eaſdem campanas fecit ad eccleſiã beati Iacobi reportari, & eccleſię beati Iacobi reſtitutæ ſunt, cũ cæteris cymbalis beneſonãtibus in ſanctis ſuis peregrinorum deuotio laudat Deum.

Stabilita igitur incolis, & bellatoribus ciuitate, Rex Fernandus Toletum ad Reginam nobilem eſt reuerſus, quæ pari victoria iucundata, vtpote quæ conſilio, & ſubſidio, licet abſens, omnia procurarat, gratias cũ lachrymis egit Deo, quod antiqua dignitas ignauia principũ liturata ſui ſolertia, & ſtudio filij fuit Hiſpaniæ reſtituta.

Hæc enim Regina nobilis Berengaria ſic filium in bonis operibus enutriuit, quod bona ſtudia, quæ Regina nobilis nullius virtutis oblita, nullius chariſmatis expers, vt lac mellifluum gratijs circunfuſum cordi eius influere non ceſſauit, nec vnquam ab vbere pleno virtutibus ablactauit, & licet vir factus, in ætate roboris confirmatus, mater eius nunquam ceſſauit, nec ceſſat, quæ Deo, & hominibus ſunt accepta, ſtudio vigili ſuadere, quia nec vnquam fœminea, ſed ſemper magnificentiæ opera perſuaſit.

Hæc enim Regina nobilis tanto ſtudio conſeruauit, & adeo dilatauit recepta chariſmata gratiarũ, vt omnis ætas, omnis ſexus, omnis condicio, omnis profeſſio, omnis natio, omnis lingua affectum ſentiat cum effectu, & virtutum faſciculo non partito, omnibus miſericordiæ opera comparitur, & paternorum operum prouida executrix, plus inuenitur regni, & rerum prodiga, quam virtutum, quam merito noſtra tempora admirantur, cui nunquam ſimilem, nec moderna, nec patruum noſtrorum tempora habuerunt. Pro qua Dominum exoremus, vt eam dignetur diutius conſeruare, & ſibi profutura concedat, & bonis operibus abundare, donec fœlicẽ ſpiritum ſuo reſtituat redemptori.

De traductione ſecundæ vxoris Reginę Ioannæ.
Caput. XVIII.

ET ne Regis pudicitia alienis commertijs lęderetur, Regina nobilis mater ſua domicellam nobilem generoſam, proneptem Regis Francorum illuſtriſſimi Ludouici, filiam Simonis illuſtris Comitis de Pontino, & Mariæ illuſtris Comitiſſę eiuſdem Ioannam nomine procurauit in coniugem ſibi dari, æra milleſima ducenteſima ſeptuageſima quinta. Burgis adueniens more regali curia, & nuptijs celebratis ad Reginæ aſſumitur dignitatem. Hęc vero Regina pulchritudine, pręſtantia, & modeſtia ſic floruit, vt in conſpectu viri virtutibus gratioſa, coram Deo, & hominibus ſic accepta, & ſuſcepit ex ea filium, qui dicitur Ferdinandus, & filiā paruulam, quę a proauia Alienor eſt vocata, & alium paruulum Ludouicum. Verum Rex Fernandus cum filijs ſuis Aldephonſo, & Fernando, qui tunc in flore adoleſcentię lętabantur, Cordubā eſt reuerſus, & in aduentu ſuo multa caſtra Sarracenorum, quę Chriſtianorum incurſibus, & inteſtinis cędibus longo tempore tabeſcebant, volentes colere pacifice terras ſuas ſupradictis interpoſitis ſe Regis dominio tradiderunt.

Pontinō. æra.M cc. lxxv.

Tunc datę ſunt ei ciuitates, & caſtra, quorum præſidia Chriſtianis, vt diximus, inueſtiuit, & ab Arabibus tributa ſuſcepit, & eorum nomina hic notantur. Ecija, Almodouar, Luc, Luxcena, Stepa, Sede & fila, & multa alia, quorum nomina longum eſſet enumerare. Hoc opuſculum, vt ſciui, & potui conſumaui, Anno incarnationis Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo tertio. æra milleſima ducenteſima octogeſima prima. Anno viceſimo ſexto regni Regis Fernandi, quinta feria, pridie Kalendas Aprilis, anno Pontificatus mei trigeſimo tertio. Sede Apoſtolica adhuc vacante anno vno, menſibus octo, diebus decem, Gregorio Papa nono viam vniuerſæ carnis ingreſſo.

Ecija. Almodouar. Luc. Luxcena. Stepa. Sede filia.

OSTROGOTHORVM HISTORIA INCIPITVR.

Prologus.

Athanaricus. Fridigernus. Oſtrogothi. Veſegothi.

CVM Gothorum cauſa olim in Athanaricū, & Fridigernum fuiſſet diuiſa, ea lege in concordiā redierunt, vt Fridigernus Oſtrogothis, & Athanaricus Veſegothis regali excellentia præminerent. Hi autem, qui ab Oriente tabernacula metabantur, dicti ſunt Oſtrogothi, quaſi Orientales Gothi, Oſter enim vocant in lingua Gothica Orientem, & inde Oſterrie, id eſt, Orientale regnum. Vueſt autem Occidens interpretatur, & inde Vueſtgothi, quaſi Occidentales Gothi, inde alia pars Theutoniẹ Vueſtfalia nuncupatur, quaſi Occidentalis campus, & ex tunc vſq; ad Fridigerni interitum regni diuiſio perdurauit. Poſt cuius mortem Athanaricus ſolus obtinuit principatū, ſed & eo mortuo in Alaricum, & Redagarſum interim ſunt diuiſi. Vnde Redagarſo in Thuſcia interfecto Alaricus ſolus obtinuit curam regni, & ſic poſtea res manſit, donec Oſtrogothi ſeiuncti ab alijs ſedes proprias metabantur, & in Miſia, & ripa Danubij morabantur. Veſegothi autem Pannoniam, Gallias, & Hiſpanias inuaſerūt, in quibus etiam ſedes vltimas poſuerunt. Vnde quaſi prophetice dicti ſunt Veſegothi, id eſt, Occidentales Gothi. Oſtrogothi autem, qui Hugnis, Pannonijs, & Romanis grauia bella geſſerunt. Sed quia ſucceſſiones, & acta Veſegothorum in alio libro digeſſimus, in hac parte Oſtrogothorum ſucceſſiones, & prælia proſequemur.

Alaricus. Rhadagaſius.

De Regibus Oſtrogothorum, & de actibus Theodorici. Caput Primum.

Athila. Valamer. Ardaricus. Gepidæ. Hunni.

MORTVO Athila, Valamer Rex Oſtrogothorum, & Ardaricus Rex Gepidarum contra Hugnos, qui remanſerāt, proceſſerunt. Hugni autem ex aduerſo venientibus occurreruut, & conſerto prælio Hugni ceſſerunt, & tot ex Hugnis cẹſi fuerunt, quod deinceps Oſtragothorum potentiā metuerunt. Poſt hæc Leo Imperator cum Oſtrogothis pacem firmauit, & Valamer Rex eorum dedit obſidem nepotem ſuum Theodoricum filium fratris ſui Theudemiri. Mortuo Valamer frater eius Theudemirus regnum ſuſcepit Oſtrogothorum, cui Leo Imperator ſtatim reſtituit ſuum filium Theudoricum, quem obſidem receperat a Valamer. Mortuo Theudomiro ſucceſſit in regno Oſtrogothorum filius eius Theudoricus, huius bonitas ita enituit, cum eſſet obſes, vt tam ab Imperatore, quam a Romanis chariſſimus haberetur, adeo vt famẹ eius pura ſynceritas, ad aures Zenonis relatu celeri perueniret. Vnde & Zeno, qui Conſtantinopoli Imperabat, Theodoricum ad ſe venire ſuis epiſtolis inuitauit, & recepit iucundo applauſu, & congruis honoribus venientem, & in Conſulem, & Patricium exaltauit, & ei æream ſtatuam ante Palatium collocauit. Cumq; ibidem aliquanto tempore Imperialibus delicijs teneretur, coeperunt Oſtrogothi aliquantulum murmurare, eo quod defectu victualium vexarentur, nec licebat eis propter pacis fœdera a vicinis Gentibus aliquid attentare. Vnde

& pacem initam cauſabantur, & Theodorico talia nunciarunt. Quæ audiens Ze-
noni continuo reuelauit. Zenon autem de Oſtrogothorum penuria contriſtatus,
quia nolebat Theodoricum a ſe fieri alienum, quem tantis virtutibus cõpererat abun
dare, tradidit ei Italiam, vt ciborum inopiæ ſubueniret, & commendauit ei Senatum
populumq; Romanum. Egreſſus igitur a Zenone venit ad Oſtrogothas nuncians
eis, vt ſe pararent ad obtinendam Italiam ſibi datam. Cumq; pergere incœpiſſent,
Gepidæ Gepidæ, & Vulgari ſe illis in itinere obiecerunt, ſed ex eis plurimi ceciderunt, & vi-
Vulgari. ctor Theodoricus exiens de Miſia, & tranſiens per Pannonias Italiam eſt ingreſſus.

De Odocare & morte eius. Caput. II.

Heruli. ODOACAR autem Rex Herulorum, & Turingorum fuga-
Turingi. to Oreſte Patricio, & obtenta ciuitate Ticini depoſuit ab Imperiali
Ticinum purpura Auguſtudulum, qui Imperialem vſurpauerat poteſtatem,
& Romam obtinuerat, & totius Italiæ principatum. Hic cum au-
diſſet aduentum Theodorici, prope Aquileiam occurrit Theodo-
Aquileia. rico, ibiq; pugna inita, Odocar victus extitit, & fugatus. Theodo-
ricus autem vſq; Veronam eum perſequi non ceſſauit, pręſumptione denuo reſtaura
Verona. ta bellum iterum innouauit, ſed eadem infelicitate, qua prius, pluribus de ſua multitu
dine interfectis, ipſe iteratę fugæ ſubſidio eſt relictus, ſed Theodoricus impetu perſe-
quẽs fugientes etiã Veronam locum refugij occupauit. Odocar autẽ in vrbẽ fugiens
a ciuibus eſt abiectus, & ei introitus denegatus. Ipſe vero, quæ attingere potuit, gladio,
& incendio deuaſtauit, & Rauenam veniens ibi ſe clauſit, geſtiens rebellare. Theodo
ricus autẽ obtenta Verona venit Mediolanum, & eam obtinuit. Ibiq; dimiſſis ma-
Mediolanum. tre, & ſororibus, & ſupellectili familiari Rauenam iuit, Odoacar prolugũ obſeſſurus,
& cum obſidione diutina arctaretur, Odoacar ſub fide ſe dedit Theodorico. Qui de
mum volens iterum rebellare, a Theodorico morte crudeliſſima eſt peremptus.

Mortuoq; Odoacar, frater eius Onoulphus cum reſiduis Odoacar Theodori-
ricum voluit infeſtare, ſed victus ab eo tranſconfinia Danubij eſt fugatus.

De regno Theodorici in Italia. Caput. III.

POST hæc autem Theodoricus pacifice optinuit Italiæ principa-
tum, & Romam veniens a Romanis omnibus voluntariæ eſt rece-
ptus. Ipſe vero, vt erat vir gratiæ, & virtutum, ſic ſe ſciuit omnibus
conformare, vt charus ab omnibus haberetur. Et quia tunc tẽporis
ſtipendia victualiũ fuerãt minorata, aſſignauit Romanis ſingulis an-
nis. C. XX. millia modiorum, pro quo Romanis charior eſt effe-
ctus, & quãuis tot fauoribus redundaret, nunquã voluit Imperator dominio deroga-
re ſed omnia quiete, omnia pacifice gubernabat, & per totã Italiam regalia habitacula
opere nobili fabricauit, cuius virtutes, & acta Sidonius, & Enodius latius proſequun-
tur. Cum itaq; in Italis annis decẽ, & octo victor regnaſſet, audiens extinctũ Regem
Gothorum Giſaleicum, cœpit in Hiſpaniã proficiſci, & in via Francorum ſuperbiam
domuit, & proſtrauit, & partem regni, quam manus hoſtium occupauerant, Gotho
rum reſtituit poteſtati. Et intrans Hiſpanias Regnum tenuit annis quindecim pro
Amalarico nepote ſuo, qui paruulus adhuc erat, & totam Hiſpaniam, & Galliam
Gothicam ſubiugauit. Cumq; nepos Amalaricus ad ætatem legitimam perue-
niſſet. Theodoricus regnum Gothorum dimiſit eidem, mandans filiæ, & nepoti,

& quaſi voce teſtamentali denuncians, vt Senatum, populumq́ Romanum diligerent, & Imperatorem Orientalem haberent propicium, & pacatum. Ipſe vero reuerſus eſt in Italiam, & per ipſum fuit Romæ dignitas reſtituta, nam partem murorum, quam Alaricus, & Athaulphus Reges Gothorum, & Giſericus Rex Vandalorum vaſtationis tempore diſſiparant, ipſe redintegrauit, & proſpere regnum rexit. Vnde & a Senatu ſtatuam meruit inauratam. Amalaricus autem nepos eius cœpit regnare æra. D. LXV. & quinq́ annis regnauit ſine auo, & tam ſuam adoleſcentiam, quam matris viduitatem Iuſtino Orientis Principi commendauit. Vandali. æra.d.lxv.

De Theodorici hæreſi, & morte eius. Caput. IIII.

MORTVO Zenone Iuſtinus Catholicus ſuſcepit Imperium Orientis, tunc Ormiſda Papa miſit ad eum Germanum Epiſcopum Capuanenſem, quem Iuſtinus propter ſanctitatis præconium honorauit. Eo tempore hæreſis Arriana adeo inualuerat, quod fere vtrunq́ Imperium infecerat viru ſuo. Gothi etiam, Vandali, & Alani, & Sueui a tempore Valentis Imperatoris eadem perfidia tenebantur. Prædictus autem Germanus Epiſcopus multos apud Conſtantinopolim ad fidem catholicam reuocauit, & Iuſtinus mandauit catholicis Epiſcopis eccleſias reſtaurare, & per ſacerdotes catholicos gubernari. Quod audiens Theodoricus Arriano veneno repletus ad Iuſtinum nuncios deſtinauit, vt Arrianis Epiſcopis eccleſias reſtitueret, & eos in pace permitteret remanere, alioqui ipſe in omnes de Italia deſæuiret, nec ſexui parceret, nec ætati. Nuncij autem cum lachrymis poſtularunt, vt petitioni annueret, & Arrianos permitteret frui pace, & ſic parceret Italis occidendis, quod & fecit compaſſione Italiæ prouocatus. Ormiſda Papa defuncto, Ioannes Conſtantinopoli ad Papalē apicem ſubleuatur. Et dum hæc fierent, Theodoricus prauitate hæretica concitatus Symmachum Patricium, & Boecium Senatorem gladio interfecit, nec in eo primis operibus vltima reſponderunt. Eo cum Ioannes Papa a Conſtantinopoli adueniret, inuenit Rauennę Theodoricum, & cum ei verba ſalutis proponere incepiſſet, ipſum Papam cum ijs, qui cum eo venerant, interfecit, indignans, quod Iuſtinus reueritum honorauit. Paucis autem diebus interpoſitis, Theodoricus ſacrilegijs Arrianus impiam animam Dei iudicio exhalauit. Tunc quidam ſolitarius Heremita vidit Ioannem Papam, & Symmachum Patricium eius animam deportare, quam in ollam Vulcani, quę ipſi littori eſt vicina, vt executores diuinæ ſententiæ proiecerunt. Iuſtinus vero Imperator cum per vndecim annos apud Conſtantinopolim regnauiſſet, in pace quieuit. Conſtantinopolis

De Guthide, & ſucceſſoribus eius. Caput. V.

MOrtuo Theodorico Oſtrogothi nepotē eius Amalaricū in Principē elegerunt, ſed paruo poſt tēpore in Hiſpania vitā finiuit. Poſt hunc etiam Oſtrogothi cum voluntate Amalaſuentę Theudem elegerunt, ſed quia Theudis Amalaſuentam paucis diebus interpoſitis in balneo ſtrangulauit, Oſtrogothi Regem alium elegerunt, qui Guttis nominabatur. Hic ad regale faſtigium eleuatus fuit Rauenam, & filiam Eurici Regis, & Amalaſuentę Reginæ, quam ibi auus Theodoricus reliquerat, abſtulit violenter, & ſibi matrimonio copulauit. Cumq́ Beleſarius Neapolim inuaſiſſet, & Gothos cum incolis extinxiſſet, veniens Romam voluit Gothos, qui inibi habitabant, gladio ſimili extirpare. Sed qui fugere potuerunt, Rauenam ad Gutidem peruenerunt. Gutis autem

vt cognouit talia, ſtatim cum magno exercitu contra Beleſarium venit Romam. Beleſarius autem non ratus congredi opportunū, vrbis ianuas facit claudi, & introrsus cuſtodiri. Oſtrogothi autem extra muros omnia euertebant, & incendio conſumebant, & loca ſacra bonis omnibus ſpoliabant, &, quoſcunq; de Romanis habere poterant, trucidabant, & ciuitatē vndiq; grauiter infeſtabant. Beleſarius vero e contrario firmiter defendebat. Romani calamitate duplici tenebantur, nam foris eos gladius, intus famis penuria affligebat. Cumq; per annum fuiſſet obſeſſa in Rauenā coelitus

Lyguria. territi redierunt. Eo tempore tanta fames inuaſit Lyguriam, vt, ſecundū quod prædixerat Sanctus Dacius Mediolanenſis Epiſcopus, matres filiorū carnes chariſſimas attentarent. Poſt hoc iterum Gutis exercitū congregauit, & veniens contra Romanos à Beleſario fuit victus, & crudelitatis ſuę recipiens talionē multis de ſuis occiſis, dum ipſe fugeret, a Ioanne magiſtro militum fuit captus, & Beleſario pręſentatus. Beleſarius autem tanta victoria glorioſus Gutim Conſtantinopolim ſecum duxit, & obtulit cum Iuſtiniano. Ille autē benigne recipiens honorauit patricia dignitate, & factum patricium, quia ſtrenuus eſſet, miſit eum ad fines Perſidis contuendos, vbi & vitam

Caſſinus mons. finiuit, hoc tempore Sanctus pater Benedictus in monte, qui Caſſinus dicitur, habitabat, & gens Longobardorum Romani populi tunc amica Pannoniā poſſidebat, & habebat Regem, qui Alboini dicebatur. Oſtrogothi autem mortuo Guthide ſuper ſe Regem alium leuauerūt nomine Heldebatum, & iſto poſt annum occiſo, alium præfecerunt, qui intra anni cirlucum vitam finiuit.

De Tothila, & actibus eius. Caput. VI.

DEINDE Tothilam elegerunt. Hic fuit ſtrenuus, & crudelis, qui ſuorum exercitu congregato cœpit Italiam impugnare, & per campaniam, & montem Caſſinum, per Lucaniam, & per Brutiam tranſeuntes ad regnum Calabriæ peruenerunt, indeq; mare modicū trāſeuntes Siciliam occuparunt. Deinde Romam reuerſi, quia fame grauiſſima laborabant, vt humanas carnes pro pabulis attentarent. Tandē cęde, inopia tabefacti a defenſione penitus ceſſauerunt. Tothila autē per portam ingreſſus eſt Hoſtienſem, & pręcepit buccinis intonare, vt Romani ſe in latebris occultarēt, aut ad ſanctuaria ſe transferrent, vt a gladio ſeruarentur, & fecit volens parcere ſanguini Romanorū. Poſt hęc cum Romanis aliquanto tempore, vt pater cum filijs habitauit, & cum antea crudeliſſimus haberetur, hanc humanitatē creditur Beati Benedicti monitis induiſſe, ad quē iuerat, vt intelligeret, ſi haberet ſpiritum prophetiæ. Ciuitates autē Italię varijs incurſionibus diſſipauit. Ciuitatem, Caſtellum, Peruſium, & Fulgineū, & multas Emiliæ ciuitates, cum plurima cęde hominū diruit, & euertit. In tantis vero excidijs aliqui Senatores tot calamitatibus cruciati Conſtantinopolim adierunt, & Iuſtiniano excidiū Italię nunciarunt. Imperator vero dolore repletus cōtinuo miſit Narſem cubiculariū eunuchum cum magna multitudine pugnatorū, qui veniens in Italiam Oſtrogothis oblita prælia reparauit, &, ad extremæ virtutis vltima coarctauit, & Regem eorum Tothilam interfecit, & eos ab Italiæ finibus propulſauit. Ciuitates, & oppida, quæ Tothila decem annis tenuerat, Romano Imperio reſtaurauit. Reliquiæ autem Oſtrogothorum, quæ remanſerant, ad ripam Danubij confugerunt, & ex tunc Ramani a Gothorum cladibus reſpirarunt, nec Oſtrogothi legūtur Regem poſtea habuiſſe, niſi quod ſe Veſegothorū coetui miſcuerunt, qui in Hiſpanijs, & Gallia Gothica regnauerunt.

(Margin: Ciuitas. Peruſium Fulgineū Aemilia. — Veſegothi.)

Hugnorum, & Vandalorum, & Sueuorum, & Alanorum, & Salignorum hiſtoriæ Prologus incipitur.

QVIA ſtylo flebili noſtræ gentis repetita ſæpius excidia recitaui, ne per intercapedines digitorũ mira defluant Hiſpanorum, deſcriptis cladibus, quas fere ſemper a ſui principio eſt perpeſſa, ad eorum tempora verto ſtylum, qui licet breuiori, acriori tamen dominio ſæuierunt. Quorum inhumanitas tanta fuit, vt omnem beſtiarum rabiem ſuperarent, nec vnquam humani generis ingluuiæ ſaciati pietatis ſpiritum admiſerunt, ſed ſemper exterminio inhiantes cædibus, & excidijs intenderunt, quod diuini iudicij talio ſic euertit, vt parum aut raro in tutis ſedibus remanerent, & fere ſemper inteſtinis ſupplicijs pœnas criminum, vt oportuit, receperunt, quorum principium, medium, atque finem, prout maiorum relatio docuit, ſi Dominus dederit annotabo. Gothorum originem, gloriam, & proceſſum, quorũ inſignia ſuper omnes Barbaros effulſerunt, in ſuperiori volumine declaraui, prout docuit veritas primæuorum. Verum quia præter Gothos quatuor gentes ferociſſimas ſęcula habuerunt, ſcilicet Hugnos, Vandalos, Alanos, & Sueuos, qui ſemper cædere, nunquam quieſcere voluerunt, horum originem, ſedes, & acta, cogit ſuſcepti laboris ratio explicare.

De origine Hugnorum. Caput. VII.

HVGNORVM origo, vt refert antiquitas, ita cœpit. Rex Gothorum Gardarici Magni filius, qui poſt egreſſum a Scantia tertio loco Gothorum tenuit principatum, qui & terras Scythicas, vt diximus, occupauit, in populo ſuo reperijt quaſdam Magas, quæ in exercitu ſtupra, & maleficia procurabant, & factitijs ſtrenuos euirabant, quas habens ſuſpectas longe ab exercitu effugatas in ſolitudine fecit exponi. At immundi ſpiritus per deſerta, & inuia euagentes, vt multorum cogit ratio opinari, ſe earum complexibus ad coitum miſcuerunt, & genus hoc ferociſſimum ediderunt, primum minutum, terrum inter paludes exiſſe commemorant, & quaſi genus hominum, nec alia voce notum, niſi quod humani ſeminis imaginem exhibebat. Tali ergo Hugni ſtirpe progeniti procedente tempore magis humanæ naturæ vicini, licet ſatis diſſimiles, humanæ formæ imaginem præferebant, & a rugitibus beſtiarum humanis vocibus ſe aptabant, Gothorum linguam, quam a matribus didicerant, in aliquibus imitantes. Et vt Priſcus hiſtoricus refert, in vlteriori ripa paludis Mæotidę inſidentes non alijs laboribus, ſed tantum venationibus, & piſcationibus inſiſtebant, niſi quod poſt quam creuit, fraudibus, & rapinis vicinarum gentium commoda perturbabat. Erat autem eis ſpecies pauenda nigredinis, & velut offa incompoſita, & informis, non plene, vt facies, & figurata, ſed habens in facie quaſi puncta pro luminibus oculorum, & ſæuitiam animi toruus prodebat aſpectus, etiam in proles recenter natas impie ſęuiebant, nam genas earum ferri calidi ſtigmate figurabant, vt ante vulnus, quam lactis ſuſciperent nutrimenta, exigui quidem forma, ſed argutis motibus expediti, ad equitandum promptiſſimi, latis ſcapulis, ad arcus, ſagittaſque parati, ceruicibus, & ſuperbia ſemper erecti. Quadam autem die, dum venatores eorum in vlteriori ripa Mæotidæ circa venationis ſtudia la-

Hunni.
Philimer.
Scantia.
Magæ.

borarent, cerua ſe obtulit improuiſa, ingreſſaqꝫ paludem nunc progrediens nunc ſubſiſtens, vt index viæ ſolicita præcedebat; & venatores paludem imperuiam, quam, vt pelagus exiſtimabant, pedibus tranſierunt, moxqꝫ ignotis apparuit Scythia nunquam viſa, & creduntur ſpiritus illi, vnde progeniem traxerant, id egiſſe, quod enim in tam modico tempore a non multis fœminis quocunqꝫ concubitu tantus populus proceſſiſſet, tamqꝫ ferox, non videtur humana poſſe contingere ratione. Illi vero, qui præter Mæotidam alium eſſe mundum penitus ignorabant, admiratione Scythiæ ſtupefacti, vt erant ſolertes, iter illud oſtenſum diuinitus crediderunt, & ad ſuos in mæotidem reuertentes, geſtum prout euenerat, retulerunt, & terras Scythiæ laudauerunt. Et continuo Hungnorum exercitus paludibus procreatus Scythiam adiuerunt, & quoſcunqꝫ in principio inuenerunt, ſuæ victoriæ litauerunt, & ingentem Paludem Scythiæ tranſierunt.

Alpizuri. Lizuri. Iumari. Tuncares. Boiſci. Alani.

Alpizuros, Lizuros, Iumaros, Boiſcos, qui in ripa paludis Scythiæ inſidebant, quaſi cum turbine rapuerunt. Alanos quoqꝫ pugna ſibi pares, ſed humanitate, victu, formaqꝫ diſſimiles, frequenti certamine ſubiugarunt. Nam quos bello forſitam minime ſuperabant, terrore vultuum conſternebant, & iam longa generatione veri hominis imaginem natura ſcientes ferali ſæuitia trahebantur. Hermanaricus autem Rex Gothorum, qui, vt ſuperius retulimus, multarum gentium extiterat triumphator, aliquo vulnere ſaucius ægram vitam imbecillitate contraxit, & tunc Voalamber Rex Hungnorum in Oſtrogothos, qui iam a Gothis ſeiuncti manebant, fecit inſultum, eoſqꝫ proſtrauit. Hermanaricus autem dolore vulneris, & Hungnorum potius vitę ſuæ anno centeſimo decimo eſt defunctus,

Gothi. Oſtrogothi. Gepidæ. Cathalanicũ bellum.

cuius mors Hungnis occaſionem præbuit præualendi, ipſoſqꝫ Gothos, qui remanſerant, & Oſtrogothos fere extinxit. Oſtrogothi autem, & Gepidæ vſqꝫ ad bellum Cathalanicum ſub Hungnorum dominio remanſerunt. A tempore Hermanarici Regis Gothorum vſqꝫ ad Voalamer Regem Oſtrogothorum, & Ardaricum Regem Gepidarum, qui tempore belli Cathalanici rati poſſe reſtitui libertati, ſe Gothorum auxilijs addiderunt. Poſt quod bellum, de quo in ſuperiori libro latius eſt expreſſum, Athila pro diſceſſu hoſtium non reſtitutus præſumit gaudia, meditatur grandia, erigitur ad coronam oppreſſioni inhiat, Romanis intonat, & inde reuertitur in Pannoniam, vt maiorem exercitum congregaret. Et cum cœpiſſet Alanos infeſtare, Thuriſmundus adueniens vicit eum, & licet fugatus poſt Thuriſmundi diſceſſum virtutem animi non abiecit, ſed maiore exercitu congregato corde intimo reponens iniuriam Romanorum perfectionem dirigit in excidium eorundem habens

Aquiligia

ſecum quam prius exercitum ampliorem. Primum partes Aquilegiæ deuaſtauit, quæ erat in Metropolis Venetorum. Deinde ciuitatem obſidionis ambitu coarctauit.

Digna. Natiſſa. Cõcordia Belunum Feltrum. Vincẽtia. Verona. Bergamũ. Brixia. Cuna. Mediolanum. Ticiniũ.

Cumqꝫ obſidio diutius traheretur, cœpit exercitus victualium penuria murmurare. Quadam autem die cum ciuitatem Athila circuiret, vt videret, qua poſſet facilius impugnari, inſpexit ciconias in roſtris filios deportantes egredi ciuitatem, & lætus auſpicio dixit ſuis: Pugnate hilariter, quia tranſmigratio auium tranſmigrationem indicat obſeſſorum, & tunc fortius ſolito dimicantes obſeſſę vrbis muros, & ianuas irruperunt. Et quædam domina nomine Digna, quæ in turre altiſſima habitabat, in Natiſſam fluuium ſe proiecit, ne Barbarorũ ludibrio ſeruaretur. Inde vrbe euerſa, & penitus diſſipata, vicina oppida diruit, & caſtella. Concordiam, & Belhinum, & Feltrum, Vicentiam, & veronam, Pergame, Brixam, atqꝫ Cunam, Mediolanum Metropolin, Ligurum, & Ticinium, quæ nunc Papia, omnes diripuit, & euertit, cædi

tamen, & in medio paruus inſiſtebat. Ipſo talia perpetrante, & Liguriam, & Venetias deuaſtante, quæ erant quaſi viſcera Romanorum, propoſuit Romam ſimili diſpendio viſitare, ſed ſuorum conſilio diſſuaſus timuit ſibi, vt Alarico, ſi Romam inuaderet euenturum, qui poſtquam Romam vaſtauerat, humanæ vitæ protinus ſenſit finem. Dumq; inter conſilia fluctuaret, venit ad eum cum legatione placida ſanctiſſimus Leo Papa, in cuius aduentu ſic furorem depoſuit conſuetum, vt ſui, & alij mirarentur intantum, vt idem Papa receſſum eius ab Italia impetraret. Fuerat enim Athila Dei territus poteſtate, viderat enim dum ſibi Papa cominus loquebatur, aliũ prope ſtantem in ſimilitudine ſacerdotis tenentem gladium euaginatum, & mortẽ terribiliter comminantem, ſi nollet Papæ beneplacitis obedire. Cumq; ſuis viſionem huiuſmodi reuelaſſet, pacem, vt Papa petierat, ſuaſerunt, & in loco vbi Ticmus Pado flumini admiſceretur, ab inuicem diſceſſerunt.

De Honoria, & morte Athilæ. Caput. VIII

HONORIA autem Valentiniani germana Athilam incitauit per clandeſtinum eunuchum, vt eam ſibi peteret in vxorem. Athila autem audito nuncio eſt gauiſus, & ſtatim ad Imperatorem Valentinianum internuncios deſtinauit, vt ſororem eius peterent ſupradictam, quod ſi renueret, interminans minitauit ſe in Italiam reuerſurum, & grauiora prioribus patraturum. Igitur Athila Danubium tranſiens contra Alanos mouit arma. Quod cum Thuriſmundus Rex Gothorum non imparis gloriæ pręſenſiſſet, in auxiliũ Alanorum exercitui Athilę mox aduenit, conſertoque prælio ſicut in campis Cathalanicis pauenda Romanis vexilla Athilæ effugauit, ipſumq; Athilam fugientem coëgit oblitas olim repetere manſiones. Et præter alias, quas habebat, duxit vxorem, quæ Ildico dicebatur, & inter conuiuia, quę ſobrietatis terminos exceſſerunt, plus ſolito bibit vinum, & cum ſanguis per os, & nares cœpiſſet effluere, fuit continuo poſt breue ſpacium ſuffocatus.

In ipſa nocte Imperator Martianus, qui tunc Conſtantinopolim morabatur vidit in ſomnis arcum Athilæ eſſe fractum, & intellexit eum mortuũ, aut confractum.

Vnde Ethrium patricium interfecit, eo quod in bello Cathalanico eius conſilio, quod Thuriſmundo dederat, Athila euaſiſſet, ſed eorum prælia, & proceſſus in ſuperiori volumie deſcripſi calamo latiori.

De Vandalis. Caput. IX.

VANDALOS autem Scythas fuiſſe ſuperioris libri auctoritas
proteſtatur, quos Gothi egreſſi a Scancia primo impetu proſtraue
runt. Pars autem altera Vandalorum dicta Silingui per ſe exer/ Vandali. Silingui.
citũ faciebant, & ſpeciali nomine vocabatur, licet a principio vtriq;
vna gens fuerint Vandalorum. Alani ſimiliter ex Scythia oriun/
di acti a Gothis in Vandalorum Coloniam tranſierunt, vt Gothis Alani.
impares poſſent cum Vandalis ſe tueri. Sueui etiam, qui a Germanis proceſſerunt,
eam partem Scythiæ inuaſerunt, quę a Sueuis, & Scythis Suetia nominatur, in qua Sueui.
eſt Metropolis ciuitas Vbſalenſis. Horum nomen, & patria in Theutonia adhuc Vbſalēſis Teutonia
antiqui ceſpitis nomen habet, quę Sueuia nominatur. Hi itaq; genitale ſolum egreſſi, Sueuia.

& in obtenta Suetia habitantes, & Gothorum gladios formidantes ſe Vandalorum,
& Alanorum cœtui miſcuerunt, vt ſimul iuncti Gothorum potentię obuiarent, qui
bus tamen ſemper in bellis impares ſunt inuenti. Cumqꝫ enim Geberidus Gotho-
rum regeret principatum, & Vimar Vandalorum, quos iuuabant Alani, & Sueui,
tanta ſtrage fuere proſtrati, quod nunquam poſtea in Scythiæ ſedibus præſumpſe-
Pānonia runt remanere, nec nobilitati Gothicę obuiare, ſed a Conſtātino Cæſare Pannoniam
petierunt, & per ſexaginta annos terrā, vt agricolę, coluerūt tributarij Romanorum.

Quod Barbari a Pannonia in Gallias transfugerunt.
Caput. IX.

DEMVM Fridigernus Rex Gothorum eis aduenit, ſed morte
pręuentus eos non potuit obtinere. Verum ipſi timentes Atha-
naricum, qui in Gothorum regimine adhuc ſtabat, a Stilicone con-
ſule, & patricio Gallias petierunt, vt Romano imperio rebellantes,
Gallia. ſua multitudine ſubiugarent. Cumque ad Gallias peruenifſent,
biēnio ante irruptionem vrbis Romanæ vaſtatis prouincijs inter-
Burgundiones. iectis in Gallias peruenerunt, Burgundiones, & Francos, ſiue Gallicos mirabili im-
Franci. petu proſtrauerunt, & etiam Aquitaniam ſubiecerunt. At poſtquam tyrannus
Aquitania. Eugenius interfecerat Gratianum, & Gallias occuparat, Vandali, Silingui, Alani,
& Sueui cum tyranno Eugenio contra imperium rebellarunt. Sed Theudoſius
progrediens contra ipſos duxit de Gothis pluſquam viginti milia armatorum & Eu
genio interfecto, prędictæ gentes fugaci compendio receſſerunt, & Pyreneis monti-
bus ſe dederunt. Sed Didymus, & Veranianus ambo fratres de nobilioribus, &
potentioribus Romanorum ſe in eorum tranſitu obiecerunt, & fratrum obice po-
tentatu a tranſitu ſunt repulſi. & tribus annis per prouincias Galliæ vagabundi a
Romanis, & Gothis cędes frequentiſſime ſunt experti, ſed prędicti fratres, qui clau-
ſtra pyrenei potenti prędidio tuebantur, fuerunt apud Conſtantinum Cęſarem accu-
ſati quaſi rebellioni Eugenij conſenſiſſent, ſed licet innoxij, & inſontes a Conſtantino
Cæſare ſunt occiſi.

De introitu Barbarorum in Hiſpaniam.
Caput. X.

MORS autem fratrum Vandalis, Alanis, & Sueuis occupādi Hi
ſpanias viam dedit, qui intrantes Hiſpanias vaſtationes, & neces
Vandali. cruentis incurſibus exercebant. Ciuitates, & oppida, villas, & pa
Alani. gos incendio conſumentes, ſpolia occiſorum diuiſione cruentiſſi-
Sueui. ma partientes, ad tantam cladem accolas perduxerunt, vt humanas
carnes famis periculo attentarent. Beſtiæ quocqꝫ cadaueribus aſ-
ſuetæ in viuorum interitum ferebantur, atqꝫ ita quatuor plagis beſtiarum, ſcilicet fa-
mis, peſtis, gladij Hiſpania miſera lacerata diuini iudicij ſenſit iram. Tandem ve-
ro videntes Barbari terram extinctis cultoribus elanguere, & fructibus defraudari, &
in ipſos penuriam redundare, non miſerijs incolarum, ſed ſuæ cœperunt penurię con
dolere. Vnde & incolis conuocatis, cum eis prouincias diuiſerunt, vt incolæ ter-
Luſitania ram colerent, tributa dominis ſoluturi. Ipſi autem prouinciarum dominia ſorte ſa-
Cartaginenſis. crilega partirentur. Alani itaqꝫ Luſitaniam, & Cartaginenſem prouincias habue-

runt. Vandali, qui Silingui in Bætica reſederunt. Alij Vandali Galleciam occupa-runt. Sueui maritima, & occidua Oceani tenuerunt, & partem Celtiberiæ, quæ ad montana Oceani tendebatur. Tot faucibus indulta laceratio Hiſpanorum, cum ſupereminerent guttura voratorum crinibus occiſorum, nec ſubiectione, nec officio mitigari potuit crudelitas dominorum.

De regno, & fuga Vandalorum, & primo introitu Gothorum.

Caput. XI.

POSTQVAM autē Hiſpanias ſunt ingreſſi, primus in Vandalis regnum obtinuit Gundericus, & in Gallecia poſuit ſedem regni annis decem & octo, & fœdere interpoſito ipſe, & Sueui pariter ibidem corregnabant. Alani enim, qui Carthaginenſem prouinciam, & Luſitaniam occuparant, præminebant Vandalis, & Sueuis. Sed quia Alani Celtiberiam infeſtabant, quę ſola in Hiſpanijs in poteſtate remanſerat Romanorum, Valia Rex Gothorum, qui erat in amicia Romanorum, per Conſtantium patricium, qui in Celtiberia reſidebat, in auxilium eſt vocatus, & intrans Hiſpaniam, adeo Alanos infeſtauit; vt Regem eorum Athacem extingueret, & relictis ſedibus Carthaginenſis, & Luſitaniæ ad Gundericum Regem Galleciæ, quem nuper proſtrauerant, ſe transferrent, regni nomine iam oblito. Omnes tamen in bello Valia ſuperauit, & Silingos, qui in Bætica morabantur, bello ſimili coarctauit. Valia autem victorijs inclytus ad Galliam Gothicam eſt reuerſus. Poſt cuius diſceſſum Gundericus Sueuorum fœdera violauit, vt eis ſubiectis ipſe ſolus præeſſet Vandalis, & Sueuis, ſed Sueui obſtinatione ſolita pertinaces in Neruaſis montibus reſtiterunt. Vnde cum eos Gundericus aliquandiu obſediſſet, cœpit de victoria deſperare, ſed ne videretur deſperatione, ſiue impotentia recedere ab obſeſſis, cauſam maioris negotij ſimulauit, & obſidione relicta, ad Baleares inſulas ſe conuertit, & eos prædis, & cædibus deuaſtauit. Inde rediens ad Carthago
Carthaginem ciſmarinam, quæ Spartaria dicitur, eam diruit, & deleuit. Hanc olim Scipio Aphricanus deleta maiori Carthagine, vaſtatione ſimili diſſiparat, & ibi fuit antiquitus dignitas ciuitatis. Sed poſtquam ipſa a Vandalis fuit euerſa, Gothorum tempore dignitas ad Toletanam eccleſiam eſt translata, & adhuc hodie Carthaginenſis dicitur prouincia Toletana. Euerſa Carthagine, proceſſit, vt Bæticam deuaſta- Bætica.
ret, non parcens Silinguis, qui erant cum Vandalis vnus populus, & gens vna.

Sed cum Hiſpalim diruiſſet, & actā cęde diripuiſſet, in Baſilicam Vincentij mar- Hiſpalis.
tyris eius vrbis ſacrilegus miſit manus. Sed Dei ſententia nolens tantum facinus tolerare demonij impetu in foribus templi cecidit interfectus, æra quadringenteſima ſe-
xageſima ſeptima. Et tunc remanſerunt in Hiſpanijs tria regna in Carthagine, & æra. cccc. lvij.
Luſitania Alanorum, qui ad manſiones ſuas poſt receſſum Valiæ redierunt. Secundum regnum in Gallecia Sueuorum. Tertium in Bætica Silinguorum, quæ regio a Silinguis Vandalis adhuc hodie Vandalia nuncupatur, quam Andaluziam cor-
rupto vocabulo vulgariter appellamus, & incolas Andaluzes. Vandalia

De Gilerico, & tranſitu eius in Aphricam.

Caput. XII.

MORTVO Gunderico, frater eius Giſericus ſuſceſſit in regno, & regnauit quadraginta annis. Hic cum eſſet Catholicus in apoſtaſiam Arrianæ perfidię eſt elapſus, & cum frater eius Gundericus verens vicinitatem Gothorum Regum, qui in Gallia Gothica, & Aquitania reſidebant, & partem Hiſpaniæ veniente Valia occuparant, propoſuit in Aphricam transfretare ſperans vtrem obiece a Gothorum inſultibus fore tutum. Giſericus autem propoſiti conſcius cũ omnibus Vandalis eorumq; familijs relictis Hiſpanijs ad Aphricam transfretauit, & con
Hippona. tinuo obſedit Hipponam, Cuius obſidionis anno primo beatus Auguſtinus, beati Ambroſij diſcipulus, eiuſdem vrbis Epiſcopus migrauit ad Chriſtum inter impetus obſidentium Vandalorum, anno decimo poſt mortem Hieronymi, Epiſcopatus ſui trigeſimo quinto. Cum autem Vandalorum tranſitum Valentinianus iunior, qui occidentali prælio præerat audiuiſſet, timuit ne totam Aphricam ſubiugarẽt, & cum obſiſtere non valeret, per Trigerium pacem miſit, & partem Aphricæ, Ipponæ videlicet regionem, conceſſit ei pacifice poſſidendam, conditionibus interpolitis, ne quid vltra inuaderent de Imperio Romanorum, & hoc ipſum firmauit iuramenti robore Giſericus. Sed fraternæ pertinaciæ non immemor obſeruator, & ſacramenti velociſſimus violator ilico pacta fregit, & feſtinauit Carthaginem obſidere, & id reſi
Carthago duum, quod reparatum fuerat poſt tempora Scipionis, impetu inuadens, Carthaginem pace deceptam dirupuit, & conſumpſit. Carthago ante Romam fuit condita ſeptuaginta duobus annis, & ſeptingentis triginta ſeptem annis, & diebus decem & ſeptem a fundatione ſua, a Scipione incenſa in puluerem eſt redacta. Poſt centum & duos annos fuit denuo reparata, & poſt iterũ a Giſerico deſtructa, quatuordecimo Kalendas Nouembris, & adhuc hodie ſimul irreparata. Et cum eſſet Arrianæ ſectæ perfidus obſeruator, ſtatim in exordio ſui regni cœpit perſequi catholicos Chriſtianos, & eorum Epiſcopos in exilium condemnauit, & eos, qui ei reſiſtere non timebant, pœne vltimo condemnabat. Et tanta fuit tunc temporis perſecutio in eccleſijs Aphricanis, quod vix poterat aliquis catholicus reperiri. Proſcripſit etiam bona eccleſiarum, & ſeruitutem impoſuit omnibus clericis, qui vtcunq; ſub eius dominio latitabant, eccleſias profanabat, & iumenta ſua tam in eccleſijs, quam in porticibus religabat, & adeo per totam Aphricam Arrianam hæreſim ſeminauit, quod loca ſacra, & Deo dicata in habitacula ſuis domeſticis cõferebat, & viros ſanctos Arrianam hæreſim deteſtantes ipſe deteſtabatur, & ſine intermiſſione eorum ſanguinem procabatur, & cum poterat effundebat, ita vt vſq; ad os totam Aphricam ſanctorum ſanguine ebriaret. Per idem tempus quatuor viri Hiſpani in Arrianam ſectam tranſire nolentes, diuerſis mortibus interempti illuſtri martyrio conſumãtur. Arcadius, Probus, Paſchaſius, & Euticius, puer autem Paulillus nomine frater Paſchaſij, & Euticij propter fidem Catholicam damnatus eſt infimæ ſeruituti.

De tranſitu Vandalorum in Siciliam. Caput. XIII.

Sicilia. Panormum. VERVM quia nec ſacrilegijs, nec cędibus hominum poterat ſatiari, Aphrica conculcata in Siciliam nauigauit, vt eam pari exterminio laceraret, & direptionibus iam peractis, obſedit Panormum eius inſulæ regiam ciuitatem. Cumq; hæc omnia Theodoſius iunior, qui Orienti præerat, percepiſſet, exercitum congregauit, vt Giſericum a

Sicilia effugaret. Et dum hæc fierent, rumor aduenit, quod Hugni Thracias, & Illi- Hugni.
rycum deuaſtabant, & hac neceſſitate Theodoſius exercitum, quem contra Vanda-
los deſtinauerat, reuocauit, vt Thracibus, & Illyricis fieret in ſuccurſum. Martianus
autem, ſeu Maiorianus, qui imperabat in Occidente, ab Italia in Hiſpaniam eſt pro-
fectus, & cum ad Carthaginenſem prouinciã perueniſſet, in eodem littore aliquantas
naues ad tranſitũ cõtra Vandalos pręparauit, ſed proditione ſuorũ fuit Vandalis reue
latũ, qui in prouiſo nauigio veniẽtes ex eis aliquas ſuccenderũt, & aliquas abduxerũt.
Sicq; Martianus diſpoſitione fruſtratus in Italiam eſt reuerſus, & Tertone a Richimi
ro patricio occiditur circumuentus, eo quod reipublicę ignominiam intulerat, & iactu
rã. Quod audiens Giſericus non contentus Aphricæ, & Siciliæ vaſtatione, aggreſ
ſus eſt patriã Romanorum, Romanæ autem eccleſiæ adhuc præerat Leo Papa. Ro
mani vero timentes aduentum principis Giſerici relicta ciuitate ad montium ardua Roma.
confugerunt, & veniens Giſericus ciuitatem habitatoribus vacuam, ſed plenam diui-
tijs occupauit, ſed nec incendere voluit occupatam nec in eos, qui remanſerant, gladio
deſæuire. Nam Leo Papa in introitu ciuitatis occurrerat venienti, & diuini verbi
pabulo Giſerici tyrannidem ſic ſedauit, vt a ferro, & incendio abſtineret, & ſuaſus ab
Eudoxia Valentiniani relicta, quæ eius commercium cupiebat, vt Romam ingrede
retur, Romanorũ copias cupiebat, & per quatuordecim dies exhauſit opes, & theſau
ros abſconditos eorundẽ, & Chriſtiani Valentiniani Eudoxiam relictam, & duas fi-
lias duxit captiuas cum multis milibus captiuorum. Roma itaque domina ciuita-
tum remanſit vidua quaſi terręmotu tertio conquaſſata. Primo Alarici, Secundo
Athaulphi, Tertio Giſerici. Vandali vero Romam egreſſi ſe per Campaniam di-
uiſerunt omnia gladio, & incendio diſſipantes. Nolam, & Capuam nobiles Campa Nola.
niæ ciuitates impetu ſubuerterunt, & incendio cõſumpſerunt, & ſimilia in alijs ciuita Capua.
tibus Caſtellanis, & ruribus peregerũt. Sanctus vero Paulinus Nolanus Epiſcopus
quicquid habere potuit pro redemptione captiuorum patriæ erogauit. Supplicanti
etiam viduæ, vt vnicum filium captiuum redimeret, cum nil haberet omnibus ero-
gatis, ſe ipſum in ſeruum vendidit, & filium viduæ liberauit, & cum alijs captiuatis
ipſe quoq; in Aphricam eſt delatus, vbi ſanctis operibus glorioſus meruit obtinere
ſibi, & omnibus concaptiuis, qui a patria ſua ducti fuerant, libertatem, & ſic cum
omnibus in Campaniã eſt reuerſus. De hoc beatus Auguſtinus in libro Dialogorũ
plenius declarauit. Et ſic Giſericus victor, & inclytus ad Carthaginem eſt reuerſus,
& mox miſit nuncios ad Theodoſiũ, qui præerat Orienti, & pace firmata remiſit ei
honorifice Valentiniani relictã, & vnã filiam, alteram retinens ſuo filio Hugnerico, &
tamen perſequi eccleſiam non omiſit inſiſtens hęreſi Arrianæ. Paucis autem diebus
interpoſitis, Giſericus iterum in Italiam voluit nauigare, ſed repulſus a Biſilio patricio
nauali victoria in Aphricam eſt reuerſus. Sicq; veſaniæ ſuæ virus vbiq; refundẽs,
frequenter victor, vltimo victus, quadrageſimo regni ſui anno vitam finiuit.

De Hugnerico. Caput. XIIII.

MORTVO Giſerico, filius eius Hugnericus ſuccedit in regno, & re-
gnauit annis octo. Hic habuit vxorem Valentiniani filiam, ex qua ſu-
ſcepit filium nomine Heldericum. Initium autẽ regni ſui conſperſit vi-
ru perfidiæ Arrianæ, & ſicut in regno, ſic patris in hæreſi fuit hæres, &
in perſecutione Catholicorum patre atrocior eſt inuentus, eccleſias inſi-

ſcauit, ſacerdotes, & cęteros in eccleſiaſticis officijs conſtitutos exilio condemnauit, monachos, & laicos circiter quatuor millia durioribus pœnis arctauit, & eorum plurimos martyrio conſumauit, plurimis confeſſoribus linguas abſcidit, qui tamen linguis abſciſſis, Domino faciẽte, vſq; in finem vſum loquelæ non amiſerũt, Lętus etiam Lætus: Neptẽſis. Neptenſis Epiſcopus ſub eo martyrio coronatur, & quia Arriani contagij labe noluit maculari, victor, & martyr cœleſti conſortio meruit adunari. Et quia Hugnericus calycem irę Dei alijs propinauit, ea potione, qua, & Arrius doctor eius effuſis viſceribus impium ſpiritum ſuo reſtituit incentori regni ſui anno octauo.

De Gutamundo, & Thraſamundo.

Caput. X V.

MORTVO Hugnerico Gutamundus nepos ex filio Giſerici ſuccedit in regno, & regnauit annis vndecim, menſibus octo, qui ſtatim pacem cum eccleſia reformauit, & omnes catholicos ab exilio reuocauit. Iſto mortuo, Thraſamundus frater eius ſucceſſit in regno, & regnauit annis viginti ſex, menſibus nouem. Iſte inſaniæ Hugnerici ſucceſſor, & hæres ſtatim in catholicos miſit manum, & eos aportans, & euertens bona eorum Fiſci titulis aſſignauit, & ex omni Aphrica centum triginta Epiſcopos mittens Sardiniam exilio condemnauit, nec ſui temporis hæreſi ſaciatus Hildericum filium Hugnerici iuramento aſtrinxit, ne catholicos exules reuocaret, eccleſiam reſtitueret, aut foueret. Iſto autem Thraſamundo impium ſpiritũ Carthagine exhalante Hildericus filius Hugnerici ex filia Valentiniani in regno ſubſtituitur Vandalorum, ſed nolens tranſgredi iuramentum, quod fecerat Thraſamundo, antequam regni culmine donaretur, Epiſcopos, & cæteros catholicos ab exilio reuocauit, & eccleſijs reſtituit infiſcata, & per totam Aphricam pacem datam ecleſiæ ædicti præconio publicauit:, & priuilegia, quæ Thraſamundus abſtulerat eccleſijs, redonauit. Cum enim mater eius eſſet catholica, fidei opera ſuadebat. Gilimerius autem de potioribus Vandalorum contra Hildericum proditione, & tyrannide inſurrexit, & prælio victum cepit, & eum cum filijs cuſtodiæ carceris mancipauit, multoſque nobilium Vandalorum, qui in Aphrica, vt indigenæ, reſidebant, & Hilderico, vt domino obediebant, & propter captionem eius tyranno indebito reſiſtebant, ſuſtinuerunt a Gilimerio perſecutiones varias, & iacturas, ita quod multos ex eis cum Hilderico in carceribus coarctaret, alioſque proſcriptis ſubiectis capitali ſententia condemnauit, omnique ſcelere inquinatus, venundatus nulli malitiæ ſe ſubtraxit. His miſerijs Aphrica. Aphrica diſſipata, ſanctus Lætus Epiſcopus Neptenſis, martyr eximius, de quo diximus, in viſione apparuit Iuſtiniano Imperatori, vt ſuccurreret tantæ cædi, quo oraculo incitatus Imperator confeſtim miſit exercitum cum Beleſario magiſtro militum contra tyrannidem Gilimerij, qui Beleſarij aduentum verens Hildericum Regem cum affinibus ſui generis, & alijs nobilibus interfecit. Venienſque Beleſarius Gutimirum, & Gebanundum fratres Gilimerij primo prælio interfecit. Deinde prælio iterato ipſum Gilimerium fugæ extermir.io propulſauit, ſed inſequens captiuauit, & ipſum captum cum diuitijs, & rapinis nequiter conquæſitis Imperatori Iuſtiniano Conſtantinopolim deſtinauit, & eo miſſo redegit totam Aphricam in prouinciam Romanorum anno nonageſimo ſeptimo. ex quo Vandali Aphricam intrauerunt,

uerunt, & manſit poſtea Romanorum ſubdita ditioni, donec per Mahometi aſtutiam fuit reddita hæreticæ peruerſitati, in qua peccatis exigentibus adhuc manet. Sicq; regnum Vandalorum cum populo ſuo funditus extirpatur, quod a Gunderico Rege vſq; ad interitum Gilimeri durauerat centum tredecim annis. Vandali.

De hiſtoria Alanorum. Caput. XVI.

Alani.

NVNC a Vandalorum hiſtoria liberatus Alanorum me ingero ſeruituti. Eorum originem, proceſſus, & acta, donec Gallias infregerunt & Hiſpanias intrauerunt, ſuperius enarraui. Poſtquam igitur Hiſpanias ſuut ingreſſi in Carthaginēſi, & Luſitania prouincijs ſuperbo oculo corde auido, crudeli propoſito ſedes altiſſimas collocarunt, ita vt Silinguis in Bętica, Sueuis in Gallecia, Romanis in Celtiberia præeminerēt, & Vandalos, quos in vna prouincia concluſerāt cum Sueuis potius impetiuerūt, & incurſibus coarctauerūt, Romanis etiā in Carpētania, quā a Carthaginēſi prouincia defalcarāt, intulerūt multas cędes, & abſtulerūt multas vrbes, quorū neceſſitate Conſtantius Patricius, vt dixi ſuperius, Gothorū Regem Valiam inuocauit, qui mox veniens Alanos tanquam acie durę ſilicis hebetauit, & quam in alijs exercuerant feritatem venienti Valię reliquerunt, & regni nomine abnegato, ſe Gunderico, quem deuicerant, ſubiecerunt, ſed cum eo, ad quem confugerant, Gunderico in conſpectu Valiæ ceciderunt, & ciuitates ſuæ ditionis in Carthaginenſi prouincia Valia tradidit Conſtantio Præſidi Romanorum, & ſic fuit in Hiſpanijs eorum potentia dilatata, & Regis nomine apud Alanos iam extincto, ceſſere Romanis Vandali, & Sueui, qui fere totam Hiſpaniam occuparūt, & facti ignaui pro maiori parte non militiæ, ſed aſcripti populo remanſerunt, nec, vt magnanimi, ad ſedes alias migrauerunt, donec poſt temporis interuallum Gothis venientibus, vt accolæ peruenerunt, & hic finis regni, & gloriæ Alanorum.

De regno Sueuorum. Caput. XVII.

LIberati ab ignauia Alanorum tranſire reſtat ad hiſtoriam Sueuorum. Horum originē, & proceſſum in ſuperiori opere declaraui. Sueui autem cum Hiſpanias intrauerunt, Hermericū Principem habuerunt, & cum Vandalis Galleciam occuparunt, ſed Vandalis nauigantibus in prouincias Aphricanas, ſoli Sueui Galleciam tenuerunt. Galleci tamen in aliqua parte proprio dominio vtebantur, quos Hermericus aſſiduis incurſibus prædabatur. Tandem morbo chronico aggrauatus pacē inijt cum Gallecis, & tanquam inſufficiens filium ſuum Recilam regni ſubſtituit ſucceſſorem, qui armorum ſtudijs prouocatus raro a prælijs quieſcebat. Cum autem Romani miſiſſent quendā militię ſuę Ducem nomine Andebodem cum multis copijs, vt Bæticā occuparet, occurrens ei Recila ad fluuium, qui Silingius dicitur, in Bęticæ regione, cōſerto pręlio Andebodem vicit, & interfecit magnis auri, & argenti copijs occupatis, & Romanorum exercitu diſſipato Bæticam ſuę ſubdidit ditioni, & volens Luſitaniam ſubiugare, obſedit Emeritam, & captam regno proprio adunauit. Hermericus autem pater ipſius interijt, poſtquam ſeptem annis fuerat morbo diutino fatigatus. Regnauerat autem annis triginta duobus, Carthaginenſem etiam prouinciam ſuæ ſubdidit poteſtati, & ita Gallecia, Luſitania, Betica, Carthaginenſi prouincia ſuo dominio ſubiugatis, erat in Hiſpanijs

Silingius.

fere Monarchus, & vt in hac quiete ſecurior permaneret, Carthaginenſi prouinciæ re-
Carpetania. gionem Carpentaniam, videlicet quam Romanis abſtulerat, reſtituit facta pace.
Cumq; veniſſet Emeritam, prout fertur, ſub gentilitatis errore vitam infœliciter
conſumauit, cum regnaſſet annis octo.

De Rheciario, & morte eius. Caput. XVIII.

MORTVO Ricila Rheciarius filius eius, & factus Catholicus ſucceſſit in regno annis. IX. Hic duxit vxorem filiam Theuderedi Regis Gothorum, & pro tanto coniugio eleuatus eſt, ſuſpicatus non tantum Hiſpaniæ, ſed & Vaſconijs Imperare, & ad Theuderedum ſocerum ſuum in Galliam Gothicam eſt profectus, & ab eo rediens honoratus Gothorum auxilium ſecum duxit, & Tarraconenſem pro-
Tarraconenſis. uinciam & Cæſarauguſtam Carpentaniæ, quæ Romano Imperio ſeruiebant, impe-
Cæſarauguſta. tens occupauit, Carthaginem, etiam regiones, quas Romanis reddiderat Ricila pater
Carthago eius prædæ incurſionibus deuaſtauit. Mortuo autē ſocero ſuo Theuderedo in bel-
Catalani. lo Cathal nico, & eius filio Thuriſmundo, ſuccedente Theodorico ſecundo filio, Rheciarius cœpit in Hiſpanijs inſolere, & Theodoricus Rex Gothorum filius Theuderedi, qui regnabat in prouincia Narbonenſi, contra eum citius properauit. Rheciarius autem de ſuis viribus plus præſumens occurrit Theodorico, & prælio adinuicem inchoato, Rheciarius effugatur, poſtea capitur, poſtea interijt interfectus.

De Sueuorum Regibus. Caput. XIX.

SVEVI autem bifarie diuiſi, alij Maſdram Maſſiliç filium in Principem elegerunt, qui tantum duobus annis regnauit. Alij Frantam. Maſdra autem ſtatim mortuo, pars Maſdræ filium eius ſubſtituit Remiſmundum, qui cum Franta ilico pacem fecit, & ambo pariter fœderati partes Luſitaniæ deuaſtabant, poſt biennium mortuo Franta pars eius Frumarium ſibi præfert. Qui cum Remiſmundo
Flauia. ſuper regni prēminentia litigaret, euertit Flauiam, vaſtauit patriam. Remiſmundus
Lucus. etiam Lucum, & Auriam, & maritima deuaſtabat. Sed poſt biennium Frumario de-
Auria. cedente, Remiſmundus pace cum Gallecijs inita Sueuorum in Gallecia obtinuit principatum. Sueui enim eum ſibi in Regulum prēfecerunt. Qui ad Luſitaniam tranſ-
Luſitania iens Coimbriam pace deceptam diripuit, & exhauſit, Vlixbonā etiam occupauit, Lu-
Coimbra ſidio ciue, & incola, qui illic præerat, eam tradente. Poſt aliquot dies Remiſmundus
Vlixbona his ſucceſſibus eleuatus ad Theodoricum Regem Gothorum nuncios deſtinauit, & pacem, & amicitiam poſtulauit. Quos Theodoricus benigne recipiens annuit poſtulatis, & in ſignum veri amoris coniugem miſit ei per Sallanum quendam ex officio Palatino cum adiectione armorum, & munerum copioſa. Et recepta coniuge, & muneribus, cœpit amplius ſuperbire, & Sallanum muneribus honeſtatum remiſit ad Theodoricum cum epiſtolis ſuę laudis, qui cum ad Gallias rediſſet, Theodoricum ab Eurice fratre ſuo reperijt interfectū, huius tempore Alax natione Galata effectus apoſtata Regis auxilio ſectæ ſe contulit Arrianæ, & inuentus eſt fidei catholicæ inimicus, qui de Gallia Gothorū adueniens hoc virus peſtiferū genti Sueuorū infudit, Regibus in Arriana hęreſi permanētibus. Catholici perſecutionē, & pericula pertulerunt, donec regnauit Theodemirus, qui prædicatione Martini Dumienſis Epiſcopi

fidei catholicæ redonatus eliminata ſpurcitia Arriana Sueuos reſtituit fidei vnitati. Hic Martinus Dumienſis Epiſcopus religione,doctrina & fide præclarus multa docuit,& firmauit in eccleſiaſticis inſtitutis,pro cuius memoria eccleſia Galletiæ adhuc gaudet. Regnauit autem Theodemirus annis decem.

De Miro,& fine Sueuorum.

Caput. XX.

POſt Theodomirum Mirus princeps efficitur Sueuorum, & regnauit annis tribus. Hic ſecundo regni ſui anno Ruchonibus mouit guerram, & bellis attritos opibus ſpoliauit. Et dum Leouigildus Rex Gothorũ Hermegildum filium ſuum propter fidem catholicã Hiſpali obſediſſet, Hiſpalis. Mirus proceſſit in auxilium Leouigildi,& Hermegildo capto & interfecto Mirus ibidem terminũ vitæ clauſit. Huic ſucceſſit Euricus filius eius in regno, quem in adoleſcentia conſtitutum Andeca per tyrannidem regno priuat, & coegit, eum monachum fieri, & detonſum in monaſterio inſerauit. Sed quia malorum impietas non remanet impunita, protinus Rex Gothorum Leouigildus ingreſſus Hiſpanias bellum intulit prouincię Sueuorum, & Andecam deuictum regno priuauit, & regnum eius in prouintiam redegit Gothorum. Ipſum autem Andecam poſt regni honorem fecit tonderi, & presbyterij officio mancipari. Enimuero oportebat,vt, quod Regi ſuo fecerat innocenti, ipſe proditor congrua viciſſitudine pateretur. Et ſic Sueuorum regnum obtentum a Gothis expers gloriæ hic finitur, quod durauerat centum & ſeptuaginta ſeptem annis.

De Silinguis. Caput. XXI.

EXplicatis regno & actibus Sueuorum,me cogit materia acta deſcribere Silinguorum, quorum ratio cum Vandalis vna fuit, niſi quod Silingui. illis in Aphricam transfretãtibus iſti in Bętica remãſerunt. Vbi experti cædes, & incurſiones, & pericula Romanorum non euaſerunt excidia Alanorum. Sed & Reges Galletiæ Sueuorum eos multis direptionibus ſubiecerunt,& Hiſpalis eorum Metropolis interdum diruta, interdum inuaſa nunquam fœlicitate ſtabili potuit efflorere: donec ſub Leouigildo Gothorum principe ſiluit captiuata, Regis & regni gloria uiduata,& in Gothorum prouinciam iam redacta. Et hic finem habuit principatus & potentia Silinguorum,quorum exterminium a Gothorum Rege Valia inchoauit,& per Leouigildum poſtea conſũmatum. Primus enim Gothorum Athaulphus Hiſpanias eſt ingreſſus, ſed Barcinonę interfectus eſt. Poſt ipſum Valia,qui Vandalos & Sueuos, Alanos & Silinguos domuit,& proſtrauit,& in Silinguis prouincijs de Gothorum maioribus inſtituit principes populorum, nec tamen ibi ſedem regni voluit collocare. Theodoricus etiam Sueuos ſuo dominio ſubiugauit,& extunc cœperunt Gothi in Hiſpanijs dominari, & regni ſedem a Gallia Gothica in Hiſpaniam tranſtulerunt.

FINIS.

DOMINI ALPHONSI DE CARTHAGENA EPISCOPI BVRGENſis Regum Hiſpanorū, Romanorū Imperatorū, ſummorum Pontificū, necnon Regū Francorū anacephalęoſis.

PROLOGVS.

COGITANTI MIHI FRATRES DILECTISſimi, & frequenter in animo reuoluenti, quantum ſit humanis animis
ſciendi infixa cupido, vt nullo præcipiente, nemine ſuadente, omnis
homo a natura ſcire deſideret, quatenus hominem exuere videatur, cu
ius animus ad ſciendum nullo deſiderio teneatur, & illius repulſionis
dignus haberi merito debeat. Tu ſcientiā repuliſti & ego te repellā.
Dulcedo quædā mentis aduenit. Conſidero enim prompto humano animo iucundi
tatem adeſſe, ſi ſciendi deſideriū operi applicare aliqualiter voluerit. Sed cum infinita
pene ſcientiarū & artium ſit multitudo, quarū aliquę de neceſſarijs naturę, quorum
directio humano iudicio non ſubeſt, aliæ vero in cōtingentibus occupantur, quę ali-
ter & aliter interdum eueniunt. & ad quę dirigēda cogitationes humanæ accurate de-
clinant. Multorū animos ad diuerſas ſciendi ſpecies inclinari videmus. Alij enim ad
ſcientifica & naturalia & ſupra naturā, alij vero ad aliquas alias diſciplinas vehemen-
tius inclinantur, prout iugeniorum ſuorum acumen vel hebetudo videtur expoſcere.
Sed hoc vnum inter cætera, quod nec ingenij altitudinem poſcit nec etiam capacitatē,
licet mediocrem, aut paruam tranſcendit, contēnendum non eſt. Hiſtoriarum quippe
notitia audiendi quid in ſua, quid ve in alia regione antiquis in ſæculis, & prope no
ſtra tempora actum ſit: & qui principes has terras, quas incolimus, per diuerſa ſęcula
gubernarunt, rationi congruū deſideriū eſt. Nec enim, cū homines ſimus, aliena pror-
ſus putare debemus, quæ inter homines tranſierūt, illi vulgato etiam trito Terētiano
verbo adherētes. Homo ſum, nihil humanū alienū puto. At, licet hoc cōtinue in me-
moria habere neceſſariū nō erat, vtile tamē pariter ac delectabile cenſeo, libellū aliquē
tenere, qui hæc ſub breui cōpendio cōtineat: vt cū ſermo de huiuſcemodi rebus occur
rerit, aliqualē cognitionē apprehendere valeamus. Hac itaq; intentione motus cōſcri
bere feceram arborē quandā genealogię Regū Hiſpaniæ, eorū geſta aliquantulū miſcēs,
vt nec hiſtorię ꝓlixitatē, nec arboris breuitatē haberet, ſed quodā mediocri modo hi-
ſtoriali latitudini, et arboreę breuitati reſpōderet. Illiq; excellētiſſimo, ac indelebilis me
morię Regi honeſtorū ſtudiorū auidiſſimo, qui nuper ab humanis oculis ad ſuperos
euocatus eſt, dedicaueram. At, cum particula prima ſuę Regię maieſtati tradita tranſi-
tus eius interueniſſet, quieuit opuſculum illud alijs temporibus per me vel alium al-
tioris & abundātioris ingenij, forte ſi placuerit diuinę māſuetudini, proſequendū. In-
terim autem aſcendit in mentem, ne ex toto calamus refrigeſceret, ex illis quæ tunc
ſcripſeram, quantum ad tempora quæ attigerunt, & alijs ſcriptis, quæ ſequentiū tem
porum actiones enarrant, breuiorem arborem tranſplantare, quæ nec hiſtoriā lato ſer-
mone cōtineat, nec ex toto illam ſub ſilētio dimittat, ſed Reges omnes, qui in Hiſpania
regnarunt, ab illo tempore, quo hæc politia in Regum noſtrorū genealogia, ac eorum
Regia familia continuata eſt, ſerioſe deſcribat. Aliorum enim ſæculorū, quæ ante præ-
ceſſerant, profundiſſima abyſſus inueſtigabilis facta nobiſcum nullam iam proportio
nem habere videtur. Reduxi ergo ad modū arboris omnes, qui in hac Hiſpania noſtra

Regis diademate ſunt potiti, ab Athanaricho incipiens in quo ſtipitem genealogiæ huius rationabiliter, vt puto, conſtruxi, vſqꝫ ad inſignem, ac potentiſſimum Enriquum quartum hodie regnantē, cuius regnum Regum Rex fœliciter dirigat, & exaltet. At quia imagines rerū fortius memoriā coadiuuant, quā nuda ſcriptura, Reges ipſos congruo arboris loco depingi feci in recta linea Regibus ſolis depictis. In marginibus vero aliquibus alijs, quorū ſtrenuitas non ab re iuxta Reges collocari petebat per ſola capita; figuratis. Et quia aliorū inſignium etiā extraneorū Principum noſſe tēpora, concurrentiamqꝫ, quā cum noſtris Principibus habuerunt, nedū delectat, quinimo etiā ad cognoſcendū aliqua, quę interdū inueſtigamus, non modicū confert, congruere mihi viſum eſt, illorū adijcere tēpora, quorum celſitudo, imperijqꝫ magnitudo abſcondendę non ſunt, ſed perpetuis tēporibus propalādę, poſui itaqꝫ ſummos Pōtifices, qui non alieni Principes iudicādi ſunt, quia tam noſtri, quā aliorū hominum omniū ſuperiores exiſtunt, & in vniuerſo orbe pleniſſimā habent poteſtatē. Deniqꝫ Romanorū Imperatores, quibus licet non ſubſimus, cū Hiſpani Romanū Imperium ſupra ſe non recognoſcant, eruerunt enim Deo adiuuante de faucibus infideliū regnum. Solū enim Reges ſuos, vt ſupremos principes in tēporalibus habent, ſunt tamen merito memorandi Imperatores Romani, qui inter omnes Reges primā ſedem, & quaſi quandā primogenituram non incōgrue habent. Ideo in illis concurrētijs adiunxiſſe & Reges Francorum, qui in altitudine ſolij magno ſplendore clareſcunt, amicitiaqꝫ, & ſanguinis neceſſitudine ab antiquis tēporibus noſtris extiterūt Principibus ſociati, indignū fuiſſet a concurrentia hac ſegregare. Ideo hac concurrentia his tribus principatibus ſupremo ſi quidē pontificatu, qui omnes principatus excedit, Romanoqꝫ, & Gallicano temporalibus, regū quę inſigniſſima ſunt inuenire decreui. Sed & illud nō ęqualitate pręſidentię motus, cum non ęquari, ſed pontificatui Romano ſubijci, & regna tēporalia cum debita humilitate契 reuereri digniſſimū eſt, qualitate tamen perſonarū tam ſcribentis, quam quibus ſcribitur attente penſata, non indignū arbitratus ſum, vt in calce concurrentiæ adijcerē Pontifices, qui in eccleſia Burgenſi ſederunt, ab illo incipiens tēpore, quo ſedes ipſa cathedralis effecta eſt, & vſqꝫ ad tēpora noſtra producens. Nam & ſi principatus alij ſupremi tam eminentia, quā magnitudine, & alijs numeroſis dotibus longe altius pręſtent, quoad nos tamen noſſe pręſules, qui, & quo tempore in hac inſigni eccleſia pręfuerunt, delectabile pariter, ac vtile eſt. Conſonumqꝫ rationi putaui hanc arborē charitati, ac fraternitati veſtrę dirigere, cū eccleſia hęc caput diœceſum Caſtellę capitis nomine tā a nobis, quā ab omnibus populis vulgariter inſignitur. Cum ergo capita ſint eccleſiā eccleſiarū, & ciuitas ciuitatū Caſtellę, neſcio cui cōgruentius adaptari queat memoriā omnium Regū tenere, quā illis, qui capita dicuntur, & ſunt illarum terrarū, quarum Monarchia deſcribi, & in perpetuā recordationē reddigi breui ſtylo tentatur, caput enim principalis pars corporis eſt, quinimo & totum corpus repræſentare videtur, eiuſqꝫ Mauſoleum locum religioſum facere ſolet, ac ſi totum corpus cum capite ibi eſſet. Sit ergo Principū ibi ſerioſa memoria, vbi principalis pars regnorum, in quibus principatū geſſerunt, conſiſtit. Accipiat ergo fraterno corde fraternitas veſtra munuſculū hoc, quod fraterna manu donatur, illudqꝫ multitudini librorum, quibus inſignis bibliotheca veſtra abundanter munita eſt adijcere curet, vt qui annalia antiqua hac ex parte ſcienti cupidus fuerit, illud legendi aliqualis notitiæ adeptione congaudeat. Sed iam his præludijs finem imponens, quod dicere geſtio diuino auxilio humilimis precibus inuocato, vt ſequitur, proſequar.

REGVM HISPAN.

Caput Primum.

ILLVD autem pręmittendum eſt, Hiſpaniam, de cuius Regibus loqui intendimus, partem quandã honorabilem orbis eſſe. De qua, vt ſciamus, quanta ſit, & in quot prouincias diuidatur, mẽti adducendum eſt, orbem a rotunditate circuli dictum, quia rota quædam eſt, cum Oceanus vndiqꝫ circunfluens fines eius circulo ambiat. Hunc in tres partes antiqui diuidendum dixerunt, quarum vna Aſia vocatur, altera Europa, tertia Africa, quę etiam Libya aliquibus in libris nuncupari ſolet. hæ autem partes æquales non ſunt. Nam Aſia a Meridie per Orientem vſqꝫ ad Septentrionem peruenit. Europa vero a Septentrione vſqꝫ ad occidentem, & inde Africa vſqꝫ ad meridiem, & ſic dimidium orbis tenent Europa, & Africa: aliud vero dimidium ſola Aſia occupat. Quod ideo ſic a ſapientibus deſcriptum eſſe putandum eſt, quia mare Terrenum, quod Mediterraneum vocatur, ab Occidenti inter Septam & Gibeltarium, ſeu Tariſam ingrediens, & verſus Orientem fluens, has duas partes Meridianam, & Aquilonem interſecat, & cum vna eſſe deberent, aquarum inundatione diuidit. Sic ergo ſi in duas partes Orientis, & Occidẽtis diuidatur orbis, Aſia Orientalem, Europa vero, & Africa Occidentalem partem tenebunt. At cum Hiſpania in Europa ſit, congruens eſt, vt Aſiam, & Africam dimittentes de Europa modicum quid dicamus. Europa ſiquidẽ a flumine Tanai deſcendens ad occaſum per Septentrionalem Oceanum vſqꝫ ad fines Hiſpanię venit. Cuius pars Orientalis, & Meridiana a Ponto confugiens tota mari magno coniungitur, & in inſula Gadibus finitur.

Prima Europę regio Scythia inferior eſt, quę a Męotidis paludibus incipiens inter Danubium, & Oceanum vſqꝫ ad Septentrionalem Germaniam porrigitur. Quæ terra generaliter propter Barbaras gentes, quibus inhabitatur, Barbarica dicitur. Huius pars prima Alemania eſt, quę ad Męotidas paludes pertingit. Poſt hanc Dacia, vbi & Gothia, & poſt illas multę alię prouincię ſequuntur, donec ad Hiſpaniam perueniatur, quas deſcribere operoſius eſſet intentu, quia non deſcriptionẽ orbis ſeu mappam mundi conficere propoſitum eſt, Sed Hiſpanię, de cuius Regibus dicturus ſum, ſitum ad mentem adducere. Qui autem de alijs Europę prouincijs informari deſiderat, Iſidorum, & alios, qui orbis partes ſermone lato curauerunt diſtinguere, diligenter inquirat. Ego enim hanc ſolam primam Europæ partem breuiter in memoriam adduxi, quia intra tam Dacia continetur. & Gothia. Vnde & Gothi exiſſe feruntur, qui in Hiſpania, vt infra dicetur, regnarunt. Alijs ergo Europæ prouincijs omiſſis Hiſpaniam calamo noſtro Daciæ, & Gothiæ a quibus primi Reges noſtri ortum habuerunt, coniungamus.

Caput ſecundum.

FVIT autem Hiſpania prius ab Ibero amne, ſeu flumine Iberia nuncupata, poſtea ab Hiſpano Hiſpania cognominata eſt. Ipſa eſt enim vera Heſperia ab Heſpero ſtella Occidẽtali dicta. Sita autẽ eſt inter Africam, & Galliam, a Septẽtrione Pyrenęis mõtibus clauſa, a reliquis partibꝰ vndiqꝫ mari cõcluſa, ſalubritate cęli ęqualis, omniũ frugum generibus fœcũda, gẽmarũ, metallorũqꝫ copijs ditiſſima, interfluunt eã flumina magna, Bętis, quod modo Guadalquiuirũ vocaẽ, Minius, Iberus, Tagus, in aliquibus aluei ſui partibus aurũ trahẽs. Habet prouincias ſex, Tarraconen

ſem, Carthaginenſem, Luſitaniã, Galleciam, Bęticam, & transfretũ in regione Aphricę Tingitaniam. Duæ ſunt autem Hiſpanię, citerior, quæ in Septentrionali plaga a Pyreneo vſq; ad Carthaginem porrigitur. Vlterior, quæ in Meridiem a Celtiberis vſq; ad Gaditanum fretum extenditur, citerior, & vlterior dicta, quaſi citra terras, & vltra, quod vltima, vel quod non ſit poſt hanc vlla. Eſt autem Hiſpania de latioribus prouincijs, quæ ſub Europa includuntur, habens in ſe ſex prouincias, vt prędixi, quæ iam alijs nominibus nominãtur. Neq; enim dicimus Tarraconenſem, quia hic loquimur de prouincia eccleſiaſticè ſumpto vocabulo, pro vt Metropolim, & eccleſias ſuffraganeas deſignat. Sed quandam particulam, ſeu contractum terrarum.

Illam igitur, quæ Tarraconenſis dicebatur, Cataloniam vocamus. Carthaginenſis vero eſt illa particula terræ, in qua regna Valentię, & Murciæ conſiſtunt. Luſitania continet partem Portugalię, quę intra Fagum, & Guadianam, necnon etiam particulam illam, quæ citra Tagum, & vltra Dorium eſt, aliaſq; huius regni terras, quas Extrematuram dicimus. Gallecia vero in ſuo nomine durat. Sed ſub Gallecię nomine, etiam pars Portugallię intelligenda eſt, quæ intra Dorium, & Miniũ conſiſtit. Betica vero Vandalia eſt, quam Andaluziam dicimus, dicta a Bęti flumine, quod Guadalquiuirum vocatur, ab Arabibus ſumpto vocabulo. Etenim apud Arabes Guadalqueuir flumen magnum ſignificat. Hęc intra ſe Granatæ partẽ continet. Tingitania autem eſt in Aphricę parte, quam dicimus Benamarim, a Tingi ciuitate, quam Taniar vocamus, nomen aſſumens, alię uero terrę, quas in Hiſpania hodie diuerſis nominibus nominamus ſub illis, quas diximus, tunc cõtineri putarem, vt Caſtella, & Nauarra cum Carthaginenſi, Legionenſis pars cum Gallecia. Toletana, & Conchenſis cum Luſitania, quę ſimul cum Bętica, quam Andaluziam, & Granatam dicimus Hiſpaniam vlteriorem faciebant, quam citeriorem poſt reſpectum ad nos poſſumus appellare, cum vltra, & citra reſpectiue ad locum, in quo loquẽtes exiſtunt, dicitur. Nos igitur cum citra Iberum ſumus, has partes Hiſpaniæ citeriorem Hiſpaniam vocamus, Italici, & alij Orientales vlteriorem vocant. Cum per reſpectum ad eos vltra Iberum commoremur, quę ſic groſſe tetigi, vt aliquam cognitionem horum nominum habeamus, & aliqualiter correſpondere denominationibus, quas hodie partes Hiſpanię habent ex ipſa propinquitate vacabulorum, ſentiamus.

Non quod ſigillatim his finibus diſtinguantur, difficillimum enim eſſet nunc limites illarum diuiſionum certitudine plena tenere. Hoc tamen ex his diuiſionibus conſtat Tingitaniam, quę vltra mare Mediterraneum eſt, licet in Aſia ſita ſit, intra Hiſpanię partes contineri, quod licet peregrinum ab aliquo importuno videatur, intentius tamen intuentibus aliquid forte non parum importare valeret, vt memor ſum alibi ad propoſitum aliud dixiſſe.

Caput tertium.

NVNC vero intentum noſtrum proſequens, hoc de regno Hiſpaniæ, prout terram, in qua regnatur deſignat, ſufficiat dixiſſe, tamen pro vt Reges, & potentia demõſtrat aliqua dicamus. Neſcio enim quare apud nos vnico verbo hęc duo diuerſa coniungimus, vt regnum ipſam terram vocemus, & hoc eodem verbo regnãdi vim, & potentiam exprimamus. Dicimus namq; regnum Hiſpanię, vel Franciæ, cum de terris illis loquimur, ſimiliter quoque cum de aliquibus Regibus

earum ſermo ſit, regnum eorum tot annis duraſſe ſcribimus, vel dictamus exercitiū,
ac poteſtatem regnandi, quæ temporalia ſunt, & regnum vocantes, vt Salomon edi
xit, nam terra in ęternum ſtat. Non ſicut apud Italicos, qui terram, in qua regnāt,
non regnum, ſed reamum vocant. Cum ergo de Hiſpania, pro vt reamum eſt modi
cum diximus, de regno eius, pro vt regnantium tempora ſignificat, paulum quocꝫ di-
camus. Nemo autem dicere poſſet, qui fuerunt hi, qui ab initio ſęculi ante diluuium
in Hiſpania regnarunt, quia impoſſibile eſſet hoc ſcire, cum omnes chronicæ poſt di-
luuium principium narrationis aſſumāt, nec aliqua auctentica hiſtoria reperiri poteſt,
quæ ante aquas diluuij geſta hominū narret, excepto canone ſacro, qui ab initio crea-
tionis mundi ſermonem aſſumens, tam ante Noę quam etiam poſtea, multa hiſtorice
prophetica reuelatione deſcripſit. Quicuncꝫ tamen illi fuiſſent, ſi aliqui fuerunt, qui
Hiſpaniam gubernaſſent, ſub inundatione aquarum conſtat periſſe, Sed & poſt
ipſum diluuium expleta infantia ſęculi, & in quandam adoleſcentiam mundo quo-
dam modo aſcendente, hoc diſtinctum ſciri non poſſet. Licet aliqui ſub glebo diui
ſionem gentium poſt diceſſum ab Abel deſcriptitarunt. Sed nos illud non quęrimus
ſpecifice, & particulariter ſcire, groſſe tamen, pro vt attentę antiquitatis abyſſum in-
uaſtigari aliqualiter poteſt. Coijcere conniuentibus oculis, vtcuncꝫ velemus, qui fue
runt illi, qui Hiſpaniam antiquis in ſæculis inuaſerunt. Ferunt autem, quod Europa
recepit populos a generatione Iaphet, qui ſeptem filios dicitur habuiſſe. Quorū pri
mus fuit vocatus Gomer. Secundus Magoth. Tertius Madans. Quartus Inanus.
Quintus Tubal. Sextus Moretus. Septimus Tiraſus. A Gomero primo filio di-
cunt populatam Galleciam. A Tubalo quinto filio alij deſcenderunt Hiſpani. A
Magotho ſecundo filio ſcythæ, Gothi, Vandali, Sueui, & Alani, & ab alijs vero fi-
lijs alij profluxere nationes. Inter iſtos denicꝫ adinuicem magna bella, & grandes
diſſenſiones proceſſerunt. Alij enim alios e terris expellentibus, & alijs reſiſtenti-
bus oportebat, vt bellici labores inſurgerent. Nam inter offendentes, & defenden-
tes tunc, & nunc conſequens eſt, vt gladius hoſtilis inſurgat. Nam alij inuaſio-
nem potentia incitante deſiderant, alij defenſionem neceſſitate cogente procurant. Et
ne hoc, nec illud ad rationis perſuaſionem quiete confici poteſt, ad arma oportet recur
rere. Tranſierunt ergo multa tunc tempora, & in eis armorum plurimi actus, quos
referre calamus non valeret. Sed hoc vnum dicitur, quia a confuſione linguarum
in Abel, vſcꝫ ad tempora Gedeonis iudicis Iſraël fluxerunt anni mille, & ducenti, &
triginta, & tres. Et huius Gedeonis tempore natus eſt Hercules magnus, qui ingen
tia facinora, & armorum miranda exercicia per diuerſas orbis partes præſertim in Hi
ſpania egit. Hic enim, vt ferunt, vna cum Iaſone obtinuit vellus aureum inſulæ Col
cos, & deſtruxit Troiam prima irruptione occidens Laomedontem Troiæ Regem,
necnon vicit Diomedem Thraciæ, ac Centauros, & Lacedęmonios. Superauit quo
que filios Leui, qui erant nepotes Regis Saturni, necnon Buſirim AEgypti, & An-
thęum Aphricæ Reges, fœminas quocꝫ Amazonas, quæ tunc erant multarum gen
tium victrices, pro vt hæc omnia aliquæ hiſtoriæ ferunt, & fabulæ poëtarum. Boë-
tius quocꝫ in metris ſuis horum aliqua narrat, dicens, Herculem duri celebrant labo-
res, Ille Centauros domuit ſuperbos, Abſtulit ſæuo ſpolia leoni. Reliqua, quæ illic in
metro ſequuntur, quæ hic ſuccincte tetigi, veritatem eorum Deo, qui omnia cogno
ſcit, relinquēs, vt ſcripta reperij huic ſcripturæ inſerere, non aſſerere curam cepi. Cum
autem hæc omnia Hercules alijs in orbis partibus expleuiſſet, ab Aphrica in Hiſpa-

nias tranſijt. Audierat enim Gerionem Hiſpaniæ principem potentiæ ſuæ robori plus debito nitentem erga Hiſpanos tyrannice ſe habere. Aduentum vero eius audientes Hiſpani nimium lætati ſunt, ſperantes manu Herculis a Gerionis tyrannide liberari, quod & factum eſt. Nam Hercules Gerionem deſidans duellum cum eo aggreſſus eſt, victumq; ſtrangulauit, & ſuper caput eius turrim dicitur fundaſſe prope Curuniam, quod oppidum in Gallecię finibus ipſe fundauerat. Demum occidit Cacum illum ferum hominem, qui tanta feritate uigebat, vt potius fabulæ quam hiſtoriæ narratio feritatis eius ab aliquibus ſcribenda putetur. Ab hoc Caco montem caci, quem vulgariter Moncaio dicimus, prope Tiraſonam & Agredam ſituatum nomen aſſumpſiſſe ferunt. Hercules itaq; occiſis Gerione & Caco, & multis magnificis operibus in Hiſpania factis ad Græciam eſt reuerſus, dimittenſq; nepotem quendam ſuum, qui Hiſpanus vocabatur, vt in Hiſpania regnaret, a cuius nomine Hiſpaniam vocatam putant. Nam primo Iberia ab Ibero flumine ſeu Heſperia ab Heſpero Planeta, qui prope occidentem adueſperante die lucet, vocabatur. Hic Hiſpanus eſt primus, quem in Hiſpania regium titulũ aſſumpſiſſe hiſtoriæ narrant. Qui magno tempore in pace regnans multa magnifica opera dicitur conſtruxiſſe. Inter quæ ille ſingularis aquæ ductus habetur, qui apud Segouiam in ſua firmitate huc vſq; perdurans, ciuitati aquarum copiam miniſtrat, pulchritudinem nimiam in ipſa operis fortitudine oſtendens. Nam cum quædam particula ſupereminens, per quam cloaca dirigitur, ſæpe reficiatur, & refecta faciliter corruat, ipſe tamẽ pōs et aquæ ductus tanta firmitate ædificatus fuit, vt ab illo ſeculo vſq; in pręſentem diem quaſi quadam incorruptione fulgens maneat. Tantaq; differentia diuturnitatis inter moderna opera & vetuſtiſſima eſt, quod, quidquid ibi noſtris diebus reficitur, raro per decennium durat, tanto ponte, qui Hiſpani temporibus factus eſt, per tot ſæcula immutabiliter perdurante.

Caput. IIII.

HIC Hiſpanus filiam ſuam nomine Liberiam in matrimonium tradidit inſigni Principi Græciæ vocato Pyrrho, qui ex iure vxoris ſuæ poſt mortem Hiſpani ſoceri ſui in Hiſpania regnauit. Hoc tempore dicunt tantam ariditatem per totam Hiſponiam fuiſſe, quod viginti ſeptem annis pluuia viſa non eſt deſcendiſſe: quo factum eſt, vt omnia flumina prorſus areſcerent præter modicũ aquarũ, quæ in Guadalqueuiro & Ibero profluebāt, & vt aliqui dicũt in Guadiana. Cuius cauſa Hiſpani ad diuerſas terras vitā ſaluaturi abierũt, ariditate autẽ ceſſante habitatores ad Hiſpaniā reuerſi ſunt. Pyrrho demũ defuncto Gręci poſt eũ aliquo tẽpore regnauerũt, quorũ nomina expreſſe nō legi. Poſt hęc gẽtes quędā extraneę, quę Almonizi vocabātur, Hiſpaniā intrātes Græcos expulerũt, & regnarũt in ea quadraginta annis. Demum exercitus multi ab Alemania & inſulis adiacentibus Hiſpaniam inundantes Almonizis expulſis apud Hiſpanos magnis temporibus regnauerunt. Donec Pœni ab Aphrica trāſeuntes magnam partẽ Hiſpanię ſubieceruñt. Et enim Hamilcar primo Saguntũ obſidens occiſus fuit. Deinde Hannibal immaniſſimus fortiſſimuſque obſidionem repetens Saguntum oppidum expugnauit. Quod vtique non ciuitatẽ Saguntiam noſtram, ſed caſtrũ illud iuxta Valentiam Monuiedrum uulgariter nuncupatũ fuiſſe autumant. Sagunto autẽ occupato & alijs multis partibus Hiſpanię ſuę

ditioni ſubiectis Hanibal nomine & gloria excellere incipiebat, quod Romanus populus, qui tunc quaſi adoleſcens erat, & alijs gentibus imperare non mediocriter præſumebat, moleſte tulit: maxime cum iam Saguntum Romani in amicitiam recepiſſent. Cuius occaſione bellum contra Hannibalem & Pœnos implacabile indixerunt. Quo factum eſt, vt Hannibal, qui potentia magna & animo bellicoſo vigebat, in Italiam proficiſceretur, dimiſſis Haſdrubale & Magone fratribus eius, vt ea tuerentur, quæ apud Hiſpanos acquiſierat. Romani vero miſerunt contra eos nobiles quoſdam de familia Scipionū, qui pugnātes contra Haſdrubalē victi et occiſi ſunt. Poſt quorum mortem alium de Scipionibus, qui. P. Cornelius Scipio minor dictus eſt, ad Hiſpanos miſerunt, multi nanq; fuerunt Scipiones. Scipionis enim verbum cognomentum familiæ, non nomen particulare hominis eſt. Hic Scipio dimicauit contra Magonem acerrimo prælio, vt hinc inde occiſi plurimum caderent, & Magonem victum & captum cum alijs captiuis miſit ad vrbem. Magone vero ſic uicto Haſdrubal frater eius occurrit obuiam Scipioni, præliumq; intrans uictus cuaſit, & profectus eſt in Italiam ad Hannibalem fratrem ſuum. Scipio vero victor exiſtens expugnatis Haſdrubale & Magone fratribus Hannibalis redijt Romam, Hiſpania manente ſub regimine Romanorum. Aliquibus autem temporibus ſic elapſis, cum Romani gubernantes inſolenter, ceu fieri ſolet, haberent (raro enim euenit, vt peregrina potentia, ſi diu continuatur, ad grauamina non proſiliat ſubditorum, vnde & Bonifacius Papa dicebat, non modica diſpendia Romæ attuliſſe peregrina regimina, hinc eſt quod ſucceſſione principantium naturalitas acquiſita Regum ad ſubditos, & ſubditorum, ad Reges, nimium conciliat animos, & regnantis iugū benignum & tolerabile reddit) Hiſpani ergo proteruiam Romanorum non ferentes rebellare cœperūt. Contra quos Romani miſerunt ducem nomine Tiberium Sempronium, qui vi armorum pluſquam centum & viginti ciuitates, oppida & caſtra occupans Hiſpanos ſub ditione Romanorum reduxit. Demum exacto aliquo tempore, ſexcenteſimo fere anno poſtquam Roma condita fuerat, iterum rebellarunt Hiſpani, & taliter ſe inuenerunt contra Romanos, quod nullus ex ducibus Romanis reperiebatur, qui acceptare auderet ſe mitti aduerſus eos. Et tunc miſerunt quendam nomine Sergium Galbam conſulem, qui, multis prælijs cum Hiſpanis confectis, poſtremo ab eis fuit deuictus. Quo ſic deuicto miſerunt Romani alium ducem, qui obſedit Numantiam, quæ nunc Zamora vocatur, in cuius obſidione magnam ſtragem, damna & pericula Romani habuerunt, ciuitate in ſua rebellione contra eos manente. Sed poſt iſtud miſſus eſt. P. Scipio, qui poſt Aphricanus inferior vocatus eſt, nepos alterius Scipionis, quem Aphricanum ſuperiorem appellant. Hic Numantiam tam ſtrictiſſima obſidione afflixit, quod expugnatam ex toto deſtruxit. Et ſic manſit Hiſpania ſub ditione Romanorum aliquo tempore. Sed poſt conſueta animoſitate rebellantibus Hiſpanis venit Pompeius, qui ſubijciens eam dimiſit in illa filios ſuos ac duces Petreium & Afranium, & in Italiam redijt. At cum inter Romanos tunc illud inteſtinum & famoſum bellum ſurrexiſſet, & Pompeio cum Iulio Cęſare genero ſuo impacabiliter diſſidente, Iulius Cæſar in Hiſpaniam venit, & contra Petreium & Afranium apud Leridam dimicauit, vbi exercitum Petrei & Afranij immenſa ſiti afflictum in deditionem reduxit. Manſit itaq; tunc Cæſare ſubijciente ſub poteſtate Romanorum Hiſpania vſque ad tempora Honorij Imperatoris. Cuius tempore Vandali & Alani ad Hiſpaniam venerunt, & eā magna ex parte occupauerūt,

ac Sucui Galleciam. Sed paulo poſt Vandali in Aphricam tranſierunt, & quidam
alij Barbari, quorum nomina non habentur, Hiſpaniam intrarunt. Et ſic huiuſce-
modi inundationibus diuerſarum gentium, & rituum magnis temporibus Hiſpania
afflictá fuit. Partim Romanis, partim Vandalis, Alanis, Hugnis, & Sueuis illam
ſibi iuxta potentiam ſuam tyrannice occupantibus, donec exercitus nobilis militiæ
Gothorum illis expulſis ad illam habiturus deuenit. Quorum Reges ex ipſa habi
tatione, & incolatu Hiſpani effecti in ea regnarunt, & regnant, non iam Gothorum,
ſed Hiſpanorum ſub diuerſis titulis Reges vocati.

Caput. V.

ET quia de his ſub arboris figura particulariter dicendum aſſum-
pſimmus, aliqua ex illis, quæ intra Hiſpaniam geſſerunt, ſuis con-
gruis locis dicturi de origine eorum, & his, quæ ante Hiſpaniæ in-
greſſum alijs in locis per eos geſta ſunt, breuiſſime vt aliena, non vt
noſtra ad clariorem intellectum dicendorũ breuiſſimo curſu tranſ-
eamus. Origo autem Gothorum, vt ex aliquibus hiſtorijs colli-
gitur, ex inſula Scanthia, ſeu Scythia fuit. Illam namq; primo ſunt adepti, cuius
poſſeſſione non contenti, inde exeuntes propinquas Scythiæ inſulas, & terras pera-
grantes, vicinas gentes bellis laceſſebant, quod antiquiſſimum eſt. Nam ante Her
culem, qui tempore Gedeonis iudicis Iſraël fuiſſe dicitur, Gothi Reges habuiſſe di-
cuntur, quos nominant Beric, & Gadaric, & Philimer, & Zamolxem, & Tanau- Beric.
ſum, qui ſucceſſiue in eis regnauerunt. Et poſt tempora Herculis, & Telephi filij Gadaric. Philimer.
eius multos Reges Gothi habuiſſe feruntur, ac plurima bella tam verſus Aquilonem, Zamolſis
quam etiam Orientalem mundi plagam geſſiſſe. Tamq; in illis animoſitas, bellan- Tanais.
diq; deſiderium erat, quod etiam fortitudinem, & militare exercitium ex eorum origi
gine ad fœminas dicitur pertranſiſſe. Nam illæ pugnatiſſimæ fœminæ, quas Ama
zonas vocarunt, ex genere eorum profluxiſſe narrantur, vt in hominibus, qui anima
lia rationabilia ſunt, illud, quod in auibus rapacibus natura operante fieri videmus,
in illis ſæculis factum audiamus. Et ſicut inter aues rapaces, ſeu de rapina viuentes,
fœmellę ſoleant eſſe audaciores. Sic apud illos, qui aliena rapere, & populos ex ſuis
ſedibus expellere continue inſiſtebant, Amazonæ fœmellæ impetum etiam auda-
ciorem habeant, licet ipſi Gothi maſculi audaciſſimi fuerunt. Etenim Tomyris Tomiris.
Amazona Regina Getarum, immo Gotharum Cyrum Regem Perſarum, & Cyrus.
Medorum, qui tantæ potentiæ fuit, vt regnum Chaldæorum Baltaſare Rege oc- Baltaſar.
ciſo, & Babylone deſtructa extinxerit, & in regnũ Perſarum mutauerit bellũ gerens,
illũ deuicit, ac occiſum capite mutilauit, quod in vtre pleno ſanguine conſanguineorũ,
& nobilium de exercitu ſuo miſit, dicens. Sacia te ſanguine, quem ſitiſti, vt qui ſan-
guinem aliorum crudeli cęde ſæpiſſime fuderat, ſanguine ſuo, & ſuorum infœlix ope
riretur, vt illud euangelicum verbum etiam illo tempore compleretur. Qui gladio
occidit, gladio peribit. Sic & Samuel Propheta cum Galaath Regem gladio ſcin- Samuel.
deret, dixit, ſicut fecit abſq; liberis mulieres gladius tuus, ſic etiam erit ſine liberis inter
mulieres mater tua. Sępe enim impij, & crudeles crudeliter opprimuntur, & po-
tentes, vt Sapiens ait, potenter tormenta patiuntur. Nam iuxta prouerbium vul-
gare, canis lupos occidens, plerunq; a lupis occiditur. Tomyris vero adepta victo- Tomyris
riam, & maximam prædam in partem Myſiæ, quæ ab Amazonis Amazona dici-

ur, victrix abſceſſit, & mutato nomine minorem Scythiam appellauit, & ciuitatem
Tamer a ſuo nomine ędificauit. Et adhuc hodie ſucceſſores earum fœminæ agen-
tes militiam ſtrenue habentur in opere militari. Et terra earum, vt Roderici hiſto-
ria refert, vulgariter Fœminea vocatur, ego tamen licet, vt legi, deſcribo, non tamē me
mini me vidiſſe aliquem, qui militarem exercitum fœminarum ſegregatum vidiſſet,
licet vna, vel alia militari exercitio dedita aliquando videatur, Sicuti apud Francos
Poncella. pridie Poncella militabat.

Caput. VI.

Beric. SED exercitum fœminarum dimittentes, ad viriles Gothorum cu
Gadaric. neos redeamus, poſt mortem autem Beric, qui primus inter Gothos
Rex nominatur, ſucceſſit, Gadaricus, qui fuit magnificus triūpha-
Philimerus. tor, & multos in Scythia, quæ nunc Dacia dicitur, populos ſubiu-
gauit. Poſt hunc filius eius Philimerus videns Philimerigorum ter
ram vbertatis penuria laborare, dedit conſilium, vt ab illis ſedibus
tranſmigrarent, & cum diu altiſſimas ſedes, & congrua loca perquirerent, ad vlterio
res Scythiæ terras venit, vbi regionū vbertatem, & votiua gaudia admiratus decre-
uit ibi vt in proprijs reſidere. Et cum terram explorans deambulaſſet, & pontem in
vaſto flumine repериſſet, regionemque vltra flumen illud placidam propexiſſet, vo-
luit regionis vltima peragrare, & parte exercitus iam tranſmiſſa pontis ſtructura
corruit tranſeuntium pedibus conquaſſata. Et ſic nec tranſmiſſis licuit remeare,
nec alijs tranſuadere. Is enim locus, vt fertur, paludibus tremulis concluditur, &
ex vtraque parte confuſione imperuius inuenitur, & forſam pons ille ligneus erat, &
pondere multitudinis ruit, ac citra remanētibus, quia difficilis reparatio videbatᷓ, repa-
rare noluerunt, vel forte cum nullam aliam cauſam itineris continuandi haberent, niſi
quia terras ad inhabitandum quęrebant, circa flumen remanentes conſederunt, grādi
parte exercitus ſui vltra prodeunte ſatis ſibi habitationis videbatᷓ in terris citra flumē
ſituatis manſiſſe. Pars vero Gothorum, quæ cum Philimero citra remanſerat, opta
Spali. tum potita ſolum, ad gentem Spalorum aduenit, vbi conſerto prælio victoriam ſunt
adepti. Exinde, vt victores ad extremam partem Scythiæ, quæ adiacet Ponto ma
ri cum triumpho venerunt, & Scythiam ſuis victorijs ſubiecerunt. Et quia ibi diu-
cius reſederunt, & regimen tenuerunt, Scytæ, vt indigenæ, ſunt vocati. Et licet
Gothi ad gentes alias ſæpius ſe vertiſſent, rectores tamen ſuos in Scythia dimitte-
bant, pœnes quos gentis regimen conſiſtebat. Hinc euenit, quod Ioſephus Scy-
thas, Iſidorus Getas appellat. Vnde & illud in laudem eorum per quendam poë-
tam dictum eſt. Contemnunt mortem laudato vulnere Getæ. Acſi diceret tanta
animoſitas Gothorum militiæ eſt, quod pro honore adipiſcendo mortem cōtemptui
habent, laudantes vulnera, quæ pro reipublicæ tuitione, ac exaltatione in prælijs vi
riliter recipiuntur. Nam mutata prima litera, e, in, o, & vltima, e, in, i, qui Getæ
appellabantur, Gothi dicuntur. Hi ſeptemtrionalia iuga tentantes Scythica regna
montibus ardua poſſederunt, & pars illa adhuc Gothia appellatur, interpretatio au-
tem nominis eorum in lingua noſtra eſt fortitudo, & re vera nullius gentis ſtrenui-
tas ita regnis, & imperijs ſe obiecit, ſicuti huius, in primo enim egreſſu a Scantia gen-
tem ſtolidam Vlmerrigorum, Vandalorum a ſuis ſedibus eiecerunt, iuga Scythica
Vexores. ſubiecerunt, Vexorem Regem AEgypti prælio fugauerunt. Aſiam ſubiugarunt,
& eorum

& eorum aliqui inibi remanſerunt, ex quibus partibus, vt dicitur proceſſerunt, & partem Aſiæ ſubiecerunt, Armeniam, Syriam, Siliciam, Galatiam, Piſidiam, Ioniam, & Aeoliam expugnauerunt. Telephus Rex Gothorum vicit Danaos, interemit Therſandrum, inſecutus fuit Vlyxem, Darius Hyſtaſpis filius, & Xerſes ab Rege Gothorum inferiores in prælio ſunt inuenti. Hos Alexander vitandos docuit, Pyrrhus pertimuit, Cæſar exhorruit. At cum Pompeius pro arripiendo reipublicæ principatu contra Iulium Cæſarem arma moueret, iſti cæteris fortius dimicarunt, in Franciam irruerunt, Italiam vaſtauerunt, Romam ceperunt, Veronam ædificauerunt, nomen imponentes, Verona, quaſi ve Roma in odium Romanorum, Gallias ſunt agreſſi, Hiſpanias ſunt adepti, ibique apud Toletum ſedem vitę, & Imperij locauerunt, in habitaculis, & tentorijs habitarunt. Terras vberes ſeminabant, nuſquam munitiones, vel domicilia fabricabant. Et licet terras, & ciuitates & oppida ſubiugarent, ſemper bellis, & vaſtationibus inſiſtebant, non contenti dominio populorum, ſed prælijs omnia infeſtantes. Et licet in ſui principio ferocitati dediti, vix humanæ rationis debitum attendebant, tamen poſtquam mores aliārum gentium viderunt, & vrbes, humaniores effecti benignitatem, & manſuetudinem induerunt, adeo quod & philoſophis, ad quorum ſapientiam humili ſtudio peruenerunt, diu proprijs Ducibus ſe rexerū̃t, & poſtea regale faſtigium adſciuerunt, quod & ſacerdotio ornauerunt. Hos omnes Europæ populi tremuerunt, Alpium obijces his ceſſerunt. Poſt exterminium Scythæ gens Vandalię a Pannopa non tantum eorum præſentia fuit exterrita, quam opinione fugati, eorum impetu Alani ſunt extincti. Sueui inter anguſtos Hiſpaniarum angulos eorum arma proprio periculo ſunt experti, & regno, quod ſediciose tenuerant, turpiori diſpendio caruerunt, libertatem Gothi potius bello, quam pace ſeruauerunt: In bellandi neceſſitate vires précibus prætulerunt, & in armis ſpectabiles haſtis, & iaculis, arcubus, & ſagittis, enſibus, ac clauis tam equeſtri, quam pedeſtri prælio confligebant, & in armorum experientia ſolo noualis belli exercitio caruerunt, vſq; ad tempora Siſebuti. Sub quo ad tantam gloriam peruenerunt, vt victoriarum inſignia non ſolum in terris, ſed in ipſo mari publicarent. Fuerunt autem naturaliter magnanimi, & audaces, ingenio faciles, & ſubtiles, in propoſito prouidi, & conſtantes, geſtu, & habitu approbandi, viribus præpolentes, ſtatu ardui, & proceri, duri vulneris, & manu prompti, corporis validi, membris apti, diſpoſitione compoſiti.

Telephus
Therſandrus.
Vlyxes.
Daaius.
Xerſes.
Alexāder.
Pyrrhus.
Cæſar.

Siſebutus

Caput. VII.

SED ſic confuſe generaliter ſcripſi, prout ſcriptum inueni, vt aliqualem notitiam Gothicæ gentis ſub genere habeamus. Nam illorum temporum ſerioſa, & ſpecialis narratio certitudinaliter non habetur, quia Salomon inquit. Tempus cuncta obliuione operit, nec ad geſta Principaliter attinet, quid Gothi in remotis regionibus ſeculis antiquis geſſerunt. Sed hoc addendum eſt, quod Gothi, qui cum Philimero Rege citra Pontis fretum manſerunt, multa ſtrenuiſſima opera armorum agentes ſub multis Regibus, ac Ducibus ſuis per per diſcurſum temporis ſuccedentibus contra plurimos Reges, gentes, & nationes dimicarunt, pluries victores, licet aliquando tamen raro fuiſſent deuicti. At cum ad hanc partem Europæ, quæ Italia, Alemania, & Gallia, & Hiſpania eſt, veniſſent, ſe iterum ſubdiuiſerunt.

Philimerus.

Et illi, qui apud Italiam, & Arcum adiacentes terras remanſerunt, Oſtrogothi vocati ſunt. Illi vero qui ad Hiſpanos acceſſerunt, Veſegothi ſunt vocati, Oſtrogothos, id eſt, Orientales Gothos, Veſogothos, id eſt, Occidentales, vocantes ex vulgari ſuo idiomate, vt arbitror, interpretatione recepta. Et quia Gothi, qui in Italia remanſerunt Oſtrogothi appellabantur. Ideo Theodoricus, de quo mentio fiet, Oſtrogothorum Rex appellatus eſt. Gothi vero, qui Pyrenæos montes tranſeuntes Veſogothi dicti ſunt. Procedente tempore Gothicum titulum exuentes Hiſpanorum nomen induerunt, vt in dicendis exprimetur. At licet differentia nominum eſſet, large tamen aſſumpto vocabulo omnes dicebantur Gothi, cum ab eadem origine deſcendiſſen. Origo autem, vt proxime dixi, ab Aquilonari parte fuit. Et ſi accurate attendere volumus, terram illam quam hodie Reges Daciç tenent cum aliquibus adiacentibus, fuiſſe illam, vnde Gothi principaliter exierunt, exiſtimandum eſt. Sunt enim quatuor regna, Daciç, Sueciç, Noruegç ac Gothiç ſiue Gothorum, a quibus terris, necnon aliquibus alijs qui vltra illas intra illum ſummum Aquilonis in magna latitudine ſitç a Barbaris hodie incoluntur. Putandum eſt illam multitudinem armatæ militiæ copioſo numero exiuiſſe. Nam Gothiam ſolam, quæ parua terra eſt, incredibile eſſet, tot populos genuiſſe. Nec huic rei obſtat, quod omnes nomen Gothicum aſſumpſerunt, quia tam antiquis, quam modernis tēporibus hoc fieri conſueuit, a parua terrarum gleba gentes multas interdum nomen accipere, cum generaliter nominantur, licet in particulari ſuas nominum ſubdiuiſiones accipiant, ſicuti omnes, quotquot ſub amplitudine horum regnorum morantur, Caſtellanos vocamus, licet Caſtella vna prouincia ſit, & multæ aliæ propria nomina, & deſignationes habentes ſub hac Monarchia ſpacioſis finibus ſitç conſiſtāt. Sic itaq; fieri potuit, vt a terra Gothiç licet non magna, omnes finitimç gentes, quæ ad occupandas terras aliorum animoſitate vigenti exierunt, nomen acceperūt. At quia inter regna Regis Daciæ, Gothia computatur, illa arma regia Regibus, qui in arbore ſequenti depicti ſunt, quandiu titulum Gothorum habuerunt, apponi feci, quæ Reges Daciæ pro omnibus quatuor regnis adducunt. Titulo vero mutato, & Caſtellç, & Legionis ſeparatim, vel coniunctim aſſumpto arma, quç procedente tempore aſſumpſerunt, prope illos ponuntur. Nec tamen volo, vt quiſquam putet eos, qui in illis regionibus frigidiſſimis remanſerunt, Hiſpanis præſtare, quia ab illis deſcendunt. Cum hoc in vetuſtis, & in recētibus ſeculis crebro vſitatum ſit, quod cum ex aliquibus terris inſigniores, & animoſiores viri exeuntes alias regiones virili animo expugnāt, eaſq; perpetua habitatione incolunt, licet a terris, vnde exierunt, denominationem, & arma retineant, longe tamen eminentiores ſunt illis, qui in originis ſuç terra quieti manſerunt. Nam Alexander Magnus a Macedonia prouincia Græciç exiens nomen Macedonis retinuit, ſed quis non dicat illum totius eſſe Dominum factum, ac illos, qui poſt eum in regnis expugnatis regnarūt, illuſtriores fuiſſe illis, qui intra Macedoniæ latebras reſiderunt. Sic & Pharamundus a Pannonia Vngariæ prouincia exiuit, ſed eo in Francia manente, Reges Francorum, qui ab eo deſcēderūt, quis dubitat clariores Vngarorū Principibus eſſe? licet illi clari, & excellentes exiſtant. Sic & Hiſpaniç Reges, licet ab illis Ferrarum Principibus in ſuis protoparentibus deſcenderunt, tamen ſceptra altiora, & clariora acquirentes manentibus intra illarum terrarum confinia, eorumq; ſucceſſoribus nimium præſtare, non incongruum eſt. Sic & apud nos in alijſq; regionibus fit, vt nobiles, & Barones ex montaneis domibus exeuntes, ac in alijs partibus terrarum dominia acquirentes

Theodoricus.

Alexāder.

Pharamūdus.

Duces, Comites, & Barones effecti longe præſtantiores habeantur illis, qui in domi-
bus, quas ſolaria vocant, morantur. Licet etiam ipſi cognomentum illarum domo-
rum retineant, quæ ſimilia memor ſum reſpondiſſe cuidam Prælato oratori Regis Rex Daciæ.
Daciæ, qui audiens aliqua, quę in diſputatione ſedium cum Anglicis de antiqua clari-
tate, & clara antiquitate Gothorum, ad Regis noſtri eminentiam demonſtrandam in
medium adducebantur, ſe interſerere voluit, & Regi Dacię, qui Gothororũ Rex nun
cupatur, ſedem eminentem querere. Nam & ſi magnum, & inſignem illum Regem fa
teror, tamen maiores, & inſigniores illos fuiſſe, qui a Gothia, & circum viciniis regio-
nibus exeuntes Italiam, & Galliam, ac etiam Hiſpaniam occuparunt, quis negare va-
leret? Et ex illis profluit is, qui hodie Hiſpaniæ ſceptra gubernat, licet a Gothia quã
ſi quodam ſolario cognomentum magnis temporibus ſeruauerunt. Et etiam hodie
realiter tenent, Licet titulorũ nomina ex prælijs, & alijs inſignibus geſtis, quæ poſt-
ea venerunt, ſunt mutata. Hæc ad intelligentiam dicendorum præmiſiſſe ſufficiat,
etiam quod mente concepimus exequamur, & ex deuotis præcordijs omnipotentis
Dei iterata deprecatione, ſuffragio implorato Reges ipſos, prout temporum ſuorum
ordo depoſcit, huic arbori inſeramus,

Caput. VIII.

ATHANARICVS iuxta propoſitum huius arboris poni- Athanaricus.
tur primus, qui gentis Gothorum regium ſolium ſuſcepit anno a Anno ccc.
natiuitate Domini tricẽteſimo quadrageſimo tertio, & regnauit an- xliij.
nis tredecim. Nam licet dubitandũ non eſt, quin Gothi ante iſtum
plurimos alios Reges, & Principes habuiſſent, tamen poſtquam fi
nes terrarum ſuarum exeuntes, terras, & regna aliorum tam per ita-
liam, quam per Græciam, & Hiſpaniam occupare decreuerunt, hic Athanaricus
primus Rex habetur, ideo merito, vt radix arboris proponitur, ab hoc enim tempore
cum Gothis Hiſpani quandã communionem habemus, vt intra Hiſpaniæ hiſtoriam
illos includere debeamus. Primo namq; intra fines ſuos morantes, vel partes Orien-
tales infeſtantes ad annalia noſtra non pertinent, ſed tanquã exteri, vt cæteræ nationes
ſunt reputandi. Huius Athanarici tẽpore Gothi ſub gentilitatis erroribus teneban-
tur, licet aliqui eorum catholicã fidem ſuſceperunt. Ideo Athanaricus gentili errori fa
uens perſecutione crudeliſſima aduerſus fidem mota contra Gothos, qui in gente ſua
cenſebantur, cędes incœpit exercere ex quibus plurimos, qui nolebãt idolis immolare, Gudilla
martyres fecit, Tunc Gudilla Epiſcopus legẽ eos docuit Chriſtianam, & in linguam
eorum ſcripturas noui, & veteris Teſtamenti tranſtulit. Gothi itaq;, qui hactenus ido
lolatrię ſuperſtitioni dediti gẽtilibus ſacrificijs ſe vouebant: Iam fide ſuccepta eccleſias
conſtruxerũt, & ſacerdotes Euangelicos, ſpeciales literas, quas eis vna cũ lege Gutilla
eorum Epiſcopus tradiderat, habuerunt, quę in antiquis Hiſpaniarũ, & Galliarum li-
bris adhuc hodie apparent, quam literã aliqui Toletanã vocant, ſed cõmuniter Gothi
cam dicimus, legitur cũ difficultate propter diſſuetudinẽ, quia ille modus ſcribendi de
ſijt, & alia forma literæ vtimur. In Italia tamen a paucis citra temporibus vetuſtiſſi-
mum modũ ſcribendi cum diphthongis, qui iam ab vſu omniũ receſſerant, oratores in
eloquentię libris, & etiam in epiſtolis familiaribus ſequi cœperunt, & quaſi a ſepul-
chro vetuſtæ antiquitatis ſepultam literam, vt alium Lazarum, ſuſcitare voluerunt.

Hic autem Athanaricus a Theodoſio Imperatore inuitatus ad Conſtantinopo-
lim acceſſit vrbiſque illius ſitum, ſtationemq; nauium populoſque diuerſarum gen- Theodoſius.

tium, quas in vno fonte ex diuerſis mundi partibus ſcaturire videns, nunc deniq́ʒ, inquit, cerno, quod incredulus audiebam, paucisq́ʒ menſibus interiectis obijt. Quem Imperator, ſicut viuentem honorauerat, ſic mortuum honorans dignę tradidit ſepulturæ, depingitur Athanaricus ſub cultu armorum, quia fuit bellicoſus, ſtrenuus, & in armis exercitatus. Habet autem in ſcuto ſuo arma regia Gothorum, quæ continuantur vſq́ʒ ad Pelagij tempora, depingitur etiam hic Gudilla Epiſcopus, quia Gothos legem Chriſtianam docuit. Concurrentia. Concurrerunt cum Athanarico, & prope tempora eius in ſede Apoſtolica Liberius primus natione Romanus annis quinque, & Fœlix ſecundus natione Romanus anno vno, & Damaſcus primus natione Hiſpanus annis decem & octo. In ſolio vero Imperij Romani Valentinianus, qui imperauit cum fratre ſuo Valenti annis vndecim, & Valens cum Gratiano imperauit annis quatuor. Hoc tempore Sanctus Ambroſius Mediolanenſis Archiepiſcopus claruit.

Caput. IX.

Alaricus.

ALARICVS huius nominis primus poſt Athanaricum regni Gothorum culmen aſcendit. Non tamen confeſtim, nec pacifice, ſed tempore intermedio, & etiam diſſenſione ciuili interuenientibus, defuncto nanq; Athanarico anno Domini tricenteſimo quinquageſimo ſexto attendentes Gothi Theodoſij Imperatoris Romani benignitatem Romano Imperio ſe dederunt, & fuerunt ſine Rege

Anno.ccc.lvi. vigintiocto annis, quib⁹ expletis cœpit regnare Alaric⁹ anno Domini. C.LXXXI. regni Hiſpaniæ anno. XLI. & regnauit annis. XX. &. VII. Hic Romam expugnauit, ſed ad eccleſias confugientibus nullam offenſam intulit. Huius expugnationis cauſa Auguſtinus librum de Ciuitate Dei compoſuit, vt in prologo eius patet. Obijt autē Alaricus apud Cuſaniam, quā ipſe detruxerat, morte ſubita, quem ſui nimia dilectione lugētes flumine quodam a ſuo aluco in aliam partem deriuato, in medio aluei collecto captiuorum agmine, locum effodiunt ſepulturæ. In cuius fontis gremio Alaricus cum multis copijs ſepelitur, & loco confeſtim obtecto rurſus flumen proprio curſui reddiderunt. Et, vt neſciretur locus ſepulturæ eius ab aliquo, omnes foſſores captiuos, qui interfuerant, extinxerunt. Tanta ſuperbia elati, vt quod Deus immortalis in ſepultura Moyſi ſerui ſui propter cauſas ſuę infinitę ſapientię notas obſeruare decreuit, ſecretam illam ſine alicuius periculo eſſe volens, iſti timidi, & inflati in ſui temporalis Regis tumulo cum cæde innocentum ſeruorum mutari quomodo voluerunt, depingitur autem Alaricus cum vexillo alto, enſeq́ʒ nudo in manu eleuata contra cuiuſdam imaginē vrbis propter euerſionem, quam fecit in vrbem Romanam, quę præcipua inter omnes orbes mundi fuit, & eſt. Concurrentia. Concurrerunt tempore illo, quo Gothi ſine Rege erant, quod durauit vigintiocto annis, & poſt cum Alarico, & prope tēpora eius in ſede Apoſtolica Quiricus primus natione Romanus annis vndecim. Anaſtaſius natione Romanus annis tribus. Et Innocentius primus natione Albanenſis annis quindecim, in ſolio vero Imperij Romani Gratianus cum fratre ſuo Valentiniano, & Theodoſio patre annis ſex. Per idem tempus Chriſtianorum templa iubente Theodoſio deſtructa reficiuntur. Et hic Theodoſius poſtquam cum Graciano imperauerat annis ſex, imperauit cum Valentiniano alijs vndecim. Hic deſtruxit templa Deorū, & Arcadius in Oriente, & Honorius in Occidente imperauerunt annis tredecim.

Caput. X.

ATaulphus conſanguineus Alarici, & ei forma, menteꝗ conſimilis poſt Alaricum in regni faſtigio ſublimatur anno Domini quadrin-genteſimo vndecimo regni vero Hiſpaniȩ anno ſexageſimo octauo, & regnauit annis ſex, & apud Barcinonam fuit inter familiares fabu-las iugulatus, & depingitur ſub armato cultu, quia armis ſe dederat, in terram tamen proſtratus, & mortuus, quia fuit occiſus. concur-rentia. Concurrerunt cum Athaulpho, & prope tempora eius, in ſede Apoſtolica Zozinus natione Græcus annis duobus, & Bonifacius natione Romanus annis tri-bus. In ſolio vero Imperiĳ Romani Honorius cum Theodoſio iuniore Arcadiĳ fratris ſui filio imperauit annis quindecim.

Anno. ccccxi.

Caput. XI.

SIGERICVS Athaulpho defuncto Rex à Gothis præficitur, anno Domini quadringenteſimo decimo ſeptimo, regni vero Hiſpa-niæ anno ſeptuageſimo quarto, & regnauit anno vno. Depingitur in veſte pacifica abſꝗ cultu armorum, quia bella non geſſit. Fuit au-tem tanta breuitas temporis regni eius, vt concurrentiam Pontifi-cum Romanorum, & Imperatorum non capiat.

Anno. ccccxvij.

Caput. XII.

VALIA ſucceſſit in regno poſt Sigericum anno Domini quadrin-genteſimo decimo octauo, regni Hiſpaniæ anno ſeptuageſimo quin-to, & regnauit tribus annis. Hic ad Hiſpanias per Conſtancium Pa-tricium euocatus Romani nominis cauſa Barbaris intulit magnas cędes, Vandalos, Silignos in Bætica bello proſtrauit, depictiſꝗ Van-dalis Vndericus Rex Vandalorum, qui in Gallecia reſederat, in Afri-cam transfretauit. Poſt hæc apud Toloſam Valia longa valetudine reprimente re-bus exceſſit humanis. Depingitur ſub cultu armorum, quia bella plurima geſſit.

Concurrentia. Concurrerunt cum Valia, & prope tēpora eius in ſede Apoſtolica Celeſtinus primus natione Romanus annis octo. In ſolio vero Imperiĳ Romani im-perabat prȩfatus Honorius, anno vero ſecundo huius Valiæ primus omniū ex Fran-cis Rex aſſumptus eſt in Regem gentis Francorum, coronamꝗ regni ſibi impoſuit Pharamundus Marcomiri Ducis filius, cœpitꝗ regnare Imperiĳ Honoriĳ anno no-no, a natiuitate vero Domini quadringenteſimo decimo nono, vel viceſimo. Regna-uit autem in Germania ſuper Francos annis vndecim.

Anno. ccccxviij.

Caput. XIII.

THeudoredus poſt Valię obitū ſucceſſit in regno anno Domini quadrin-genteſimo viceſimo primo, regni Hiſpanorum ſexageſimo octauo, & regnauit annis tribus. Hic cum Athila Rege Hugnorum in campis Cathalanicis magnum prælium habuit, in quo Theudoredus eſt in-terfectus, & Athila Rex victus. Hoc autem prælium fuit de famo-ſioribus prælĳs mundi. Depingitur Theudoredus ſub cultu armorum in campo mortuus, quia in prælio fuit occiſus. Concurrentia. Concurrerunt cum Theudo-redo Rege, & prope tempora eius in ſede Apoſtolica Sixtus tertius natione Ro-manus annis octo, & Leo primus natione Thuſcus annis viginti quatuor: in ſo-

Anno. ccccxxi.

lio vero Imperij Romani. Theodoſius iunior cum Valentiniano conſobrino ſuo, imperauit annis viginti ſeptem, & iſte fuit ſecundus Rex Francorum. Anno autem decimo regni Theudoredi obijt Pharamundus primus Rex Francorum, & ſucceſſit ei Clodius filius eius, & regnauit annis viginti, iſte fuit ſecundus Rex Francorum, ſed triceſimo anno regni Theudoredi obijt hic Clodius Rex Francorum, & ſucceſſit ei Meronus filius eius, qui regnauit annis duodecim, iſte fuit tertius Rex Francorum.

Caput. XIIII.

TVRISMVNDVS filius Theudoredi patre mortuo in campis Cathalanis, vbi pugnauerat, & victor extiterat, ad maieſtatem regiam ſubleuatur, Anno Domini quadringenteſimo quinquageſimo
Anno. cccc.lij. ſecundo, regni Hiſpaniæ nonageſimo primo, regnauit anno vno, & a ſuo cliente fratrum conſilio interfer&ctus eſt. Sed ante mortē vna manu paruo ganipulo, quem tenebat, ſui ſanguinis vltor fuit, & de inſidiantibus aliquos interfecit. Depingitur Turiſmundus in veſte pacifica vulneratus, quia licet bellicoſus extiterat, in domo tamen pacifice ſedens a proditore fuit occiſus, cuius regni temporis breuitas concurrentiā Pontificum Romanorū, & Imperatorum non capit.

Caput. XV.

THEODERICVS huius nominis primus Thuriſmundi Germanus poſt mortem fratrum regni ſolium aſcendit, Anno Domini quadrin
Anno cccc.liiij. genteſimo quinquageſimo quarto, Hiſpanię vero regni nonageſimo ſecundo, & regnauit annis tredecim. Hic in principio ſui regni iniuit prælium cōtra Rhecciarium Regem Sueuorum, qui in Gallecia regnabat, in quo Rhecciarius Rex interſectus eſt. Paululum vero poſtea cum ad Gallias rediſſet a fratre ſuo Enrico occiſus eſt. Ideo depingitur Theodoricus occiſus, quia fraterno occubuit gladio. Concurrentia, concurrerunt cū Theodorico, & prope tempora eius in ſede Apoſtolica Hilarius natione Sardus, annis ſex, in ſolio vero Imperij Romani Mauritianus, & Valētinianus imperauerunt annis ſeptem. Sub iſtis martyrizantur vndecim millia virginū: anno octauo præfati Theodorici obijt Meronus Rex Francorum, & ſucceſſit ei Childericus filius eius, & regnauit annis viginti duobus, & iſte fuit quartus Rex Francorum.

Caput. XVI.

Anno.cccc.lxvij. ENRICVS poſt necem fratris ſucceſſit in regno anno Domini quadringenteſimo ſexageſimo ſeptimo, regni Hiſpaniæ anno centeſimo quinto, & regnauit annis decem & ſeptem. Hic Enricus apud Arelatum conuocatis magnatibus, & proceribus, attento quod Gothi leges in ſcripto non habebant, ſed moribus abſq; ſcriptura, quaſi per quoddam arbitrium regebātur. Sicut apud Græcos Lacedæmonij legibus ſine ſcripto regebantur, ideo leges ad ſcripturam reduxit, vnde & hic inter cæteros legiſlatores merito computari poteſt. Et vbi Iſidorus in quinto Ethimologiarum narrat Foroneum primo Grecis leges tradidiſſe, Mercarium Frmegiſtum Aegyptijs, Solonem Athenięſibus, Licurgū Lacedæmonijs, Numam Pompilium Romanis, congrue hic Enricus poteſt cōputari, qui primus leges tradidit Gothis, vt inter illos, q leges humanas primi in ſcriptis tradiderūt, hic noſter interſeratur, vt de lege diuina taceamus, quæ excellentior abſq; aliqua proportione ſuperior omni

bus eſt. Obijt autē Enricus Arelati, & morte naturali vitā finiuit. Depingit̃ in veſte pacifica. Quia in pace, & quiete mortuus eſt. Concurrentia. Concurrerunt cum Enrico, & prope tempora eius in Sede apoſtolica. Simplicius natione Tiburtinus annis quindecim, in ſolio vero imperij Romani Leo primus imperauit annis decem & ſeptem.

Caput. XVII.

ALARICVS huius nominis ſecundus Enrici filius patre defuncto ad Gothorum regimen apud Toloſam ſublimatur, anno Domini quadringenteſimo octogeſimo quinto, regni Hiſpaniæ centeſimo Anno. vigeſimo ſecundo, & regnauit annis viginti tribus, aduerſus quem cccclxxxv. Fludiguinus Francorum Princeps Galliæ Gothicæ regnum affectans Burgundionibus ſibi auxiliantibus bellum mouit, fuſiſq; Gothorum copijs ipſum poſtremo Regem apud Pictauium prælio interfecit, ideo depingitur armatus, & occiſus, quia in prælio vulneratus occubuit. Concurrentia.

Concurrerūt cum Alarico, & prope tempora eius in Sede apoſtolica Fœlix tertius natione Romanus annis octo, & Gelaſius natione Aphricus annis tribus, & Anaſtaſius natione Romanus annis tribus, & Simacus natione Sardus annis quindecim.

In ſolio vero imperij Romani Zeno imperauit annis decem. & ſeptem. Anno vndecimo huius regni Alarici obijt Childericus Rex Francorum, & ſucceſſit illi Clodoricus eius filius, qui regnauit annis triginta, ſed tamen quindecim annis Paganus fuit, alijs quindecim Chriſtianus. Iſte fuit quintus Rex Francorum, & primus ex Regibus Franciæ fidem catholicam ſuſcepit.

Caput. XVIII.

GISELARICVS filius Enrici Regis ex cōcubina Alarico fratre defuncto, qui filium Amalaricum nomine, quem ex Amalaſenta vxore ſua filia Theodorici Regis Oſtrogotorum in Italia regnantis genuerat. & infantem quinque annorum reliquerat, ad regnū Gothorum tyrannide aſſumptus eſt, anno Domini quingenteſimo o- Anno ctauo, regni Hiſpaniæ centeſimo quadrageſimo quinto, & regnauit dviij. annis quatuor, & a quodā Duce Regis Theodorici Oſtrogotorum in prælio campeſtri apud Barcinonam victus fugit, & Aphricam transfretauit, & nunquam redijt, & extunc in antea Rex reputatus non eſt. Depingitur Giſelaricus in veſte pacifica, enſe extra manum erepto, quia armis depoſitis fugitiuus euaſit. Concurrentia.

Concurrerunt cum Geſalarico, & prope tempora eius in Sede apoſtolica, Orniza natione Campanus, annis nouem. In ſolio vero Imperij Romani, Anaſtaſius imperauit annis viginti & ſex.

Caput. XIX.

REX Oſtrogothorum Theudoricus huius nominis ſecundus annis maternis Amalarici Gothorum regnum aſſumpſit, anno Do- Anno. mini quingenteſimo duodecimo. regni Hiſpaniæ centeſimo quadra dxij. geſimo nono, & regnauit annis duodecim, menſibus ſeptem. Hic cum audiſſet Giſelaricum ſua timiditate, ac cordis puſillanimitate fugatum, & per diuerſas orbis prouincias vanum incedere, & regimi-

ne Gothorum ad Analaricum nepotem ſuum pertinere, maturo conſilio habito potentem exercitum congregauit, & in Hiſpaniam veniens cum eſſet nobiliſſimus, magnificus, & virtuoſus libenter ab omnibus in Regem aſſumptus eſt, quandiu Alarici nepotis ſua pueritia duraret. Ea namq; mente regnum aſſumpſit, vt nepoti, cum vir ætatis perfectę factus eſſet, confeſtim regnum dimitteret, quod & fecit. Ei namq; adoleſcenti facto regnum dimiſit, & ab Hiſpania in Italiam ſe reduxit, vbi obijt morte ſubita. Depingitur ſenex in veſte longa, quia in pace obijt grandęuus ætate, & magnę auctoritatis quo ad alia, licet in fide erroneus fuit, ſequens hæreſim Arrianam, & catholicos perſequens. Et quia nedum in Hiſpania, ſed etiam in Italia regnabat, habet in quarta parte ſcuti Aquilam ad denotandum, quod regni Italiæ aliquam partem habuit. Concurrentia. Concurrerunt cum Theodorico, & prope tempora eius in ſede Apoſtolica, Ioannes Priſcus natione Thuſcus annis duobus. In ſolio vero imperij Romani Iuſtinus primus imperauit annis ſeptem, anno tertio huius regni Theodorici obijt Clodoneus Rex Francorum, & ſucceſſit ei Clocarius filius eius, qui regnauit annis quinquaginta. Iſte fuit ſextus Rex Francorum.

Caput. XX.

Anno. d. xxiiij. AMALARICVS Alarici filius, & nepos Theodorici ex filia poſt Theodoricum in regni ſolio collocatur, anno Domini quingẽteſimo viceſimo quarto, regni Hiſpaniæ centeſimo ſexageſimo primo, & regnauit annis quinque, menſibus octo, & Achiliberto Rege Francorum in quodam prælio occiſus eſt. Depingitur autem armatus, occiſus, quia in prælio interfectus. Concurrentia. Concurrerunt cum Amalarico, & prope tempora eius in ſede Apoſtolica, Fœlix quartus natione Sabinus annis quatuor, & Bonifacius ſecundus natione Romanus annis quatuor, Agapitus natione Romanus annis vndecim. In ſolio vero imperij Romani, Iuſtinianus primus imperauit annis triginta & octo.

Caput. XXI.

Anno. d. xxxij. POST mortem Amalarici Theudius in regno aſſumitur anno Domini quingenteſimo triceſimo ſecũdo, regni Hiſpaniæ anno centeſimo ſexageſimo ſeptimo, & regnauit annis decem & ſeptem, menſibus quinq;: aſſumptio autem eius ſic fuiſſe dicitur, Amalaſenta mater Amalarici timens ſexus fragilitatem cum ſperneretur a Gothis, hunc Theudium conſobrinum ſuum olim filij ſui tutorem ob conſanguinitatis gratiam a Thuſcia accerſiuit, vbi pugnare degebat, & tunc in Regẽ cum fauore Principum eleuauit, qui licet eſſet hæreticus patruo tamen conceſſit, vt licentiam catholicis Epiſcopis daret, in vnum apud Tolctum, quæ tunc vrbs Regia habebatur, conuenire. Et quæcunque ad diſciplinam eccleſiæ pertinent libere ordinare. Hic Theudius immemor beneficij ab Amalaſenta Regina recepti, poſt aliquos dies eam fecit in balneo ſtrangulari, & quia ipſa ſe, & filium Iuſtinianum catholico Orientis Principi commendarat, qui cum audiſſet facinus, condoluit interfectę, & miſit Belaſarium Ducem, & patritium, vt in Theudium vindicaſſet. ſed ipſo intercepto negocijs Romanorum ante aduentum eius fuit Theudius interfectus in hunc modum. Cum quadam die in palatio cum ſuis proceribus loqueretur, quidam hiſtrio, quem vulgari nomine Aluardanũ vocamus, fingens ſe inſanum,

vulnerauit eum ex quo vulnere Rex proſtratus vi gladij indignantem animam exhalauit, fertur autem in emiſſione ſanguinis coniuraſſe, ne quiſquam interficeret percuſſorem, dicens ſe congruam meriti viciſſitudinem recepiſſe, quia ipſe priuatus occiderat Amalaſentam Reginam dominam ſuam. Depingitur Theudius occiſus, & quaſi percuſſus claua, quia ab Hiſtrone, ſeu Albardano percuſſus interijt. Concurrentia. Concurrerunt cum Theudio, & prope tempora eius in Sede apoſtolica, Ioannes ſecundus annis duobus, & Siluerius natione Campanus ex parte Ormizeda Epiſcopo Romano anno vno, & Virgilius natione Romanus annis decẽ & octo.

In ſolio vero imperij Romani imperabat prædictus Iuſtinianus primus. Huius Iuſtiniani tempore reſpublica Romana multum eſt proſperata tam in Oriente, quam in Occidente. His temporibus apud montem Caſinum poſt ſolitariam, & arctam vitam in cœnobio monaſtico ſanctus Benedictus degebat.

Caput. XXII.

THEVDISELVS Dux exercitus intercempto Theudio a Gothis in Regem præficitur, anno Domini quingenteſimo quadrageſimo, regni Hiſpaniæ anno centeſimo ſexageſimo octauo, & regnauit anno vno menſibus tribus, qui dum plurimorum potentium connubia proſtitutione publica macularet, & necem pluribus procuraret, magnates Gothorum attendẽtes grandem maculam, ac plurima obprobria ex hoc poſſe venire Gothicæ nobilitati, necnon ingentia pericula. Nam ſi ſub tam ſcelerato, & turpi principe prælia intraſſent, vinci, & perire timebant, quia nonnunquam propter peccata Ducũ exercitus militares ſunt cum magna ſtrage proſtrati, deliberauerunt eum capere, & occidere, quod opere compleuerunt. Nam cum quadam die apud Hiſpalim in prandio eſſet, ingreſſi ſunt omnes, qui illius cõiurationis, & tractatus fuerant participes, & ceperunt eum, aliqui vero ex illis, quorum vxores adulterio maculauerat, & conſanguineos occiderat, tam lethaliter vulnerauerunt eum, quod mortuus eſt. Depingitur cum in menſa prandet occiſus. Cuius breuitatis temporis tanta fuit, quod concurrentiam Pontificum, & Imperatorum non capit. Anno. de xl.

Caput. XXIII.

AGILDA extincto Theudiſelo in regno ſubleuatur, anno Domini quingenteſimo quadrageſimo primo, regni Hiſpaniæ anno centeſimo ſexageſimo nono, & regnauit annis quinq;. Iſte aduerſus Cordubam mouit bellum, & in cõtemptũ religionis catholicæ ſepulturam beatiſſimi Aſcieli, & victoriæ martirum hoſtium, & iumentorum præſentia profanauit, & inito certamine contra ciues pœnas dignas ſanctis inferentibus, pro vt meruit, eſt expertus. Anno. de xli.

Nam & in illo conflictu filius eius interfectus eſt, & theſaurum ſuum, & partem exercitus amiſit. Et poſt aliquod tempus apud Enfricam a ſuis occiſus eſt. Depingitur autem Agila pugione in corpore fixo, quia ſic occiſus eſt. Concurrentia, Concurrerunt cum Agila, & prope tempora eius in Sede Apoſtolica, Pelagius primus natione Romanus annis quatuor. In ſolio vero imperij Romani imperabat idem Iuſtinianus primus. Hoc tempore Armeni fidem Chriſtianam receperunt.

Caput. XXIIII.

ATHANAGILDVS poſt mortẽ Agilæ per tyrãnidem Anno. d. lv. efficitur ſucceſſor in regno, anno Domini quingenteſimo quinquageſimo quinto, regni Hiſpaniæ centeſimo ſeptuageſimo quarto, & regnauit annis quatuordecim. Hic cum iamdudũ Agilam regno priuare conteiur, auxilia militum ab Imperatore Iuſtiniano popoſcit. Sed ſubmouere Agilam a regno non potuit, donec a ſuis fuit apud Cureneam interfectus. Deceſſit autem Athanagildus Toleti morte ꝓpropria & vacauit regnum menſibus quinque. His diebus Theodomirus ex Sirenis, & Sireni, qui in Gallecia morabantur ab hæreſi Arriana qui infecti erant, ad fidem catholicam ſunt conuerſi prædicante quodam ſanctæ vitæ Epiſcopo, nomine Martino, per cuius ſaluberrimam doctrinam, & honeſtam vitam eccleſiæ Galleciæ magnum decorem, & honorem repecerunt, ſanctus quoque AEmylianus Abbas hoc tempore in Hiſpania claruit. Depingitur Athanagildus in veſte pacifica, quia bella non dicit̃ geſſiſſe, & ex propria ægritudine obijt. Depinguntur etiam in latere capita illius Martini Epiſcopi, qui in Gallecia prædicabat, & ſancti AEmyliani. Concurrentia. Concurrerunt cum Athanagildo, & prope tempora eius in ſede Apoſtolica, Ioannes tertius natione Romanus annis ſeptem. In ſolio vero Imperij Romani Iuſtinus ſecundus imperauit annis vndecim. Anno decimo huius Athanagildi, obijt Detarius Rex Francorum, & ſucceſſit Chiluericus filius eius, qui regnauit annis viginti tribus. Iſte fuit ſeptimus Rex Francorum.

Caput. XXV.

Anno. d. lxix. LVIBA primus Gothus in regno pręficit̃, Anno Domini quingenteſimo ſexageſimo nono, regni Hiſpaniæ centeſimo octogeſimo octauo regnauit annis tribus, qui ſecundo anno, poſtquam adeptus eſt principatum, Leouigildum fratrẽ ſuum non ſolum ſucceſſorem, ſed & participem regni fecit, & Hiſpaniæ prouiſorem, non tamen Galliæ regno fuit contentus, obijt autem Luiba Narbonæ morte communi. Depingitur in veſte pacifica, quia non fuit bellicoſus. Concurrentia.

Concurrerunt cum Luiba, & prope tempora eius in ſede Apoſtolica, Benedictus quintus, natione Romanus annis quatuor, & in ſolio vero imperij Romani Tiberius ſecundus imparauit annis ſeptem.

Caput. XXVI.

LEOVIGILDVS defuncto Luiba fratre eius Hiſpaniæ, & Gal-
Anno. d. lxxij. liæ adeptus eſt principatum, anno Domini quingẽteſimo ſeptuageſimo ſecundo, regni Hiſpaniæ centeſimo octogeſimo nono, quia vnus annus ſolum Luibæ cõputatur, & regnauit annis decem & octo. Hic Leouigildus habuit vxorem Theodoſiam filiam Seueriani, qui erat Dux prouinciæ Carthaginenſis, filius Regis Theodorici, qui Seuerianus ex vxoris nomine Theodora, quæ ex genere Regum deſcendebat, genuit inclytos filios, & filias. Inter hos quidem Leandrum, Iſidorum, qui fuerunt Archiepiſcopi Hiſpalenſes, vnus poſt alium, & Fulgentium Aſtygitanum Epiſcopum, & duas filias Florentiam virginem Abbatiſſam, & Theodoſiam Reginam, quam diximus vxorem Leouigildi,

ex qua Leouigildus genuit duos filios Hemergildũ,qui fuit martyr, & Recaredum, qui fuit Rex, vt ſtatim dicetur. Hic Leouigildus bellis regnum deſiderans ampliare, opes inſtituit congregare, & ſtudio eius exercitum concordante fauore victoriarum, & animoſitate praeclarus multos populos ſubiugauit. Cantabriam namq; iſte obtinuit,& deſtruxit Baregiam, iſte cepit Sabãdriam, & ceſſerunt ei plurimi rebelles Hiſpaniae ciuitates, fudit quoq; diuerſo praelio militem aduerſantem & quaedam caſtra, quae occupauerant eis abſtulit dimicãdo. Hemergildum deinde filium obſeſſum Hiſpali dolo cepit. Et quia nefandis ritibus Arrianae perfidiae noluit conſentire,tormentis varijs cruciauit. Demum ſecuti percuſſum patricida ipſius dignum Deo Martyrem conſecrauit. Poſtremo bellum Sirenis intulit, regnumq; eorum in ius Gothorum bello ſceleri cõmutauit. Et magna ex parte Hiſpaniam ampliauit. Nam antea gens Gothorum anguſtis finibus arctabatur, non tantum totam Hiſpaniam, ſed aliquas partes eius tenebant,hoc tempore regnum Sueuorum deſtructum eſt. Baregia. Sabãdria.

Nam Leouigildus in Gallecia pugnans contra Andecam Regem Sueuorum illum deuicit. Et extunc in antea regnum Sueuorum, quod centum, & ſeptuaginta, & ſeptem annis durauerat, extinctum eſt, & Gothorum regno applicatum, vt deinceps ſub Gothico nomine cenſeretur, & Sueuicum nomen ceſſaret. Hic Romanos milites apud Legionem bello extinxit, vrbemq; cepit, & ex ſuo nomine Legionem vocauit. Obijt autẽ Leouigildus morte propria Toleti,& depingitur in veſte pacifica,ac longa,quia leges condidit, quarum promulgatio autoritatem, & maturitatem deſiderat, ſed habet enſem nudum ſub manu, quia bellicoſus fuerat. Depingitur etiam in margine prope eum Seuerianus Dux Charthaginenſis,& Theodora vxor eius,& Leander, & Iſidorus Hiſpalenſes Archiepiſcopi, ac Fulgentius Epiſcopus Tingitanus illius ſiquidem ciuitatis, quam hodie Tanger vocant. Hi fuerũt probiſſimi Pontifices filij Seueriani, & Theodorae. Nec non depingitur Florentia Abbatiſſa, & Theodoſia Regina vxor Leouigildi filiae praefatorũ Seueriani, & Theodore,ac poſt eos Recaredus filius Leouigildi qui poſtea fuit Rex,& ibi integre eſt depictus, vt Hemergildus habens ſecurim in capite fixã quia a patre Leouigildo ſecuri percuſſus martyrium conſumauit. Concurrentia. Concurrerunt cum Leouigildo prope tempora eius in ſede Apoſtolica Pelagius ſecundus annis decem, & Gregorius primus natione Romanus inſignis ſanctus,& doctor eccleſiae annis quatuordecim. In ſolio vero imperij Romani Mauricianus imperauit, & annis viginti, anno quintodecimo regni Leouigildi obijt Tilboricius Rex Francorũ, & ſucceſſit ei Cletautus filius eius, qui regnauit annis quadraginta tribus, iſte fuit octauus Rex Francorum.

Caput. XXV.

Recaredus poſt mortem Leouigildi patris eius ſucceſſit in regno anno Domini quingẽteſimo nonageſimo, regni Hiſpaniae duceteſimo ſexto, & regnauit annis quindecim. Hic fuit cultu praeditus religionis, & paternis moribus longe diſſimilis. Nam ille religioſus, & bello promptus. Hic fide pius, & pace praeclarus. Ille armorum exercitio gentis imperium dilatauit. Hic glorioſus eandem gentem tropheo fidei ſublimauit. In ipſis regni enim ſui exordijs per Leandrũ,& Fulgentiũ auunculos ſuos, erant enim fratres Theodoſiae Reginae ſuae matris, in fide catholica inſtitutus totius Gothicae gentis populos Arriani erroris labe deterſa ad cultũ rectae

fidei reuocauit ſynodum ſexaginta quatuor ad condemnationem Arrianę hęreſis de diuerſis Hiſpaniæ, & Gallię prouincijs in vrbe Regia Toleto congregauit, & eidem concilio religioſiſſimus princeps deuotus aduenit, geſtaq; concilio ſubſcriptione firmauit Pontificibus, & palacij primioribus, clero, & militia approbātibus abdicans cum populo vniuerſo perfidiā, quam hucuſq; Gothorum populus didicerat ex dogmate Arriano, & prædicans trium perſonarum vnitatem, vnum Deum, filium a patre conſubſtantialiter genitū, Spiritum ſanctum inſeparabiliter a patre, & filio procedentem, & eſſe amborum vnum ſpiritum, vnde & vnum ſunt. Egit etiam glorioſe bellum aduerſus infeſtas gentes fidei auxilio ſubleuatus, Francos enim, cum quadraginta fere milibus armatorum in Galliam Gothicam irruentes, miſſo aduerſus eos Claudio Duce glorioſo triumpho repulit, & proſtrauit. Nulla vnquam in Hiſpanijs Gothorū victoria maior, vel ſimilis inuenit, proſtratis enim, & captis plurimis milibus hoſtiū reſidua pars exercitus Gothis ſequētibus vſq; ad limina regni ſui cęſa fuit. Sępe etiam cōtra inſolentiam Romanorū, & irruptiones Vaſconū, plurima bella geſſit, Toleti fine pacifica migrauit ad Chriſtum. Depingitur Recaredus ſedens in veſte pacifica magnæ autoritatis propter excellentiā ſuam, quia fuit vnus de melioribus Regibus Hiſpanię, & habet crucē in manu propter expulſionē hęreſis Arrianę, quam fecit, ab eius tēpore vſq; in pręſens nulla alia apud Hiſpanos publice hæreſis reperta eſt, habet etiā enſem nudū in alia manu quia bella fœliciter tam per ſe, quā per ſuos Duces, & exercitus egit, ſic enim decet Principes catholicos fidē nedum monitis, ſed etiā enſe tueri. Concurrētia. Concurrerunt enim cum Recaredo, & prope tēpora eius in ſede Apoſtolica Sauinianus natione Tuſcus anno vno, & Bonifacius tertius natione Romanus mēſibus ſeptem, & Bonifacius quartus de ciuitate Valentię annis ſex. In ſolio vero imperij Romani Phocas imperauit annis octo. Hic conceſſit beato Bonificio quarto Pontifici Romano templum, quod Pantheon dicebatur, vt conſecraretur in honorem beatæ Mariæ, & omnium ſanctorum, vt latius continetur in legenda illius feſti, quod celebratur Calendis Nouembris.

Caput. XXVIII.

LVIBA huius nominis ſecundus Recaredi filius nomen aſſumpſit, Anno.dc. v. anno Domini ſexcenteſimo quinto, regni Hiſpanię ducēteſimo viceſimo primo, & regnauit annis duobus, menſibus quinq;, de ignobili quidem matre progenitus, ſed virtute indolis inſignita, quem in primo flore adoleſcentiæ Vitericus ſumpta tyrannide innocuum deiecit, preciſaq; dextera occidit anno ætatis ſuę ſexto decimo. Depingitur Luiba in ętate adoleſcentiæ gladio in pectore fixo, quia adoleſcens interfectus eſt, cuius breuitatis temporis tanta fuit, quod concurrentiam Romanorum Pontificum, & Imperatorum non capit, hoc tempore prælia grandiſſima aduerſus Regem Perſarum exhorta ſunt, quibus Romani fortiter debellarunt plurimas prouincias, & Hieroſolimam dimiſerunt.

Caput. XXIX.

VItericus extincto Luiba per tyrannidem regnum aſſumpſit anno Do Anno.dc. vij. mini ſexcenteſimo ſeptimo, regni Hiſpaniæ ducenteſimo viceſimo tertio, & regnauit annis ſeptē, ſtrenuus quippe in armis. Et tamē victorię expers. Nam cū aduerſus Romanos bellū tentaſſet ſemper inglorius eſt inuentus, niſi quod quoſdā milites captos duxit Saguntiam.

Hic in

Hic in vita ſua multa illicita fecit.in morte gladio perijt, quia gladio innocentē Luibam occiderat,vt illius innocētis ſanguis non maneret inultus. Et vt iuxta veritatis verbū gladio occidens gladio periret inter epulas enim prandij coniuratione quorundam,qui Luibę cōſanguinei eſſe dicuntur, excita interfectus eſt. Corpus autē viriliter expectatum,vilius eſt humatū. Depingitur Vitericus cum enſe in capite percuſſus, & occiſus, quia gladio interijt. Concurrentia. Concurrerunt cum Viterico, & prope tempora eius in ſede Apoſtolica Deuſdedit natione Romanus annis tribus, In ſolio vero Imperij Romani Heraclius cum Conſtancio filio ſuo imperauit annis triginta vno. Hoc tēpore Machometus nefandus Pſeudodropheta Agarenorū nequitiam ſectæ ſuæ ſtultis populis prædicauit. Tertio anno Imperij huius Heraclij Perſarum Rex multam partem reipublicæ Romanæ cepit, deuaſtauitq; Hieroſolymam, & venerabilia loca incendit populorum captiuās copias vna cum Patriarcha Zacharia, & precioſum lignū ſanctæ Crucis in Perſidem duxit. His temporibus floruit ſanctus Galius in Alemania ſancti Columbani diſcipulus.

Caput, XXX.

GVndamirus poſt interitum Vitrici cœpit regnare anno domini ſexcentē- Anno.dñi
ſimo quartodecimo, regni Hiſpaniæ ducenteſimo triceſimo, & regnauit xiiij.
annis duobus. Hic Vaſcones vna expeditione vaſtauit,alia militem Romanum obſedit. Hic ſtatuit, vt nullus ad eccleſiam confugiens inde inuitus extraheretur,quod non quaſi quid nouum accipiendum eſt,ſed corroboratiuum priuilegiorum,quæ Romani Pontifices,& Imperatores alij Principes eccleſiæ Dei conceſſerunt.propria morte Toleti deceſſit. Depingitur in veſte pacifica cum enſe in manu propter bella, quę geſſit Concurrentia. Concurrerunt cum Gundamiro,& prope tempora eius in ſede Apoſtolica Honorius primus natione Campanus annis duodecim.In ſolio vero Imperij Romani imperabat idē Heraclius,hoc tempore Coſdroe Perſarū Rex interēptus eſt per Heraclium,& tunc populus a captiuitate liberatus,& cū ſancta Cruce reuocatus, Hic Heraclius deuicta Perſide cum gloria rediens Patriarchā Zachariam,& omnē populum Chriſtianū captiuum Hieroſolymam reduxit,& ſanctā Crucē,quā a Coſdroe recep rat,portās ornatus regio ſchemate dū per portā per quā Chriſtus baiulans Crucē ad paſſionē exiuit,vellet intrare, porta diuinitus clauditur,& humiliato illo ad iurandum aperitur,& Cruce reportata celebritatē exaltationis ipſius inſtituit fieri annuatim. Et fit hoc Feſtum quartadecima die ſeptembris.

Caput. XXXI.

SIſebutus poſt Gundamirum ad regale faſtigium reuocatur anno Domi- Anno.dñi
ni ſexcenteſimo decimoſexto,regni Hiſpanię ducēteſimo triceſimo ſecun- xvi.
do,& regnauit annis nouem,menſibus ſex. Hic Chriſtianiſſimus per hiſtoriatores vocatur,zelo autē fidei accenſus in initio regni ſui Iudæos ad fidem Chriſtianā permouens ęmulationem quidē habuit, ſed non ſecundum ſcientiam, poteſtate enim compulit, quos prouocari oportuit fidei ratione. Attendens tamen, quod ſicut Paulus dicit, ſiue per occaſionem, ſiue per veritatem Chriſtus annunciet,in hoc gaudeo,& gaudebo, fecit baptizari omnes Iudęos in regno ſuo. Hic Siſebut⁹ per Hiſpaniā vrbes Romanas ſibi ſubiecit. Hoc tēpore venerabilē Claudium Toletanum ſedis Metropolitanæ ſanctitatis pręconio pręfulgentem eccleſia venerat ur. Iſidorum quoq; Hiſpalenſem Metropolitanum tunc temporis Hiſpania celebrabat, vt ſanctiſſimū doctorem,egregium,& pręclarum,qui anno ſeptimo pręfati

Principis Siſebuti contra Acephalorum hæreſim apud Hiſpalum in ſacrario ſanctæ Hieruſalem conciliũ celebrauit. Hic Siſebutus de Romanis perſonaliter bis fœliciter triumphauit, & quaſdã eorum vrbes pugnando ſubiecit, & claſſe nauigãs aliquas gentes iuxta fretum morantes bello conſtrauit, quas gens Gothorũ poſt in ſuam redegit facile ditionem. Tantę clementię extitit erga victos, quos hoſtilis potentia mancipauerat ſeruituti, vt dato precio reſtitueret libertati, eiuſq; theſaurus redẽptio exiſteret captiuorum. Hunc alij proprio morbo, alij immoderato medicaminis hauſtu, alij veneno aſſerunt deceſſiſſe, cuius exitus non ſolum religioſis, ſed etiam optimis laicis extitit luctuoſus. Depingitur Siſebutus armatus, & cum enſe nudo, & brachio eleuato propter bella, quę geſſit, ſcuto vero rubeo, & cruce alba propter zelum fidei, quẽ habuit, ſic enim depinguntur Reges, ac milites Hiſpanorum, qui inuocantes Sanctum Iacobum infideles expugnant. Concurrentia. Concurrerunt cum Siſebuto, & prope tempora eius in ſede Apoſtolica Seuerin⁹ natione Romanus anno vno, & Ioannes tertius natione Dalmatius anno vno, in ſolio vero Imperij Romani imperabat idem Heraclius. Hoc tẽpore Machometus Princeps Sarracenorũ moritur, poſt quẽ Obier principatur.

Caput. XXXII.

Anno.dc. xxv. REcaredus huius nominis ſecundus Siſebuti filius poſt patris obitum Rex effectus anno Domini. DC. XXV. regni Hiſpaniæ. CC. XXXIII. ſeptẽ mẽſibus duntaxat regnauit, cuius vitę breuitas nihil habuit memoria dignũ. Depingit̃ autẽ puer, & in veſte puerili, quia puer obijt.

Caput. XXXIII.

Anno.dc. xxvi. SVintila huius nominis prim⁹ filius Recaredi primi Regis glorioſiſſimi rex efficitur anno Domini. DC. XXVI. regni Hiſpanię. CC. XXXIIII. & regnauit annis decem, iſte ſub Rege Siſebuto Ducis nactus officium, caſtra domuit Romanorum, Rucones etiam ſuperauit, poſtquam vero regni apicem eſt adeptus, vrbes reſiduas, quas in Hiſpanijs manus occupauerat Romanorũ, confecto prælio obtinuit, & ſubiecit, tantaq; triumphi gloria præ cęteris Regibus claruit, vt fœlicitatẽ mirabiliter reportare videretur. Totius autẽ Hiſpanię Monarchiã intra fretum Oceani, quod nulli recto Principũ eſt collatum excluſis Romanis primus obtinuit inter Gothos: auxit eo prelio virtutis ſuę titulũ duorũ Patriciorum obtentus, quorũ alterum prudẽtia ſuum fecit, alterum virtute prelij ſubiugauit. Toleti propria morte deceſſit. Huius filius Rachimirus in cõſortio regni aſſumptus pari cũ patre ſolio corregnauit. In cuius infantia ita ſacrę indolis ſplẽdor enituit, vt in eo, & vultus, & mẽtis paternarũ virtutũ effigies appareret. Iſto fere cum patre mortuo ſuperſtites remanſerunt alij duo filij Suintila, & Siſenandus, quos ſuſceperat ex Theodora filia Principis Siſebuti. Hoc tẽpore beatus Iſidorus Gothorũ hiſtoriæ deſcriptor, egregiuſq; doctor Hiſpalẽſis Archiepiſcopus migrauit ad Chriſtũ anno quarto prędicti Principis, Secũdo Nonas Aprilis. Depingitur Suintila armatus, quia bella plurimà fœliciter geſſit, & habet prope ſe adoleſcentẽ filiũ Rachimirum, quia illũ ſe viuente corregnare fecit. Concurrẽtia. Concurrerunt cũ Suintila, & prope tẽpora eius in ſede Apaſtolica Theodorus primus natione Gręcus annis ſex, in ſolio vero Imperij Romani Conſtãtinus tertius cũ Adriano fratre ſuo imperauit annis viginti ſex: anno octauo regni Suintilæ obijt Clotarus Rex Francorũ, & ſucceſſit ei Degibertus filius eius, qui regnauit annis decẽ & ſex, iſte fuit nonus Rex Francorum.

Caput. XXXIIII.

SIſeuandus Suintilę filius cœpit regnare anno Domini.DC. V. regni Hiſpaniæ. CC.XLII. & regnauit annis. V.menſibus. XI. Iſte per tyrannidem in regni Gothorum ſolio collocatur, cum Suintilæ fratri ſuo primo genito deberetur, propria morte Toleti obijt. Depingitur Siſeuandus in veſte pacifica, quia non legitur bella geſſiſſe, ſed leges condidit, quæ in foro illo, quem librum Iudicum vocant, continētur. Concurrentia. Concurrerunt cum Siſeuando, & prope tempora eius in ſede Apoſtolica Martinus primus natus de ciuitate Tiburtina annis ſex. In ſolio vero Imperij Romani imperabat idem Conſtantinus tertius. Sub hoc magna pars Romanæ reipublicę a Sarracenis deſtructa eſt. Anno.dc. v.

Caput. XXXV.

SVintila huius nominis ſecūdus Gothis præficitur anno Domini.DC. XL. regni Hiſpaniæ. CC·XLIX. & regnauit annis quatuor. Hoc tempore duo concilia apud Toletum fuerunt celebrata ſub Beato Eugenio vrbis regiæ Metropolitanæ Primate ſubſcribentibus Salua Narbonenſi, & Honorato Hiſpalenſi, & Protaſio Tarraconenſi, & eorum ſuffraganeis, & vicarijs abſentium Epiſcoporum. Depingitur autem Suintila in veſte pacifica, quia pacē habuit, & in margine caput Sancti Eugenij Archiepiſcopi Toletani, quia famoſus Pontifex fuit, & ſub eo concilia aliqua celebrata fuerunt. Concurrentia. Concurrerunt cum Suintila, & prope tempora eius in ſede Apoſtolica Eugenius primus natione Romanus annis duobus. In ſolio vero Imperij Romani imperabat idem Conſtantinus tertius. Anno.dc. xl.

Caput. XXXVI.

TVlgas bonæ indolis ex radice regia Gothorum regnū aſſumpſit anno Domini ſexcenteſimo quadrageſimo quinto, regni Hiſpaniæ ducenteſimo quinquageſimo tertio, & regnauit annis duobus. Iſte blandus, & catholicus eſt inuentus, regna ſibi ſubdita pacifice dilatauit. In iudicio rectus iudex claruit, largitate præfuit, lenitate ſynodos a ſuis prędeceſſoribus confirmatas, autoritate ſimili confirmauit, doluit autem gens Gothorum tam cito, tam bonę indolis iuuenē amiſiſſe cūctis flentibus, quia flos tantæ indolis in fructum non adoleuit. Toleti propria morte deceſſit. Etenim nonnunquam accidit, vt optimi Reges tollantur de medio propter demerita ſubditorum. Depingitur iuuenis, & in veſte pacifica, quia iuuenis obijt, & bella non geſſit. Concurrentia. Concurrerunt cum Tulga, & prope tempora eius in ſede Apoſtolica Vitilianus natione Campanus annis quatuordecim. In ſolio vero Imperij Romani imperabat idem Conſtantinus tertius. Anno.dc. xlv.

Caput. XXXVII.

CIndaſuindus poſt Tulgam regno Gothorum per tyrannidē inuaſo cœpit regnare anno Domini ſexcenteſimo quadrageſimo ſeptimo, regni Hiſpaniæ ducenteſimo quinquageſimo quinto, & regnauit annis decem. Huius tempore in Toletana vrbe duo concilia ſunt celebrata, obijt propria morte Toleti. Depingiť in veſte pacifica qa bella geſſiſſe non legiť. Concurrentia. Concurrerunt cum Cindaſuindo, & prope tempora eius in ſede Apoſtolica Deodatus natione Romanus annis quatuor. In ſolio vero Imperij Romani Conſtantinus quartus imperauit annis decem & octo. Huius tempore Sarraceni Siciliam inuadunt, & cum ſpolijs multis recedunt. Iſtius tempore Sex- Anno.dc. xlvij.

ta ſynodus celebratur Conſtantinopoli contra Græcorum Patriarcham, cui interfuerunt ducenti & octo Epiſcopi. Anno ſecundo huius regni Cindaſirindi obijt Dagibertus Rex Francorum, & ſucceſſit ei Clodoneus ſecundus filius eius, qui regnauit annis decem & ſeptem, iſte fuit decimus Rex Francorum.

Caput. XXXVIII.

Anno.dc. lvij. REcinſuindus filius Cindaſuindi poſt mortem patris ſucceſſit in regno anno Domini ſexcenteſimo quinquageſimo ſeptimo, regni Hiſpaniæ ducenteſimo ſexageſimo quinto, & regnauit annis decem & octo, menſibus vndecim. Hic tria concilia clarente Eugenio vrbis Regiæ Metropolitanæ Toleti inſtituit celebrari. Huius Recenſuindi Principis anno nono ſuſcepit Sanctus Illefonſus Pontificatum eccleſiæ Toletanæ. Fuit autem Beatus Illefonſus de genere nobili, diſcipulus Sancti Iſidori, monachus profeſſione, vir per omnia laudabilis, & præcipuus ſanctitate, demnm Pontifex Toletanus. Et cum hoc tempore Eluidius, & Pelagius a Gallis venientes plæraſq; partes Hiſpaniæ errore infeciſſent, virginitatem beatæ Virginis infamantes: Beatus Illefonſus illis occurrens ſacrarum literarum teſtimonijs, & lingua melliflua, & gratia in labijs ſuis diffuſa eorum dogmata confutauit, & ab Hiſpanijs confuſſos abegit. vnde etiam in feſto glorioſæ Virginis, quod in Hiſpanijs quintodecimo Kalendas Ianuarij celebratur, cum ipſe ad matutinale officiũ comitatus clero, & populo, & multis luminaribus ad eccleſiam conueniſſet, apparuit ei beata Virgo choris Apoſtolorum martyrum, ac virginum comitata, & ſic ait, quia fide certa, & conſciẽtia pura lumbos tuos virginitatis cingulo accinxiſti, & gratia in labijs tuis diffuſa virginitatis meæ gloriam in cordibus fidelium depinxiſti, accipe veſtem de theſauris filij mei, vt iam in hac vita veſtimento gloriæ adorneris, & ea in meis, & filij mei ſolẽnitatib⁹ veſtiaris, & his dictis cũ glorioſo cœtu, quo apparuerat, ad gloriã filij remeauit. Beatus autẽ Illefonſus de promiſſis ſecurus ſuſcepto munere lætus remãſit.

Hac autem veſte nullus poſt eum vti præſumpſit, niſi Deſibertus Archiepiſcopus, qui culpa ſua ab illa ſede propulſus fuit exilio relegatus. Sedit autem nouem annis, & duobus mẽſibus in cathedra Toletana, & expleto decimo octouo anno Recenſuindi Principis decimo Kalendas Februarij vitã finiuit Toleti, & in eccleſia Beatę Leoccadiæ ad pedes Beati Eugenij prædeceſſoris, ac auunculi ſui cũ magna reuerentia eſt ſepult⁹. Obijt autẽ Recenſuindus morte propria Toleti relicto filio Theudofredo, quẽ Vitiza poſtea excęcauit. Et depingitᷓ in veſte pacifica quia pacẽ habuit. Depingũtur etiã in margine ſanctus Illefonſus, quia illo tẽpore claruit, & Theudofredus filius Recinſuindi, qui excęcatus fuit, & duo filij Theudofredi Coſta, & Rodericus nepotes Recenſuindi, vt genealogia clarius cognoſcatur, de quibus ſuis locis congruentibus dicetur. Concurrentia. Concurrerunt cum Recenſuindo, & prope tempora eius in ſede Apoſtolica Donus natione Romanus annis tribus, in ſolio vero Imperij Romani imperabat idem Conſtantinus quartus. Anno nono regni Recenſuindi obijt Clodoneus Rex Francorum, & ſucceſſit ei Theodoricus filius eius, qui regnauit annis decem & nouem. Iſte fuit vndecimus Rex Francorum.

Caput. XXXIX.

VIr nobilis Bamba de Gothorũ genere procreatus, ſtrenuus, pacificus, mãſuetus, qui ante regni faſtigium multorũ celebrationibus celebris habebatur. Defuncto Recenſuindo ad regni ſoliũ vnanimiter ſubleuatur anno Domini. DC. LXXVI. regni Hiſpanię ducẽteſimo octogeſimo quar

to, & regnauit annis nouē, menſe vno. In principio regni eius Paulus Graecus vnus de magnatibus eius contra eum rebellauit. Contra quem Bamba cum magno exercitu apud Nemauſum obſedit, & per vim obtinuit ciuitatē, atq; muros eius deſtruxit, & captum Paulum vinculis ad Toletum reduxit, vbi triūphaliter Bamba eſt receptus præcedentibus Paulo, & cōplicibus ſuis decaluatis capitibus, & barbis raſis, pedibuſq; nudatis. Ibant autē induti ſaccis, & camelis impoſiti, Paulus vero corona picta coronatus, vbi carceribus mancipati manſerunt. Rex vero ciuitatē miris operibus inſigniuit. Quarto autē regni ſui anno conſiliū Toleti celebrauit ſub Quirico Primate, cuius tēpore ducentę & ſeptuaginta naues Arabū ad littus Hiſpaniæ peruenerūt, ſed miſſo per Regem exercitu cōcremantur. Ac cum humana proſperitas aduerſantibus carere non ſoleat, & extrema gaudij luctus occupet, Rex Bamba, qui cum inſigni triumpho coronatus extiterat, poſtremo per Eringidium conſobrinū Cindaſuindi Regis veneno potui mixto inficitur, qua potione memoria Regis turbatur, quod Quiricus Pontifex Toletanus, & optimates palatij cernentes, & cauſam penitus ignorantes, ne Rex Catholicus ſacramētis fidei fraudaretur, ſtatim confeſſionis, & pœnitentię antidotum obtulerunt, quod religioſus Rex deuote ſuſcipiens religionis habitū poſtulauit, & ad monaſterium conuolans, quod in villa, quæ Pampliga dicitur, in diſtrictu Burgenſi in quadā eccleſia extra muros ſubdita monaſterio Sancti Petri de Arlanca tunc ſitum erat, finiuit vitam. Vixit autem in regno annis nouem, & in monaſterio annis ſeptem. Depingitur Bamba armatus, ſed coopertus cucula monachali, quia glorioſe bellum contra Paulum & fautores regnans geſſit, ſed in fine monachus effectus ab hac luce ſubtractus eſt. Concurrentia. Concurrerūt cum Bamba, & prope tempora eius in ſede Apoſtolica Agato natione Siculus annis duobus, & Leo ſecundus natione Syrus menſibus decem. In ſolio vero Imperij Romani imperabat idem Conſtantinus quartus.

Caput. XLI

HErmigius eo quod eſſet Recenſuindi ſobrinus ſucceſſit in regno tyrannice, & non de iure, reliquerat enim Recenſuindus filium paruulum Theodoſirdū, cui ſucceſſio regni debebatur. Cœpit autem regnare Hermigius anno Domini. DC.LXXXV. Regni Hiſpaniæ. CC. XC. III. & regnauit annis ſeptem. Anno.dc.lxxxv. Hic Ciſilonem filiam ſuam magno viro Egicę, Bambę Principis conſobrino dedit vxorē, propter Recenſuindi filiū Theufredū, ne regni eius primordia impediret. Huius tēpore fames valida Hiſpaniam pro parte depopulauit. Hoc tempore tria conſilia in Toletana vrbe ſunt celebrata ſub Iuliano primate. Hic Iulianus Archiepiſcop⁹ dictus Pomerius ex genere Iudęorum, vt flores roſarum inter vepres ſpinarū productus omnibus mundi partibus in doctrina Chriſti manet pręclarus. Non enim perfidia maiorum ſuorum, qui fidem catholicam pertinaciter recipere noluerunt, ſed fidelis Habrahæ, qui credidit Deo, & reputatum eſt illi ad iuſticiam, veſtigia ſecutus, rebellium, & incredulorum Iudæorum pertinatiam abhorrens, vt verus Iſraëlita, in quo dolus non eſt, Chriſtianæ veritatis cultor, & prædicator fuit, & inter multos claros Pontifices, qui Toleti fuerunt, vnus hic de clarioribus fulſit. Depingitur Hermigius in veſte pacifica, quia bella non legitur geſſiſſe, ſed plura concilia celebrari feciſſe. Depingitur quoque in margine Iulianus Pomerius Archipontifex, quia famoſus vita, & ſcientia fuit. Non tamen ponitur ei Aureola,

quia non legimus eum in cathalogo ſanctorum collocatum, licet ſanctus communiter reputatur. Concurrentia. Concurrunt cum Hermigio, & prope tempora eius in ſede Apoſtolica Benedictus ſecundus natione Romanus menſibus decem, in ſolio vero Imperij Romani Iuſtinianus ſecundus imperauit annis decem.

Caput. XLI.

EGICA gener, & ſucceſſor Hermigij poſt mortem eius ad regni Gothorum aſſumitur principatum anno Domini ſexcenteſimo nonageſimo ſecundo, regni Hiſpaniæ treceenteſimo, regnauit annis decem, & cum filio annis tribus, ſed iſti tres anni patri non filio computantur, & ita in vniuerſo regnauit annis tredecim, & confeſtim vt habuit regnum filiam Hermigij, quam in vxorem acceperat, ob crimen Hermigij patris ſui, quod in veneratione Bambæ Regis commiſerat, a ſe abiecit. cõmuni morte dicitur obijſſe. Depingitũ Egica in pacifica veſte, quia bella non geſſit. Concurrentia. Concurrerunt cum Egica & prope tempora eius in ſede Apoſtolica Sergius primus natione Syrus annis tredecim, & Leo tertius annis duobus, in ſolio vero Imperij Romani Leo ſecundus annis tribus, & Tiberius tertius annis ſeptẽ. Anno ſexto Egicæ obijt Theodoricus Rex Francorũ, & ſucceſſit Chibericus ſecundus filius eius, qui regnauit annis duodecim, iſte fuit duodecimus Rex Francorum.

Caput. XLII.

VITIZA filius Egicę poſt patris mortem ſucceſſit in regno anno Domini ſeptingenteſimo ſecundo, regni Hiſpanię trecenteſimo decimo, & regnauit annis nouem, Iſte luxurioſe vixit, & alijs luxuriandi cauſam dedit. In initio regni ſui Theudofredum filium Recinſuindi Regis apud Cordubam exilio relegauit, & oculos eius effodit. Qui Theodoſredus Rex ex vxore ſua nomine Retilene de Regũ genere procreata genuit Coſtam, & Rodericum. Hic Vitiza voluit occidere Pelagium, cuius patrem apud Tudam fuſte peremerat, ſed ad Cantabriam fugiens euaſit furiam perſequentis, quia volebat dominus liberationis aſylum in Hiſpanijs conſeruare. Vitiza autem ſacrorum canonum inimicus Opæ fratri ſuo Archiepiſcopo Hiſpalenſi tradidit eccleſiam Toletanam eiuſdem vrbis viuente Pontifice Sinderedo, vt ſicut ipſe carnali, ita & frater ſpirituali adulterio fœdaretur, & vt iniquitatem iniquitati adijceret violatis priuilegijs eccleſiarum reuocauit Iudæos, & maioris immunitatis priuilegijs quæ eccleſijs ✠ , ſed quia iuſto iudicio Dei agitur, vt actores ſcelerũ pœnas ſubeant vltionis, de manu Domini ſupplicia ſuſcepit, qui pro ſimplicibus ſatisfacere voluit. Igitur Rodericus filius Theudofredi, quem Vitiza, vt patrẽ, priuare oculis viſus fuit, fauore Romani ſenatus, qui eum ob Recinſuindi gratiam diligebat, contra Vitizam decreuit publice rebellare qui viribus præminens cepit eum. Et quod patri ſuo fecerat, fecit ei, & regno expulſo ſibi regnum electione Gothorum, & ſenatus auxilio vindicauit. Vitiza itaque plenus abominationibus, vacuus regno, orbus oculis propria morte Cordubæ, quo Theodofredum relegauerat exul, & Rex vitam finiuit. Cumque duos filios reliquiſſet Siſibertum, & Ebam nullus ſucceſſit in regno, eo quod eſſent propter patris inſolentias omnibus odioſi. Depingitur Vitiza abſque oculis, & cum compedibus ferreis, quia cæcus, & incarceratus vitam exiuit. Concurrentia. Concurrerunt cum Vitiza, & prope tempora eius in ſede Apoſtolica Ioannes ſextus natione Græcus anno vno, & Ioannes ſeptimus ſimili-

ter natione Græcus annis tribus, in ſolio vero imperij Romàni Iuſtinus ſecudus, qui
primo imperauerat, & expulſus fuerat, recuperauit imperium annis ſex.

Caput. XLIII.

COSTA Theodofredi filius regnum Gothorum aſſumpſit, an-
no Domini ſeptingenteſimo vndecimo, regni Hiſpaniæ treceneſi- Anno.
mo decimo nono, & dicitur regnaſſe quinq; annis, & ſeptem men dcc.xi.
ſibus, quod tamen temporum computatio non recepit, quia ſecun-
cundum tempora, quibus alij Reges regnarunt, tot anni ei attribui
non poſſunt, ſed licet quanto tempore regnauit certitudinaliter ne-
ſciatur, hoc tamen teſtantur hiſtoriæ vulgari ſermone conſcriptæ, quod Vitiza ex
abundãtia maliciæ ſuæ noluit eum excæcare, ſicut Theodofredum patrem ſuum ex-
cæcauerat. Sed Coſta viriliter exiſtens fretus auxilio Senatus, & populi Romani,
qui intuitu amicitiæ, quam cum Recinſuindo Rege auo ſuo habuerant, fauorẽ ei pre
ſtiterunt, & auxilium, rebellauit patenter contra Vitizam, & indixit ei bellum, & ve-
nerunt ad prælium campeſtre, in quo Vitiza fuit victus, & captus, cui Coſta præce
pit effodi oculos, ſicut ipſe fecerat Theodofredo patri ſuo, & ſic vita, & regno priua
tum, ac cæcum miſit Cordubam in exilium, vbi infœliciter vitam finiuit. Sæpe nãq;
iuſticiæ diuinæ ineffabilis ſtatera in hoc ſæculo male meritos digne punit, vt prauita-
tis ſuæ exuberantia petente exuberantes pœnas recipiant, & in hac vita temporalibus
ſupplicijs afflicti ad æterna ſupplicia in futuro ſęculo tranſeant puniendi. Mereban
tur enim Vitizæ exſecranda flagicia, vt hic, & ibi acriter puniretur. Hic Coſta reli
ctis duobus filijs paruulis morte propria obijt. De regno huius hiſtoricus Roderi-
cus mentionem non facit, ſed poſt Vitizam immediate inſeruit Rodericum, poſui
tamen illum, vt vtriq; hiſtorię ſatisfacerem. Depingitur Coſta in veſte pacifica, quia
in pace obijſſe dicitur.

Caput. XLIIII.

ROdericus vltimus Rex Gothorum, qui etiam viuente Vitiza corre
gnare cœperat, hortante, & adiuuante Senatu Rex Gotorum effici-
tur, cœpit autem regnare anno ſecũdo regni Vitizæ, qui fuit annus
Domini ſeptingenteſimus nonus. Et regnauit annis duobus cũ Viti Anno.
za, & vno ꝑ ſe, ideo dicẽdus eſt cœpiſſe regnare anno Domini ſeptin dcc.ix.
genteſimo vndecimo, regni Hiſpaniæ tricenteſimo decimo nono, & Anno.
regnaſſe per vnum annum, vt alij duo anni Vitizæ computententur, quod vtiq; in- dcc.xi.
telligendum eſt ſecundum illos, qui nullam mentionem faciunt de Coſta Rege, Nam
iuxta opinionem illorum, qui dicũt Coſtam regnaſſe immediate poſt Vitizam, hoc
non obtineret, quia quinq; anni addi deberent. Sed nos licet interſerimus Coſtam, vt
ſatisfaceremus vni opinioni, proſequamur tamen ſecundum aliam, quam hiſtoriator
Pontifex Rodericus ſequitur, vt iuxta Rodericum Hiſtoriatorem Roderici Regis ge
geſta narrentur. Erat autem Rodericus durus in bellis, & ad negotia expeditus, ſed
in moribus diſſimilis Vitizæ. Nam & circa initium regni ſui Vitizæ filios Diſiber-
tum, & Ebam obprobrijs, & iniurijs laceſſitos a patria propulſauit, qui relicta patria
ad Ricilianı Comitem Tingitanię ob patris amiciciam transfretarunt. Hic Rodericus
filiam Iuliani Comitis, quæ in regali curia morabatur, violẽter oppreſſit, Iuliano per
eum legationis cauſa in Aphricam miſſo, quo redeunte, ſtuprum filiæ intenſiſſime

doluit,& nauigio ſeptam veniens ibi vxorem cum rebus domeſticis collocauit. Et ha bita coniuratione ſecreta cum Arabibus in Hiſpaniã eſt reuerſus,& ęgrotantis matris diſſidium ſimulans a Rege filiam impetrauit iuſſione matris ſolatio deſtinãdam, quam receptam reſtituit matri ſuæ, & extunc in Antea cœpit ad deſtructionem Hiſpaniæ totis viribus properare,& ſe Arabibus,qui Machometiſtæ erant, copulare. Et quia Arabes timebant in Hiſpaniam tranſire, voluerunt primo paulatim experiri. Et quidam Princeps nomine Muza præſes Aphricæ conſtitutus ab Vlic Miramabolino miſit cum Comite Iuliano quendam Principem nomine Tarif cum aliquibus militibus, & peditibus Aphricanis, qui tranſeuntes ſtrictum maris venerunt Tariſam, & poſt hæc fecerunt inſultum ſuum in Algeziram, & alia loca maritima, & multis hominibus occiſis,magnaque præda habita redierunt in Aphricam, & cum eis Iulianus Comes,qui referentes hoc Muzæ magnam confidentiam tribuerunt iterum in Hiſpaniam audacius trãſeundi. Muza vero vocatus ab Vlic Miramabolino iuit in Aphricam relicto in patria principatu Tarif, cui iniunxit, vt Iuliano Comiti auxilia largiretur, qui ei dedit duodecim millia bellatorũ, quos Iulianus ſeparatim in Hiſpaniam duxit in nauibus mercatorũ, ne cauſa tranſitus perciperetur, qui omnes conuenerũt in monte,qui Atarif Gebel dicit̃,Gebel enim Arabice,idẽ eſt quod mons, hodie autem corrupto vocabulo dicitur Gibraltar, quod cum ad Roderici Regis notitiam perueniſſet, miſit contra eos nepotem ſuum nomine Sancium, qui cum eis ſæpius dimicans,ſępius fuit victus,& vltimo interfectus. Vnde & Arabes ſumptis animis audaciam ſumpſerunt iuliano Comite eos per Bęticam, quę hodie dicitur Andaluzia, & Luſitaniam, quam vocamus Strematuram deducente, cœperunt diruptiones,& excidia exercere. Rex autem Rodericus audita ſtrage ſuorum, & prouinciæ vaſtatione Gothis omnibus congregatis ad aduentũ Arabũ ſe obiecit, & ad occurſum ſtrenue properauit. Cumq; veniſſent ad flumen, quod Guadaleth vocatur, prope Aſidonam,quę nunc Xericium dicitur, ex alia parte ſedit exercitus Aphricanus. Rex autem Rodericus cum corona aurea, & veſtibus deauratis a duobus mulis in lecto eburneo ferebatur, vt Gothorũ Regum dignitas exigebat,& per octo dies continuos a Dominica in Dominicam dimicarunt, ita quod de Tarif exercitu fere decem & ſex millia ceciderunt. Sed iuliano Comite, & Gothis, qui ſecum aderant, dure inſtantibus franguntur acies Chriſtianorum, qui longa pace, & abundantia deſides, imbelles,& ignaui certaminis ſunt inuẽti,& obicibus terga dantes die Dominica anno Domini ſeptingenteſimo quarto decimo: a Machometi vero errore principis anno nonageſimo ſecundo, Rex Rodericus,& Chriſtianus exercitus deuincuntur, & fuga indocili perierunt. Duo autem filij Vitizæ,qui cum Iuliano Comite conſpirauerunt, Regi Roderico in hoc prælio aſtiterunt, & alter a dextris, & alter a ſiniſtris,collaterales acies gubernabant, & dicuntur in præcedenti nocte cum Tarif conſilium habuiſſe, vt ipſis a bello ceſſantibus Gothorũ exercitus de facili vinceretur. Et Rex Rodericus cum eſſet magnanimus,antequã fugeret,permitteret ſe occidi, vt eo mortuo poſſet eis regnũ peruenire. Non enim credebant quod poſſent, vel vellent Arabes patriã retinere. Vnde in conflictu animis depoſitis quantocius effugerũt, & hoc ipſum Tarif promiſerat,quod reſtitueret eis omnia,quę fuerãt patris ſui, quod poſtea non impleuit. Alij tamen putant hos fuiſſe filios Coſtæ fratris Roderici, qui prætendebant ad ſe regnũ pertinere,ſed ſiue ſiue Vitizę,Coſtę fuiſſent,conſtat eos infideliter ſe habuiſſe, prælio itaque infœliciter acto,quid Regi Roderico aduęnerit,ex certo neſcitur, niſi

quod corona, veſtes, & inſignia, & calciamēta auro, & lapidibus adornata, & equus, qui Orelia dicebatur in loco tremulo iuxta flumen ſine corpore ſunt inuēta, quid autem de corpore fuerit factum, penitus ignoratur, niſi quod poſt multa tempora apud Viſeum ciuitatem Portugalliæ inſcriptus tumulus fuit inuentus. Hic iacet Rodericus vltimus Rex Gothorum. Depingitur autē Rodericus ſub luctuoſa veſte, vt qui ſuperbe cum pompoſis inſignijs ad prælium proceſſit, infœliciter victus ſub nigra veſte miſerabiliter depingitur. Habuit enim magnam lamentandi cauſam, & cum eius tempore Hiſpani regni monarchia humiliata eſt, Gothorum nomen apud Hiſpanos prorſus ceſſauit. Nam licet Hiſpaniæ Reges a Rege illo deſcenderant, titulum tamen Gothicum dimiſerunt, alijs regijs titulis ſunt inſigniti. Depingūtur etiam in margine iuxta eum ſceleratiſſimi proditores. Iulianus Comes, & Opa Archiepiſcopus, decet enim, vt ſicut proborum virorum depinguntur imagines, vt ad memoriam noſtram veniant laudandi, ſic & ſceleratorum, vt veniant execrandi, ſicut & Iudas in cena Domini ſolet depingi, Tarif quoq; infidelis Machometiſta depingitur, qui cum eis venit in exercitum Hiſpanorum, vt a memoria noſtra non cadat ab iſtis Machometiſtis terras noſtras occupatas fuiſſe, vt cū eos debellamus, non exiſtimemus, quod a terris ſuis illos expellimus, ſed quod noſtras, quas violēter occuparunt, recuperamus. Concurrentia. Concurrerunt cum Roderico, & prope tempora eius in ſede Apoſtolica Siſiuus natione Romanus diebus viginti, & Conſtantinus natione Syrus annis ſeptem, cū iſto Conſtantino fuerunt in ſede Apoſtolica nonaginta & duo Pontifices, in ſolio vero imperij Romani Philipus ſecundus imperauit anno vno, menſibus ſex.

Caput. XLV.

Pelagius poſt cladem cepit rebellare Agarenis, & principatū Hiſpaniæ inter Chriſtianos obtinere, ſed quia hoc paulatim effectum eſt, clare non apparet in chronicis, quo tempore regni titulum aſſumpſit, licet aliqui poſt bienniuma clade in Regem aſſumptum dicant. Ne tamen interruptionem ponamus, congruēter dici poteſt, quod ex eo die, quo Rodericus infœliciter regnum amiſit, Pelagium nutu diuino in regno fœliciter ſubrogatum putemus, & illi illud biennium, licet in illo forſam regnum vacaſſet, attribuamus. Sic ergo regni eius tempora computando regnare illum cœpiſſe exiſtimandum eſt, anno Domini ſeptingenteſimo duodecimo, regni Hiſpaniæ trecenteſimo viceſimo, & regnauit annis viginti. Hic de regio Gothorum genere deſcendens plurimas Agarenorum ciuitates cepit, & multa prælia cōtra Agarenos deuicit. De cætero autē alij Reges nuncupati non fuerunt Reges Gothorum, ſed Reges Legionis, vel Aſturiarū. Hic Pelagius genuit duos filios, ſcilicet Faſilam, qui poſt mortem eius regnauit, & Ormiſeldam Reginam vxorem Alphonſi Regis catholici. Et quia in iſto cœpit regnum Hiſpaniæ reparari, ideo ab eo incipit tertia computatio annorum, videlicet a reparatione regni. Obijt autē Pelagius morte communi, & depingitur armatus in manu enſem nudum habens, quia multa prælia, & vrbium obſidiones glorioſe peregit. Habet in ſcuto leonem depictū rubeum in campo albo, quæ ſunt arma Regum Legionis, quia ab eius tempore ceſſauit in Hiſpania intitulatio Gothorum, & arma eorum, & ſucceſſit intitulatio a regno Legionis, quod forte fuit, quia prima ciuitas, quam ab Arabibus occupauit, fuit Legio, & extunc in Antea Regia ciuitas reputata eſt, continuantur autē hæc arma in Regibus Legionis,

Anno. dccxij.

qui ſeparatim in Legione regnauerunt. Coniunguntur vero per catela ſcuti cum ar-
mis Caſtellæ, quando regna mutata fuerut. Depingitur etiam in margine Regina
vxor eius. Concurrentia. Concurrerunt cum Pelagio, & prope tempora eius in
ſede Apoſtolica Gregorius ſecundus natione Syrus, annis decem & ſex, in ſolio ve-
ro imperij Romani Anaſtaſius ſecũdus imperauit annis tribus. Hic Philippum Im-
peratorem captũ oculis priuauit. Iſte in omnibus malus fuit. Huius exercitus Theo
doſium elegit Imperatorem, qui Anaſtaſio deuicto ordinauit ipſum in presbyterum.

Poſt quem Theodoſius imperauit anno vno. Secundo vero anno huius regni Pe
lagij obijt Childibertus Rex Francorũ, & ſucceſſit ei Degibertus ſecũdus filius eius,
qui regnauit annis quinq;. Iſte fuit tertius decimus Rex Francorum. Poſt quem
ſucceſſit Theodoricus filius eius, qui regnauit annis quindecim, & iſte fuit quartus
decimus Rex Francorum.

Caput. XLVI.

FAfila Pelagij filius cœpit regnare anno Domini ſeptingẽteſimo tri-
Anno. dcc.xxxij. ceſimo ſecundo, regni Hiſpanię trecenteſimo triceſimo primo, & ab
eius reparatione viceſimo, & regnauit annis duobus. Hic a quodam
vrſo, cum venationi inſiſteret, miſerabiliter eſt interfectus. Ideo de-
pingitur cum vrſo pugnans, quia vrſi dentibus, & brachijs depreſ-
ſus obijt. Concurrentia. Concurrerunt cum Fafila, & prope tem
pora eius in ſede Apoſtolica Gregorius tertius natione Romanus annis decem. In ſo
lio vero imperij Romani Leo tertius imperauit annis viginti quinq;. Huius tempo
re Sarraceni Conſtantinopolim venerunt, & tribus annis ciuitatem obſidentes abceſ-
ſerunt, & inde multa bona abſtulerunt.

Caput. XLVII.

ALphonſus huius nominis primus cognominatus Catholicus gener
Anno. dccxxxiiij. Pelagij poſt mortem Fafilę cœpit regnare anno Domini ſeptingen
teſimo triceſimo quarto, regni Hiſpaniæ trecenteſimo triceſimo ter
tio, & ab eius reparatione anno viceſimo ſecundo, & regnauit decem
& nouem annis. Hic vir catholicus, & bellator, & magnanimus eſt
inuentus. Ex vxore ſua Ormiſelda Pelagij genuit hos filios, Froilã,
& Aurelium, qui regnauerunt poſt eum gradatim, vt ſequitur, & Egimadam, quæ
fuit vxor Silonis, qui propter eam regnauit. Et Ilmaraum patrem Veremundi Re-
gis in arbore ſuo deſcripti. Et Mauracatum ex concubina, qui etiam regnauit, ſicq;
habuit duos filios legitimos, & vnum baſtardum, & vnum generum, & duos nepo-
tes Veremundum, & Alphonſum Caſtum vnum poſt alium in gradibus ſuis. De-
pingitur autem Alphonſus armatus enſem nudum manu tenens, quia multa bella fœ
liciter peregit. Obijt autem Alphonſus morte communi. Depingitur autem in mar
gine Ormiſelda vxor eius, & Aurelius, qui regnauit poſt Froilam primogenitum,
& Ilmaraus, qui non fuit Rex, ſed fuit pater Veremundi Regis. Et Egimada vxor
Silonis, qui propter eam regnum habuit, & Veremundus, & Mauracatus, qui regna
uerunt, & infra in rectitudine arboris integre ſunt depicti. Concurrentia. Concur
rerunt cum Alphonſo, & prope tempora eius in ſede Apoſtolica Zacharias natione
Græcus annis decem. In ſolio vero imperij Romani Conſtantinus quintus impe-
rauit annis quindecim. Anno octauo regni Alphonſi obijt Theodoricus Rex Fran
corum, & ſucceſſit ei Childericus frater eius, qui regnauit annis nouem.

Caput. XLVIII.

FRoila huius nominis primus poſt mortem patris cœpit regnare an
no Domini ſeptingenteſimo quinquageſimo tertio, regni Hiſpaniæ Anno. dcc.liij.
trecēteſimo quinquageſimo ſecūdo, & ab eius reparatione anno qua-
drageſimo primo, & regnauit annis tredecim. Iſte populauit Oue-
tum, & conſtruxit eccleſiā cathedralem. Hoc tempore Homa Dux
Cordubæ fines Galleciæ infeſtabat, & occurrens ei Rex Froila præ
lium contra Agarenos habuit, & deuicit. In quo prælio quinquaginta quatuor mil
lia Arabum ceciderunt. Poſtea vero apud Tangas oppidum Aſturiarum a fratre
ſuo Aurelio fuit interfectus, relinquens filium paruulum Alphonſum, qui fuit cogno
minatus Caſtus. Depingitur Froila cum enſe in manu, quia Agarenos deuicit, &
pugione in pectore, quia ab Aurelio fratre ſuo occiſus eſt. Depingitur & in mar-
gine Regina vxor eius, & Alphonſus Caſtus filius eius, qui poſtea loco ſuo integre
depictus eſt. Concurrentia. Concurrerunt cum Froila, & prope tempora eius in ſe-
de Apoſtolica Stephanus ſecundus natione Romanus annis ſex. In ſolio vero impe
rij Romani Conſtantinus ſextus cum filio ſuo Leone imperauit annis quindecim,
anno ſecundo huius regni Froilæ Childericus Rex Francorum depulſus eſt a regno
Franciæ per Pepinum filiū Caroli Marcelli, qui in Regem Francorū eſt aſſumptus
autoritate Zachariæ Papæ, vt habetur libro Decretorū, & regnauit annis quindecim.

Caput. XLIX.

AVrelius Alphonſi catholici filius poſt interitum fratris cœpit re-
gnare, anno Domini ſeptingenteſimo ſexageſimo ſexto, regni Hi- Anno. dcc.lxvi.
ſpaniæ trecēteſimo ſexageſimo quinto, & ab eius reparatione quin
quageſimo quarto, & regnauit annis ſex, & morte propria vitam fi
niuit. Depingitur Aurelius verſa facie, quia fratrem ſuum iniuſte
occidit. Et quaſi ex verecundia de tanto flagitio faciem non mon-
ſtrans, vt alter Caym verecundans ob Abel occiſum. Concurren
tia. Concurrerunt cum Aurelio, & prope tempora eius in ſede Apoſtolica Paulus
natione Romanus annis decem. In ſolio vero imperij Romani Leo quartus impe
rauit annis ſex.

Caput. L.

SIlo gener Catholici Regis Alphonſi poſt mortem Aurelij ex iure
Hediſſimadę vxoris ſuæ Regis Alphonſi filiæ cœpit regnare anno
Domini ſeptingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, regni Hiſpanię tre- Anno. d. cclxxij.
centeſimo ſeptuageſimo primo. Et ab eius reparatione ſexageſimo.
Et regnauit annis octo, cum Arabibus pacem firmauit. Et Galle-
ciam rebellantem in monte Ciperio ſuperauit, & ſuo imperio ſubiu-
gauit. Obijt autem Silo morte communi, & depingitur in veſte pacifica, & enſe in
manu prope montes, quia ſuos rebellantes in montibus ſubiecit, licet cum hoſtibus
bellum non habuerit. Depingitur etiam in margine Regina vxor eius, quia propter
eam habuit regnum. Concurrentia. Concurrerunt cum Silone, & prope tempora
eius in ſede Apoſtolica Conſtantinus ſecundus natione Romanus anno vno, & Ste-
phanus tertius natione Syrus annis quatuor. In ſolio vero imperij Romani Con-
ſtantinus imperauit annis decem.

Caput. LI.

Anno. dcc. lxxx. MAuracatus commemorati Alphonſi Catholici ex cõcubina filius Silone defuncto per tyrannidem Rex efficitur. Anno Domini ſeptingenteſimo octogeſimo, regni Hiſpaniæ trecenteſimo ſeptuageſimo octauo, & regnauit annis tribus. Hic Mauracatus, vt fauorẽ Arabum acquireret, contra Dei legem multa commiſit. Puellas namq; virgines tam nobiles, quam plebeias ſub certo numero quolibet anno Arabibus dabat. Iniquus, & malus in omnibus eſt inuentus. Obijt morte communi. Depingitur Mauracatus in veſte longa, & coopertus clamyde iuxta morem Arabum, quia cum Arabibus turpem amicitiam fecit. Concurrentia. Concurrerunt cum Mauracato, & prope tempora eius in ſede Apoſtolica Adrianus primus annis quatuordecim. In ſolio vero imperij Romani Nicephorus imperauit annis nouem.

Caput. LII.

Anno. dcc. lxxxiij. VEremundus huius nominis primus filius Bilmarai, filij Alphonſi cognomento Catholici, Mauracato mortuo in Regem eligit. Anno Domini. DCC. LXXXIII. regni Hiſpaniæ trecenteſimo octogeſimo primo, & ab eius reparatione ſeptuageſimo primo, & regnauit annis duobus. Hic fuit magnanimus, & regnum ſponte dimiſit, recolens ſe olim ordinem diaconi ſuſcepiſſe, & conſobrinum ſuum Alphonſum, qui ad Nauarros confugerat, reuocauit, & in regno ſuſtituit ſucceſſorem, & cum eo alijs quatuor annis, & ſex menſibus dulciſſimam duxit vitam, & communi morte vitam finiuit, cũ vxore ſua Iurelione, quam a ſe propter conſcientiam ordinis ſeparauit, relictis ex ea duobus filijs paruulis Ranimiro, qui fuit Rex, & Garſia. Depingitur Veremundus in veſte longa, & pacifica, quia bella non geſſit.

Depingitur etiam in margine Regina vxor eius, & duo filij eorum Ranimirus, qui fuit Rex, & Garſias, qui cum Ranimiro fratre corregnauit. Concurrentia. Concurrerunt cum Veremũdo, & prope tempora eius in ſede Apoſtolica Leo tertius natione Romanus annis viginti tribus. In ſolio vero imperij Romani Michael imperauit annis duobus.

Caput. LIII.

Anno. dcc. lxxxv. ALphonſus ſecundus cognominatus Caſtus, filius Regis Froilæ cœpit regnare anno Domini ſeptingenteſimo octogeſimo quinto, regni Hiſpaniæ octogeſimo tertio, & ab eius reparatione ſeptuageſimo tertio, & regnauit annis quadraginta vno. Hic fuit optimus Rex, & ædificator eccleſiarum, & reædificauit eccleſiam Ouetenſem. Et quia deſiderabat in ea ponere aliquam precioſiſſimam crucem, Deus voluit, vt miraculoſe per Angelum crux inſignis fieret, quæ hodie ibi inter reliquias in magna veneratione habetur. Hic dicitur deuiciſſe Carolum magnum Regem Francorum, & Rolandum, & alios famoſiſſimos milites vocatos Pares in Nauarra apud Ronces valles, vbi Carolo ad Hiſpaniã venienti obuiam occurrebat. Hic Caſtus vocatus ſine liberis deceſſit. Depingiť hic Alphõſus ſenex in veſte longa, & honeſta angelis ſibi dantibus crucem, quã fabricauerant. Concurrentia. Concurrerunt cum Alphonſo, & prope tẽpora eius in ſede Apoſtolica Stephanus quartus natione Romanus ſedit menſib' ſeptẽ. Et Paſchaſius natioue Romanus annis ſeptem.

Et Eugenis

& Eugenius ſecundus natione Romanus annis tribus. In ſolio vero Imperij Romani Carolus Magnus Rex Francorum electus fuit in Imperatorem Romanorum anno vno, regni huius Alphonſi viceſimo tertio. Et ex tunc cœperunt dici ſimul Reges Francorum, & Imperatores, quod durauit aliquo tempore.

Caput. LIIII.

RAnimirus huius nominis primus filius Regis Veremundi cœpit regnare anno Domini octingenteſimo viceſimo tertio, regni Hiſpanię quadringēteſimo viceſimo quarto. Et ab eius reparatione centeſimo decimoquarto. Et regnauit annis ſex menſibus nouem. Hic cum Arabibus decertauit in illo celeberrimo prælio campeſtri, quod apud Calagurram habitum eſt, in quo ſanctus Iacobus apparuit, & deuicta immenſa copia Arabum vota emiſſa fuerunt de dando perpetuis temporibus ex quolibet iugere boum, ſeu iumentorum ſerentium certam menſuram grani eccleſiæ ſancti Iacobi, quæ hodie in multis huius regni prouincijs exoluitur. Ex illo autem prælio in antea conſueuerunt Hiſpani, cum prælijs campeſtribus pugnant, eleuatis dextris clamando inuocare ſanctum Iacobum. Obijt morte communi relicto Ordonio filio. Depingitur hic Ranimirus dormiens in caſtris armatus, eo quod ſic dormienti apparuit ei ſanctus Iacobus. Depingitur etiam in margine vxor eius, & Garſias frater, qui licet non fuit Rex, corregnauit tamen cum eo, & Ordonius filius eius, qui poſt eum regnauit, qui infra depingitur integre in rectitudine arboris. Concurrentia. Concurrerunt cum Ranimiro, & prope tempora eius in ſede Apoſtolica Valentinus natione Romanus diebus quadraginta. Et Gregorius quartus natione Romanus annis decem & ſex. In ſolio vero Imperij Romani Ludouicus Rex Francorum imperauit annis decem & octo.

Anno. de cc.xxij.

Caput. LV.

ORdonius huius nominis primus filius Ranimiri cœpit regnare anno Domini octingenteſimo viceſimo ſeptimo, regni Hiſpaniæ quadringenteſimo viceſimo. Et ab eius reparatione centeſimo viceſimo, & regnauit annis decem. Hic deuicit in prælio Muzam Regem Cordubæ, in quo prælio dicuntur occiſi duodecim millia militus Arabes, & alij plurimi pedites. Obijt autem Rex ægritudine podagrica relicto filio Alphonſo, qui fuit Rex, & alijs filijs, videlicet Veremundo, & Nunnio, & Ordonio, & Froila. Depingitur armatus ſub capa longa. Depinguntur etiam in margine Regina vxor eius, & præfati filij Veremundus, & Nunnius, Ordonius, & Froila. Concurrentia. Concurrerunt cum Ordonio, & prope tempora eius in ſede Apoſtolica Sergius natione Romanus annis tribus. In ſolio vero Imperij Romani Lotarius imperauit annis decem. Huius tempore Sarraceni funditus eccleſias beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli cum omnibus Romanorum finibus dilapidarunt.

Anno. de ccxxvij.

Caput. LVI.

ALphonſus huius nominis tertius cognominatus Magnus filius Regis Ordonij cœpit regnare anno Domini octingenteſimo triceſimo tertio, regni Hiſpanię quadringenteſimo, & ab eius reparatione centeſimo triceſimo, & regnauit annis quadraginta. Hic genuit duos filios, videlicet Garſiam, Ordonium, & Froilam, qui omnes fuerunt Reges, vnus poſt

Anno. de cc.xxxvij.

alium. Et vnum alium vocatum Gundiſaluum, qui fuit Archidiaconus Ouetenſis. Iſte erigi fecit eccleſiam Compoſtellanam in cathedralem, & poſtea fuit erecta in Metropolitanam. Huic rebellauit Bernardus de Carpio famoſus Varo. Obijt autem Alphonſus apud Zamoram morte communi. Depingitur ſub cultu armorum, quia bella glorioſe geſſit. Depingitur etiam in margine Ximena Regina vxor eius, & quatuor filij tres Reges, & vnus Archidiaconus. Concurrentia. Concurrerunt cum Alphonſo, & prope tempora eius in ſede Apoſtolica Leo quartus natione Romanus annis octo, poſt obitum Leonis Ioannes Anglicus natione Maguntinus ſedit annis duobus, & mortuus eſt, fertur per aliquos, quod erat fœmina. Et Benedictus tertius annis duobus. In ſolio vero Imperij Romani Ludouicus ſecundus imperauit annis viginti.

Caput. LVII.

Anno. dccc.lxxxiij. GArſias primogenitus Alphonſi cœpit regnare anno Domini octingenteſimo octogeſimo tertio, regni Hiſpaniæ quadringenteſimo octogeſimo ſexto, & ab eius reparatione centeſimo ſeptuageſimo ſexto, & regnauit annis tribus. Obijt apud Zamoram iuuenis abſq; liberis morte communi. Ideo depingitur iuuenis, & in veſte pacifica, quia non legitur bella geſſiſſe. Concurrentia Concurrerunt cum Garſia, & prope tempora eius in ſede Apoſtolica Adrianus ſecundus natione Romanus annis quinq;. In ſolio vero Imperij Romani Carolus ſecundus cognominatus Caluus Rex Francorum regnauit in Francia annis vndecim, & in Imperio anno vno menſibus nouem.

Caput. LVIII.

Anno. dccc.lxxxvij ORdonius ſecundus frater Garſię cœpit regnare anno Domini octingenteſimo octogeſimo ſeptimo, regni Hiſpaniæ quadringenteſimo nono, & ab eius reparatione centeſimo ſeptuageſimo nono, & regnauit annis octo menſibus ſex. Hic multa prælia contra Arabes vicit, ſemel tamen ab eis fuit deuictus, in prælio apud vallem Iunquerem, quo plurimi ex catholicis ceciderunt, & aliqui captiui fuere. Inter quos duo Epiſcopi Legionenſis, & Aſturienſis capti ſunt. Et pro Epiſcopo Legionenſi Pelagius nepos eius obſes datus apud Cordubam pro fide catholica martyrium ſuccepit. Hic Ordonius Comites Caſtellæ, qui Regi Legionis tunc obediebant, ad palatium regium venientes ſub ſecuritate eius occidi fecit. Quam ob rem Caſtellani Regibus Legionis ex tunc in antea rebellarunt, & ſibi duos iudices conſtituerunt, ex nobilibus, & prudentioribus regni, videlicet Nunium Raſuram auum celeberrimi, & bellicoſiſſimi Principis Fernandi Gundiſalui Comitis, & Laínũ Caluum proauũ proaui inſignis bellatoris Roderici de Biuar, q Cidus cognominatus eſt, quod in lingua Arabica Dominũ ſonat. Ex vtroq; autem horum iudicum Reges Caſtellę deſcendunt per aliqua latera, vt infra ſuo loco in duobus ramis arboris demoſtrabitur, quorum vnus ramus, in quo Fernandus Comes ad dexteram: alius, in quo Cidus ad ſiniſtram per reſpectum ad arborem depinguntur. Obijt autem Ordonius apud Zamoram abſq; liberis morte cõmuni. Depingitur armatus, quia plurima bella geſſit. Depinguntur etiam in latere Regina vxor eius, & Pelagius martyr, qui fuit tempore eius. Concurrentia. Concurrerunt cum Ordonio, & prope tempora eius in ſede Apoſtolica Ioannes octauus annis. In ſolio vero Imperij Romani

Carolus ſecundus Rex Francorum, qui tunc imperabat, obijt anno tertio eiuſdem
Ordonij, & ſucceſſit ei in Imperio Carolus tertius filius eius, qui imperauit annis
duodecim. Et in regno Franciæ Ludouicus ſecundus filius eiuſdem Imperatoris,
& Regis Caroli, & regnauit annis duobus. Iſte fuit decimuſnonus Rex Frocorum.
Anno quinto eiuſdem Regis Ordonij obijt Ludouicus Rex Francorum, & ſucceſ
ſit ei Carolus tertius frater eius, qui regnauit annis ſex. Iſte fuit viceſimus Rex Fran
corum.

Caput. LIX.

FRoila huius nominis ſecundus frater Ordonij, & filius Alphonſi ter
tij cœpit regnare anno Domini octingenteſimo nonageſimo quar- Anno. de ccc.xc.iiij.
to, regni vero Hiſpaniæ quadringenteſimo nonageſimo ſeptimo,
et ab eius reparatione centeſimo octogeſimo ſeptimo, & regnauit an-
no vno menſibus duobus. Hic genuit quatuor filios, Alphonſum
quartum, & Ranimirum ſecundū, qui ambo Reges fuerunt, & alios
duos Ordonium, & Froilam, qui non fuerunt Reges. Hic occidit abſq; culpa filios
Dimundi magnatis, & fratrem eius Freminum Epiſcopum relegauit, & ob hæc cri-
mina, vt creditur, lepra percuſſus vitam finiuit. Depingitur Froila in veſte pacifica,
quia bella non geſſit. Depingitur etiam in margine Regina vxor eius, & duo filij, qui
non fuerunt Reges, videlicet Ordonius, & Froila. Concurrentia. Concurrerunt
cum Froila, & prope tempora eius in ſede Apoſtolica Martinus ſecūdus anno vno.
In ſolio vero Imperij Romani Arulplus imperauit annis duodecim.

Caput. LX.

AAlphonſus huius nominis quartus filius Froilæ Regis cœpit regna
re anno Domini octingenteſimo nonageſimo quinto, regni vero Hi Anno. de ccc.xc.v.
ſpaniæ quadringētēſimo nonageſimo octauo, & regnauit annis quin
que menſibus ſeptem. Hic ex Ximena vxore genuit Ordonium vo
catum Malum, & monachus effectus regnum Ranimiro fratri dimi
ſit. Sed leuitate ductus penituit, & cum regnum recuperare vellet a
Ranimiro fratre ſuo iam Rege facto apud Legionem obſeſſus captus, & excæcatus
in vinculis vitam finiuit. Depingitur Alphōſus cęcus in veſte longa, quia bella non
geſſit, & cæcus mortuus eſt. Depingitur etiā in margine Regina vxor eius, & Ordo
nius filius eius cognomēto Malus, qui poſtea regnum aſſumpſit. Concurrētia. Con
currerunt cū Alphonſo, & prope tēpora eius in ſede Apoſtolica Stephanus quintus
annis ſex, & Fermoſus anno vno, & Bonifacius tertius quindecim, & Stephanus ſex-
tus anno vno. In ſolio vero Imperij Romani Ludouicus ſecundus imperauit annis
ſex. Anno ſecundo huius regni Alphonſi obijt Carolus Rex Francorū, & ſucceſſit ei
Ludouicus tertius, qui regnauit annis . Iſte fuit viceſimus primus Rex Franco-
rum.

Caput. LXI.

RAnimirus huius nominis ſecundus frater Alphonſi, & filius Froilę
cœpit regnare anno Domini nongenteſimo primo, regni Hiſpaniæ Anno. de ccc.i.
quingenteſimo tertio, & ab eius reparatione cēteſimo nonageſimo ter
tio, & regnauit annis decē & nouē duobus mēſibus. Hic genuit duos
filios, qui ambo Reges fuerunt Ordoniū, & Sanciū. Et multis bellis
proſpere actis obijt morte cōmuni. Depingitur enſem in manu ha-
bens, q̄a bella geſſit. Depingit̄ etiā in margine vxor eius, & Sancius cognomēto Groſ
ſus, qui poſtea fuit Rex. Cōcurrētia. Concurrerūt cū Ranimiro, & prope tēpora eius

in ſede Apoſtolicà Romanus diebus quindecim, & Theodorus natione Romanus diebus quindecim, & Ioannes nonus annis duobus, & Benedictus quartus annis tribus, & Leo quintus diebus quadraginta, & Chriſtoforus menſibus ſex. Hic de Papatu eiectus eſt, & factus eſt monachus. In ſolio vero Imperij Romani Verengarius primus imperauit annis quatuor, & Rorardus imperauit annis ſeptem, qui fuit Alemanus. Anno primo huius Regis Ranimiri obijt Ludouicus Rex Francorum, & ſucceſſit ei Carolus quartus cognominatus Simplex, qui regnauit annis vigintiquinque, qui fuit viceſimus ſecundus Rex Francorum.

Caput. LXII.

Anno. dc ccc.xx.

ORdonius huius nominis tertius filius Ranimiri cœpit regnare anno Domini nongenteſimo viceſimo, regni Hiſpaniæ quingenteſimo viceſimo ſecundo, & ab eius reparatione ducenteſimo duodecimo, & regnauit annis quinq;. Hic genuit Veremundum, qui fuit Rex. Obijt autē apud Zamoram morte communi. Depingitur in veſte pacifica, quia bella non geſſit. Depingitur etiā in margine Regina vxor eius, & Veremundus filius, qui poſtea fuit Rex. Concurrentia. Concurrerunt cum Ordonio, & prope tempora eius in ſede Apoſtolica Sergius natione Romanus annis ſeptem, & Anaſtaſius natione Romanus annis duobus. In ſolio vero Imperij Romani Verengarius ſecundus imperauit in Italia annis ſeptē. Anno ſecundo huius regni Ordonij obijt Carolus Rex Fracorum, & ſucceſſit ei Ludouicus quartus filius eius, qui regnauit annis decem & ſeptem, iſte fuit viceſimus tertius Rex Francorum.

Caput. LXIII.

ORdonius quartus cognominatus Malus, filius Alphonſi Regis excæcati vſurpare conatus eſt regnum. Habuit autem filiam Comitis Fernandi Gundiſalui in vxorem. Sed propter malitiam eius abſtulit eam ab eo. Comes ipſe vero fugatus a regno per Sancium Regē apud Cordubam occiſus eſt. Ideo depingitur cum gladio in pectore fixo. Nec computantur ei anni regnandi, nec concurrentia. Quia hæc omnia attribuuntur Sancio.

Caput. LXIIII.

Anno. dc ccc. xxvi.

SANCIVS huius nominis primus cognominatus Groſſus, filius Ranimiri, & frater Ordonij tertij cœpit regnare anno Domini nongenteſimo viceſimo ſexto. Regni vero Hiſpaniæ quingenteſimo viceſimo ſexto, & ab eius reparatione ducenteſimo decimoſexto, & regnauit annis duodecim. Contra hunc rebellauit Ordonius malus filius Alphonſi Regis excæcati, & ſe Regem vocauit. Sed fugatus a regno prope Cordubam, vt præmiſimus, occiſus eſt. Huius Sancij tempore Fernandus Gundiſalui Comes bellum contra Arabes continue gerens multa prælia glorioſe geſſit cum hoc Rege Sancio, vt fertur, idem Fernandus illum contractum, qui vulgariter narratur ſuper equo, & accipitre, iniuit, cuius occaſione Caſtella a ſubiectione Regum Legionis ex toto liberata eſt. Obijt autem Sancius (vt aiunt) ex veneno in pomo ſumpto, relicto Ranimiro filio, qui fuit Rex. Depingitur Sancius in veſte pacifica, & groſſus corpore, quia magna pinguedine occupatus erat. Depingitur etiam in margine Regina vxor eius, & Ranimirus filius, qui etiam fuit Rex. Concurrentia. Concurrerunt cum Sancio, & prope tempora eius in ſede Apoſtolica Anaſtaſius Pertius natione Romanus

annis duobus, & Laudo natione Romanus menſibus ſex, & Ioannes decimus ſedit annis tredecim. In ſolio vero Imperij Romani Enricus primus imperauit annis decem & octo.

Caput. LXV.

RAnimirus huius nominis tertius filius Sancij cœpit regnare anno Domini nongenteſimo triceſimo ſeptimo, regni Hiſpaniæ quingenteſimo triceſimo nono. Et ab eius reparatione ducenteſimo viceſimo nono, & regnauit annis vigintiquinque, obijt abſque liberis apud Legionem morte communi. Huius Ranimiri tempore, illi famoſi nobilis vocati Infantes de Salas filij nobilis viri Gundiſalui Guſtios ab Arabibus occiſi ſunt dolo, & coniuratione Enrici de Lara auunculi ſui. Depingitur Ranimirus in veſte pacifica, quia bella non geſſit. Concurrentia. Concurrerunt cum Ranimiro, & prope tempora eius in ſede Apoſtolica Leo ſextus natione Romanus menſibus ſex, & Stephanus natione Romanus menſe vno, & Ioannes vndecimus natione Italicus menſibus decem, & Stephanus octauus menſibus quatuor. In ſolio vero Imperij Romani Hugo, imperauit annis ſex, & Verengarius tertius imperauit annis ſeptem. His temporibus maximum ſchiſma fuit in Italia. Anno decimonono huius regni Ranimiri obijt Ludouicus, & ſucceſſit ei Lotarius primus, qui regnauit annis triginta tribus, iſte fuit viceſimuſquartus Rex Francorum.

Añ. dcccc xxxvij.

Caput. LXVI.

VEremundus huius nominis ſecundus filius Regis Ordonij tertij mortuo Sancio patruo ſuo, & Ranimiro conſobrino, regnum, quod ad eum reuolutum erat, ſuſcepit anno Domini nongenteſimo ſexageſimo ſecundo, regni Hiſpaniæ quingenteſimo quadrageſimo quarto, & ab eius reparatione ducenteſimo triceſimo quarto & regnauit annis decem & ſeptem. Hic duxit duas vxores, ex quarum prima genuit Alphonſum, qui poſt eum regnauit. Huius tempore Almanſor Dux Arabum multa mala Chriſtianis intulit, & vſque ad Compoſtellã fertur acceſſiſſe. Sed hic Veremundus Rex, & Garſias Fernandi Comes Caſtellæ ſimul contra eum procedentes apud Calatañazor in famoſiſſimo prælio illum deuicerunt. Qui ex huius victoriæ dolore, cum vincere aſſuetus eſſet, intra paucos dies dicitur deceſſiſſe. Hic Veremundus falſa ſeductione ductus a Thaulpho Epiſcopo Compoſtellano ad ſe taurũ ferocem inſeci iuſſit, Epiſcopus vero benigne ſpectans ſuſcepit, & taurus manſuete accedens cornua in manibus eius dimiſit, quo miraculo viſo Rex ſtupefactus de commiſſo pœnituit. Iſte idem Rex Athaulphum Epiſcopum Ouetenſem incarcerauit, quo in carcere exiſtente ſiccitas magna venit in terra, donec Rex pœnituit, illumque liberauit, & illo liberato pluuia de cælo deſcendit. Obijt autẽ Veremundus ex podagræ ægritudine, & depingitur cum malis pedibus, & baculo in manu. Quia propter podagram incedere libere non valebat. Depingitur etiam in margine Archiepiſcopus Compoſtellanus cum tauro, & Epiſcopus Ouetenſis in turri vbi erat in carceribus, & duæ Reginæ vxores eius, & Alphonſus filius eius, qui fuit Rex, & Eluira filia, quæ fuit monialis. Concurrentia. Concurrerunt cum Veremundo, & prope tempora eius in ſede Apoſtolica Martinus tertius natione Romanus annis tribus, & Agapitus ſecundus natione Romanus annis octo. & Ioannes duodecimus annis ſeptem. In ſolio vero Imperij Romani Ioannes ſecundus imperauit annis duobus, & Verengarius quartus annis duodecim.

Añ. dcccc lxij.

Caput. LXVII.

Anno.dcccc.lxxix. ALphonſus huius nominis quintus filius Veremũdi cœpit regnare anno Domini noningẽteſimo ſeptuageſimo nono, regni Hiſpaniæ quingenteſimo ſexageſimo primo, & ab eius reparatione ducenteſimo quinquageſimo primo, & regnauit annis viginti ſeptem. Hic genuit Veremundum, qui ſucceſſit in regno, & Sanciam, quę nupſit Fernando filio Regis Nauarræ, qui fuit Rex Caſtellæ, & poſtea propter eam fuit Rex Legionis, vt infra dicetur. Hic Alphonſus cum teneret obſeſſam Viſeum ciuitatem Portugalliæ, quę tunc erat Arabum, & quadam die ambularet in circuitu eius inſpiciendo muros, ſagitta e muro emiſſa letaliter eſt percuſſus, ex quo vulnere vitam finiuit. Huius tempore Sancius Comes Caſtellæ deuicit Arabes in vno magno prælio apud Cordubam. Ierat enim in auxilium cuiuſdam Arabis cõtra aliũ Arabem Regem. Depingiẽ Alphonſus armatus ſagitta in corpore fixa, quia ſagitta periјt. Depingitur etiam in margine Regina vxor eius & Sancia filia eius, quæ poſtea fuit Regina Caſtellæ, & Legionis. Concurrentia. Concurrerunt cum Alphonſo, & prope tempora eius in ſede Apoſtolica Benedictus quintus menſibus ſex, & Leo octauus anno vno, & Ioannes tertiuſdecimus annis octo, & Benedictus ſextus anno vno, & Bonus anno vno, & Bonifacius ſeptimus annis octo. In ſolio vero Imperiј Romani Otho primus imperauit annis duodecim, & Otho ſecundus annis viginti. Anno nono huius Regis Alphonſi obiјt Lotarius Rex Francorum, & ſucceſſit ei Ludouicus quintus filius eius, qui regnauit in Francia annis duobus, iſte Ludouicus fuit vltimus Rex Francorum ex regali proſapia Pipini, & Carlenſuini. In ipſo ſiquidem defecit regalis progenies Caroli Magni, quæ regnauerat annis ducentis & triginta octo, tranſlato regno ad progeniem Comitum Pariſienſium: anno vndecimo huius Regis Alphonſi poſt mortem Ludouici Regis Francorum regnauit in Francia Robertus Pпſſimus filius Hugonis pariſienſis Comitis, qui regnauit cum patre ſuo annis nouem, & poſt mortem patris annis triginta tribus. Iſte fuit viceſimus quintus Rex Francorum.

Caput. LXVIII.

Anno.M.vi. VEremundus huius nominis tertius filius Alphonſi Quinti cœpit regnare anno Domini milleſimo ſexto, regni Hiſpaniæ quingenteſimo octogeſimo octauo, & ab eius reparatione ducẽteſimo ſeptuageſimo octauo, & regnauit annis decem. Hic Veremundus deſponſauit Sanciam ſororem ſuam cum Infante Garſia filio Sanciј Comitis, & Domini Caſtellæ, qui Garſias fuit proditorie interfectus apud Legionem, & poſt mortem eius hæc Sancia fuit deſponſata Fernando filio Sanciј vocati Maioris Regis Nauarrę, qui poſtea fuit primus Rex Caſtellæ propter vxorẽ ſuam, quę erat filia Comitis Sanciј. Et cum inter hos Fernandum, & Veremundum diſſentio exorta fuiſſet, in prælium venerunt, illiſque apud Carrionem ad inuicem pugnantibus Veremundus victus, & mortuus eſt, & abſque liberis obiјt, & regnum Legionis tranſlatum eſt ad Fernandum Regem Caſtellæ propter Sanciam vxorem ſuam, & ſic fuerunt tunc vnita regna Caſtellæ, & Legionis. Depingitur Veremundus armatus lancea fixa in corpore, quia in prælio occiſus eſt. Concurrentia. Concurrerunt cum Veremundo, & prope tempora eius in ſede Apoſtolica Benedictus ſeptimus annis octo, & Ioannes quartuſdecimus menſibus ſeptem, & Ioannes quin-

tuſdecimus quatuor, & Ioannes decimuſſextus natione Romanus menſibus decẽ, &c. Gregorius quintus natione Saxo annis duobus, & Ioannes decimus ſeptimus natione Græcus menſibus decem, & Silueſter ſecundus natione Gallicus annis quatuor. In ſolio vero imperij Romani Otho tertius imperauit annis decem.

Caput. LXIX.

Hucuſq; in hac arbore textura facta eſt Regum Legionis. Nam licet in Caſtella Comites gubernarẽt abſq; recognitione ſuperioris, non tamen titulum regium aſſumpſerunt. Sic ergo prima gubernatio Hiſpaniæ ab Athanarico, quem primum in arbore poſuimus, vſq; ad Rodericum incluſiue fuit ſub titulo regio Gothorum. Ideo illis depinximus arma Gothica, quibus hodie vtuntur Reges Daciæ, qui etiam intitulantur Reges Gothorum. Demum poſt ingreſſum Arabum magna ex parte Hiſpania occupata, & regno ad anguſtos fines reducto, regnauit Pelagius, qui de regio genere Gothico erat. Sed non eſt intitulatus Rex Gothorum, aſſumpſit enim titulum a Legione, vel Aſturijs, & vocatus eſt interdum Rex Legionis, aliquando Aſturiarum. Ideo depinximus ei, & ſucceſſoribus ſuis arma Legionis ſola, Leonem videlicet rubeum in campo albo. Durauit autem hæc intitulatio abſq; eo, quod in Caſtella aliquis Rex eſſet vſq; ad Sancium incluſiue, qui cum Rex Nauarræ eſſet, propter vxorem, quæ filia Sancij Comitis Caſtellæ erat, Caſtellam habuit. Et extunc in Caſtella regius titulus fulſit, vt in arboris diſcurſu patebit. Et vt clarius radix iſtius arboris ex omni parte clareſcat, non incongruum puto ad memoriam reducere, quod nobilis quidam de partibus Lugorniæ ad Nauarram veniens Arabibus expulſis regni titulum in ea aſſumpſit. Hic autem vocabatur Enecus Ariſta, & fuit primus Rex Nauarrorum. Et poſt eum filius Garſias cognomento Eneci, quia filius Eneci erat, illis enim temporibus etiam Reges a patribus cognomina accipiebant, ac poſt eum Sancius filius eius, quem ferunt a matre prægnante, & ab Arabibus lancea percuſſa, per aperturam vulneris extractũ fuiſſe. Hic Sancius Abarca cognominatus eſt euẽtu, ex eo quod montes tempore niuium ad bellandũ contra Arabes tranſiens, quia pedibus tranſire oportebat, Abarcis iuxta ruſticorum morem vſus eſt, totuſq; exercitus ſuus Abarcarum miniſterio niues pertranſit, propter quam animoſitatem, animiq; ad pugnandum feruorem Abarca cognomen aſſumpſit. Poſt hunc regnauit Garſias filius eius, huius nominis ſecundus, qui Tremulentus cognominatus eſt, quia licet ſtrenuus in armis eſſet, tamen cũm prælium illud ingredi oportebat, membra tremebant. Hic fuit quartus Rex Nauarrorum, & poſt hunc regnauit Sancius filius eius, qui cognominatus eſt Maior. Hic Caſtellæ regnum propter vxorem aſſumpſit, & ponuntur infra in rectitudine arboris hi quatuor Reges Nauarræ, videlicet Enecus, Garſias, Sancius, & alius Garſias, licet in Caſtella non regnarunt, vt ſciatur, tamen a qua radice deſcenderit Sancius, qui propter vxorẽ in Caſtella primus regnauit, eos hic nominauimus.

Enecus Ariſta. Garſias Eneci. Sancius Abarca. Garſias Tremulentus. Sancius Maior.

Caput. LXX.

Nominatis ſupra proximis Regibus Nauarræ, & in recta linea arboris poſitis, a quibus per lineam maſculinam Sancius Maior, demum Fernandus filius eius Reges Caſtellæ deſcendunt. Deinde in margine deſcriptis Nunio Raſura, vno de iudicibus Caſtellæ, ac Comite Ferdinando, cæteriſq; Comitibus, de quorum genere Ferdinandus Rex ex latere materno propagatus eſt, Congruens eſt, vt

non omittamus illos, per quorum texturã Reges Caſtellę a Laino Caluo vnà cũ Nunio Raſura Caſtellę iudice per lineã maternã proceſſerunt, licet non in præfatũ Fernandum, ſed in Alphonſum octauum vnum ex deſcendentibus eius, qui prælium Vbetæ deuicit, & monaſterium de Huelgas ædificauit. Illa linea deriuata eſt in modum, qui ſequitur. Lainus Caluus vna cum Nunio Raſura iudicauit Caſtellã. Hic genuit Fernandum, a quo genitus eſt Lainus Fernandi, qui genuit Nunium Laini, a quo genitus Lainus Nunij, qui genuit Didacum Laini. Qui ex vxore ſua Thereſa Nunij, quæ neptis fertur fuiſſe ex cõcubina Regis Legionis, genuit illũ ſtrenuum bellatorem Rodericum cognomento Cidi, qui fuit pater Eluiræ Reginæ Nauarræ, a qua natus eſt Garſias Rex Nauarrę pater Blanchę, quæ fuit Regina Caſtellę, vxor Sancij Regis cognomento Deſiderati. Ex quorum matrimonio præfatus Rex Alphonſus octauus procreatus eſt, fuit autem hic Alphonſus vndecimus a Laino Caluo, & quintus a Cido, & duodecimus a Nunio Raſura, & decimus a Comite Fernando Gundiſalui. Depinguntur autem deſcendentes per lineã Laini Calui in margine omnes per capita excepto Cido, qui propter ſtrenuitatem operum depingitur integre, & ſupra equum, ſicuti Fernandus Comes, hi enim duo inter cęteros ſtrenuos Hiſpaniæ bellatores famoſi nimium fuerunt, illorumq́ celebris fama noſtris temporibus durat.

Lainus Raſura.

Caput. LXXI.

SIcuti Reges Nauarrorum præmiſimus, vt clarius ſciretur, a qua radice Sancius Maior deſcendebat, ſic non incongruum eſt, vt nominemus Caſtellæ gubernatores, a quorum ſanguine Fernandus Rex Sancij Regis filius ex latere materno deſcendit. Ad mentem ergo reducendum eſt, quod antiquis temporibus regnum Caſtellæ aliqualiter Reges Legionis in ſuperiores cognoſcebat. Sed cum Ordonius huius nominis ſecundus, qui in Legione regnabat, ad ſe euocaſſet, illicq́ ſecure ad pręſentiã regiam irent, ille, neſcio quo ſpiritu ductus, illos occidi fecit, quo ſceleratiſſimo facinore Caſtellani nimium, & non immerito moti ab obedientia Regum Legionis perpetuo receſſerunt. Et ne abſq́ gubernatore vagarentur, ex nobilibus regni duos ſibi iudices elegerunt. Quorum vnus Nunius Raſura, alius Lainus Caluus vocabatur, & ex vtroq́ eorum Reges moderni deſcenderunt. Sed quia prius ſtirps Nunij Raſurę ſtirpi regiæ coniuncta eſt, illam primo deſcribamus. Deinde ſtirpẽ Laini Calui, quæ tardius regio generi vnita fuit, enarremus. Fuit namq́ Nunius Raſura iudex Caſtellæ. Et poſt illum iudicauit Gundiſaluus Nunij filius eius, quia, vt diximus, mos antiquorum erat filio cognomen patris apponere. Hic fuit pater Ferdinandi Gundiſalui, qui iam non ſolum iudicis, ſed Comitis nomen aſſumpſit. Cuius corpus apud monaſterium de Arlanza quieſcit. Poſt hunc gubernauit Caſtellam Garſias Ferdinandi Comes filius eius, qui in monaſterio de Cardeña tumulatus eſt. Cui ſucceſſit Sancius Comes filius eius, qui monaſterium de Oña ædificauit, & in eo ſepultus quieſcit. Poſt hunc incœpit gubernare Caſtellam infans Garſias filius eius, qui adoleſcens apud Legionem occiſus, abſq́ liberis obijt. Deuolutumq́ eſt regnum ad Eluiram ſororem ſuam vxorem Sancij Regis Nauarræ, ex quibus ortus eſt Fernãdus Rex ſextus a Nunio Raſura primo iudice Caſtellæ. Et quartus a Comite Fernando Gundiſaluo. Depinguntur autem hi progenitores ſui in margine vno per capita, ſolo Comite Fernando integre, armatoq́ ſupra equum depicto, quia ſtrenuitas, & ſingularitas operum eius, vt ſingularius depingeretur, merito poſcunt.

Caput. LXXII.

SAncius Rex Nauarræ dictus Maior filius Garſiæ Tremulenti Regis Nauarrę genuit ex Eluira filia Sancij Comitis Caſtellę vxore ſua duos filios Garſiam, & Fernandũ, & ex concubina alium, qui dictus eſt Ramirus. Et quia infans Garſias filius gancij Comitis Caſtellæ apud Legionem per ditionem filiorum Comitis Velę occiſus eſt, priuſquã Sanciam filiam Regis Legionis ſponſam ſuam in matrimonium duceret, dominium Caſtellæ deuolutum eſt ad Eluiram Reginã Nauarræ, & eius cauſa ad Sancium virum eius, qui poteſt dici primus Rex Caſtellæ. Sed quia paruo tẽpore ſe intitulauit Regem Caſtellæ, non computantur illi tempora regnandi. Diuiſit autem dominia ſua, & Nauarram dedit Garſiæ primogenito. Caſtellam Fernãdo ſecundo genito. Aragoniam Ramiro baſtardo, qui primus in Aragonia Rex vocatus eſt. Et Fernandus fuit primus, qui ſegregatim in Caſtella Regium titulum aſſumpſit. Ideo in eo computantur tempora regnandi. Sed quia Sancius pater eius habuit dominium Caſtellæ vna cum dominio Nauarræ, & Aragoniæ, depinguntur iuxta eum duo ſcuta, vnum cum armis Caſtellæ ad dexteram, & aliud cum armis Nauarræ, & Aragoniæ ad ſiniſtram, ipſe vero depingitur in veſte longa tanquam vir magnæ autoritatis. Depingitur etiam in margine Eluira vxor eius, & tres filij Fernandus Caſtellæ, Garſias Nauarræ, Ramirus Aragoniæ Reges. Non additur enim concurrentia, quia infra addetur Fernando.

Caput. LXXIII.

FErnandus huius nominis primus filius Sancij dicti maioris Regis Nauarræ cœpit regnare in Caſtella anno Domini milleſimo deci- Anno. M.xvij.
ſeptimo, regni Hiſpaniæ quingenteſimo nonageſimo octauo, & ab eius reparatione ducenteſimo octogeſimo octauo, & regnauit annis quadraginta. Hic duxit vxorem Sanciam filiam Alphonſi Regis Legionis, ſororẽ Veremundi Regis. Et cũ hic Veremundus abſq; liberis in prælio cecidiſſet, Fernandus propter Sanciam vxorem ſuam regnum Legionis obtinuit. Et ſic fuit primus, qui Rex Caſtellę, & Legionis intitulatus eſt. Hic genuit ex vxore ſua Sancium, & Alphonſum, qui ei, vnus poſt alium, in regno ſucceſſerunt, & Garſiam, qui Rex Galleciæ vocatus eſt, ſed captus in vinculis ferreis deceſſit, & Vrracam dominam Zamoræ, & Eluiram dominam Tauri ſororem eius. Ex concubina vero genuit Fernandum, qui fuit Cardinalis. Hic Rex optimus, & belicoſiſſimus Coimbriam diuturna obſidione expugnatam ſancto Iacobo viſibiliter apparente obtinuit, & magnam partem Portugalliæ cum ea. In huius regia camera inſignis Rodericus de Biuar, qui ſtrenuitate operum Cidi cognomentum accepit, quod in lingua Arabica dominum ſonat, adoleſcẽs nutritus eſt, & ſub eo arma exercere cœpit. Obijt Fernandus morte communi apud Cabezonem prope Vallemoleti. Depingitur in equo armatus ſancto Iacobo claues ciuiutatis Colũbæ tradente, quia cum diuino auxilio ad preces ſancti Iacobi ciuitatem habuit. Depingitur etiam in margine Sancia Regina vxor eius, & Sancius, & Alphonſus filij eius, qui in Caſtella poſt eum regnauit, & Garſias, qui Rex Galleciæ intitulatus eſt, licet in vinculis deceſſit, & filiæ eius Vrraca domina Zamoræ, & Eluira domina Tauri, necnon Fernandus filius eius ex concubina, qui fuit Cardinalis. Depingitur etiam ſanctus Dominicus de Sillos, qui eius tempore claruit. Depinguntur in ſuo ſcuto arma Caſtellæ, & Le-

gionis, quę hodie durant, quia iſte fuit primus Regum, qui in Caſtella, & Legione ſimul regnauit. Concurrentia. Concurrerunt cum Fernādo, & prope tēpora eius in ſede Apoſtolica Ioannes decimus octauus menſibus quinq;, & Sergius quartus annis duobus, & Ioannes decimus nonus annis quinq; natione Romanus. Et Benedictus octauus natione Tuſculanus annis vndecim. Hic fuit eiectus de papatu, & factus eſt quidam alius Papa, vnde maximum ſchima fuit, & Ioannes viceſimus natione Romanus annis nouē, & Benedictus nonus natione Tuſculanus annis quatuordecim. Iſte fuit eiectus de papatu, & factus eſt Papa Sabinenſis Epiſcopus, qui vocatus eſt Siluester tertius, qui ſedit diebus quadraginta quinq;, & Gregorius ſextus annis duobus. Et Clęmens ſecundus menſibus decem & nouem. Hic fuit inuaſor eccleſiæ, & per vim habuit papatum. Et Damaſus ſecundus ſedit diebus viginti tribus. Hic fuit inuaſor ſedis Apoſtolicæ, & ſubito defunctus eſt. Et Leo nonus natione Alemanus ſedit annis quinq;. In ſolio vero imperij Romani Enricus ſecundus imperauit annis duodecim. Et ſecundus annis viginti. Et Enricus tertius annis decē & ſex. Anno tertio decimo huius Regis Fernandi obijt Robertus Rex Francorum. Et regnauit Enricus primus filius eius in Francia viginti quinq; annis. Et anno triceſimo nono obijt Enricus Rex Francorum, & ſucceſſit Philippus primus filius eius, qui regnauit in Francia annis quadraginta nouem.

Caput. LXXIIII.

Anno. M.lvij.

SAncius huius nominis ſecundus primogenitus Fernandi cœpit regnare anno Domini milleſimo quinquageſimo ſeptimo, regni Hiſpaniæ ſexcenteſimo triceſimo octauo, & ab eius reparatione triceſimo octauo, & regnauit annis ſex. Hic cum Alphonſo fratre ſuo cōtendens regnum Legionis, quod ei pater dimiſerat, obtinuit. Et cū Vrracam ſororem ſuam apud Zamoram obſeſſam teneret, a Vellido proditore proditionaliter occiſus eſt. Ideo depingitur in terra proſtratus proditore in illo lanceam mittente, ſepultus enim eſt in monaſterio Ouienſi. Concurrētia. Concurrerunt cum Sancio, & prope tempora eius in ſede Apoſtolica Victor ſecūdus genere Alamanus annis duobus. Hic timore imperiali factus eſt Papa. Et Stephanus nonus natione Tuſcus menſibus nouem. Et Benedictus decimus menſibus nouē per violentiam eſt Papa factus, poſtea ceſſit, & Nicolaus ſecundus annis duobus. Et Alexander ſecundus natione Mediolanenſis annis duodecim. In ſolio vero imperij Romani imperabat idem Enricus quartus.

Caput. LXXV.

Anno. M.lxiij.

ALphōſus huius nominis ſextꝰ filius Fernādi, ac frater Sancij cœpit regnare anno Domini milleſimo ſexageſimo tertio, regni Hiſpanię ſexcenteſimo quadrageſimo quarto, & ab eius reparatione triceſimo quarto. Et regnauit annis quadraginta tribus. Hic habuit ſex vxores. Ex quarum prima genuit Vrracam, ex alijs alias filias, & ex vna earum, quæ fuit Sarracena filia Regis Seuillię, quæ vocabatur Zaida, & ad fidem conuerſa nominata eſt Maria, genuit filium maſculum, qui dictus eſt infans Sancius, qui puer exiſtens occiſus eſt in prælio cum Arabibus octo prope Alcazarium de Conſuegra. Ex nobili vero quadam concubina genuit Theraſiam filiam, quæ nupſit Enrico Comiti Lotoringiæ conſangui-

neo Imperatoris, & dedit illis partem Galleciæ, quæ nunc Portugallia vocatur, ex iſtis autem deſcendunt Portugalliæ Reges, ille enim Enricus fuit pater Alphonſi primi Regis Portugalliæ. Hic Alphonſus Caſtellæ inſigniſſimam vrbem Toletum varijs, & crebris vaſtationibus fatigatam, & diuina obſidione afflictam obtinuit. Et in ea Metropolitanam ſedem antiquiſſimam, ac honorabiliſſimam reparauit, multaq; oppida in vicinia Toleti ab Arabibus erepta Chriſtiano nomini adiecit. Hic Rex inter alia inſignia opera ſedem Burgenſem inſtituit, illicq; magnam dotem, & multa priuilegia contulit, & ſic ab vno eodemq; Rege, & eodem tempore, & ſub eodem Romano Pontifice, videlicet Vrbano ſecũdo Toletana Metropolis reparata, & Burgenſis ſedes inſtituta eſt, obijt autem Alphonſus morte communi, & apud monaſterium ſancti Facundi vna cum Gaida iam Maria ſepultus eſt. Receperat enim ibi primo habitum monachalem ficte ob timorẽ Sancij fratris ſui. Depingitur autem Alphonſus armatus in equo, quia gloria multa bellicoſa peregit. Depinguntur in margine ex vtroq; latere ſex vxores ſic nominatæ, Agnes, Coſtanza, Beatrix, Eliſabet, Theraſia, & Zaida vocata Maria. Depingitur etiam nobilis Ximena concubina, quam, ferunt, de domo Guzmanica fuiſſe, ex qua Reges Portugalliæ proceſſerunt. Depinguntur quoq; in linea inferiori pręfatus Sancius infans, & Vrraca Regina, quę fuit filia Coſtanciæ Reginæ, & duæ infantiſſæ Eluira, & Sancia filiæ Eliſabet Reginæ. Depinguntur etiam Enricus Comes, & Theraſia vxor eius filia Alphonſi ex Ximena. Depinguntur etiam Reges Portugalliæ, qui ab eis proceſſerunt, vt venerunt. Alphõſus, qui fuit primus Rex, Sancius, Alphonſus ſecundus, Sancius ſecũdus cognomento Capello, cuius corpus Toleti tumulatum eſt. Alphonſus tertius, Dioniſius, Alphonſus quartus, Petrus, Fernandus, Ionnes, Eduardus, Alphonſus quintus, qui nunc in Portugallia regnat, fuerunt autem omnes numero duodecim. Concurrentia. Concurrerunt cum Alphonſo, & prope tempora eius in ſede Apoſtolica Gregorius ſeptimus natione Tuſcus annis ſeptem, & Victor tertius anno vno, qui veneno miſſo in calice dicitur obijſſe. Et Vrbanus ſecundus annis nouẽ. Et Paſchalis natione Tuſcus annis decem & octo. Et Gelaſius ſecundus natione Cãpanus anno vno. Et Calixtus ſecundus natione Burgundus Comitis filius ſedit annis quinq;. Hic eccleſiam Compoſtellanam in Metropolitanam erexit, & illi prouinciam Emeritenſem ſubiecit. Huius tẽpore Bundinus, qui olim Archidiaconus Toletanus fuerat, deinde Bracharenſis Archiepiſcopus, qui per Enricum Imperatorem in papatum fuerat intruſus, in carcere obijt. Et Honorius ſecundus natione Bononienſis ſedit annis duobus. In ſolio vero Imperij Romani Enricus quintus imperauit annis quindecim, & Lotarius tertius annis vndecim. At licet hucuſq; ſolum illorum principatuum cõcurrentiam adiecimus, quorum excellentia omnibus notiſſima eſt. Summorum enim Pontificum ſuperioritas, ac poteſtatis plenitudo ab omni catholico humiliter reconoſcitur, merito tempora in ſede Romana ſedentium in omnibus annalibus, ac hiſtorijs annotanda ſunt. Imperatorum quoq; Romanorum & ſi aliqualiter potentia debilitata ſit, eminentiam tamen dignitatis, ac quandam prioritatem inter cæteros mundi principes nullus illis vnquam negauit, vt quaſi primogenitus Regum, & primus eorum in generalibus Chriſtianorum conuentionibus imperator Romanus ſedeat, & loquatur. Non ergo ab re de nominibus, ac temporibus illorum in chronicis aliorum regnorum mentio communiter interferi ſolet. Regum autem Francorum celebritas non ignota omnibus eſt, & etiam illorum memoria non immerito ha-

beri debet, præſertim in Hiſpanorum annalibus, qui eum eis antiquam, & modeſtam communionem habemus. Et enim hæ duæ domus glorioſæ Hiſpaniæ, & Franciæ, vt alibi nonnuuquam dixiſſe, & ſcripſiſſe ſum memor, ſanguinis coniunctionem, arctamq;, & ſtrictam confidentiam tam antiquis, quam modernis tẽporibus habuerũt.

Nunc tamen vltra has, & alia quarta concurrentia occurrit, quæ licet tantæ reputationis non ſit, vt his concurrentijs tribus adęquari debeat. ſcribentis tamen, & loci, in qua hæc ſcribuntur, & perſonarum, quibus præſens dirigitur arbor, qualitas non ab re annectendam proclamant. Hæc autem eſt Burgenſis ſedis ortus, & continuatio, quę ab huius Regis diebus vſq; ad moderna tempora continuatis pontificibus durat. Non incongruum ergo cuiquam videri debet, ſi aliarum concurrentiarũ calcibus Burgenſes Pontifices annectamus, vt breui compendio ſciatur, qui fuerint Præſules, & quorum Regũ temporibus ab inſtitutione ipſa ſedis in cathedra Burgenſi ſederũt, fuit autem eccleſia Burgenſis cathedralis, & Aucenſis ſedes, quæ dirupta per Arabes ab antiquis temporibus erat, cum ſua diœceſi ad eam translata per hunc Alphonſum ſextum dotantem, Vrbano Papa ſecundo erectionem hanc cõfirmante, illamq; Apo-
Anno.M. xcvij. ſtolicę ſedi immediate ſubijciente. Anno Domini milleſimo nonageſimo ſeptimo, huius regni anno ſedit autem in ea primus Simeon, qui prius Aucenſis Epiſcopus erat, viginti tribus annis. Ac poſt illum ſucceſſit Gometius in ſede Burgenſi, qui decem annis. Et poſt Gometium Garſias huius nominis primus cognomẽto Aragonenſis nepos Simeonis ſedit in ea decem & octo annis, qui tres Epiſcopi ſucceſſiue ſedem Burgenſem rexerunt huius ſexti Alphonſi temporibus.

Caput. LXXVI.

POſt obitum huius Alphonſi Vrraca filia eius cœpit regnare, nam, vt præmiſimus, Alphonſus Rex habuit multas filias. Et quia filium maſculum non reliquerat, ſuccedere debuerat Vrraca, quæ primogenita erat earum. Hæc in vita patris nupſit Raimundo Comiti, ex quo genuit Alphonſum, qui intitulatus eſt Imperator Hiſpaniarum, mortuo vero hoc Raimundo in vita Alphonſi Regis, ſecundo nupſit Alphonſo Regi Aragonum, ex quo nullum genuit filium, neq; etiã matrimonialem vitam duxerunt. Nam & ſi non diuertiſſent in forma eccleſiæ, ſemper tamen vixerant adinuicẽ ſeparati, illam nimis honeſtã vitam ducente. Poſt mortẽ vero Alphonſi Regis Caſtellæ patris ſui, Alphonſus Rex Aragonię voluiſſet regnũ habere propter vxorẽ, illa vero renuebat, multi etiã de magnatibus nobilibus Caſtellę adhæſerunt Alphonſo puerulo filio Vrracę, & Raimũdi Comitis. Et huius occaſione fuerunt multa diſcidia in Caſtella, alijs pro Alphonſo Rege Aragonũ, & alijs pro Vrraca, alijs pro Alphonſo infantulo decantantibus, ſed finaliter regnũ manſit infanti Alphonſo. Vrraca vero obijt apud Legionem morte ſubita, & quia modico tẽpore durauit, & etiam illo non recte, nec libere cœpit, non computantur tẽpora regni, ſed ſcribuntur Alphonſo Imperatori filio eius. Hoc tẽpore claruit ſanctus Ioannes de Vrteca, & ad euitationem præliorum cum alijs prælatis, & religioſis nimium laborauit. Depingitur autem Vrraca in rectitudine arboris, quia ad regnum pertinebat, & in margine depinguntur duo viri, quos habuit, Raimundus Comes, & Alphõſus Rex Aragonum. Depingitur etiam Alphonſus Imperator filius eius, in recta linea iterum integre depingendus, & ſanctus Ioannes de Vrteca.

Caput. LXXVII.

Alphonſus

ALphonſus huius nominis ſeptimus intitulatus Imperator Hiſpaniȩ
cœpit regnare anno Domini milleſimo centeſimo octauo, regni Hi- Anno.M.
ſpaniȩ ſexcenteſimo octogeſimo ſexto. Et ab eius reparatione trecen c.viij.
teſimo ſeptuageſimo octauo, & regnauit annis quinquaginta vno.
Hic Alphonſus fuit, vt diximus, nepos ex filia Alphonſi ſexti, qui de-
ceſſerat abſq; filio maſculo, relictis filiabus, quarũ primogenita vo-
cabatur Vrraca, quȩ primo nupſit inſigni Comiti Raimũdo, ex qua genuit hunc Al-
phonſum ſeptimũ. Hic Alphonſus conſtruxit Hoſpitale, quod Imperatoris vocaba-
tur, in ſuburbio Burgẽſis, & obtinuit Almeriam, a qua rediens obijt in via ex ægritu-
dine ſub quadã arbore in portu, qui dicit del Muradar, diuiſis regnis ſuis. Dedit enim
regnũ Caſtellȩ Sancio primogenito, & regnũ Legionis Fernãdo ſecundo genito, quȩ
diuiſio nimiũ diſplicuit regnicolis. Depingitur Alphonſus cum diademate Imperia-
li, & ſedens propter eminentiã dignitatis, quia Imperator vocatus eſt. Nullus autem
aliorum Regum ſedens depingit̃ prȩter iſtum propter ſingularitatẽ tituli Imperialis.
Depingitur in margine Imperatrix vxor eius, & Beatrix filia eorũ, quæ nupſit Regi
Franciæ, & ſanctus Adelelmus, qui tempore illo florebat, cuius corpus reconditũ eſt
in eccleſia ab eius nomine intitulata, quȩ vocatur ſanctus Adelelmus prope extra mu
ros Burgenſis. Concurrentia. Concurrerũt autẽ cum Alphonſo Imperatore, & pro
pe tẽpora eius in ſede Apoſtolica Innocẽtius ſecundus natione Romanus annis trede-
cim, & Celeſtinus ſecundus natione Tuſcus menſibus quinq;, & Lucilius ſecundus
natione Bononienſis menſibus decẽ, & Eugenius tertius natione Piſanus annis octo.
Et Anaſtaſius quartus natione Roman⁹ anno vno, & Hadrianus tertius natione An-
glicus annis quatuor, & Alexander tertius natione Tuſcus annis viginti vno. Hic vi
cit quatuor ſchiſmaticos. Fuit autẽ illud magnũ ſchiſma. In ſolio vero Imperij Ro-
mani Cornandus ſecũdus Imperauit annis quindecim, & Fredericus primus impera-
uit annis triginta ſeptem. Anno tertio huius regni Imperatoris obijt Philippus Rex
Francorũ, & ſucceſſit ei Ludouicus ſextus filius eius cognominatus Groſſus, q̃ regna
uit in Frãcia annis triginta. Iſte fuit viceſſim⁹ octauus Rex Francorũ. Anno. XXX.
II. huius regni Alphonſi obijt Ludouicus ſextus Rex Francorũ, & ſucceſſit ei filius
eius Ludouicus ſeptimus, q̃ regnauit in Frãcia annis quadraginta tribus, q̃ fuit Chri-
ſtianiſſimus Rex Francorũ. Iſte Ludouicus duxit in vxorẽ Beatricem filiã huius Al
phonſi Imperatoris. Venit autẽ ad ſanctum Iacobũ, & cum magna honorificentia ab
Alphonſo Imperatore ſocero ſuo receptus, & tractatus eſt. Sederunt autẽ in ſede Bur
genſi tempore huius Alphonſi Regis Imperatoris tres Epiſcopi, videlicet Paſchaſius
annis quatuor, & Simeon huius nominis ſecundus annis viginti. Et Petrus huius no-
minis primus annis octo. Caput. LXXVIII.

SAncius huius nominis tertius cognominatus Deſideratus primoge
nitus Alphõſi Imperatoris cœpit regnare ſegregatim in Caſtella, vt
pater diſpoſuerat, anno Domini. M. C. LIX. regni Hiſpaniæ. Anno.M.
DCC. XXXVI. Et ab eius reparatione. CCCC. XXIX. & re- c.lix.
gnauit anno vno. Hic duxit vxorem Blanchã filiam Garſiæ Regis
Nauarrȩ, qui fuit nepos ex filia inſignis bellatoris Roderici Cidi. Ge
nuit autem hic Sancius ex ea Alphonſum octauum, qui poſt eũ regnauit in Caſtella.
Obijt Sancius iuuenis morte communi Alphonſo filio ſuo infantulo remanente. De
pingitur in veſte longa, et pacifica, quia propter breuitatem temporis bella non geſſit,

& in latere depingitur Regina vxor eius, & Alphonſus eorum filius, qui poſt eum regnauit. Concurrentia. Concurrerunt cum Sancio, & prope tempora eius in ſede Apoſtolica Lucius tertius natione Tuſcus annis quatuor. In ſolio vero Imperij Romani imperabat idem Federicus primus. Tēpore huius Sancij Victor Epiſcopus ſedebat in ſede Burgenſi decem annis computatis illis, quibus ſederat viuente Imperatore.

Caput. LXXIX.

Fernandus ſecundus frater Sancij, & filius Imperatoris cœpit regnare ſegregatim in Legione anno Domini milleſimo centeſimo quin-
Anno.M. c.lix. quageſimo nono, regni Hiſpaniȩ ſeptingenteſimo triceſimo ſexto, & ab eius reparatione quadringenteſimo viceſimo nono. Et enim vno eodemq; tempore cœperunt regnare Sancius in Caſtella, & Fernandus in Legione iuxta diſpoſitionē paternā, ſed duratio regnandi fuit diuerſa. Nam Sancius regnauit anno vno, vt proxime ſcriptum eſt. Fernandus vero regnauit annis triginta vno. Hic deuicit in prælio Alphonſum, qui primus fuit Rex Portugalliæ. Obijt autem Fernandus morte communi relicto Alphonſo filio, qui poſt eum regnauit in Legione. Depingitur hic Fernandus in parte ſiniſtra, depictis etiam prope in latere Regina vxore eius, & Alphonſo filio, qui poſt eum regnauit in Legione. Non aſſignatur ei, nec Alphonſo filio eius concurrentia, quia attribuitur Regibus Caſtellæ, & victorum regnum vnum, & idem eſt tempus.

Caput. LXXX.

Alphonſus octauus filius Regis Sancij, cum eſſet ætatis tantū trium annorum, ſucceſſit in regno Caſtellȩ anno Domini milleſimo centeſimo ſe-
Anno.M. c.lx. xageſimo, regni Hiſpaniæ ſeptingenteſimo triceſimo octauo. Et ab eius reparatione quadringenteſimo triceſimo, & regnauit annis quinquaginta tribus. Hic duxit vxorē Eleonorem filiam Recharedi Regis Angliæ, qua genuit Sancium, qui deceſſit in ætate infantili, & Fernandum, qui deceſſit in adoleſcentia, & Enricū, qui poſt eum regnauit. Filias vero Blanchā, quȩ nupſit Regi Franciæ, ex qua genitus eſt ſanctus Ludouicus Rex Françorū, & Berengariam, quæ fuit vxor Alphonſi Regis Legionis, ex qua genitus eſt Fernādus Rex, qui Seuilliā expugnauit, & Alphonſus, qui dictus eſt Infans Molinȩ, & Vrracā, quȩ fuit Regina Portugalliȩ, & Leonorē, quȩ fuit Regina Aragonū. Et Conſtanzam, quæ fuit monialis, & Abbatiſſa de Huelgas. Hic Alphōſus fuit deuictus ab Arabibus in prȩlio de Alarcos, & poſt illā aduerſitatē reuertens ad cor fundauit inſigne monaſteriū de Huelgas prope Burgis cū ſolenni Hoſpitali, quod Hoſpitale Regis vocatur, & alia monaſteria monialiū in diuerſis locis ſubdita monaſterio de Huelgas, quæ eius filiæ vocantur, & poſt multa pia opera profectus iterū ad bellum contra Arabes deuicit eos in prælio, quod dicit̄ de Nauis Toloſȩ. Et quia ibi ter veniſſe dicitur miraculū Crucis, celebratur Feſtum, quod dicit̄ triumphū ſanctȩ Crucis decima ſexta die Iulij aliquibus eccleſijs prȩſertim Toletana, & Burgenſi cathedralib⁹, & in monaſterio de Huelgas, quod ipſe ȩdificauerat, & in quo corpus ſuū Tumulatū quieſcit. Obijt autē morte cōmuni. Depingitur armatus in equo propter illud inſigniſſimū, & vltimū prȩliū, quod apud Nauas deuicit, & depingit̄ in latere Eleonor Regina vxor ei⁹, & filij eius, videlicet Sancius, qui deceſſit in ætate infantili, & Fernandus, qui deceſſit in adoleſcētia. Et Blancha, quæ fuit vxor Regis Francię, ex qua genitus eſt Sanctus Ludouicus Rex Francorū, qui etiā depingitur hic infra matrem ſuam, & Vrraca, quæ fuit Regina Portugalliæ,

& Leonor, quæ fuit Regina Aragonũ, & infra iſtas depingitur Coſtança Abbatiſſa de Huelgas: Depingitur etiam hic ſanctus Dominicus Pater prędicatorũ qui claruit tempore illo Enricus autẽ filius eius non depingitur hic in latere, quia eſt depictus integre infra in recta linea arboris, Berengaria quoq; filia ſua depingitẽ ſupra prope Alphonſum Regem Legionis virũ ſuum. Concurrentia. Concurrerunt cum Alphonſo, & prope tẽpora eius in ſede Apoſtolica Vrbanus tertius natione Lombardus anno vno menſibus decem. Hoc tempore erepta eſt Hieroſolyma a Sarracenis, qui cum a Tranſmarinis partibus rem tam flebilẽ audiſſet, præ nimio dolore obijt, & Gregorius octauus natione Romanus menſe vno, & Clemens tertius natione Romanus diebus decẽ & ſex, & Celeſtinus tertius natione Romanus annis ſeptem, & Innocentius tertius natione Campanus annis decẽ & octo menſibus quatuor diebus viginti tribus. Huius tẽpore a Francis, & a Venetis capta eſt Conſtantinopolis: tempore huius Innocentij Papæ tertij inceperunt duo ordines ſolennes, videlicet ordo fratrum prædicatorũ, & ordo minorũ, ordinis prædicator fuit inuentus ſanctus Dominicus natione Hiſpanus, incepit autẽ in partibus Toloſanis, vbi contra hæreticos verbo, & exemplo prædicabat anno Domini milleſimo ducẽteſimo tertio, Pontificatus Domini Papæ Innocẽtij anno ſexto. Ordinis vero minorũ fuit pater ſanctus Franciſcus, incepit vero prope ciuitatẽ Aſiſiam apud ſanctã Mariam de Portiuncula anno Domini milleſimo ducẽteſimo ſexto. In ſolio vero Imperij Romani Enricus ſextus imperauit annis octo, & Ottho quartus imperauit annis . Anno nono regni huius Alphonſi obijt Ludouicus ſeptimus Rex Francorum, & ſucceſſit Philippus ſecundus filius eius, qui regnauit in Francia annis . Iſte fuit triceſimus Rex Francorum, & ſucceſſit ei Ludouicus octauus filius eius, qui regnauit in Frãcia annis tribus, qui fuit triceſimus primus Rex Francorũ. Hic Blancham filiã huius Alphonſi Regis Caſtellę habuit vxorẽ, ex qua natus eſt filius ei nomine Ludouicus nonus, qui fuit canonizatus per Bonifacium Papam octauum. Et regnauit in Francia annis quadraginta quatuor. Iſte fuit triceſimus primus Rex Francorũ. Sederunt autẽ in cathedra Burgenſi tẽpore huius Alphonſi quatuor Epiſcopi, videlicet Petrus ſecundus viginti ſex annis, & Martinus decem & octo, & Matthæus annis tribus, & Fernandus primus duobus annis. Hic dicitur fuiſſe nepos Regis, huic fuit data Villaſur de Ferreros.

Caput. LXXXI.

ALphonſus huius nominis nonus filius Fernandi Regis Legionis cœpit regnare anno Domini milleſimo ducenteſimo, regni Hiſpaniæ ſeptingẽteſimo ſexageſimo octauo. Et ab eius reparatione quadringenteſimo ſexageſimo. Et regnauit annis viginti octo, qui fuit annus triceſimus regni Alphonſi Regis Caſtellæ, ex qua genuit, vt proxime dictũ eſt, Fernandũ, in quo vnita ſunt regna, & Alphonſum Infantem Molinæ. Obijt autẽ morte cõmuni. Depingitur in veſte pacifica in latere arboris, & prope eius Berengaria Regina vxor eius, & infra eos duo filij, videlicet Fernandus, qui poſtea regnauit in Caſtella, & Legione, & Alphonſus Infans Molinæ. Anno.M. cc.

Caput. LXXXII.

ENRICVS huius nominis primus filius Alphonſi Regis Caſtellæ cœpit regnare in Caſtella anno Domini milleſimo ducenteſimo decimo quarto, regni vero Hiſpanię ſeptingenteſimo nonageſimo primo, & ab eius reparatione quadringenteſimo octogeſimo tertio, & regnauit Anno.M. cc.xiiij.

annis duobus, obijt puer in ætate tenera ex vulnere ſibi illato a tegula ex caſu cadente,
cum luderet cum pueris nobilibus domicellis ſuis Palentię ad tegulum, vt interdum
facere ſolent. Depingitur puer, quia in ætate puerili deceſſit, & manu poſita in capite
ad oſtendendum dolorem illati vulneris, & prope cum filia Regis Portugalliæ, quæ
in vxorem delata eſt, licet poſtea diuerterunt. Concurrentia. Concurrerunt cum
Enrico, & prope tempora eius in ſede Apoſtolica Innocentius quartus. In ſolio
vero Imperij Romani imperabat idem Ottho quartus. Sedebat autē tempore huius
Regis in Burgenſi ſede Garſias huius nominis ſecundus cognomento de Contreras,
qui ſedit annis ſex, & ſic tetigit tempus duorum Regum.

Caput. LXXXIII.

FErnandus huius nominis tertius, nam computamus in nominatione
Reges Legionis, fuit filius Regis Legionis Alphonſi, ex Regina Be-
rengaria filia Alphonſi Regis Caſtellę. Et mortuo Enrico auuncu
Anno.M. cc.xiiij. lo ſuo cœpit regnare in Caſtella anno Domini milleſimo ducenteſi-
mo decimo ſexto, Regni Hiſpaniæ ſeptingentdimo nonageſimo ter
tio, & ab eius reparatione quadringenteſimo octogeſimo quinto, &
regnauit annis triginta quinq;. Mortuo enim Enrico deferebatur regnū Caſtellæ ad
Berengariam ſororē eius. Sed illa, vt nobiliſſima Domina, ceſſit regnum Fernando fi
lio ſuo, qui veniens a Legione vbi cum patre morabatur, in Regem Caſtellę receptus
eſt viuente Alphonſo patre ſuo, & regnauit in Caſtella. Poſtea vero. XVI. anno re
gni ſui deceſſit Alphonſus Rex Legionis, & ſucceſſit Fernandus in Legione, & ex
tunc fuerunt iterū vnita Regna, quę vnio hodie durat, durabitq; Deo dirigente in per
petuum. Et quia in hac vnione renouata eſt quodam modo Monarchia, & arma re-
gia mixta ſunt ex Caſtellis, & Leonibus, ideo incipimus ex ea quartā computationem
annorū, vt legens ſciat, quo tēpore incœpit hęc vnio anno Domini. M. CC. XXX-
II. Qui fuit annus regni Fernandi in Caſtella decimus ſextus. Hic Fernandus duxit
duas vxores, quarū prima vocata Beatrix fuit filia Philippi Ducis Barbarię, qui elect⁹
in Imperatorē Romanorum obijt antea quā coronā aſſumeret. Et poſt obitum eius
fuit Imperator Federicus frater ei⁹, apud quē erat hęc Beatrix Domicella, ex qua Rex
Fernandus genuit Alphonſum, qui poſt regnauit, & Federicū, & Manuelē, & Philip
pum, & Sancium, & Enricum. Et poſt obitum huius Beatricis Reginę duxit ſecun-
dam vxorem Ioannam filiā Comitis de Pontis, ex qua genuit Ludouicū, & Eleono-
rem. Hic glorioſus Rex obtinuit Seuilliam, Cordubā, Gienum, & totam fere Vanda
luciam, & etiā regnum Murciæ per Alphonſum primogenitū ſuum. Et poſt inſigniſ
ſima opera obijt deuotiſſime apud Seuilliā, quā de manibus infideliū eripuerat, morte
cōmuni, præſentibus filijs, & magna copia Pręlatorū. Depingitur Fernandus arma
tus in equo prope ciuitatem Seuilliam, quodam arabe dante illi claues quia ciuitas illa
per longam, & obſtrictam obſidionem ab eo afflicta in deditionem eius deuenit. De-
pinguntur in latere duæ Reginę vxores, & infra eas quinq; filij maſculi, quos genuit
ex prima Regina, videlicet Federicus, Emmanuel, Enricus, Philippus, & Sancius. Al-
phonſus autē primogenitus infra in recta linea, vt Rex depingitur. Depinguntur
etiam duo filij ex ſecunda vxore, videlicet Ludouicus, & Eleonor. Concurrentia.

Concurrerunt cum Fernando, & prope tempora eius in ſede Apoſtolica Hono-
rius tertius natione Romanus annis decem. Et Gregorius Nonus natione Campa-
nus annis nouem. Et Celeſtinus quartus natione Mediolanenſis diebus viginti.

In ſolio vero Imperij Romani Federicus ſecundus imperauit annis triginta tribus, ſe-
derunt autem in ſede Burgenſi huius Regis tempore tres Epiſcopi, videlicet Ioannes
huius nominis primus, qui fuit electus, ſed munus conſecrationis non recepit, vixit an
no vno, & Mauritius Famoſus Epiſcopus, quē ferunt Anglicum fuiſſe, vixit vigin-
ti ſex annis. Hic inſignis Pontifex ædificauit eccleſiam Burgenſem, quæ hodie eſt.
Primo enim, vt aiunt, ſedes erat in eccleſia ſancti Laurentij apud quam palatium Pon
tificale conſtructum hodie durat. Fuit autē primus lapis poſitus in Eccleſia Burgenſi
viceſima die menſis Iulij anno Domini. M. CC. XXII. Et, vt creditur, fuit totum
corpus eccleſiæ ædificatum temporibus huius Mauritij, clauſtrum tamen, & inſignis
capella ſanctę Chatarinæ fuerunt poſt eum alijs temporibus ædificata, necnon tur-
res duæ principales, quę ſunt in porta, quā vocant Regiam, nón fuerunt tunc ex toto
finitæ, ſed poſt anno Domini. M. CCCC. XLII. CC. XX. poſtquam incœ-
pta fuerat ædificari eccleſia. In eadem fere die cœpit continuare ædificium illarum
turrium Alphonſus Epiſcopus huius nominis ſecundus, qui hodie per diuinam miſe
ricordiam ſedet, & cum diuino auxilio opus hoc facit continuari. Illo vero tempo
re, quo Mauritius cœpit ædificare eccleſiam Burgenſem, Rodericus Pontifex To-
letanus cœpit ædificium eccleſiæ Toletanæ. Poſt Mauritium ſedit in eccleſia Bur-
genſi Ioannes huius nominis ſecundus duodecim annis.

Caput. LXXXIIII.

ALphonſus decimus filius Fernandi cœpit regnare anno Domini milleſi Anno. M. cc lij.
mo ducenteſimo quinquageſimo ſecundo, regni Hiſpaniæ octingenteſi-
mo viceſimo octauo, & ab eius reparatione quingenteſimo viceſimo, &
regnauit annis triginta duobus. Hic duxit vxorē Violantam filiam Iaco
bi Regis Aragonū, ex qua genuit Fernandū primogenitū, qui ex Blan-
cha vxore ſua filia ſancti Ludouici Regis Francorum genuit Alphonſum, & Fernan
dum, qui vocati ſunt dela Cerda. Obijt autē Fernandus primogenitus viuente Al-
phonſo patre ſuo apud Villam regiā. Genuit autē idem Alphonſus Rex alios filios,
videlicet Sanciū, qui poſt eum regnauit, & Ioannē, & Iacobum, ac Petrū, & Berenga-
riam, & Eleonorē. Et ex concubina genuit Beatricē, quę fuit vxor Alphonſi Regis
Portugallię, ex qua genitus eſt Dionyſius, qui fuit Rex Portugallię. Hic Alphonſus
fuit electus in Imperatorē Romanorū in diſcordia electorum ex eo enim, quod erat de
domo Babarię, voluiſſent aliqui, vt imperaret in Alemania. Habuit autē hic Alphon
ſus vigentē diſcordiam cū Philippo fratre ſuo, & cū multis magnatibus, demum cum
Sancio filio ſuo. Et plurimis laboribus fatigatus ſe retraxit ad Seuillā, vbi obijt morte
cōmuni. Hic fecit cōponi Partitas, quarū legibus regnum regitur. Huic attribuūtur
illę tabulę aſtrologię, quę vocātur Alphonſianę, & etiā illa copioſiſſima hiſtoria, quæ
Generalis dicit. Depingitur Alphonſus ſedens indutus veſte longa, vt mos eſt perito
rum, habens librum in manu, quia ſcientificus fuit, & communiter vocatus Aſtrolo-
gus. Et in latere depingitur Regina vxor eius, & infra eam duo filij, videlicet Sancius
ſecundo genitus cum corona, quia fuit Rex, & Fernandus primogenitus ſine corona,
quia decedens in vita patre na regnum non habuit. Et infra hos duos depinguntur alij
quinq; tres filij, & duæ filiæ, videlicet Ioannes, Iacobus, Petrus, & Berengaria, & Eleo
nor. Hic obtinuit Regnum Murciæ, necnon Xericum, & alia oppida illius con-
tractæ. Concurrentia. Concurrerunt cum Alphonſo, & prope tempora eius in
ſede Apoſtolica Alexander quartus natione Campanus annis ſeptem. Et Vrba-

nus Gallicus quartus annis tribus, & Clemens quartus natione Prouincialis annis tribus, & Gregorius decimus natione Lõbardus annis quatuor, & Innocentius quintus natione Burgundus menſibus quinqꝫ, & Adrianus quintus natione Gebenenſis menſe vno, & Ioannes viceſimus primus natione Hiſpanus menſibus octo, & Nicolaus tertius natione Romanus annis duobus, & Martinus quartus natione Italicus annis quatuor. In ſolio vero Imperij Romani obijt Federicus ſecundus Imperator, & poſt mortẽ eius electores ſe in duo diuidentes, quidam eorum hunc Alphonſum Regem Caſtellæ, quidam vero Ricardum Comitem Coimbriç fratrem Regis Angliæ ad Imperium elegerunt quod ſchiſma multo tempore durauit, necq́ aliquis eorum benedictionem Imperialẽ obtinuit. Anno decimoquarto huius regni Alphonſi obijt ſanctus Ludouicus Rex Francorum, & ſucceſſit ei Philippus quartus filius eius, qui regnauit in Francia annis vigintiquinqꝫ. Iſte fuit triceſimus Rex Francorum. Sederunt autem tempore huius Alphonſi in eccleſia Burgenſi quinqꝫ Epiſcopi, videlicet Aparitius vndecim annis, & Matthæus huius nominis ſecundus duobus annis, & Martinus cognomento de Contreras annis octo, & Ioannes cognomento de Villahaoz duobus annis, & Poſt iſtum vacauit eccleſia Burgenſis ſeptem annis. Quibus expletis Gundiſaluus Conchẽſis Epiſcopus fuit translatus ad eccleſiã Burgenſem, & rexit eam ſex annis. Demum ab ea translatus eſt ad eccleſiã Toletanã.

Caput. LXXXV.

Anno. M. cc. lxxxiiij. SAncius quartus filius Alphõſi decimi cœpit regnare anno Domini milleſimo ducenteſimo octogeſimo quarto, regni Hiſpaniç octingenteſimo ſexageſimo. Et ab eius reparatione quadringenteſimo ſecundo. Et ab vltima vnione regnorum quinquageſimo quinto, & regnauit annis vndecim, duxit vxorem Mariam filiam Alphonſi vocati Infanti de Molina, qui fuit frater Regis Fernandi, qui Seuilliam obtinuit. Et genuit ex ea Fernandũ, qui poſt eum regnauit, & Petrum, & Philippum, & Enricum, qui fuit mutus, & Heliſabeth, quç fuit vxor Regis Britanniæ. Hic Sancius obtinuit Tariſam, quæ fuit vnum de primis oppidis, quod occupauerunt Arabes tẽporibus Roderici Regis. Obijt autem Sancius morte communi. Depingitur in veſte longa, & enſe nudo in manu, quia licet multa bella non geſſit, obtinuit tamen Tariſam. Depinguntur etiam in margine Maria vxor eius, & quatuor filij videlicet Fernandus, qui fuit Rex, & Petrus, & Enricus, qui fuit mutus, & Philippus, & Heliſabeth, quç fuit vxor Ducis Britanniæ. Concurrentia. Concurrerunt cum Sancio, & prope tẽpora eius in ſede Apoſtolica Honorius quartus natione Romanus annis duobus. Et Nicolaus quartus natione Lõbardus annis quatuor. In ſolio vero Imperij Romani Radilphus primus imperauit annis decẽ & octo. Anno ſecundo huius Regis Sancij obijt Philippus quartus Rex Francorũ, & deceſſit apud Gironam Cataloniç, quã tunc obſeſſam tenebat, & ſucceſſit ei Philippus quintus filius eius, qui regnauit in Francia viginti nouem annis. Iſte fuit triceſimus quartus Rex Francorum. Sedit in ſede Burgenſi tempore huius Regis Sancij frater Fernandus de Cucuas ruuias vndecim annis.

Caput. LXXXVI.

Anno. M. cc. xcv. SAncij filius Fernandus quartus cœpit regnare anno Domini milleſimo ducẽteſimo nonageſimo quinto, regni Hiſpaniæ octingẽteſimo ſeptuageſimo primo, & ab eius reparatione quadringẽteſimo ſexageſimo tertio. Et ab vltima vnione regnorũ ſexageſimo ſecundo, & regnauit annis

quindecim, duxit vxorē Conſtanciā filiam Dioniſij Regis Portugalliȩ, ex qua genuit Alphonſum, qui poſt eum regnauit, & Eleonorem, quæ fuit vxor Alphonſi Regis Aragonum. Hic Fernandus obtinuit Gibraltarum, & prima oppida, ad quæ applicauerunt, & occupauerunt Arabes cum Tariſo duce eorum, & Comite proditore, & ab illo nomen receperunt. Nam a Tariſo dicitur Tariſa, & ab eodem nominatū eſt Gebeltariſ, id eſt, mons Tariſ, Gebel enim Arabice idē eſt, quod mons, licet poſt corrupto vocabulo dicatur Gibraltar. Obijt autem Fernandus apud Gienum morte communi. Aliqui dicunt citatum fuiſſe a duobus militibus, quos tanquam homicidas occidi præcepit per formam iuſticiæ apud Marthos, vt compareret coram Deo redditurus rationem triceſima die. Ille vero ægritudine præcedente obijſſe dicitur vltima die termini, quæ caſus ſingularitas aliquos putaſſe fecit, propter hanc cauſam Deum ſic illum vocare voluiſſe. Sed an hoc euenit a caſu, an ex illa cauſa iudicio diuino relinquendum eſt. Depingitur in ætate adoleſcentiæ, quia adoleſcens deceſſit. Depinguntur etiam in margine Coſtancia Regina vxor eius, & duo filij Alphōſus Rex, & Eleonor Regina Aragonum. Concurrentia. Concurrerunt cum Fernando, & prope tēpora eius in ſede Apoſtolica Celeſtinus quintus menſibus ſex, & Bonifacius octauus natione Campanus annis nouem, & Benedictus vndecimus natione Lombardus menſibus octo, & Clȩmens quintus natione Burgundus annis octo, & poſt mortem eius vacauit ſedes annis duobus, menſibus tribus, diebus decem & ſeptem. in ſolio vero imperij Romani Radulfus ſecundus imperauit annis ſex. Sedit au autem in ſede Burgenſi tempore huius Regis Petrus huius nominis tertius cognomento Quixada, huius autem Petri Epiſcopi, & ſequentium Epiſcoporum non reperi certum numerum temporis vitæ eorum, ſed ſolum nomina, quæ collegi ex temporibus Regum, qui eis aliqua priuilegia indulſerunt, & in quorum priuilegijs rotatis Epiſcoporum Burgenſium confirmantium nomina, vt moris eſt, deſcribuntur: ſufficit ergo ſcire nomina eorum, & quorū Regum diebus ſedebant, licet neſciamus deſignare vnicuiq; Regum numerum temporis, quo ſedit, prȩter illorū tempora, qui in ætate noſtra, vel iuxta eam in hac ſede ſederunt, quȩ magis ex memoria, quam per ſcriptum recognoſcimus.

Caput. LXXXVII.

ALphonſus vndecimus filius Fernandi cœpit regnare anno Domini milleſimo trecenteſimo decimo, regni Hiſpanię octingēteſimo octogeſimo ſexto, & ab eius reparatione quadringenteſimo ſeptuageſimo octauo, & ab vltima vnione regnorum ſeptuageſimo ſeptimo, & regnauit annis quadraginta. Duxit vxorem Mariam filiā Regis Alphonſi Portugalliæ, ex qua genuit Fernandum, qui in pueritia deceſſit, & Petrum, qui fuit Rex. Et ex nobili Eleonore de Guzman genuit Enricum, qui poſt Petrum regnauit, & Federicum, qui fuit magiſter ſancti Iacobi, & Sancium, & Tellum Comites, & Petrum, & Didacum, quos duos pueros exiſtentes occidit Petrus. Hic vicit Reges Benamarim, & Granatæ in magno, & famoſo prælio apud flumen Salatum, cui interfuit Alphonſus Rex Portugalliæ ſocer eius. Hic etiam obtinuit Algeziram diuturna obſidione præcedente, obſederat enim eam viginti & tres menſes, obtinuit etiam Alcalam, quam Regalem vocant, & cum teneret obſeſſam Gibraltarum, quam pater eius obtinuerat, et tempore huius Alphonſi per culpam, vel dolum tenentis, quem Alchaidum vocamus, perdita fuerat, & in caſtris peſtis epidi- Anno. M. ccc.x.

miæ vigeret, & a ſuis crebris exhortationibus vrgeretur, vt propter peſtem ab obſi-
dione diſcederet, ex animoſitate cordis non acquieuit, & ex glandula peſtifera infirma
tus obijt feria ſexta in Paraſceue Romano iubileo currēte. Erat enim annus Domi-
ni milleſimus trecēteſimus quinquageſimus, & ſepultus eſt apud Cordubam in eccle
ſia cathedrali cum Fernando Rege, patre ſuo. Depingit̃ Alphonſus in equo armatus,
quia bellicoſiſſimus fuit. Depinguntur in margine Maria Regina vxor eius, & Eleo
nor de Guzman concubina, & infra Mariam Reginam duo filij eius Fernandus, qui
deceſſit puer, & Petrus, qui fuit Rex, & infra Eleonorē ſeptem filij eius, videlicet En-
ricus, qui poſt Petrum regnauit, & Federicus, qui fuit Magiſter ſancti Iacobi, & San-
cius, & Telius Comites, & Petrus, & Didacus, & Fernādus, q in pueritia deceſſerūt.
Concurrētia. Concurrerunt cū Alphonſo, & prope tempora eius in ſede Apoſtolica
Ioannes viceſimus ſecundus annis decem & nouem, & Benedictus duodecimus annis
. Et Clemens ſextus natione Gallicus annis decē. In ſolio vero imperij Romani
Albertus primus imperauit annis . Et Enricus ſecūdus imperauit annis quinque,
anno quarto huius regni Alphonſi obijt Philippus quintus Rex Francorum, & ſuc
ceſſit ei Ludouicus decimus, qui regnauit in Francia anno vno, & iſte fuit triceſimus
quintus Rex Francorum. Anno ſexto huius regni Alphonſi obijt Ludouicus Rex
Anno.M.cccl. Francorum, & ſucceſſit ei Philippus ſextus frater eius, qui regnauit in Francia annis
decem & nouem. Iſte fuit triceſimus ſextus Rex Francorum. Et anno decimo nono
huius regni Alphonſi obijt Philippus Rex Francorum, & ſucceſſit ei Philippus ſe-
ptimus, qui regnauit in Francia annis viginti duobus. Iſte fuit triceſimus ſeptimus
Rex Francorum. Sederunt in ſede Burgenſi tempore huius Regis tres Epiſcopi, vi
delicet Gundiſaluus ſecundus cognomēto de Finoioſa, & Garſias tertius cognomen
to de Torres, & Ioannes quartus.

Caput. LXXXVIII.

Anno.M.cccl. PEtrus filius Alphōſi cœpit regnare anno Domini milleſimo trecen
teſimo quinquageſimo, regni Hiſpaniæ nongēteſimo viceſimo octa-
uo, & ab eius reparatione ſexcenteſimo viceſimo, & ab vltima vnio-
ne regnorum cēteſimo viceſimo, & regnauit annis decem & nouem,
ex nobili Maria de Padilla, quam primo in concubinam habuerat, &
poſt obitum Blanchæ filiæ Ducis Babariæ duxit in vxorē, genuit
Alphonſum, qui obijt in ætate infantili, & Coſtanzā, quæ nupſit Ioanni Duci Alan
caſtrię, ex qua genuit Catharinam Reginam Caſtellę. Hic Petrus Rex occidit Fe
dericum Magiſtrum ſancti Iacobi, & Petrum, & Didacum fratres ſuos, & Ioannem
infantem Aragoniæ, & alios non paucos magnates, & nobiles: voluiſſet autem occi-
dere Enricum fratrem ſuum, ſed contrario res euenit. Nam Enricus prudens, & ma-
gnanimus primo aufugit ab eo, deinde collecta potenti manu Gallicorum regnum
ingreſſus eſt, & recollectis ad eum multis potentibus, & nobilibus de Caſtella abhor
rentibus a Petro Rex intitulatus eſt, & Petrum inſecutus apud Montiel obſedit,
cum effugere putaſſet, auiſatus de fuga eius Enricus ad illum acceſſit, & cum ambo
Reges, & fratres, ſed capitaliſſimi adinuicem inimici in duelli colluctatione pugnarēt,
Petrus ab Enrico occiſus eſt. In cuius obitu ceſſauit inteſtinum bellū, quod propter
hanc fraternam diſcordiam in Caſtella erat, & omnes vnanimiter receperunt. Huius
autem diſturbij tempore Algezira, quę noſtra erat, ab Arabibus occupata, deſtructa
fuit. Depingitur Petrus cum Enrico pugnans, & in terram cadens ab eo occiſus, &

in cicumine montis caſtellum poſitum, per quod Montiel figuratur. Depinguntur in margine blancha Regina, & infra eam Maria de Padilla primũ concubina, demum Regina vocata, & infra eam Coſtanza filia eius, & Ioannes Dux Alancauſtriæ vir ſuus, & infra eos Catharina filia eorum, & Enricus vir eius, qui regnauerunt, & infra in arbore deſcripti ſunt. Concurrentia. Concurrerunt cum Petro, & prope tempora eius in ſe Apoſtolica Innocentius ſextus annis   Et Lombardus quintus natione Lombardus annis   In ſolio vero imperij Romani poſt mortem Enrici Imperatoris electores ſe in duo diuidentes quendam Federicum Ducem Auſtriæ, & quendam Barbariæ ad imperium diſcorditer elegerunt, cuius diſſenſionis cauſa magnum ſchiſma fuit in imperio. Anno primo huius regni Petri obijt Philippus ſeptimus Rex Francorum, & ſucceſſit ei Ionnes filius eius, qui regnauit in Francia annis quatuordecim. Hic fuit victus, & captus ab Anglicis in prælio de Piteos, & iſte fuit triceſimus octauus Rex Francorum. Sederunt in ſede Burgenſi tempore huius Petri Regis duo Epiſcopi Lupus cognomeneo de Fontetha, & Fernandus tertius.

Caput. LXXXIX.

ENricus ſecundus filius Alphonſi cœpit regnare anno Domini milleſimo treceteſimo ſexageſimo nono, regni Hiſpaniæ nõgenteſimo Anno.M.ccc.lxix. quadrageſimo ſeptimo, & ab eius reparatione ſexcenteſimo quadrageſimo, & ab vltima vnione regnorum centeſimo triceſimo nono, & regnauit annis decem. Nam licet duobus annis regnauerit in diſcordia cum Petro, honeſtius tamen videtur, vt illos annos regni ei attribuamus, quibus poſt obitum Petri regnauit, duos vero præcedentes Petro aſcribamus. Hic duxit vxorem Ioannam filiam Ioannis cognomento Emmanuel, & per maternam lineam proneptem infantis Fernãdi primogeniti Regis Alphonſi decimi, qui viuente patre deceſſerat, ex qua genuit Ioannẽ, qui poſt eum regnauit, & Eleonorem, quæ fuit Regina Nauarræ. Obijt autem Enricus ex podagræ infirmitate apud ſanctum Dominicum dela Calciata. Depingitur Enricus in veſte pacifica, quia licet bellicoſus fuit, non tamen cum Arabibus pugnauit. Depinguntur in margine Ioanna Regina vxor eius, & infra eam duo filij Ioannes, & Eleonor Regina Nauarræ. Concurrentia. Concurrerunt cum Enrico, & prope tẽpora eius in ſede Apoſtolica Gregorius vndecimus natione Gallicanus. Poſt obitum eius Cardinales, qui tunc in curia Romana erant decima die obitus eius elegerũt Bartholomęum Archiepiſcopum Barenſem, qui ſibi vrbani ſexti nomen conſtituit. Sed non longe ab hoc Cardinales Romani exierunt, & apud Anaganiam ſe transferentes elegerunt Robertum Cardinalem Gabenenſem in Papam, qui vocatus eſt Clæmens ſeptimus, aſſerentes primã electionem eſſe nullam, eo quod violentia fuit facta. Nam Romani tantum incuſſerunt cardinalibus timorem, quod ad euadendum periculum mortis Bartholomęum in Papam elegerant. Maximũ ſchima fuit hoc, quod durauit per quadraginta annos, quouſq; in concilio Conſtantienſi, quod fuit celebratũ tempore Ioannis Regis ſecundi, extinctum eſt. Adhæſit autem Clæmenti Hiſpania, præter portugalliam, & Galliam. In ſolio vero imperij Romani Carolus quartus Ioannis Regis Bohemiæ filius imperauit annis triginta quatuor, anno quinto huius Regis Enrici obijt Ioannes Rex Francorum, & ſucceſſit ei Carolus quintus, qui regnauit in Francia annis decem & ſex. Iſte fuit triceſimus nonus Rex Francorum. Sedit in ſede Burgenſi tem-

pore huius Enrici Dominicus Epiſcopus. Iſte fuit oriundus de Arruielo villagio Onienſis monaſterij.

Caput. XC.

Anno.M. ccclxxix. IOannes huius nominis primus filius Enrici cœpit regnare anno Domini milleſimo trecẽteſimo ſeptuageſimo nono, regni Hiſpaniæ nongenteſimo quinquageſimo ſeptimo, & ab eius reparatione ſexcenteſimo quadrageſimo nono, & ab vltima vnione Regnorum centeſimo quadrageſimo nono, & regnauit annis vndecim. Hic duxit vxorem Eleonorem filiam Petri Regis Aragonum, ex qua genuit Enricum, qui poſt eum regnauit, & Fernandum, qui fuit Rex Aragonum, qui Fernandus genuit Alphonſum, qui hodie in Aragonia regnat, & Ioãnem, qui regnat in Nauarra, & Enricum, qui fuit Magiſter ſancti Iacobi, & Sancium, qui fuit Magiſter Alcantaræ, & Petrum, qui exitu bombardæ apud Neapolim obijt, & Mariam Reginã Caſtellæ, ex qua genitus eſt Enricus quartus Rex, ac dominus noſter hodie regnans, & Eleonorem, quę nupſit Eduardo Regi Portugalliæ, ex qua genitus eſt Alphonſus, qui in Portugallia regnat. Ioannes Rex hic poſt obitum Eleonoris vxoris ſuæ duxit ſecundam vxorem Beatricem filiam Fernandi Regis Portugalliæ, ex qua nullum filium genuit. Sed propteream graue bellum inter Caſtellam, & Portugalliã exortum eſt. Nam Fernando Portugalliæ Rege ſine liberis decedente, & regno ad Beatricem filiam ſuam Reginã Caſtellæ delato, Ioannes huius vxoris proſequens Portugalliam manu potenti ingreſſus eſt, ac Vlixbonam obſedit, ſed peſte grauiſſima vigente abceſſit, Et anno reuoluto regrediens apud Algibam rotam campeſtre præliũ ex animo ſitate exceſſiua præmature, & non ſpectatis multis de exercitu ſuo, q veniebãt, ac feſſis militibus ſuis, qui in die illa feruente æſtu Aleria oppido ſatis diſtanti venerunt, ſicut minus prudenter tentauit, ſic & infœliciter res geſta eſt. Nam multi ex magnatibus, & nobilibus noſtris, licet viriliter decertantes obierunt. Hic Ioannes, cum Enricus pater ſuus ſchiſmate orto nulli contendentium adhæſiſſet, congregauit prælatos, & proceres regni, & magno tractatu, & deliberatione habitis declarauit pro Clæmẽte ſeptimo, cui, & Benedicto tertio decimo vocato poſt eum adhæſit Caſtella vſq; ad conciliũ Conſtantienſe. Hic Ioannes apud Alcalam de Henares cum quadam Dominica die poſt miſſarũ ſolemnia ante prãdium ſpaciatum forti equo inſidens iret, & calcaribus, vt fieri ſolet cauſa ſolacij, eum ad currendum infeſtaſſet, equus velociter, & fortiter currens in fine curſus in valle quadam offendens cecidit, & Regem ſub ſe, & ſella recipiẽs lignis ſellæ ſtomocho letaliter vulnerato, tam grauiter oppreſſit, quod illico Rex animam exhalauit. Depingitur itaq; ſub equo cadens, quia ſic caſualiter vitã finiuit. Depingũtur in margine duæ Reginæ vxores eius, & Eleonor prima, & Beatrix ſecunda, & infra Eleonorẽ duo filij Enricus Caſtellæ, & Fernandus Aragoniæ Reges, & infra Fernandum ſex filij videlicet, Alphonſus Aragoniæ, & Ioannes Nauarræ Reges, & Maria Caſtellæ, & Eleonor Portugalliæ Reginæ, ac Enricus, & Petrus infantes, filij autem Enrici Regis Caſtellæ infra depingũtur, & prope eum in loco ſuo. Concurrentia. Concurrerunt cum Ioanne, & prope tẽpora eius in ſede Apoſtolica Clæmens ſeptimus in Auinione, & apud Romam prætẽſus vrbanus ſextus. In ſolio vero imperij Romani imperabat idem Carolus quartus, anno ſecundo huius regni Ioannis obijt Carolus quintus Rex Francorum, & ſucceſſit ei Carolus ſextus, qui regnauit in Francia annis   . Iſte fuit quadrageſimus Rex Francorum, iſte

Carolus ex potione ſibi data, vt aliqui putant, vel ex aduerſa valetudine amens factus eſt, cuius amentia ingentia damna Franciæ attulit. Sederunt in ſede Burgenſi tempore huius Ioannis Regis Ioannes quintus cognomento Manrique duobus annis, qui Seguntinenſis, deinde ad Burgenſem eccleſiam, & poſt ex Burgenſi ad Compoſtellanam translatus eſt, cui ſucceſſit Gundiſaluus tertius cognomento de Vargas, qui ſimiliter ex Calagurritana eccleſia ad Burgenſem, in qua ſedit quinque annis, & Burgenſi ad eccleſiam Hiſpalenſem translatus eſt.

Caput. XCI.

ENricus tertius filius Ioãnis cœpit regnare anno Domini milleſimo treccenteſimo nonageſimo, regni Hiſpanię nongenteſimo ſexageſimo nono, & ab eius reparatione ſexcenteſimo ſexageſimo primo, & ab vltima vnione regnorum centeſimo ſexageſimo, & regnauit annis decem & ſex. Duxit vxorem Catharinã filiam Ioannis Ducis Alancauſtriæ, & Coſtancæ filię Petri Regis, ex qua genuit Ioannem qui poſt eum regnauit, & Mariam Reginam Aragonię, quę hodie cum Alphonſo Rege Aragonum viro ſuo in Aragonia regnat, & Catharinam, quæ fuit vxor infantis Enrici Magiſtri ſancti Iacobi. Hic Enricus Rex iuſticię magnus zelator fuit, & in pace regna ſua gubernauit. Erat tamen pro maiore temporis parte infirmus corpore. Geſſit bellum aliquandiu contra Regem Portugalliæ, in quo aliquæ obſidiones, & particularia pręlia nobilium, & gentium adinuicem proceſſerunt, non tamen euenit aliquod pręlium campeſtre generale. Tenuit captum in vinculis Federicum Ducem Beneuenti patruum ſuum, filium Enrici Regis aui ſui ex cõcubina Leonore Ponce. Nec non obſedit Alphonſum filium eiuſdem Regis ex concubina apud Gijonẽ oppidum Aſturiarum, obſeſſus autem Comes Alphonſus aufugit, & ſemper in exilio fuit, & occupauit terras eorum donans alijs magnatibus. Illi vero, alter in vinculis, alter in exilio poſt obitum huius Enrici obierunt. Hic Enricus cum bellum contra Arabes indixiſſet, & Andaluz iam procederet, quatenus licet propter infirmitatẽ corpoream bellicos labores ſubire non poſſet, ſaltem in conuicinia regni Granatę moraretur, vt exercitibus ſuis Arabum regnum intrantibus aptius, & velocius fauorem, & auxilium daret. Apud Toletum ægritudine, quę eum continue premebat vehementius inualeſcẽte in die natalis Domini albeſcente cœlo diem vitę ſuę clauſit extremum. Depingitur Enricus in apparatu honeſtiſſimo regali ſedens in cathedra, & enſem habens in manu propter grauitatem morum, & iuſticiæ zelum, quem habuit, ſicuti alter Rechardus, & iuuenis facie, quia in iuuentute deceſſit incipiente viceſimo octauo anno regni ætatis ſuę. Et depinguntur in margine Catharina Regina vxor eius, & infra eam filij eius Ioannes, qui poſt eum regnauit, & Maria, quę in Aragonia regnat, & Catharina infantiſſa. Concurrentia. Concurrerunt cum Enrico, & prope tempora eius in ſede Apoſtolica idem Clæmẽs ſeptimus, & Benedictus tertius decimus natione Hiſpanus, ſed in ſchiſmate apud Romam vero ſederunt prætenſi Bonifacius nonus, & Innocentius ſextus. In ſolio vero imperij Romani ſederũt idem Carolus quartus, & poſt eum Bladislaus Rex Boemiæ filius eius. Sed iſte non recepit coronam imperialem, nec habuit pacificum imperium, ſed in diſcordia cum Roberto Duce Barbariæ. In ſede Burgenſi Ioannes huius nominis ſextus cognomento de Villa creces, primo Epiſcopus Calagurritanus, & ſedit vndecim annis, & poſt obitum eius vacauit eccleſia tribus annis.

Anno.M. cccxc.

Caput. XCII.

Anno.M. D.vij.

IOannes ſecundus filius Enrici tertij cœpit regnare anno Domini
milleſimo quingẽteſimo ſeptimo, in die enim natalis Domini in quo
pater obierat, ipſe Ioannes Rex acclamatus eſt, regni vero Hiſpaniæ
anno nongenteſimo octogeſimo quinto, & ab eius reparatione anno
ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, & ab vltima vnione regnorum
cẽteſimo ſeptuageſimo ſexto, & regnauit annis quadraginta ſeptem,
erat ætatis viginti mẽſium cum regnare cœpiſſet. Et habuit tutores Catharinam Re
ginam genitricem ſuam, & infantem Fernandum fratrem patris ſui, quos pater in teſta
mento ſuo nominauerat. Demum infante Fernando Rege iam Aragonum facto ab
eunte, cum adhuc Ioãnes impubes exiſteret, ad Reginam matrem ſuam tutela integre
deuoluta eſt. Et paulo poſt Regina decedẽte, Ioãnes in quarto decimo anno ętatis con
ſtitutus abſq; tutoribus mãſit, & in principio quinti decimi anni cõgregatis prælatis,
ac proceribus, & procuratoribus ciuitatũ apud Maioritum cum conſenſu omniũ gu
bernationẽ accepit. Duxit autem vxorem Mariam filiã Fernandi Regis Aragonum
patrui ſui, ex qua genuit Enricum, qui poſt eum regnauit, & regnat, regnabitq; diu-
turnis tẽporibus, vt in clęmẽtia diuina ſperamus, & Catharinã, & Eleonorem, quę in
Francia obierunt. Et poſt obitũ Mariæ Reginæ duxit ſecundã vxorem Eliſabet fi-
liam Ioannis infantis Portugalliæ, qui fuit filius Ioãnis Portugalliæ Regis, ex qua ge-
nuit Alphõſum, & Eliſabet, quos infantulos, & in tenerrima ętate reliquit, quorũ vi-
tam, & ſtatũ Deus proſperare dignetur. Huius Regis tẽpore, cum adhuc in Francia
eſſet, exercitus ſui ſub infante Fernãdo tutore ſuo bellũ, quod Enricus pater ſuus Ara
bibus indixerat, continuantes, Antequeram magna obſidione afflictam occuparunt,
& Zaharam, & aliqua alia caſtalla de Granatæ regno. Deinde illo iam in virili ętate
exiſtẽte, aliqui ex capitaneis ſuis obtinuerunt Ximenã, Hueſcam, Huelmã, & Bena-
marueldum, & multa alia Arabum fortalicia, ex quibus non nulla per Arabes recu-
perata fuerũt, ipſe vero perſonaliter ad ciuitatem tendens prælium cãpeſtre cum Ara
bibus iniuit. In quo Arabes deuicti multis eorum cæſis intra vrbem ſe reduxerunt.
Huius tẽpore Federicus Dux Beneuenti in vinculis, & Alphonſus frater ſuus in exi
lio obierũt. Hic alium Federicum Ducẽ Arionę, necnon & alium Federicum Comi
tem de Luna filiũ Regis Siciliæ ex cõcubina in vinculis poni pręcepit, qui in cuſtodia
deceſſerunt. Necnon alios Comites, & magnates regni Caſtellæ, videlicet Fernan-
dum Aluari de Toledo Comitem de Alba, & Alphonſum Pigmentel Comitem
de Beneuento, ac nobiles viros. D. Enricũ filium Almiranti, & Petrũ Sueri, ac Sue-
rum de Quiñones fratrẽ ſuum capi fecit, & in cuſtodia retineri. Qui omnes diuerſis
modis, & tẽporibus liberati ſunt. Hic etiã captum tenuit infantẽ Enricum Magiſtrũ
ſancti Iacobi conſanguineũ ſuum per trienniũ, & poſtea liberauit. Deinde increſcen-
te diſcordia tam eum, quam Ioannẽ Regem Nauarræ fratrem ſuum, qui in Caſtella
multa oppida, & caſtra tenebant, a regno expulit, cuius occaſione bellum inter Caſtel
lam, & Aragoniã, pariter & Nauarrã aliquandiu duraret. Et cum hi duo fratres, non
nulliſq; ex magnatibus Caſtellæ concomitãtibus regnum manu armata intrarent, &
prope Olmetum prælium campeſtre iniuiſſent, Rex noſter Ioannes, & Enricus pri
mogenitus eius victoriæ gloriam habuerunt. Illi vero victi abſcedentes in Arago-
niam ſe reduxerunt. Hic Rex a pueritia ſua nobilem virum Aluarum de Luna ac-
ceptiſſimum habuit, cuius conſilio præ omnibus adhærebat, illumq; nimium exal-
tauit.

tauit. primo Comitem, deinde Comeſtabilẽ, demum magiſtrum ſancti Iacobi faciendo, quas dignitates in vnius perſona concurriſſe, nunquam auditum eſt. Tantaq; affectione ad eum inclinabatur, vt omnia ad voluntatem eius facere crederetur. Et cum huius amoris exuberantia triginta quinq; annis ſere duraſſet, prope finem tamen iuxta fortunæ morem res aliter ſucceſſerunt. Nam voluntate ex incredibili amore ad incredibile odium mutata, apud Burgis capi illum fecit, & ad caſtrum de Portillo ductum in arcta cuſtodia detineri. Et paulo poſt ſuper criminibus contra eum per procuratorem fiſcalem propoſitis inquiſitione facta decollari mandauit. Decollatus autem eſt apud Vallem oleti in forma iuſtitiæ clamore præconis præcedente in medio plateæ ſuper altum, & magnum ambonem ex ligno ad hoc aptum ædificarunt tapetibus ornatum, & caput eius a corpore abſciſum fixum eſt clauo in vno lignorum. Fuit autem ſepultus in quadam eccleſia extra muros. & poſt ex illa ad eccleſiam minorum translatus. In quo ſingulariſſimo ſpectaculo ſatis cognoſcere potuerunt, qui viderunt, & etiam non videntes, qui audierunt, quanti valoris mundana proſperitas ſit, cum ex ſumma proſperitate ad ſummam aduerſitatem fortunæ rota frequenter, ac velociter humanos ſucceſſus reuoluat. Et vt cognoſcamus quam periculoſiſſima ſit nimia familiaritas Regum, quam nonnulli, vt ſummum bonum, deſiderant, nullo alio exemplo opus eſt, multa enim alia exempla, quæ nos hoc doceant, ante noſtra tẽpora præceſſerunt. Sed hoc inter cætera ſingulariſſimum, & ad inſtruendum nos, & etiam alios, qui poſt nos magnis temporibus ſubſequentur, efficaciſſimum eſt. Obijt autem Ioannes apud Vallem oleti in quinquageſimo anno ætatis ſuæ ex febre quartana, quam habuerat alijs exortis accidentibus, & in domo prædicatorum corpus eius repoſitum fuit, & anno fere reuoluto ad monaſterium de Miraflores prope Burgis, quod ipſe ædificari mandauerat, & pro ſepultura ſua elegerat, ſolenniter translatus eſt. Etenim Alphonſus Burgenſis Epicopus cum honorabili copia obuiam illi vſque ad Pallentiolam exiens, illumque aſſocians vna cum nobilibus Baronibus, Roderico Didaci de Mendoza, & Ioanne de Padilla, qui cum eo a Valle oleti veniebant, multitudine clericorum ex circumuicinis caſtris, & oppidis ad viam proceſſionaliter exeuntibus, ac eccleſiaſticorum, & nobilium ciuium Burgenſis multitudine concomitante ad inſigne monaſterium de Huelgas adductus eſt.

Ibique officio defunctorum, quod Vigilias vocamus, tam per moniales, quam per capitulum cathedralis eccleſiæ eodem Epiſcopo celebrante ſolenniter, ac deuote expleto ad monaſterium prædicatorum, quod ſancti Pauli vocatur, humeris nobilium deportatur. Ibiq; religioſis vigilias deuote dicentibus, nocte tota quieuit ac ſequenti die, quę ſancti Ioannis Baptiſtę erat, ſimiliter humeris nobilium ad Miraflores adductus eſt. Ibiq; ſub panis, & pulchro ornatu, quia domus illa adhuc ædificata non erat, quę tantũ populũ capere poſſet, capella cõſtituta eodẽ Epiſcopo miſſarũ ſolẽnia celebrante, ac ſermonẽ faciente officiũ finitũ fuit, illoq; finito nobiliſſimũ, & regium corpus in ſepulchro ſuo reconditũ eſt, cuius anima in domino requieſcit. Depingitur Ioannes Rex armatus in equo, quia diuerſis bellis fere toto tempore occupatus fuit, tam ſuper ciuilibus diſſenſionibus, quã etiã aliquando contra Reges Aragonum, & Nauarræ, interdum contra Arabes, quod quidem Arabicum bellum ipſe mente gerebat, licet alijs bellicis actibus impeditus continuare nequibat. Depinguntur etiam in margine ex vno latere Maria Regina vxor eius prima, & infra eam

Enricus primogenitus, qui hodie regnat. Cuius vitam, ſtatum & regnum omnipo-
tentia diuina fœliciter dirigere, conſeruare, & exaltare dignetur, & duæ filiæ Cathari-
na, & Eleonor Infantiſſæ, quę in infantia deceſſerunt. Et ex alio latere Eliſabeth vxor
eius ſecũda, & infra eam Alphonſus Infans, & Eliſabeth Infantiſſa filij eorum in infan-
tia conſtituti, quos miſericors Deus cuſtodire velit. Depingitur etiam magiſter Vin
centius ordinis prædicatorum, qui huius tempore claruit. Cuius vita, & doctrina ta-
liter ſplenduerunt, vt congrue mereatur canonizari, & cathalogo ſanctorum apponi.
Concurrentia. Concurrerunt cum Ioanne, & prope tempora eius in ſede Apoſtoli-
ca idem Benedictus tertiuſdecimus apud nos durante ſchiſmate, & apud Romanos ſe
derunt prætenſi Innocentius ſextus, & Gregorius decimus, & Alexander quintus &
Ioannes viceſimus tertius. Schiſmate autẽ per concilium Conſtantienſe ſublato ſedit
Martinus quintus natione Romanus in vnitate obedientiæ annis tredecim, & Euge-
nius quartus natione Venetus annis decem & ſex, & Nicolaus quintus natione Ianu
enſis de Cerezana annis decem & ſex, vſq; ad obitum eiuſdem Ioannis. In ſolio vero
Imperij Romani imperauit Siſemundus viginti & tribus annis, & coronam Imperij
recepit. Et poſt eum Albertus Dux Auſtriæ gener eius quatuor annis, ſed diadema
imperiale non habuit. Ac illo defuncto imperauit Federicus Dux Auſtrię nepos Al
berti, qui hodie imperat, & per Nicolaum Papam coronatus eſt Romæ. Tempore
autem huius Regis Ioannis deceſſit Carolus ſextus Rex Francorũ, qui compos men
tis non erat. Et ſucceſſit ei Carolus ſeptimus filius eius, qui hodie regnat. Hoc tem-
pore propter peccata Chriſtianorum, quę interdum Deus viſibilibus flagellis caſti-
gare decreuit, capta eſt Conſtantinopolis a Turcis occiſo Imperatore Gręcorum, &
alijs plurimis. Sed Romanus Pontifex, & nonnulli Principes ad eius recuperationẽ
cum Dei auxilio operam dare intendunt, ſperamuſq; in diuina miſericordia, quod re-
cuperabitur, ſicuti alijs temporibus perdita, & recuperata fuit. In eccleſia autẽ Burgen
ſi tempore huius Regis ſederunt quatuor Epiſcopi, videlicet Ioannes ſeptimus cogno
men Cabeça de vaca ſex annis. Hic fuit primo Epiſcopus Conchienſis. Et Alphon
ſus de Illeſcas anno vno & dimidio, hic fuit primo Epiſcopus Zamorenſis, & va-
cauit eccleſia Burgenſis anno vno, & Paulus annis viginti, hic fuit primo Epiſco-
pus Carthaginenſis, & ædificauit eccleſiam beati Pauli cum ſacriſtia, & capitulo pro-
pe muros Burgenſis, compoſuitq; additiones ad Poſtillam Nicolai de Lyra ſuper
Biblia, & librum, qui dicitur Scrutinius ſcripturarũ. Et Alphonſus huius nominis
ſecundus cognomento de Cartagena, qui nunc ſedet, ſedebitq; quandiu diuinæ proui
dentiæ placuerit.

Caput. XCIII.

ENricus huius nominis quartus filius Ioannis ſecundi cœpit regna-
re viceſima quarta die menſis Iulij anno Domini milleſimo quadrin
genteſinmo quinquageſimo quarto, regni Hiſpaniæ milleſimo viceſi
Anno.M. cccc liiij. mo ſeptimo. Et ab eius reparatione ſeptingeſimo viceſimo quarto.
Et ab vltima vnione regnorum ducenteſimo octauo, ętatis vero ſuę
anno triceſimo, & regnat hodie, ſperamuſq; in Dei miſericordia,
quod regnabit fœliciter diuturnis temporibus. Hic in principio regni ſui conuocatis
prælatis, ac proceribus regnorum ſuorum, necnon procuratoribus ciuitatum recepit
ab eis omagium fidelitatis iuxta leges peritorum, ac morem ab antiquis temporibus
ſeruatum. Poſtea vero intra breue tempus patrauit differentiam, quæ cum Ioanne

auunculo ſuo Rege Nauarræ erat. Quia ſe prætendebat grauatum in confiſcatione bonorum ſuorum, quę in Caſtella habet, facta per Ioannem patrem ſuum, & aſſignata ei certa quãtitate in redditibus regnis ceſſit omni iuri, quod prętendebat. Reconciliauitq;, & recepit ad gratiam ſuam Federicum Almirantum, qui extra regnum vagabatur, liberauitq; a cuſtodia Comitem de Alba, qua per ſex annos, & vltra detentus fuerat, reſtituens vtriq; iſtorum bona ſua, quæ eis ablata fuerant per Ioannem Regem. Pacatiſq; ſuis, & alijs patentibus differentijs, quæ in regno erant, diſpoſuit bellare contra Mauros, & mira celeritate ſe poſuit cum exercitu ſuo in conſpectu ciuitatis Granatæ. Et enim diſcedens in ſecunda feria poſt Dominicam in paſſione a Segouia ciuitate ſibi gratiſſima, quam prę cæteris ciuitatibus pro habitatione, & recreatione ſua ſolet eligere in quarta feria intra octauas Paſchę apparet cum quinq; millibus equitũ prope muros Granatæ. Quæ itinerandi velocitas etiam vni equiti expedito, hoſtiũ incurſum non timenti, ſed per tutas vias equitanti, ac tanta diſtantia viarum ſatis congrua fuiſſet. Inſpectoq; diſtrictu diligenter per quatuor dies regreſſus eſt ad Ecijam, & paucis diebus interpoſitis, dum ſegetes creſcebant, ingreſſus eſt territorium Malacæ, ibiq; moram trahens per quindecim dies vaſtauit diſtrictum eius. Demum venit Cordubam, vbi celebrauit nuptias cum Ioanna Regina vxore ſua filia Eduardi Regis Portugalliæ, diuerterat enim iam ex aliquibus cauſis autoritate Nicolai Papæ quinti a Blancha filia Ioannis Regis Nauarrę, quã primo habuerat. Expleuit autem benedictionẽ nuptialem Archiepiſcopus Turonẽſis, qui in regia curia tunc erat, Orator Caroli ſeptimi Regis Francorum. Celebratis vero nuptijs cõfeſtim intrauit iterum diſtrictum Granatæ maiore cohorte magnatum, & militum aſſociatus. Ibant enim iam cum eo Ioannes de Guzman Dux Merinæ, Federicus Almirantus, Petrus Giron Magiſter Calatrauę, Eneeus Lupi de Mẽdoza Marchio ſanctę Iulianę, Ioannes Patheco Marchio Villenæ, Aluarus de Aſtuñiga Comes Placentinus, Alphonſus Pigmentel Comes Benauentanus, Fernandus Aluari de Toledo Comes de Alua, Ioannes Manriq̃ Comes de Caſtañeda, Ioannes Ponze de Leon Comes de Arcos, Rodericus Manriq̃ Comes de Paredes, & Ioannes de Luna Comes de ſancto Stephano, & Gabriel Manriq̃ Comes de Oſorno. Et aliqui alij magnates, & multi alij nobiles, dimiſerat autem Alphonſum Carrillo Archiepiſcopum Toletanum, & Petrum Fernãdi de Velaſco Comitem de Haro in gubernatione harum regionum, quæ citra montes ſunt, qui apud Vallem oleti exiſtentes terras ſibi commiſſas ſolerter, ac prudenter in abſentia Regis rexerũt. Rex vero cum exercitu ſuo prope Granatã moram trahens per viginti dies vaſtauit Vegam, & circum vicinam regionem, quibus vaſtatis redijt ad Ecijam. Et licenciauit Marchionẽ ſanctæ Iulianæ, & Comites Placentinum, & Beneuentanum, & de Alua, alioſq; magnates, qui verſi ſunt ad domos ſuas. Ipſe vero Rex manens apud Andaluziam cum gentibus terrę, & alijs magnatibus, & nobilibus citra montaneis, qui cum eo remanſerant, aliquos alios ingreſſus fecit in terris Maurorum, adueniente vero hyeme redijt citra montes ad Abulã, & Segouiam, nunc vero incipiente anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſexto profectus eſt ad Andaluziam ea intentione, vt bellum contra Mauros toto conatu continuet. Deus omnipotens, qui eſt Dux omnipotens, qui eſt dux exercituum catholicorum proſpere dignetur dirigere greſſus eius, & ſub manu ſua fidei Catholicæ terminos ampliare, proteruiamque hoſtium ſanctæ Crucis potenter humiliare. Depingitur Enricus in equo armatus, quia ſuccepto ſceptro regio confeſtim bellum

Mauris indixit, & ad modum Ginetari, qui hac ſpecie equitandi libentius, & frequentius vtitur. Obijt tempore huius Enrici Nicolaus Papa quintus, & ſucceſſit in Apoſtolica ſede Calixtus tertius natione Hiſpanus de regno Valentiæ. In ſolio vero imperij Romani idem Federicus quartus, & in regno Franciæ idem Carolus regnauit. In ſede Burgenſi idem Alphonſus ſecundus.

Caput. XCIIII.

HAEC fraternitati veſtræ fratres chariſſimi, vt audiſtis, deſcripſi breuitati nimium defferens, vt compendioſę arboris deſcriptionem decebat, produxicꝫ vſcꝫ ad vltimū Februarij diē anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſexto, quę autem in futurum euenięt, futuri ſcriptores depromant. Nos vero Reges hos, quos deſcripſimus, præſertim illos, qui fide, ac virtutibus lucidius claruerūt, in orationibus noſtris ad memoriā reducamus. Nūquam obliuioni tradi ſinentes Alphonſum ſextū qui hanc honorabilē ſedē ab Vrbano ſecundo erigi, ac ſedi Apoſtolicę immediate ſubijci precibus deuotis obtinuit. Illamcꝫ tam in capite, quam in membris plurimis dotauit. Necnon & alios inſignes Reges ab eius femore deſcendentes, a quibus diuerſa beneficia prædeceſſores noſtri, ac nos temporibus diuerſis recepimus. Romanoſcꝫ Pontifices, quorum Burgenſes præſules ſpeciales ſuffraganei ſunt Pontifici futurorum bonorum Chriſto Ieſu Domino noſtro ſpecialiter commēdemus, illos etiam dignum eſt, vt orationum noſtrarum memoria recipiat, qui hanc eccleſiam regentes in cathedra Burgenſi ſederūt, quos ſuis locis incouncrrētię ſine nominatos videtis, omnipotentis Dei clæmentiā implorantes, vt eorum ex illis, qui iam in patria cœleſti recepti ſunt, deprecationes nos foueant. Illos vero, qui adhuc in purgatorio forſam manent, noſcꝫ cum illis, quando ab hac vita euocati a carcere huius corporis diſceſſerimus, intra illam cœleſtem Ieruſalem, quæ a miſerijs huius vitę temporalis exuta diuina gaudet fruitione, miſericorditer dignetur admittere. Qui in trinitate perfecta viuit, & regnat Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Regum Hiſpanorum, ac Romānorum Imperatorum, ſimul & ſummorum Pontificum, ac aliorum anacephalæoſis Finis.



EPISCOPI GERVNDENSIS PARALIPOMENON HISPANIAE LIBRI DECEM ANTEHAC NON EXCVSSI.

CVM IMPERIALI PRIVILEGIO.

APVD INCLYTAM GRANATAM.
ANNO. M. D. XLV.
Menſe Octobri.

QVEMADMODVM ALIBI TESTAti ſumus, nulla alia fuit ratio, quæ nos impelleret lector candide, vt haſce duas Chronicas cum Nebriſſenſis hiſtoria annecteremus, niſi quia quæ ab illo ſcripta fuerant, non ita numeroſa erant, vt ad legitimam codicis magnitudinem excreſcerent. Ob eam igitur rem adiunximus, præter Roderici Archiepiſcopi Chronicorum libros nouem ſuperius poſitos, etiam hos Paralipomenon Hiſpaniæ libros decem, tum quia de rebus in Hiſpania geſtis diſputabant, tum quod antehac excuſſi non fuerant, neque congruentiorem locum ſortiri poterant, quam hunc: vt attexerentur alijs hiſtorijs de eadem materia tractantibus. Cæterum ordinem in illis digerendis non obſeruauimus, nam ſi id feciſſemus, hæc in primo, Roderici Archiepiſcopi Chronica in ſecundo, Nebriſſenſis vero hiſtoria vltimo loco collocari debuerat. Nam præſens autor de ijs, quæ ante Gothorū in Hiſpaniā aduentū a Romanis geſta ſunt, ſcribit. Rodericus autem ab aduentu Gothorū operis ſui exordium auſpicatur, his omnibus recentiora ſunt, quę a Nebriſſenſe diſſeruntur. Sed potius in hoc auiditatem lectorum ſecuti ſumus, vt ea priori loco apponerentur, quibus maxime lectorem capi poſſe ſperabamus. Nemo eſt enim, qui non malit, auſpicatiſſima Ferdinandi & Eliſabes Hiſpaniarum Principum geſta cognoſcere, quam ea quæ a prædeceſſoribus Hiſpaniæ Regibus patrata fuerant, prçterea nullus eſt, qui non magis in actorum, quæ ab Hiſpanis Regibus confecta ſunt, quam eorum, quæ a Romanis, lectione moretur. Id propterea prædicti ordinis veſtigijs in collocandis hiſtorijs inhæſimus. Sed iam finem admonitioni meæ imponam, ſi illud vnum prius dixero, nos de huius autoris proprio nomine (nam exemplar non habebat) plæroſque viros doctos fruſtra conſuluiſſe, illud tamen ex eius ſcriptis colligere licuit, Gerundenſem fuiſſe Epiſcopum, hiſque decem libris Paralipomenon, hoc eſt, relictorum Hiſpaniæ titulum indidiſſe. Sane eius ſtylus longe terſior, quam Roderici oratio, quę nihil niſi Gothicum ſonat, magiſq́ eius dicendi character, ad hæc noſtra ſęcula, quibus bonę literę mirifice repubuerūt, accedit.
Hominemq́ fuiſſe eruditum variędq́ lectionis autorū caterua, quos citat,
oſtēdit. Exēplar tamē, quo vſi ſumus, adeo erat ꝑperam ſcriptū ma
nu cuiuſdā imperitiſſimi librarij, vt in aliquibus locis in lite
rarū agnitiōe nobis eſſet repueraſcēdū, vt Hercules nō
plus laboris in expugnādis mōſtris, q̃ nos
in expurgādis huius codicis mendis,
ſumpſiſſe videatur. Hęc ſunt,
q̃ te, lector optime, latere
nolui. Vale ex offi
cina noſtra
litera
ria.

ANNO. M. D.XLV.

INDEX EORVM, QVAE IN HIS decem Hiſpaniæ Paralipomenon libris cõtinentur, per.a.priorem folij faciem, per.b.poſteriorẽ deſignamus.

Avtoris proœmium, in quo Fernando & Eliſabe Caſtellæ & Aragoniæ Regibus præſens opus conſecrat. Folio.i.A.
De hiſtoriographis Hiſpaniæ. folio.i.b.
Europæ diuiſio. folio.ij.b.
Hiſpaniæ terminatio. fo.ii.b.
Diuiſio Hiſpaniæ. fo.iij.a.
Hiſpaniæ deſcriptio, & terminatio per maritima littora, & Pyrenæum. fo.iij.b.
Deſcriptio Hiſpaniæ per Mediterranea. fo.iiij.b.
De terra Ruſcillonis an ſit in Hiſpania. fo.v.b.
Hiſpania quot nominibus ab antiqorib⁹ appellata ſit. fo.vi.a.
Quot nationes & populi vſq; ad noſtra tempora Hiſpaniam obtinuerunt. fo.vi.b.
De primis Hiſpaniæ incolis. fo.vij.a.
De Iberis & Celtis, vnde Celtiberi. fo.vij b.
De vrbibus Hiſpaniæ ante Herculis aduentũ fo.viij.a.
De Regib⁹, qui añ Herculẽ i Hiſpania regnauerũt. fo.viij.b.
Quæ de Celtiberis & Celtis ſcripſerunt antiqui hiſtorici et poëtæ. folio.ix.a
De Pyrenæis montibus ac metallis eorum. fo.ix.b.
De prouincijs Hiſpaniæ quæ nomina mutauerunt. fo.x.b.
De citeriori Hiſpania. fo.xi.b.
De montibus Hiſpaniæ, qui nomina mutauerunt. fo.xiij.a.
De fluminibus, quæ nomina mutauerunt. fo.xiiij.a.
De vrbib⁹ Hiſpaniæ, q̃ ꝓpria nomina mutauerũt. fo. xiiij.b.
De vrbibus quæ quondam in Hiſpania florentiſſimæ ſunt deletæ. folio.xvij.b.

LIBER SECVNDVS.

De aduentu Herculis in Hiſpaniam. fo.xix.a.
De origine Herculis noſtri, & eius ſceleribus. fo.xx.a.
De pluribus alijs Herculibus. fo.xxi.a.
De vrbibus ab Hercule in Hiſpania conditis. fo.xxi.b.
De reditu Herculis ab Hiſpania in Græciam. fo.xxii.b.
De aduentu Teucri, & aliorum Græcorum in Hiſpaniam et vrbibus ab eis conditis. fo.xxiij.b.
De Galatis & eorũ nomine & unde prodierũt. fo.xxiiij.a.
De aduẽtu Phocẽſiũ in Hiſpaniã, et vrbe Emporia. fo.xxv.a.

LIBER TERTIVS.

De Tirijs & Sidonijs, vnde Carthaginenſes, & Gaditani originem habuerunt. fo.xxv.b.
Quomodo Carthaginenſes Hiſpaniæ poſt Græcus dominium obtinuerunt & per longa ſecula tenuerunt. fo.xxvij a.
De Colonijs & vrbibus à Carthaginenſibus in Hiſpania cõſtructis. fo.xxvij.a.

LIBER QVARTVS.

De his. quæ geſta ſunt in Hiſpania durante primo bello Punico. folio.xxviij.b.
De diuiſione Hiſpaniæ in pace primi belli Punici, & morte Amilcharis. fo.xxix.a.
De violato fœdere pacis, & obſidione Sagunti. fo.xxix.b.

LIBER QVINTVS.

De ſecundo bello Punico & exercitu Romanorum aduerſus Hannibalem. fo.xxx.a
Gnei Scipiõis aduẽt⁹ in Hiſpaniã, Emporiũq; vrbẽ. fo.xxx.b
De Tarracona vrbe, & alijs vrbibus à Romanis in Hiſpania conditis. fo.xxxi.a.
De gente Nauarrorum, & vrbe Atanagro quæ hodie Pampilona dicitur. fo.xxxi.b.
Quomodo Publius Scipio Gnei frater Conſul & Imperator in Hiſpaniam venit, & fratri iungitur. fo.xxxij.b.
Quomodo Sciplones duo, alter terra, alter mari ex concordia bella geſſerunt. fo.xxxiij.a.
Literæ Carthaginenſium ad Haſdrubalem vt in Italiam tranſeat relicta Hiſpania. fo.xxxiij.a.
De morte duorum Scipionum in Hiſpania Publij videlicet & Gnei. fo.xxxiiij.b.
Cai⁹ Nero à Senatu Impatòr ĩ Hiſpaniã mittit. fo.xxxvij.a.
Publius Cornelius Scipio filius alterius Publij annos natus. xxiiij. creat Cõſul, & in Hiſpaniã mittitur. fo.xxxvij.a.
Dira & maxima prodigia. fo.xxxviij.a.
Captio nouæ Carthaginis in Hiſpania à Scipiõe. fo.xxxviij a
Præliũ Publij Cornelij Scipiõis cõtra Haſdrubalẽ. f.xxxix.b
De tranſitu Haſdrubalis in Italiam ab Hiſpania. fo.xl.b.
De prælio ac morte Haſdrubalis. fo.xli.a.
Hanno Pœnorum Imperator ex Africa in Hiſpaniam mittitur. foliu.xlij.b.
Prælium. M. Syllani cum nouo Imperatore Pœnorum Hannone, & Magone. fo.xlij.b.
Obſidio et captio Ortigis vrbis p Luciũ Scipionẽ. fo.xliij.a.
Pugna Scipionis cum Haſdrubale Giſconis filio, & fuga Haſdrubalis in Oceanum & Gades inſulam. fo.xliij.b.
Quomodo Carthaginenſes vltimu ex Hiſpania ſunt expulſi. folio.xliiij.b.
Quomodo Scipio & Haſdrubal ad Syphacem Maſſiliorum Regem uenerunt pro fœdere. folio.xliiij.b.
Scipio patri patruoq; exequias facit, & reddit Dijs vota ꝓ vindicta. fo.xlv.b.
Aſcapa vrbs Carthaginẽſiũ igne ferroq; vaſtatur. fo.xlvi.a.
Infirmitas Scipionis, & quæ mala pertulit. fo.xlvi.b.
Quomodo puniti ſunt tantæ ſeditionis autores. fo.xlvij a.
Fugat iterũ Hãno ꝓfect⁹ Magonis à Lucio Marcio. f.xlvij.a
Prælium Scipionis, & Indibilis, ac Mandonij Celtiberorum Regulorũ, qui aduerſus Romanos rebellarant. fo.xlvij.b.
Mago pœnorum Dux à Gadibus ad minorem Balearium inſulam cum claſſe hibernaturus venit. fo.xlix.a.
Scipio obtenta Hiſpania Romam reuertitur atq; Conſul creatur, eiq; Sicilia & Africa aſſignatæ ſunt. fo.xlix.b.
Mago Amilcharis filius à portu & vrbe Magone minoris inſulæ Balearis exercitum Genuam traijcit, & vrbem ui cœpit, Indibiliſq; defectio & pugna. fo.xlix.b.

LIBER SEXTVS.

De iis, quæ geſta ſunt in Hiſpania, & quomodo Pœnis expulſis vſq; ad tempora ciuilis belli quieuit Hiſpania à bellis annis fere decem, in quibus Carthago magna capitur à Scipione. foliu.l.a.

❧

INDEX.

Marcus Portius Cato conſul cum exercitu in Hiſpaniam venit. folio.l.b.
Rebellio Turditanorum & prouinciæ cis Iberum, propter quam illis arma adempta ſunt. folio.lij.a.
Prælium Heluij cum Celtiberis. folio.liij.a.
Capitur Toletum parua vrbs, & Olliba quæ nunc Olith dicitur, & oppidum Lycabrum, ac Rex Corbilio. fo.lij.a.
Lucius Emilius Paulus contra Luſitanos tumultuario exercitu pugnat. folio.lij.a.
Publ9 Catin9 prætor in Hiſpania moritur ex vulnere. fo.lij.b.
Prœliū. Q. Fuluij Flacci cū Celtiberis. fo.liij.a.

LIBER SEPTIMVS.

De tertio Punico bello, & primoque modo Scipio Cornelius Aemilianus Carthaginē ac Numātiā euertit. fo.liij.b.
De Viriato Hiſpanorum Duce. fo.liij.b.
Brutus vniuerſam Galliam occupat. fo.liiij.a.
De Numantia vrbe, quæ fuit quondam Hiſpaniæ decus, & eius ſitu. folio.liiij.a.
Numātia vrbs Hiſpaniæ dec9 crematur à ciuib9 ſuis. fo.liiij.b.
Mors Scipionis Aemiliani. fo.lv.a.

LIBER OCTAVVS.

De geſtis in ciuili bello inter Marium & Syllam, & primo de origine Caij Marij, & eius moribus. fo.lv.a.
De origine Syllæ eius conditionibus. fo.lv.b.
De cauſis diſſenſionis inter Marium & Syllā. fo.lvj.a.
De Cædibus quas Marius in vrbe fecit. fo.lvj.b.
De malis, quæ Sylla Romæ operatus eſt. fo.lvj.b.
De origine Gnei Pompeij magni, & eius ſucceſſu. fo.lvij.a.
Pompeius quo modo Magnus ſit appellatus & in Hiſpaniam mittitur. fo.lviij.a.
De Sertorio & Appio Metello. fo.lviij.b.
De morte Sertorij & Perpennæ. fo.lix.a.
De Marij morte. fo.lx.a.
De Syllæ obitu. fo.lx.a.

LIBER NONVS.

De ciuili bello inter Cæſarem & Pompeium & eorum progreſſibus vſq; ad Augustum Cæſarem, & primo de origine Caij Iulij Cæſaris. fo.lx.b.
Caius Iulius Cæſar in vlteriorem Hiſpaniam Quæſtor miſſus eſt. folio.lxi.b.
Caius Iulius Cæſar creatur Conſul, ſibiq; decernitur prouincia Galliarum & Illiricum. fo.lxij.a.
Initium ciuilis belli Caij Iulij Cæſaris & Pōpeij. fo.lxij.b.
Quomodo Cæſar à Rauenna fines populi Romani aggreditur, & in vrbem properat. fo.lxiij.b.
Pompeius à Luceria digreſſus Brundusium Apuliæ petijt, cū Cæſar inſequitur, & obſidet. fo.lxiiij.b.
Cæſaris epiſtolæ tres. fo.lxv.a.
Cæſar Romā intrat & inde in Hiſpaniā properat. fo.lxv.a.
Prælia Cæſaris apud Ilerdam vrbem cum Lucio Afranio, & Marco Petreio. fo.lxvi.a.
Superatis Lucio Afranio & Marco Petreio Cæſar Marcū Varronem inſequitur in vlteriorem Hiſpaniam. fo.lxx.a.
Cæſar obtenta omni Hiſpania & Maſilia Pompeium inſequitur. fo.lxxj.a.
Præliū Cæſaris et Pōpeij in Theſſalia. fo.lxxij.a.
De morte Pompeij, & bello Alexandrino & Africano à Cæſare geſto. folio.lxxiij.a.
Cæſar iterum in Hiſpaniam venit ad perſequendum Pompeij liberos. fo.lxxiij.b.
Bellum ad Cordubam à Cæſare ſecundo geſtū. fo.lxxiij.b.
De bello Cæſaris ad Mundam geſto contra Gneum Pompeium. folio.lxxiiij.b.

LIBER DECIMVS.

De geſtis in Hiſpania ab Auguſto Cæſare & alijs imperatoribus vſq; ad Theodoſium, & quomodo Octauianus Auguſtus Cæſar ſumpſit imperium, & eſt cognominatus Auguſtus. fo.lxxvj.a.
De aduentu Auguſti Cæſaris in Hiſpaniā. fo.lxxvj.b.
Probatio qđ edictū ab Euāgeliſta Luca nominatū decretū ſit Tarracone, & de differentijs annorum edicti & Chriſti natiuitatis. olio.lxxvij.a.

FINIS.

AVTORIS PROEMIVM, IN QVO FERNANDO ET ELISABAE Caſtellæ & Aragoniæ Regibus præſens opus conſecrat.

CVM DESCRIPSISSEM LIBRIS decem obliterata Hiſpaniæ, quibus illa dignius conſecrare potui, quam vobis ſereniſſimis Ferdinando & Eliſabe Regi & Reginæ Caſtellę & Aragonũ: Qui ſuccedentes paternis & auitis regnis, ipſa coniugali copula, vtriuſq; Hiſpaniæ citerioris & vlterioris vnionem feciſtis. Quæ a Romanorũ & Gothorum temporibus ſemper diuiſa nunq̃ ſub eodem imperio perſtiterunt. Accedit ad hoc non modo autoris deuotio in eius benemeritos Reges & Dominos, ſed & virtutis laus & omniũ preconium de ſuſcepto bello aduerſus illũ Beticũ ac Machometicũ Regẽ, qui per multa tẽpora ipſius Hiſpanię partẽ occupatã tenuerat, in magnum Regum Hiſpaniæ non minus opprobriũ q̃ iacturã. Quoniã ſi ab ipſa pellatur Hiſpania ipſius ꝓuincię pene omne imperiũ apud nos ſit neceſſe eſt, & Chriſtiani nominis religio in tota ipſa colatur Hiſpania. Ex qua re cõſecuturi eſtis ęterna vita p̃mium, immortalẽq; gloriã & honorẽ: vt cõſtituamini ſupra oẽs Chriſtiani nois Reges & principes ſęculi noſtri decus & gloria. Quũ videamus huius ętatis noſtrę Principes nõ modo ad dilatandã Catholicam fidẽ non elaborare, verũetiã vim, quã cõtinue Turcus Chriſtiani nominis hoſtis in Chriſticolas infert, propullare recuſent, ac negligãt. Alij ſecũ paciſcentes, alij tributa illi pendentes, alij ſomno & deſidiæ vacantes. Ex quo factum eſt, vt ętate noſtra Turcus ipſe tranſacto Helleſpõto Bizãtium, primũ illiuſq; imperium, inde vniuerſam Græciã, Dalmatiã, Macedoniã, Epirum, aliaſq; plures prouincias, magnã inſuper Europę partem a veri Dei religione cultuq; auerterit, & occupauerit. Adeoq; creuit eius audacia, vt Rhodum vnicum Chriſtianę religionis propugnaculũ obſidere, & fines Italiæ inuadere ac vaſtare non dubitarit, nobilemq; Hidronti vrbem in Apulia expugnare, ac diripere incolis trucidatis. Vos autem ſereniſſimi Reges huic cladi velociſſime occurriſtis munitiſſima ac opulentiſſima claſſe, cæteriſq; dormitantibus Pontificem maximũ, cæteroſq; potẽtatus Italiæ veſtris legationibus ſolicitaſtis ad vindicandũ tantam Chriſtianæ religionis offenſam. At vbi omnium torpentes animos comperiſtis, animum erexiſtis ad eliminandam ab Hiſpania Machometicam ſectam, omnium anteceſſorũ veſtrorũ irreligionẽ ac negligentiã emendando. Suſcipite igitur ſereniſſimi Reges opus oblitorũ Hiſpaniæ, cuius præclara antiquitas nulli prouinciarũ non modo Europæ verum nec totius orbis cedit. Cuius exordia ſiluiſſe, vſq; ad noſtra ſæcula Hiſpanis tãquam in fine mundi iacentibus obſcuritatẽ tribuit. Arguitq; priſcorum aut ignorantiã, aut negligentiã. Eoq; potiſſimum glorioſum viſum eſt huius operis ſumpſiſſe laborẽ, quoniam per illum video prouinciæ afferri ſplendorem. Et illud glorioſius conſideratum eſt, ꝙ ipſa obliterata inſtaurari contigerint temporibus vitæ veſtrę, quorũ ætate & imperio non dubito nobiliſſima primordia prẹclariſſimis veſtris operationibus illuſtrari.

DE HISTORIOGRAPHIS HISPANIAE.

CVM INTER RERVM MAXIMAS Hiſpanię vbertates, illius precipua a ſcriptoribus geſta accuratiſſime perſcrutarer, tantam huiuſce rei ariditas exhibuit admirationẽ, quod nõ leuem attulerit, ſi quo modo fieri potuit, vt inde tot viri clariſſimi procedẽtes, Hiſpaniæ tan grandia clariſſimaq; geſta ſcripturis tradere ſint obliti. Et quoniam inter omnes, quos memoria hactenus celebrauit, quatuor recoluntur, quorum tres laudabiles, quartus vero tolerabilis iudicantur. Laudabilis enim Trogus Pompeius Hiſpanus, quẽ Iuſtinus mirabili eloquentia abbreuiauit. Paulus Oroſius Tarraconenſis, & Iſidorus Hiſpalenſis: tolerabilis Rodericus Toletanus. Cæteri vero ignorantium caterua plurima, qui diuinationes & ſomnia cõtexuerunt. Quia tamẽ ſuperiores tres, ſinguli ſua hiſtoria delectati, nobiliſſima maximaq; Hiſpanię geſta prętermiſerũt. Quũ Trogus Põpeius, quem Iuſtinus abbreuiauit licet Hiſpanus Grecorum ac Aſiaticorum geſta, potius quam propriæ prouinciæ, deſcribere delectatus, in eius opere ex quatuor & quadraginta libris vltimum Hiſpanis concedere eſt dignatus. Oroſius inſuper, cũ rogatu Auguſtini Romanorum hiſtoriam ſeu verius cũctarum gẽtium clades deſcripſiſſet, ex cuius ſcriptis Auguſtinus factus inſtructior librum de ciuitate Dei in medium protulit, quæ maxime ad Hiſpanos pertinebant, omiſit: niſi quatenus ad Romanorum tempora pertinuerunt. Iſidorus vero ſacram hiſtoriam inſecutus ab Adam principium ſumens tempora cum illorum calendarijs breuiſſima compreſſione notauit vſque ad Iuſtiniani iunioris tempora, in quibus aliqua & non multa de Gothorum ſucceſſibus inſeruit. Cuius opus inſtitutionemq; proſecuti Aldephonſus Toletanus & Sulpitius aliqua etiam de Gothorum ſucceſſibus addiderunt. Quartus vero Rodericus, & ſi ab aduentu Herculis in Hiſpaniam hiſtoriam exorſus ſit, inde tamen tanquam ſuper prunas gradiens, neque in ea hiſtoria diutius immoratur, quoniam & aliqua minus vera interſerens maiora ac potiora dimiſit: & tantum in Gothorum proſecutione, & in ijs, quæ recentiſſimis temporibus occurrerunt, verſatus eſt. Quum vero compererint inter omnes mundi prouincias maximam nobiliſſimamque Hiſpaniæ antiquitatem maximis laudibus extollẽdam, & exterarum gentium cõmentarijs ac varijs libris atque deſcriptionibus labore maximo cõprobatam, non potui calamum continere. Quin licet ſtylo rudi incompoſitoq; ſermone ſcripturus eandem antiquitati conſecrarem, oblitamque atque obliteratam futuris hominibus inſtaurarem: memor, quantum ab hominibus rerum ſcriptoribus debeatur, quoniam nihil adeo ad cognitionem veritatis pertinet, quam geſtarum rerum habere notitiam. Quod ipſe Deus omnipotens comtemplatus, non prius legẽ Moyſi tradere dignatus eſt, quam earum rerum, quæ præteritis temporibus occurrerũt, plenam notitiam conceſſiſſet ſpiritu quodam ſiue prophetico ſiue euangelico: vt meruerit deſcribere cęli & terrę cęterarumque rerum creationem vſque ad ſua tempora. Ex qua re factus inſtructior ad humanam vitam peragendam, legem digne recipere, & populi gubernacula meruit. Quis enim futuram agere vitam excogitat, qui diem ſuę natiuitatis ignorat? aut quis quo tendat ſcire poteſt, qui vnde venit neſciat? His igitur circunſpectis librum de Hiſpanorum geſtis (maxime antiquorum) ſum exorſus: quem in libros decem illum partitum, Paralipomenon Hiſpaniæ appellari inſtitui, id eſt, librũ

oblitorum. Quoniã & ſi quę in eis inſerui, deſcripta comperiantur non tamen apud maiores noſtros Hiſpaniæ ſcriptores, ſed illa omnia conquiſiui ex ceteris commentarijs tam Gręcis quam Latinis. Finemq; operi facturus ſum ad Gothorum in Hiſpania ingreſſum, qui contigit temporibus Honorij & Archadij Auguſtorum. Quorum progeſſum reſque in Hiſpania geſtas Oroſius, Iſidorus, Ildephonſus, ac Rodericus Toletanus ſunt proſecuti. Noſtri autem propoſiti eſt obliterata tantum modo inſtaurare. Diſtinxi enim opus noſtrum in libros decem. Primus continet veterem Hiſpanorum exitum, deſcriptionem, & originem vſque ad Græcorũ aduentum, mutationeſque nominum prouinciarum, vrbium, montium, fluminum, & ſyluarum. Secundus liber habet geſta Græcorum ab aduentu Herculis in Hiſpaniam, diſcretionemque Herculum, ipſorumque geſta vſque ad Pœnos. Tertius continet geſta Pœnorũ vſque ad primum Punicum bellum. Quartus per Pœnos geſta tẽporibus prioris belli Punici vſque ad ſecundum. Quintus habet Pœnorum & Romanorum progreſſum in ſecundo bello Punico, captionẽque Sagunti, ac Hannibalis trãſitum in Italiam. Sextus deſcribit geſta in Hiſpania poſt Pœnos expulſos vſq; ad tertium Punicum bellum. Septimus bellum aduerſus Numantinos, euerſionẽq; Carthaginis, & Numantiæ, geſtaque in Hiſpania a Romanis vſque ad tempora ciuilis belli. Octauus ciuile bellum inter Cæſarem & Pompeium. Decimus geſta Imperatorum in Hiſpania ab Auguſto vſque ad Theodoſium Seniorem patrem Honorij & Archadij, quorum temporibus Gothi in Hiſpaniã intrauerunt. Vtarq; præter antiquorum morem teſtimonio ſcriptorum maxime circa antiquiora, ne legentes me deliberaſſe, aut confinxiſſe vetuſtiora opinẽtur. Sequarque vt plurimũ autores antiquiſſimos tam Philoſophos quã Geographos, Hipparcum, Eudorum, Heratoſthenem, Hyppiam, Schoſum, Biontem, Xenophontem, Betonem, Themaum, Dionyſium, & totius artis ſplendorem & conſtantem artificem Claudium Ptolemęum, Plinium, inſuper Pomponium Mellam, Polybium, Arthemidorum, Poſydonium, ac Strabonem Cretenſem, Diodorũ, Titum Liuium, Trogum Pompeium, alioſque plurimos.

INCIPIT LIBER PRIMVS
EVROPAE DIVISIO.

EVROPA PROVINCIA EST, quæ primo a filijs Iaphet & filio eius Thubale dicitur incolatum habuiſſe, quoniam ſecundum librum Geneſeos inſulæ maris Iaphet deputatæ ſunt, inter quas inſulas Europa dinumerata eſt. Quoniam terminatur ab Aſia Męoti palude ſiue Getico mari vſq; ad Oceanū per medias duas Sarmatias diuidente fluuio Tanai. Sunt autem tres orbis partes Aſia, Aphrica, Europa, quæ tres orbis partes tribus Noe filijs aſſignatæ ſunt. Aſia enim primogenito Noe Sem ſacerdoti, ſecundo vero Cham terra Chanaam, & Aphrica. Iaphet vero minori inſulę maris, inter quas Europa nuncupatur, quia modico ſinu inſula fieret, & id multi Imperatores efficere cogitarunt. Sed tantum ex eo prohibiti ſunt, quia viſum eſt, Oceanum ipſam Europæ inſulam ex eius altitudine eſſe ſuffocaturum. Diuiditur autem orbis (vt diximus) in partes tres Aſiam, Aphricam & Europam. Quarum trium partium Aſia reſpectu magnitudinis media eſt, & quæ terminatur ad Orientem mari Arabico, Perſico & terra incognita, a Septentrione Oceano & flumine Tanai, quo quidem flumine ab Europa diuiditur. Aſia ad partem Auſtri Arabico mari terminatur ad illud promontorium, vbi ciuitas Heroum ſita eſt, & Mediterraneo mari ad eum locum vbi Palęſtina Iudęa ab Aegypto ſeiungitur: &, velut quidam referunt, ne diuidatur Nilus, ipſe amnis Nilus Aſiam ab Aphrica diuidit. Vt autem Aſiam & Aphricam omittamus, de quibus nobis ad præſens ſermo non eſt, Europa ſecundum Claudium Ptolemęum orbis accuratiſſimum deſcriptorem habet prouincias ſedecim, quę ſequuntur. Prima ad Oceanum & Septentrionem Hybernia inſula Britannica. Secunda inſula Albion Britannica, Hiſpania Bętica, Hiſpania Luſitania, Hiſpania Tarraconenſis, Celtogallatia Aquitanica, Celtogallatia Lugdunenſis, Celtogallatia Belgica, Celtogallatia Narbonēſis, Germania magna, & Germania parua, Rhetia & Vindelitia, Noricū. Pānonia ſuperior, Pannonia inferior, Illyris aut Liburnia, Dalmatia, quæ ſimul iunctę ſedecim numero ſunt. Dicitur autem Europa ab Europa filia Agenoris Libyæ Regis ac ſororis Phanias, quam Iupiter Saturni filius ac Rex Cretæ rapuit, & prouinciā ab ea cognominauit: ad quam recuperandam Cadmus præfati Agenoris filius & Europæ frater miſſus eſt, ſtatuto a patre, vt ſine ſorore non rediret in regnum. Ipſe vero cum non reperiſſet ſororem Apollinis Delphici oraculo Euboiam prouinciam atque Thebanorum vrbem in prouincia conſtruxit.

Hiſpanię terminatio.

HIſpania autem terminatur ab occidente Oceano mari & inſula Gades, ad quam veniēs Hercules fortiſſimas turres conſtruxit, quas Gades Herculis appellauit. Terminatur autem ab Auſtro Mediterraneo mari & freto Herculeo & Balearico pelago, a Septentriōe vero & Oriēte Pyrenęo mōte, qui mons protenditur ab Oceano promōtorio Eaſo iuxta ciuitatē Eaſo (quę hodie Baiona vulgo appellatur) vſque ad montē Canum, qui hodie Canigo mons a modernis nuncupatur: & influit

in Mediterraneum ad eum portum, vbi portus Veneris ſitus eſt, vbi erat olim Vene-
ris templũ. Vel, vt placet Pomponio Mellæ, ad oppidum Ceruariæ, quod modico
interuallo diſtat ab ipſo Veneris tẽplo. Qui mõtes ab Oceano mari vſq; ad Mediter
raneũ continent ſpacia ſexcentorũ milliariorũ, vt placuit Iuſtino poſt Trogũ Pom
peium vltimo libro ſui Epitomatis, & Pyrenæo monti medio Galliæ adheret, cęte-
ris vero partibus vndiq; mari Oceano & Mediterraneo cingitur. Et eſt ipſa prouin
cia quaſi quadrata, cuius anguli ſunt ad Orientẽ ad Veneris tẽplum, in Pyrenæo ad
Oceanũ, vbi eſt eccleſia de finibus terrę ſita, quæ quondã Solis ara dicebatur, ad Au-
ſtrũ ad fretũ Herculeũ & Iunonis promõtoriũ ſeu montẽ Gibeltarif, ad Septẽtrio-
nem ad promõtoriũ & ciuitatẽ Eaſo, quæ nunc Baiona dicitur, ipſa enim terra quaſi
quadrata eſt, vt placet Iuſtino. Continet autẽ in lõgitudine ſecundũ Appium clariſſi
mum Hiſtoriographũ a Gadibus vſq; ad Oceanũ ſeptẽtrionalẽ decẽ milia ſtadiorũ.
Latitudo vero a portu Veneris vſq; in Cõpoſtellã totidẽ. Vel verius ſecũdũ Strabo-
nem libro .iij. quod ipſi probauimus cũ carta nauigabili, habet in longitudine ſtadia
circiter ſex milia, & in latitudine etiã circiter quinq; milia, alicubi tamẽ arctior eſt ma-
xime circa Pyrenæũ. Eſt autẽ ſtadiũ centũ vigintiquinq; paſſus, & ꝑ cõſequẽs octa
ua pars vnius miliarij, & octo ſtadia faciũt vnũ miliariũ, &, vt placet Straboni & Põ
ponio Mellæ & Plaudio Ptolemęo, illius figura ad modũ corij pecudis eſt. Collum
ipſius pellis eſt, quãtũ ꝓtẽdit mõs Pyrenæus a Mediterraneo mari ad Oceanũ Britã
nicum. Inde dilatatur ad brachia a noua Carthagine vſq; ad Cantabros ſeu Bardulos.
Ipſius corij crura a freto Herculeo vſq; in Cõpoſtellã & Oceanũ Britannicũ. Vlti-
mũ corij ad modũ caudę promontoriũ ſacrũ, quod nos hodie caput ſancti Vincentij
appellamus, quod pręeminet, & extẽditur in Oceanũ Athlanticũ longe vltra omnẽ
Hiſpaniam. Continet autem permagna flumina Iberum, Tagum, Bætim, Anã, Do-
rium, Minium, minoraq; plurima intermedia, & quæ ſuperioribus immiſcentur.

Diuiſio Hiſpaniæ.

DIVIDITVR AVTEM HISPANIA IN PRO-
uincias tres ſecundũ deſcriptiones Claudij Ptolemęi, Pomponij Melle,
Plinij, & Strabonis, & aliorũ pluriũ, ſcilicet, Tarraconenſem, Bæticã, &
Luſitaniã. Sciẽdũ tñ eſt Hiſpaniã tẽporib⁹ Romanoꝝ Cõſulũ in duas
eſſe diuiſam ꝑfecturas & ꝓuincias citeriorẽ & vlteriorẽ. Citerior conti-
nebat a noua Carthagine ꝑ Caſtulonẽ vſq; in Cantabriã ſpatio trecẽta ſeptẽ miliaria,
& a Pyreneo vſq; ĩ Carthaginẽ & Caſtulonẽ totidẽ, de quib⁹ late diſſeruit Plinius
lib. iij. natura. hiſto. Poſtea vero Auguſtus ſuperatis Vaccęis, Illiturgibus, & Cãta-
bris illã ĩ vnã redegit ꝓuinciã, vt Iuſtin⁹ in vlti. lib. ſui Epitomatis voluit. Fuerat tñ
ab initio Hiſpania diuiſa in tres, Tarraconenſẽ, Bęticã, ac Luſitaniã, vt placet oĩbus hi
ſtoricis. Bętica prouincia cõtinet quicq̄d amnis Bętis nunc Guadalquiuir vocitatus,
claudit a montibus altis nouæ Carthaginis vſq; in Hiſpalim incluſiue per Caſtulonẽ
& Cordubã, vocitaturq; Bætica ab ipſo amne Bæti, ꝓuincia interſecãte Luſitania ge-
quid interiacet inter duo flumina Bętim & Tagũ interfluẽte medio Ana flumine. A
quo Ana ꝓuincia denoĩata eſt, tãq; apud eũdẽ amnẽ Liber pater ac Liſias cũ eo Bac
chante luſerint, ꝓpterea cognomẽ dediſſe ꝓuinciæ, vt Plinio placet lib. iij. Ad Tara-
conẽſem vero ꝓuinciã ꝑtinebat oĩs citerior Hiſpania, & quicq̄d vltra Tagũ eſt, indu
cens Cõpoſtellã, Gallatiã & Aſturias per medium Toletanũ agrũ vſq; in Oceanum
Athlãticũ, & vſq; in orã fluminis Dorij. Poſtea vero ad tẽpora Cõſtãtini Pij diuiſa

eſt ipſa Hiſpania in ꝓuincias quincꝫ ſecundũ Appiũ, Tarraconẽſem, Carthaginẽſem, Bæticã, Luſitaniã, Gallaciã, & ſingulis ꝓuincijs aſſignatę ſunt Metropoles & Archiepĩ in conſilio Illiberitano. Videlicet citeriori Hiſpanię, Tarraconenſis: Carpetaniæ, Carthaginẽſis: Bęticę Hiſpalẽſis: Emeritẽſis Luſitanię: & Bracarẽſis Gallacię. Poſtea vero ad tẽpora Gothoꝝ addita eſt ſexta ꝓuincia Tingitana trãs fretũ in Libya. Deinde vero modernis tẽporibus, videlicet ſub Ioãne.xxij. Pontifice ſummo ſupraſcriptis quincꝫ ꝓuincijs ſemota Tingitana, q̃ a Mauris & Machumetẽſibus poſſidetur, adiũctę duę alię Metropoles Ceſarauguſtana, q̃ detracta eſt ex Tarraconẽſi, Vliſbonenſis vero ex Hiſpalẽſi Bętica. Dicit̃ autẽ Hiſpania citerior & vlterior. Citerior autẽ a ſeptẽtrionali plaga mõtecꝫ Pyrenęo vſcꝫ ad nouã Carthaginẽ Cantabriãcꝫ. Vlterior vero a Celtiberis vſcꝫ ad Oceanum Gadeſcꝫ inſulam protenditur, tãcꝫ citra & vltra. Sed citra quaſi circa terrã, vel vltra, quia vltima, vel quia poſt hanc non ſit alia terra. Hæc Strabo & Plinus.

Hiſpanię deſcriptio, & terminatio per maritima littora & Pyrenęũ.

HIſpania, vt diximus, terminatur Pyrenęis mõtibus, quibus Gallia diuiditur ab Hiſpania. Hos autẽ mõtes quidã dixerũt incipere a Fõte Salſulę ꝓpinquo promõtorio Leocatę. Quidã vero a Veneris portu, in quo Veneris Templũ locatũ fuerat, nõ longe a capite Illibero, ſeu ab oppido Ceruaria, quod ab eodẽ loco modico diſtat interuallo. Protẽdunt̃ autẽ ijdem mõtes ab Iberico & Mediterraneo mari vſcꝫ in Oceanũ Britannicũ ciuitate Baiona, q̃ quõdam Eaſo dicebatur, ſpacio tercentenorũ quinquaginta miliariorũ, quãcꝫ Trogus Pompeius, & alij plures dixerũt multo plura continere. Noſtra autẽ menſuratio experimẽto numerata eſt ex carta nauigantiũ. Curuat̃ ipſe mõs paululũ ex Mediterraneo in Oceanũ, vrbẽcꝫ Baionam. A Salſulę itacꝫ fonte vſcꝫ in Barchinonã miliaria.cxx. A Veneris vero portu ſiue tẽplo, ſeu oppido capite Illibero miliaria.c. A Barchinona vero vſcꝫ in Tarraconam vrbem miliaria.lx. A Tarracona vſque ad oſtia Iberi vſcꝫ in vrbem Valentiam miliaria.cx. A Valẽtia vero vſcꝫ ad ꝓmõtoriũ Artemeſium Demamcꝫ oppidũ (quod Martini Caput modernitas vulgi appellat) miliaria.lxx. Erat in eodem promontorio Dianæ Epheſinæ ſacellum, a Dema vero in Alecanthum miliaria.lxx. Ab Alecãtho vero in nouã Carthaginem hodie Carthageniã appellatam etiam miliaria.lxx. Ibicꝫ celeberrimus portus eſt. A noua vero Carthagine vſcꝫ in Veram, q̃ quondã Abdera dicebatur, etiam miliaria.lxx. Ibicꝫ principium regni Granatæ eſt & Maurorũ, q partem in Hiſpania poſſident, & Caſtalos & Itanos. A Vera vero, q̃ Abdera quondã, ad Almeriam, q̃ quõdã Illiberis dicebatur, miliaria.l. Hæc enim vrbs differt ab altera Illibera, altera vero Elibera, duocꝫ epĩ Illiberitani cõperiuntur in concilijs Hiſpaniæ. Ad eius diſtinctionẽ cũ Hieronymus in lib. de viris Illuſtribus meminiſſet de quodã Gorgonio epõ Illibero, adiecit Bętico ad differẽtiã alterius Tarraconẽſis. Ibicꝫ ꝓmõtorium eſt ab antiqs deſcriptoribꝰ nõ deſcriptũ, & quod moderni Caput Gactę appellãt. Ab Illiberi vero ad Granatę portũ, quã moderni Malacã Secãguam dicũt, miliaria.lxxx. Granata enim vrbs ex oppoſito eſt, ad quã mercatoria a maris littore & ab ipſo portu deducuntur. Hãc autem Strabo Exitanorũ vrbem appellari dicit antiquitus. Alij autem Menaſſem, vt Strabo refert, ibicꝫ promõtorium eſt ab antiquis omiſſum Caput Capſa a modernis vocitatũ. Ab ipſa vero Malaca ad Gibeltarem ſeu Calpe montem

ſterũ miliaria nonaginta. A Calpe aũt monte (qui hodierno die Gibeltar appellatur)
miliaria ſexaginta ad Gades inſulã. A Gadibus vero ſiue Bætis oſtio vſq; ad Anã flu
uium, qui hodierno idiomate Gaudiana dicitur, & a quo Luſitania denominationem
habet propterea, quia apud illum amnẽ Liber pater eũ Liſia luſerit, vt Plinius voluit
lib. iij. naturalis hiſtoriæ; miliaria centũ. Ab Ana vero flumine vſq; ad Sacrũ Pro-
montorium, quod antiqui Hieron appellabant, quod hodie Caput ſancti Vincentij
appellamus, miliaria.lxx. A Sacro uero Promontorio vſq; ad amnem Tagum, vbi
Vlisbo ſeu Vlisbona vrbs in Portugallia ſita eſt, miliaria centũ quinquaginta. Ibiq;
Promõtoriũ eſt ab antiquis prętermiſſum, diſtans ab oſtio Tagi miliarijs.xl.vbi Ca
ſtellũ Caſtar & Suctres oppida ſũt. Ab oſtio vero Tagi vſq; ad Mũdã fluuiũ, ſupra
quem Colimbria vrbs eſt ſita, quam antiquitus Mundam aliqui dixerunt, alij oppi-
dum eſſe eiuſdem nominis Mundego dictum, miliaria centum. A Munda vero flu-
mine vſq; ad oſtium Dorij amnis, qui ad Portum vrbẽ fluit in Portugallia, etiã mi-
liaria centũ. Et eſt ſciendũ quod prouincia Gallecia a Tago flumine incipit, quanquã
Ptolemęus velit incipiat a Dorio, qui influit in Portum. Incipit enim Gallecia Bra-
charenſis a Tago flumine, Brachara enim vrbs inter Tagum & Iberum amnes eſt:
ipſeq; Dorius & Portus per fluxum & refluxum Oceani cõmodiſſimus portus fit
ad nauigatiões rerũ omniũ Gallecię. Ex q̃ fit, vt portꝰ Gallecię etiã ipſa vrbs appellẽt,
a q̃ nomẽ recipit Portugallię Rex. Cuiꝰ metropolis Bracharũ ẽ, ex qua Gallecia Bra
charia dicta eſt, & ꝓtendit̃ vſq; ad flumẽ Liminũ, poſt ſequũt̃ Artabri, et inde Galle
tia Lucẽtia vſq; ad Pyrenæum. A flumine vero Dorio vſq; ad promontoriũ, quod
antiqui Oneriũ appellabant, moderni vero Caput Paniſarij ſeu ſancti Martini, vbi
nunc Baiona oppidũ eſt, & Ponteuedra magnuſq; portus, miliaria.lxx. Ab ipſo ve-
ro Promõtorio vſq; in Promontoriũ, vbi eccleſia de finibus terræ cõſtructa eſt, quę
quondam Ara Solis dicebatur, etiam miliaria.lxx. A cuius Promõtorio vſq; in Cõ
poſtellam miliaria ſunt.xij. De iſtis vero Gallecijs refert Strabo de ſitu orbis lib.iij.
quod Deum non haberent, ſed Solẽ & Lunam adorarẽt. Videntes autẽ quod apud
eos Sol occumberet, illi eo in loco tanquã in vltima terræ parte aram conſtituerunt.
Huic autem promontorio oppoſitæ ſunt inſulæ Caſytecides ad Auſtrũ in pelagus,
quãquã Strabo dixerit ad Aqlonẽ, quod ſatis charta nauigatiõis oſtẽdit, et color inco
larũ, q ſunt fuſci coloris. A promontorio vero de finibꝰ terræ vſq; ad ſequẽs promon
toriũ, q̃d Prioris appellãt; & antiqtꝰ Lapacianorũ Scutrilẽtũ vt Ptolemeo placet, ſeu
(vt dicit Strabo) Ierna, miliaria.xc. Intraq; hoc promontoriũ magnus portus Arta-
brorũ eſt, vbi Clunia oppidũ eſt. Ab ipſo vero promontorio vſq; in oppida ſancta
Martha et Nineriũ, miliaria qnquagĩta, ab ipſo vͦo oppido ſãcta Martha ad ſequẽs
ꝓmontoriũ, vbi Hyaneo eſt, et caput dictũ Statiões cẽtũ.xx.miliaria. Hic; oẽs a ma
gno portu, vbi Clunia oppidũ eſt, vſq; huc Gallecij Lucẽtij ſunt, et quãquã ꝓtendã
tur vſq; in Pyrenæũ habẽt tñ Baſtulos ſeu Bardulios, q̃s Biſcaynos appellamus, q
maximos int̃medios mõtes ĩhabitãt, illorũ prĩcipiũ ab hoc ꝓmõtorio eſt. Ab iſto ve
ro ꝓmõtorio vſq; ad oppidũ Pãtãder itidẽ cẽtũ vigĩti miliaria. Ab ipſo vero Sãtan
der vſq; ĩ Pyrenæũ Baionãq; vrbẽ cẽtũ qnquagĩta miliaria, videlicet vſq; ad oppi-
dum Bilbao, quod metropolis Biſcayę eſt, miliaria. xx. Ab oppido vero Brenico ad
oppidũ Mophrygo miliaria.x. A Mophrygo vero vſque ad ſanctum Sebaſtianũ, in
quo Biſcayæ finis eſt, miliaria. xx. A ſancto itaque Sebaſtiano ad Pyrenæũ milia-
ria.xxx. Sicque circuit Hiſpania per Pyrenæum ab eius principio ex Mediterra-

neo mari vſq; in Oceanum Britannicum & per ipſius montis iugà vſq; ad principiũ ipſius montis miliaria duomilia quingenta octoginta.

Deſcriptio Hiſpaniæ per Mediterranea.

DEſcripſimus enim vniuerſam Hiſpaniam per marina littora, nunc autẽ deſcribenda eſt per Mediterranea. Habet enim, vt diximus, Hiſpania figurã ad modũ pecudeę pellis, habetq; in lõgitudine ſtadia circiter ſex milia, & in latitudine quinq; faciunt ad numerũ miliariorũ per lõgitudinẽ ſeptingẽta qnquaginta, per latitudinẽ circiter qngẽta qndecim, vt placet Straboni. Et a Promõtorio Pyrenæi, vbi Veneris templum eſt, in Iberico mari, quod antiqui Aphrodyſin appellabant, vt Straboni placuit libro quarto, vſq; ad Oceanum Britannicum, miliaria trecenta & quinquaginta. Partitur autem Hiſpania in duas partes, citeriorẽ & vlteriorem, citerior terminatur ad nouam Carthaginem, & per Caſtulonem protenditur per Iberum vſq; ad Cantabros, includens regnum Nauarræ, quæ ab antiquis omnis Hiſpania citerior Celtiberia dicta eſt. Suntq; in ea Prouinciæ quĩq;: Cathalonia a Pyrenæo vſq; ad vltimum Iberum. Valentiæ & Murtiæ regna per orã maritimã, inde regna Aragoniæ & Nauarræ, quæ clauduntur excelſis montibus & Ibero amne vſq; in Calagoram, & Tiraſonam. Vlterior Hiſpania in duas diuiſa eſt partes, diſcreta altiſſimis montibus, quę a Pyrenæo procedentes vſq; ad Oceanum Athlanticum dilabuntur, diſtinguentes Caſtellæ regnũ, vna quæ ad Oceanũ Britannicũ ſpectat, altera quæ ad noſtrum Ibericũ mare. Quæ autem ad Oceanum, frigida, ſterilis, inculta eſt, magnis refulta montibus: quæ vero ad noſtrum mare ſpectat, maximeq; citra columnas ferax, irrigua, omnibus abundans bonis, grano, vino & oleo, fructibus, piſcibus non paucis. In ea vero, quæ ad noſtrum ſpectat mare, Granatę regnum eſſe conſtat, quod Mauri Machumetẽſes obtinent in Hiſpania, quod clauditur Bæti flumine (quod hodierno idiomate Guadalquebir arabica lingua vocant) & per maritimam orã a Vera vrbe vſq; ad Malacam. Extra flumen in Mediterraneo Andaluſij ſunt, ibiq; ſunt vrbes & regna Hiſpalis, Murtiæ, Gehen, Cordubæ, Gibelterræ, quæ omnia excepto Granatę regno poſſidet Rex Caſtellæ. Poſt Andaluſios Toletum eſt vſq; in Celtiberiam, Citerioremq; Hiſpaniam per oram fluminis Tagi vſq; ad Doriũ. In quibus terminis ſunt ampliſſimæ ciuitates, & omnis hæc regio Luſitania dicitur, fluuntq; per mediũ eius Tagus & Dorius ampliſſima flumina (quãquã regio Luſitania ab Ana flumine, qui Godiana dicitur, nomẽ receperit) ibiq; in maritimis cõfinia regni Portugallię ſunt vſq; ad vltra Dorium amnem. Vltra fines Portugalliæ eſt Zamora vrbs, oppidũ Truſillũ, Magiſtratus, & Militia ſancti Iacobi de Spata, Calathraua & Alcantara, Ereualũ oppidũ. In alia vero parte vltra montes Alaua prouincia eſt, & caput regionis oppidum Victoria, inde Burgẽs vrbs, Legio, Biſcaya, Aſturię, Galleciæ vſq; in Oceanum Britannicum ac Athlanticum. Omni aũt citeriori Hiſpaniæ & Celtiberis, excepto Nauarræ regno, ſolitus erat imperare Aragonię Rex. Vlteriori vero Caſtellę, Portugallię, et Granatę Reges. Hac aũt noſtra ætate cõiuncta ſunt hęc duo regna Caſtellę et Aragonum per copulam matrimonij inter sereniſſimos Ferdinandum Ioannis Arragonũ Regis digniſſ. Gnatum, qui patri ſucceſſit in Regnis, & Eliſabeth alterius Ioannis Caſtellæ Regis filiam, & quę vltimo Henrico Regi fratri & ſine filijs mortuo ſucceſſit in Regnis Caſtellæ. Hęc eſt em̃ gñralis Hiſpanię deſcriptio, q̃ ad tẽporale dominiũ ꝓuinciaſq; noſtri tẽporis.

Quo ad ſpiritualitatem poteſt & alio deſcribi ordine, habet enim ipſa Hiſpania quo ad religionē ſpiritualitatēꝗ ꝓuincias & metropoles ſeptē, vt ſupra diximus, quinꝗ antiquas & duo modernas, quibus ſinguli Archiepiſcopi metropolitani aſſignati ſunt, quatuorꝗ & quadraginta eccleſias cathedrales. Quarum metropolum Aragoniæ regnum duas obtinet Tarraconenſem & Cæſarauguſtanam. Caſtellæ regnū tres Toletum, Hiſpalim, & Compoſtellam. Portugalliæ duo, Bracharum & Vliſbonam. Et eſt ſciendum, quod duo ex his ex priori inſtitutione mutatę ſunt, quoniā Toletana & Compoſtellana recentibus temporibus a cathedralibus erectæ ſunt in metropolitanas, ſicut & moderniſſimis temporibus, Cæſarauguſtana & Vlisbonēſis. Quoniam poſt Nicenam generalem ſynodum in Bithinia celebratam tercentorū & decem octo Epiſcoporum, ſub Conſtantino Proimperatore & beatiſſimo Sylueſtro Pontifice in primo Hiſpaniæ concilio, quod in Illiberitana vrbe celebratum eſt, ſancta Helena Cōſtātini matre p̄ſente, quinꝗ tātū metropolitani Epiſcopi deſignati ſūt, Tarraconēſis q Celtiberis p̄eſſet, Carthaginēſis q Carpetanis, Hiſpalēſis q et Bęticis, Emeritenſis qui Luſitanis, Bracharenſis q & Gallecijs. Aucta vero & ampliata Toletana vrbe Gothorū temporibus metropolis Carpetaniæ de Carthagine in Toletum tranſlata eſt, remanente exempta e Carthaginenſi ſub nomine metropolitano. Poſtea vero ſucceſſu temporum poſt occupatam Hiſpaniam per Mauros Machumetenſes, ab octingentis circiter annis Emeritenſis metropolis trāslata eſt in Ouetum, & de Oueto ſucceſſu temporis in Compoſtellam, remanente etiam exempta eccleſia Ouetenſi. Cæſarauguſtana vero & Vlisbonenſis modernis temporibus ſcilicet a ducētis annis citra de cathedralibus erectę ſunt in metropoles tēporibus Ioānis. xxij. Papæ. Quarum Cæſarauguſtana detracta eſt a Tarraconenſi, Vlisbonenſis ab Hiſpalenſi. Habet autem Hiſpania vltra hos metropolitanos catholicas ſedes cathedrales Epiſcoporum. xliiij. Quarum Aragoniæ regnum habet. xij. Nauarræ vnam, Portugallię ſeptem, Caſtellę quatuor & viginti. Cathedrales Aragoniæ Helna ſiue Helena, Gerundenſis, Barchinonenſis, Maioricēſis, Dertuſenſis, Vicēſis, Vrgellēſis, Illerdēſis, Valētina, Segobricēſis, Tiraſonēſis, Oſcēſis. Vna Nauarræ, Panpilonēſis. Caſtellæ cathedrales, Carthaginēſis, Caurieſis, Sagūtina, Viennēſis, Cordubēſis, Zamorēſis, Salamātina, Palētina, Pacēſis, quæ & Badaioz, Conchenſis, Oxomēſis, Calagurritana, Burgenſis, Legionenſis, Abulenſis, Segouienſis, Ouetenſis, Mindonienſis, Palentina, Ciuitatenſis, Tudenſis, Lucenſis, Aſtoricenſis, Gadicenſis. Regni Portugalliæ cathedrales ſunt, Colimbrienſis, Portugallenſis, Eborenſis, Syluenſis, Egitanienſis, Vicenſis, Lamacenſis. Bracharenſi ſubijciuntur Portugallenſis, Colimbriēſis, Egitaniēſis, Vicēſis. Subijciuntur antem iure Metropolico Tarraconenſis, Barchinonenſis, Gerundenſis, Vicenſis, Illerdenſis, Vrgellenſis, Deturſenſis, Valentina. Cæſarauguſtanæ metropoli ſubijciuntur Oſcenſis, Tiraſonenſis, Pampilonenſis, Calagurritana, Segobricenſis. Toletanenſi ſubijciuntur Saguntina, Oxomenſis, Burgenſis, Segobricenſis, Conchenſis, Cordubenſis. Compoſtellanæ ſubijciuntur Abulenſis, Pacenſis, Salamanticenſis, Chaurgenſis, Zamorenſis. Ciuitatenſis, Placentinenſis, Caurienſis, Tudenſis, Lucenſis, Aſtoricenſis, Mindonienſis. Vlisbonenſi ſubijciuntur Eborenſis, Syluenſis, Lamacenſis. Hiſpalenſi ſubijciuntur Viennenſis, Gadicenſis. Eccleſiæ exemptæ in Hiſpania Maioricenſis, Carthaginenſis, Legionenſis, Ouetenſis. Et hæc eſt generalis deſcriptio Hiſpaniæ quo ad vtrumꝗ dominium ſpirituale & temporale.

De terra Ruſcilionis an ſit in Hiſpania.

QVVM multi ex antiquis ſcriptoribus terminent Hiſpaniam Pyrenęo monte, ad eum locum vbi fons Salſulæ manat, hoc habebat communis omnium vulgariũ opinio. Veterum vero ſcriptorũ aſſertio habebat, quod terminetur ad Pyrenæum ad Veneris templũ oppido Caput Illiberæ. Incõueniẽs ſatis videt̃ prouinciã Ruſcilionis ſilentio præterire. Quippe cui ego debitor ſum, tanquam qui ei præfuerim cathedra Epiſcopali annis octo. Igitur de illa diſſeramus. Eſt mons in Ruſciliõis prouincia altiſſimus in vertice Pyrenæi a canicie Canus appellatus, quoniam ęſtate & hyeme ſemper inibi niues inhabitent, a cuius vertice duo montium iuga emanant. Quorum alterum ad Veneris templũ mare pertingit. Alterum vero per multa oppida peruenit ad Salſulæ fontem. Inter hos terminos prouincia Ruſcilionis eſt habẽs duo flumina, quæ influũt in Mediterraneũ, & totidẽ opulẽtiſſimas quondam vrbes, quæ corruerunt, de quibus etiã aliquid dicendũ eſt. Eſt enim ea in prouincia flumẽ, quod veteres Ruſciſon appellauere, quod quidem prouinciæ & metropoli vrbi regiõis nomẽ indidit ſecũdũ Claudiũ Ptolemęũ, prout ab antiq̃s fieri ſolitũ eſt. vt maximę enim a fluminibus nominentur prouinciæ, ſic Indi ab Indo flumine, Alamãni ab Alamanno amne, Iberi ab Ibero, a Bæti Bætici, ab Ana Luſitania. Hic itaqꝫ amnis vrbem habuit prouinciæ metropolim ſui nominis quam Ruſciũ dixere priores, non longe a Perpiniano oppido, cuius hactenus veſtigia patent, & ex quorum fluminis & vrbis vetuſtate prouinciæ in hodiernum emanat nomen, vt a Ruſciſon Ruſcilion appelletur. Flumini autem Romani nomẽ mutauere, nã a fluminis vbertate Tethim appellauerunt. Eſt em̃ fluuius ad irrigandũ aptiſſimus vbertiſſimusqꝫ, quoſcunqꝫ enim agros irrigat, hos & quã maxime alit atqꝫ fœcundat, quod ab alijs prouinciæ præfatæ fluminibus eſt alienum. Ab iſta enim vbertate, tanquam qui materno vbere patriã fœcundaret, Tethis appellatum eſt. Tethis enim fuit Oceani vxor mater Nympharum, quæ aquarũ Deæ a poëtis dictæ ſunt. Thetis enim amnis totam pene per longum regionem irrigat vbertiſſimo lacte atqꝫ fœcunditate. Erat pręterea & aliud flumen Illiris dictum ab eodem monte manans per quandam Illiberam vrbem ad radicem montis, & per Helnam vrbem influens in Mediterraneum, quod a Romanis Tetrũ eſt appellatum, quia per diuerſas metallorũ venas maximeqꝫ ferri ſcaturiens, nigrum colorẽ geſtat, & propterea ad irrigandũ maxime nocet. Quod vulgus vocabulum corrumpens ethymologię ignarus Techum appellat. Sciendum eſt enim duas eſſe Illiberas vrbes, vnam in Bætica, quæ noſtra tempeſtate a Mauris poſſidetur, & Almaria dicitur. Altera in Ruſcilione ad radices Pyrenæi territorio Voluſt.o, in quo Volonum oppidum ſitum habet, cuius termini intra Hiſpaniam diſtribuũtur. In ea em̃ vrbe eſt celebratũ primũ Hiſpaniæ Chriſtianorũ cõciliũ, prout in libro cõciliorũ legitur. Eodẽ ſiqdẽ ſynodus congregata eſt poſt Nicenã generalẽ ſynodũ tricesima. xviij. Epiſcoporũ tẽporibus Conſtãtini Cæſaris, in qua etiam ſynodo Illiberina interuenit, & præſens affuit Helena Conſtantini mater cũ Cõſtante nepote, qui denuo Helenam condidit vrbem. Quoniam fide Chriſti per orbem terrarum proclamata & in Nicena Synodo explanata erroribuſque maxime Arrianis purgata, Conſtãtinus tribus filijs imperiũ partitus eſt Cõſtantino priori, Cõſtãti, & Cõſtãtio. Ceſſit aũt Gallia et Hiſpania plurimeqꝫ Libyę partes Conſtãti, Decretus

eſt autem in ſuam prouinciam Conſtans ſub tutela ſanctæ àuię Helenæ, quę cupiens Hiſpaniā & Galliā ſicut cæteras prouincias ad Chriſti fidē ordinare, ordinauit ſynodum in Illibera vrbe. In qua Hiſpaniæ metropolitanæ, atque cathedrales eccleſiæ ordinatæ ſunt, & diſtinctę metropoles, diœceſeſqꝫ pro more gētiliū ſecundū decreta per ſanctos viros Clemētē & Anacletū ſucceſſores Petri apoſtoli, ædita. Eiſdē tēporibus Helena ciuitas, quæ a modernis Helna dicitur, cōdita eſt ſiue ab ipſa Helena ſiue a Cōſtāte nepote in ſancta auię Helenę honorē, apud eā etenim Conſtans deceſſit, prout de eius obitu meminit Eutropius li. ix. & Paulus Oroſius li. vij. Quorū verba iſta ſunt. Obijt aūt Cōſtans Cōſtātini filius vico vocato Helena nō lōge ab Hiſpania diſtāte. Quia necdū duabus leucis iuxta morē regionis diſtet a Pyrenęo. Vocata eſt aūt ipſa Helna ciuitas Helena ab antiquoribus vſqꝫ ad circiter annos centū, ex quibus recētiores Helenā abbreuiarūt in Helnā, vt ſatis liquide cōſtare poteſt ex antiquis libris & codicibus eccleſiæ iā dictæ, cui in epiſcopali, vt retulimus, cathedra præfuimus annis octo. Ipſa enim Illibera vrbs Pyrenęo ad modum coniuncta erat vltra omnem Illyrim ſiue Tetrum, oppido vero Coquo libro ſic enim vulgus propter diuerſas mutationes linguarum corrupit. Quod non longe a promontorio Pyrenęi & Veneris tēplo diſtat, quoniā ab ipſa vrbe Illibera caput Illiberæ dicebat̃. Perpiniani etiā oppidū a recētiſſimis etiā tēporibus dicitur, Stabulū enim antiquitus vocabāt. Sic nāqꝫ reperitur in Itinerario Antonij Pij, de quo mentionē per hęc verba, vbi iter faceret ab Italia in Hiſpaniā facit: ī Biterras Narbone, Salſulis ad Stabulū, ad Pyrenęū Iuncaria Gerūda &c. Quod autē Ruſcilionis prouincia ſit intra Hiſpaniæ fines, ſequentibus teſtimonijs comprobatur. Primo ex libro conciliorum, ex quo patet, ꝙ primū catholicorū cōcilium in Hiſpania congregatū fuit in Illiberitana vrbe, q̄ fuit intra fines Ruſcilionis in radice Pyrenæi ad Gallię partē, prout de deletis vrbibꝰ in ſequētibus dicemus, fuitqꝫ congregatū poſt Nicenā ſynodū tēporibus Cōſtātini Pij, vt ſupra dictū eſt. Cōſtat inſuper ex dicto libro, ꝙ ipſi Illiberitani conuenerūt pene oībus Hiſpanię cōcilijs ſub metropoli Tarraconenſi. Secūdo probat̃ ex dictis Strabonis lib. iiij. de ſitu orbis cuius verba īterſerā. Quū eñ Galliā trāſalpinā deſcriberet et ꝓuinciā Narbonēſem, adiecit. Hoc igit̃ littus vſqꝫ ad Pyrenęę Veneris tēplū extēdit̃, hic eſt et huius prouīciæ et Hiſpaniēſis terminus. Quia vero hunc tractū, in q̄ Pōpeij trophea ſūt, Hiſpaniæ et Galliæ cōfinia declarāt. Ex q̄ patet trophea Pōpeij vltra Veneris tēplū poſita eſſe ad eū Pyrenęi locū, q̄ altera ex Pyrenæi radicibꝰ a mōte Cano, q̄d eſt ad Pyrenæū, ꝓminet ad ꝓmōtoriū Leocatę, ad Salſuliſqꝫ fontē deflectitur. Quod etiā ſequēs Strabonis miliariorū cōputatio declarat.

Hiſpania quot nominibus ab antiquioribus appellata ſit.

HIſpania Europæ terminos claudit, hanc veteres ab Ibero ante Iberiam, poſtea ab Hiſpano Hiſpaniam cognominauerūt. Ab initio autē Igletæ dicti ſunt, vt placet Straboni lib. iij. vbi de Iberia loquens ait: noſtri ſæculi homines ipſius cōfinia Pyrenæos mōtes ponūt, eandēqꝫ Iberiā et Hiſpaniā nomināt, q̄ intra Iberū cōtinet̃. Vetuſtiores aūt, Hoſipos Igletas nomināt, hęc Strabo. Hęc int̃ Aphricā et Galliā poſita Oceani freto et Pyrenæis mōtibꝰ claudit̃, ac ſicut minor vtraqꝫ terra, ita vtraqꝫ fertilior, nam neqꝫ vt Africa violēto ſole torret̃, neqꝫ vt Gallia aſſiduis vētis fatigatur;

ſed media inter vtranq; hinc temperato calore, inde fœlicibus & tempeſtiuis imbribus in omni frugum genere fœcunda eſt, adeo vt non ipſis tantum incolis, verumetiam Italiæ, vrbiq; Romanæ cunctarum rerũ abundantia ſufficiat. Huic enim non frumenti tantum magna copia eſt, verum & vini, mellis, oleiq;, nec ferri ſolũ materia præcipua, ſed & equorum pernices greges, ſed nec ſumma tantum terræ laudanda bona, verumetiam abſtruſorum fœlices diuitiæ. Iam lini ei ſpartiq; uis ingens, minij quoq; nulla feratior terra. In hac curſus amnium ſunt, nõ torrentes rapidiq; vt noceant, ſed lenes vt uineis campiſq; irrigui. Pleriq; etiam ditantur auro, quod in paludes vehunt, auris quoq; Oceani afflata vni tantum Pyrenæi montis dorſo adhæret & Galliæ, reliquis partibus nuda in orbem mari cingitur. Forma terræ ꝑpe quadrata, niſi q; arctãtibus freti littoribus in Pyrenæũ coit. Porro Pyrenæi mõtis ſpacium trecenta quinquaginta milia paſſuum amplectitur. Salubritas cæli per omnem Hiſpaniam æqualis, quia aeris ſpecies nulla paludum graui nebula inficitur. Huc accedũt & marinæ auræ circum vndiq; aſſidui flatus, quibus omnem prouinciam penetrantibus euentilato terreſtri ſpiritu præcipua hominibus ſanitas redditur. Corpora hominum ad inediam laboremq;, animi ad mortem parati, dura & aſtricta parſimonia, bellum quam ocium malunt. Si extraneus deeſt, domi hoſtem quęrunt. Quorũ plurimi ſępe in tormentis ob ſilentium rerum creditarum expirauerũt, adeo illis potior taciturnitatis cura, quam vita celebratur. Hinc eſt etiam bello Punico ſerui illius patientia, qui vultus hominum inter tormenta riſu proſecutus eſt, ſerenaq; lætitia crudelitatẽ torquentium vicit. Velocitas eſt genti pernix & inquietus animus. Plurimi ibi militares equi & arma ſanguine ipſorum chariora, nullus ibi feſtus dies, nec apparatus epularum. Aqua calida lauari poſt ſecundum bellum Punicũ a Romanis didicere. In Luſitanis iuxta fluuium Tagum vento equas concipere multi autores prodidere, quæ fabula ex equarum fœcunditate & gregum multitudine nota eſt, qui tãti in Gallecia & Luſitania, ac tam pernices uiſuntur, vt nõ immerito vento ipſo concepti videantur. Nec minora adiecerunt ad Hiſpanię laudes Plinius de naturali hiſtoria & Strabo de ſitu orbis.

Quot nationes & populi vſq; ad noſtra tẽpora Hiſpaniã obtinuerunt.

NECESSARIVM quidem exiſtimamus ad noſtrorum originem indagandum, non ignorare, quot nationes gentiumq; populi hanc noſtræ Hiſpaniæ prouinciam obtinuerunt vſq; ad noſtra tempora, res quidem admodum difficilis, maxime propter obliteratam maiorum antiquitatem. Quo fit, vt ipſius antiquitatis inueſtigatio nobis admodum reddatur difficilis, & legentibus, quæ ſcribimus, fabulæ videantur. Ideo contra morem cæterorum ſcriptorum teſtimonia illorum, ex quibus difficilia detraxero, in medium afferam, ne me obliterata recenſentem exiſtiment delirare. Primi omnium fuere Cetubales, vt quidam dixerunt, a Tubale Iaphet filio. Quorum ad nos pauca & admodum nulla ſaltem autentica peruenerunt. Secundi omniũ fuere Igletæ, vt voluit Strabo libro tertio de ſitu orbis. Tertij Sicani. Quarti Iberi, Græci quinti. Pœni ſexti. Romani ſeptimi. Gothi octaui. Mauri noni. Et quoniam nobis intentio eſt iſtorum ſucceſſus diſcutere vſque ad Gothos, quia Iſidorus, Oroſius, & Rhodericus Toletanus ſunt Gothorum geſta pleniſſime proſecuti, non vltra progrediar. Quidam vero, quos ſcriptores

fabuloſos

res fabuloſos exiſtimo ſcrip ſere, quod poſt Hiſpanum, à cuius nomine Hiſpania dicta eſt, qui Herculi ſucceſſerat, gentem, quam Almoniphides appellant, veniſſe in Hiſpaniam, ac illam poſſediſſe annis. X L. quam gentem aiunt ex Chaldæis ortam. Vnde quia neq; veriſſimilia ſunt, neq; a probatis ſcribuntur, illa prætereo. Primum Hiſpaniam priores appellauere Heſperiam omiſſis Cetubalis, & Igletis, de quibus ſupra diximus. Sunt autem, vt antiqui tradunt, Heſperiæ duę, Italia, & Hiſpania, quarum quęlibet Heſperia dicta eſt. Eſt autem Heſperia Italia ab Heſpero Rege fratre Athlantis Regis Aethiopiæ, qui regnauit in Italia. Vbi autem additur vltima Heſperia de Hiſpania intelligendum eſt. Vbi vero magna, Italiam ſignificat, vnde Vergilius in principio ſeptimi libri Aeneidos: Heſperia magna ſi qua eſt, ea gloria ſignat. ſed Hiſpania dicitur vera Heſperia. Dicta eſt autem Hiſpania Heſperia ab Heſpero ſtella, quę poſt ſolis occaſum primum in Hiſpania apparet, & ortum habere videtur. Vel ſecundū aliquos dicit vtraq; Heſperia Italia, & Hiſpania, quia ab Oriente in Occidentē Heſpero ſtella nauigatur. Sic enim loquebatur magiſter in hiſtoria tripartita, quū Valērinianus Imperator ad oras Heſperias nauigaret, vtrāq; Heſperiā per ipſius nauigationē intelligēs. Secūdo Hiſpania ab Iberis Iberia dicta eſt ante Herculis aduētū ſecundū Claudium Ptolemæū, & Pliniū de naturali Hiſtoria libro, tertio, & Iuſtinum poſt Trogum Pompeium vltimo libro ſui Epitomatis, & alios plures ſcriptores. Tertio vero Hiſpania nominata eſt ab Hiſpano Rege ſucceſſore Herculis, qui in ea diutius ſumma pietate regnauit ſecundum Iuſtinum loco ſuperiori, ſiue ab Hiſpalo vrbe, vt placet Appiano hiſtorico ſatis claro.

De prims Hiſpaniæ incolis.

PRiores Hiſpaniæ incolæ Cetubales appellati ſunt, vt plurimis antiquis ſcriptoribus placuit. Sunt autē dicti Cetubales a Tubale filio Iafet, quorum filij primi dicti ſunt Hiſpaniam incoluiſſe. Quanquā Ioſephus li. primo antiquitatū incolatum filiorū Iafet, ſic dixerit. Item filiorum Iafet Medeus, & Ianus fuerūt. Et ex Medeo ſunt gentes, quę a Gręcis Medi vocantur. De Iano vero omnes Ianij bella, diciq; deſcendūt, qui & Græci, rudi, & mare Ionicum appellatur. Condidit autē Iobel Iobelos, qui noſtris tēporibus Iberis, qui & Hiſpani, a quibus poſtea Celtiberi appellati ſunt, hæc Ioſephus. Poſt hos, quorum vetuſtas nobis obliuionē relinquit, primi fuere Igletræ, vt voluit Strabo de ſitu orbis lib. tertio. Deinde Sicanos eam incoluiſſe autentica multa referunt, quoniā ab illis Italia omnis, vrbſq; Roma, & originē, & incrementum habuiſſe conſtet. Iam ad eos veniamus: Sicana gens Hiſpanię antiquiſſima fuit, quæ Iberum amnem ab initio incolebat, vt refert Diod. Sicul. qui lingua Gręca ſuā priſcę antiquitatis fabricauit hiſtoriā, de inſula Sicilia agēs. Idē etiā deſcripſere multi ex Italię ſcriptoribus inter quos fuit Solinus de mirabilibus mūdi. Idē hoc etiā meminit Aulus Gell. lib. primo. noctiū Atticarū. Idem etiā Leonardus Aret. noſtrę ętatis hiſtoriographorū princeps in deſcriptione Sicilię, in lib. quē ędidit de primo bello pun. Hoc idem etiā cenſuit Zozomenus præsbyter Piſtorieñ. dicētes q; inſula Sicilię primū Sicania dicta eſt a Sicanis, q eam primū incoluerūt. Dicti ſunt autē Sicani, qa prodierūt ex Sicore amne Hiſpanię. Eſt autē Sicoris flu. per Ilerdā decurrēs, & miſcet Ibero flu. non longe ab ipſa Ilerda, de quo Cęſar meminit in Commēt. cū apud Ilerdā pugnaret. Habitabat autē gens Sicana orā ipſius flu. Sicoris, ab ipſo nomen recipiēs, & inde magna Hiſpanorū

manu congregata nauigauit in inſulam Siciliæ, quam ex ſuo nomine Sicaniam appellauit, & hoc ante Troiana bella, vt dicit Solinus: inſtruxeruntꝗ in ea vetuſtiſſimam vrbem Syracuſam. ab ipſaꝗ vrbe Syracuſa prodiſſe Italum illum nemo dubitat, qui quum diu Syracuſis regnaſſet transfretans in Italiam, primus in ea regnauit, nomenꝗ genti, ac regioni dedit, vt refert Vergilius in ſeptimo Aeneidos: Italuſꝗ paterꝗ Sabinus vitilator curuam ſeruans ſub imagine falcem.

De Iberis, & Celtis: Vnde Celtiberi.

HISPANIA primum, vt ſupra diximus, ante aduentum Herculis Iberia dicebatur, vt ſcribit Trogus Pompeius vltimo libro, & Claudius Ptolemæus de Hiſpania agens, & Plinius de Naturali hiſtoria, Strabo deniꝗ, & alij multi. & deinde ab Hiſpano, qui Herculi ſucceſſit, Hiſpania eſt dicta. Eſt autem Iberia dicta ab Ibero amne Hiſpaniæ. Huic autem fluuio nomen dedit gens, quæ oram fluminis ante incoluerat. Proceſſerat enim hæc gens a prouincia Iberia, quæ in Aſia ſitum habet, media inter Armeniam, & Colchos ſecundum Claudium Ptolemæum. De qua etiam & eius ſitu meminit Paulus Oroſius libro ſexto per hæc verba: Iberia regio eſt Aſiæ prope Pontum, Armeniæ iuncta. Hanc itaꝗ gentem vetuſtiſſimo tempore refert Puſcianus libro ſexto, ab eius prouincia prodiſſe, & perueniſſe in Scythiam, & inde in Oceani oram, & ab ipſa ora nauigaſſe in inſulam quam ex ſuo nomine, atꝗ aduentu Hiberniam appellarunt, quæ inſula eſt in Oceano Britannico. Altera nauigatione perueniſſe tradunt in Hiſpaniam, quæ oram amnis incolens, flumini, & Regioni tradidit nomen, vt Iberus amnis, & Iberia prouincia appellata ſit. Iberis vero poſt multa ſæcula admixti ſunt Celtę, qui vnde prodierunt videamus. Celtæ Galli ſunt, Scribit enim Diodorus Siculus libro quarto: Celtas appellari Gallos, qui habitant a Pyrenæis montibus vſꝗ ad Alpes ad Mediterraneum. Quumꝗ diutius cum Iberis contendiſſent, & decertaſſent pro agris conterminis, ad vltimum pace compoſita ſimul inhabitauere, & mutuis inter ſe initis coniugijs Celtiberi dicti. Hoc idem conteſtatur Titus Liuius libro quinto dicens: Tertiam Galliæ partem Celtas appellari, qui venientes ad Iberum fluuium Hiſpanorũ, ibiꝗ conſidentes, retenta primi nominis parte, & aſſumpto fluminis nomine, iuxta quod conſederant, Celtiberi dicti ſunt. Quod Lucanus meminit libro quarto dicens: Profugiꝗ agente vetuſta Gallorum Celtæ miſcentes nomen Iberis. Adiecit etiam Diodorus ſuperiori loco, Gallos, qui ad Oceanum ſunt, a Pyrenæis montibus vſꝗ ad Danubium amnem Gallatas appellari. Inde Claudius Ptolemæus Aegyptius, Galliam omnem in quatuor Celtogallatias diuidit. Belgicam, Lugdunenſem, Aquitanicam, & Narbonenſem. Ex quibus euidenter colligitur, Celtas, qui admixti ſunt Iberis, Celtiberos appellari. Admixti vero Gallatis, Celtogallatas vocari. Ex his vero Celtis fuere, qui terra peruagati ſine nauigatione in vlteriorem peruenerunt Hiſpaniam. Ibiꝗ conſidentes Celticam regionem apud amnem Tagum effecerunt: idemꝗ Ptolemæus, Strabo, & Plinius ibi recolunt Celtarum regionem. Galli vero Gallatæ aliam Gallaciam prouinciam in Græcia effecerunt hoc modo. Quoniam aduocati Gallatæ a Rege Bithiniæ in eius auxilium, quũ tuliſſent, dimidium cum eo regnum partiti ſunt, & primũ Gallogręci, inde Gallatę cognominati ſunt, Ab his enim etiã prouincia Gallacia Hiſpanica proce

ſit, prout late dicitur infra in Græcorum progreſſibus. Dicti ſunt autem Galli a Ga
late.i. candore, gala enim candidum ſignificat,quia humido educati cælo corpora al-
ba habeant. De quibus Iuſtinus libr. XV. Herodotus autem Græcorum hiſtori-
corum maximus de Celtis libro ſecundo ita meminit: Celtes autem ſunt extra Cyp-
pos Hercu'is, Syneſijs finitimi omnium in Europa habitantium vltimi.

De vrbibus Hiſpaniæ ante Herculis aduentum.

REſert Iuſtinus poſt Trogum Pompeium, quoniam ſuperiori loco
commemorauimus Abium, qui ſecundo loco regnauit Hiſpanis ad
oram Oceani,populos in ſeptem vrbes reduxiſſe,illas tamen non no
minat,quas non ſtare credo ad præſens pręter duas,cæteræ autē aut
mutauerunt nomina,vel terremotu,vel ſuccedentibus cladibus bello
rum deletæ ſunt. Verius tamen putandum eſt eas corruiſſe, quum
omniū vrbium Hiſpaniæ autoribus circūſpectis, præter has duas, nulla ipſius ab his
tēporibus ſcribēda comperiatꝛ. Prima ſiquidē e duabus Scalabius eſt,quę hodie Vlyſ
bona nuncupatur, vrbs ſiquidē admodum vetuſtiſſima. Per cuius fimbriā Tagus a-
mnis decurrit in Oceanū, hęc vrbs omniū vetuſtiſſima, autorem Abium ſecundum
Regem habuit. Et dicta eſt Scalabius, quam poſtmodū moderni breuitatem ſequen-
tes dixerunt Scalabum, perſtititq; ſub eo nomine vſq; ad tēpora Romanorum ſecun
dum Claudium Ptolemæū,& dicta eſt Scalabius,quoniā in eo loco Abius primum
ceperit cibum,ac ſequens ceruorum greges inibi nutritus ſit. Cuius denuo loca,aëris
ſalubritate ei conferēte proſpecta, vrbem ſtatuit ex ſuo nomine appellandā, quāquam
reperiam Pomponiū Mellam lib. tertio appellaſſe hanc vrbem Eliſopum. Aliam
enim,& tertiam vrbem cōperio,quę ad Iberos incolas pertinuit,Iberiā nomine,demo
litā tēpore Romanorū. Illius enim ſitus fuerat ad hoſtia fluminis Iberi Occidentē ver
ſus, apud quā Gneus Scipio patruus illius, qui primo cognominatus eſt Africanus
Haſdrubalē Pœnorum Ducē, fratrēq; Hannibalis vicit nauali certamine. Hę quidē
ad primarios incolas pertinuere, duæ ad tēpora Abij ſecundi Regis, tertia ad tēpora
Iberorū. Sunt & aliæ vrbes,quę non adeo uetuſtā habuere originē, fuere tamen ante
tēpora Herculis. Et quoniam Iſidorus, atq; Toletanus nullā in Hiſpaniā vrbem no-
minant,niſi ab Herculis aduentu, per neceſſariū nobis viſum eſt,antiquitatē recenſen-
tes illas, illarūq; autores in mediū producere. Inter has igitur, quæ ad recentiora tem
pora ante Herculis aduentum pertinent, primum vrbem noſtram Gerundā conume-
rabo. Hanc etenim vrbem cōdidit Geryon Chryſauri filius Hiſpanię Rex, quē idem
Hercules interfecit,& dicitur Gerunda a Geryone,& Vnda flumine, quod per vrbis
mediū fluit. Certū eſt enim quod urbes ſiue ab autoribus, ſiue a fluminibus inundan
tibus nomina receperūt. Vnde a Belo Babylonia,a Nino Niniue,a Romulo Roma,
a Conſtantino Conſtantinopolis,& plurimæ orbis vrbes. Et ſi quæ ſunt quæ ab au
toribus, ſiue fluminibus nomē ad pręſens nō retinuerint, huius rei cauſa ſunt Gręci, vt
meminit Ioſephus li. primo Antiquitatū, qui præſumpſerūt nominibus ornare remp.
tanquā a ſe conſtitutā. Huic teſtimonio accedit nomen maioris amnis,q licet ad oram
ipſius vrbis decurrēs,ab ipſa vrbe,& illius cōditore nomē recepit. Ipſe enim Geryon
triceps vir,ſiue tria geſtans capita deſcribitꝛ a poëtis ſecundū Iuſtinū lib. vltimo. Vnde
Vergil. octa. Aenei. agens de Hercule, & morte Geryonis ait: Ter gemini nece Ge-
ryonis,ſpolijſq; ſuperbus Alcides aderat. Cui fabulę Trogus Pomp. Hiſpanus reddit

rationem. Quod eſſent tres fratres, adeo vnius animi, & effigiei, quod non facile diſcernerentur. Cui ſententiæ tribuit argumentum ipſius vrbis fabrica triangularis, quæ ſingulis angulis arcem habet, ſingulis fratribus, vt a pluribus creditur, pertinentem. Huic accedit & Oſca ciuitas, cuius initium a Caco Hiſpano eſt, quem Hercules ab Hiſpania rediens apud Tyberim Italiæ amnem interemit, de quo Vergilius meminit in octauo libro Aeneidos: Hic ſpelunca fuit vaſto ſubmota receſſu Semi hominis Caci, facies quē dira tegebat. & denuo ſubdit ſequentibus verſibus: Huic monſtro Vulcanus erat pater, illius atros ore vomens ignes magnā ſe mole ferebat. Hunc itaq; Cacum finxere poētę ſemiuirū, & appellarunt eum Vulcani filium, pro eo quod ignes fumiferos ore euomeret. Hic enim Cacus iuxta hiſtoriā Princeps in Hiſpania fuerat, Carpentanis regnans. Fuere autem Carpentani Cęſarauguſta, Oſca, Calaguris, & Tiraſſona, vel verius a noua Carthagine vſq; in Toletum, & Tiraſſonam, & Oſcam, hæc eſt vera Carpentania. Hic Cacus in montibus regnans nomen monti indidit, quem hodie montem Caium vulgus appellat, effectumq; eſt, vt horribili facit, ac dira conuerſacione, & aſpero cultu ſemiuir appellaretur. Hic autem primus omnium dicitur inueniſſe ignem ex diuerſo compoſitum puluere, quo lapides iactabat in altum modo licet inculto quo nos bombardis vtimur in hodiernum. Hic itaque Cacus Oſcam condidit vrbem, quam eius incolæ Oſcati ſemiferi appellauere.
Hic vero Cacus fugatus ab Hercule extincto Geryone, in vindictam aſpirans more patrio, qui ad vindictas ab omni æuo promptiſſimi fuerunt, intellecto receſſu Herculis ab Hiſpania illum vſq; Italiam ſecutus, quum apud Tyberina hoſtia quatuor ipſius Herculis boues rapuiſſet, comprehenſus ab Hercule in ſpelunca, in qua latitabat, peremptus eſt maximo igne euomito. Propter quem finxere poētæ Vulcani filium. Has itaq; vrbes ad tempora ante aduentum Herculis compertas habeo verad hiſtoria. Et ſi quæ aliæ ſunt, quia de illis probata non monſtrantur teſtimonia, omittuntur.

De Regibus qui ante Herculem in Hiſpania regnauerunt.

RODericus Toletanus antiquitatem Hiſpanię ſubticens, vel ignorans neminem ante Geryonem, Herculiſq; tē pora regnaſſe referens, ipſa Herculis, & Geryonis geſta ſicco pede pertranſit, tanquā qui per ignotam prouinciam fugitiuus cupit ad notam ſibi regionē pertingere, quadam nimia celeritate, & minus vera relatione diſcurrens ipſius operis, & geſtorum temporibus eſt orſus. Nos vero omnem antiquitatē amplectentes, vetuſtiora Hiſpaniæ geſta, quatenus ex approbatis ſcriptoribus comprobare potuimus, futuræ poſteritati decreuimus annotare. Primum Hiſpanię Regem refert Iuſtinus vltimo lib. ſui epitomatis per multa ante Herculis ſæcula fuiſſe Gorgonium, qui etiam primum vſum mellis dicitur inueniſſe. Huic cum ex filię ſtupro nepos, & filius prouenisſet, pudore flagicij varijs generibus extingui paruulū voluit. Sed per omnes caſus fortuna quadā ſeruatus ad poſtremū ad regnū tot periculorū miſeratione peruenit. Primo enim quum exponi iuſſiſſet, & poſt dies ad corpus expoſiti requirendum miſiſſet, inuentus eſt vario ferarū lacte nutritus. Deinde relatum domū in tramite anguſto, per quē armenta commeare cōſueuerant, proijci iubet, crudelis prorſus, qui proculcari nepotem, quam ſimplici morte interfici maluit. Ibi quoq; quum inuiolatus eſſet, nec alimentis egeret, canibus primo ieiunis, & multorum dierum abſtinentia cruciatis, mox etiam

ſuibus obiecit. Itaq; cum ei non ſolum non noceret, verum etiam quarundam ferarum vberibus aleretur, ad vltimum in Oceanum abduci iuſſit. Tum plane manifeſto quodam numine inter furentes æſtus, & reciprocantes vndas veluti naue, non fluctu vehitur, leuiq; ſalo in litore exponitur. Nec multo poſt cerua adſuit, quæ vbera paruulo offert. Inde denique conuerſatione nutricis eximia puero pernicitas fuit. inter ceruorum greges diu montes, ſaltuſq; haud inferior velocitate peragrauit. Ad poſtremum laqueo captus Regi donatus eſt. Tunc & lineamentorum, ſimilitudine, & notis corporis, quæ paruulo fuerant, nepos agnitus. admiratione deinde tot caſuum, periculorumq; ab eodem ſucceſſor regni deſtinatur, nomen illi impoſitum Abius. Qui, vt regnum accepit, tantæ magnitudinis fuit, vt non fruſtra Deorum maieſtate tot periculis ereptus uideretur. Quippe & barbarum populum legibus iunxit, & boues primum aratro domari frumentaq; ſulco quærere docuit, & ex agreſti cibo mitioribus veſci odio eorum, quæ ipſe paſſus fuerat, homines coegit. Huius caſus fabuloſi viderentur, ni & Romæ conditores lupa nutriti, & Cirus Rex Perſarum cane alitus proderetur. Ab hoc enim, & miniſteria populo indicta ſunt, & plebs in ſeptem vrbes diuiſa memoratur. Et inſuper alium ante Griſaurū, & Geryonem nomine Argantonium, de quo meminit Herodotus Anachreontem poëtam dixiſſe. Equidem Amalthęę cornu nolui, neq; annorū centum quinquaginta Imperium tenuiſſe Tarſi. De quo etiā & meminit Strabo de ſitu orbis libro tertio. Mortuo inſuper Abide, regnū per multa tempora a ſucceſſoribus eius retentū eſt. In alia parte Hiſpaniæ, & quę inſulis conſtat, regnū penes Griſaurū Geryonis patrem, deinde apud eiuſdē Griſauri filiū Geryonem fuit. In hac tanta pabuli lętitia eſt, vt niſi abſtinentia interpellata ſagina fuerit, pecora rumpantur. Inde deniq; armenta Geryonis, quę illis tēporibus ſolę opes habebātur, tantę famę fuerunt, vt Herculē ex Aſia prędę magnitudine illexerint. Porro Geryonē ipſum non triplicis naturę vt fabulis proditur, fuiſſe fixerūt, ſed tres fratres tantę concordię extitiſſe, vt anima vna regi viderētur, nec Herculi ſua ſponte bellū intuliſſe, ſed quū armenta ſua rapi vidiſſent, amiſſa bello repetijſſe: Hęc Iuſtinus. Poſt hos igitur decimus Geryon fuit, quem Hercules Gręcus vir fortis deuicit, & peremit. Erat enim & ipſe Geryon ditiſſim⁹ Rex pecudibus, & armētis, in quibus pro eo tēpore hominū diuitiæ conſiſtebāt, quū & pecuniarū vſus nondū hominū mentes cæcaſſet, nec vſui habebātur. Huius itaq; Geryonis diuitijs allectus Hercules, vt eū prędari valeret, ſuiſq; armētis ſpoliare, poſt prioris Troię excidiū, cęteraq; fœda, quæ ibi geſſerat, in Hiſpaniam venit. Hunc enim Geryonem poëtę tricipitē hominē, id eſt, tria tenentē capita deſcripſerunt. Inter quos Ouidius lib. nono Metamorph. & Vergilius in ſepti. Aeneid. Cauſas inſuper quare hunc ſic poëtę deſcripſerūt, declarat Iuſtinus poſt Trogū Pompeiū vltimo lib. antiquitatū. Regnauit autē hic Geryon, & fratres eius ad alterā partem Hiſpanię, quę ad Mediterraneū pertinet, & Iberi oras ſecundū Iuſtinū. Quare autē alij Reges, qui fuerunt inter Abidem, & Geryonē non nominentur, ex hoc creditur, quia nihil memorabile fecerunt.

Quæ de Celtiberis, & Celtis ſcripſerunt antiqui hiſtorici, atq; Poëtæ.

DIOdorus lib. quinto de vniuerſis orbis regionibus, quum de Celtis, ac Galatis, ad Celtiberos perueniſſet, hęc q̄ ſequunt̄, inſeruit, quę ad noſtrā primum antiquitatē pertinent. Iberi quondā, Celtęq; pro agris bello certantes, pace demū conſtituta, cōmunicata inuicem patria, quum mutua

connubia prouenissent, dicūtur hac rerū communione id nomen sortiti. Duæ igi᷑ robustę nationes in patria fertili cōiunctę effecere, vt magnū esset Celtiberorum nomē. A Romanis post modū multo post tempore bello cum eis gesto vix tandem subacti sunt. Non enim solū equites, sed & pedites aptos bello, robore, malorūq; tolerantia cęteris excellentiores habēt. Breui vtūtur veste, ac nigram lanam habente similē caprarum pilis. Armantur Celtiberorum quidā scutis leuibus, alij rotundis vmbonibus magnitudine clipei. Cruribus ocreas ex pilis factas aduoluunt, galeas ferunt ęreas cristatas, & palmis gladios ex calybe puro ad palmi mensuram, quibus inconserta vtuntur pugna, ferrū insuper suo more ad conficienda arma præparant. Nam ferreas laminas in terram abscondentes, ibi tamdiu esse sinunt, quoad debiliori parte ferrugine assumpta validior supersit. Ex ea tum enses fortissimos, tum cætera ad belli vsum arma necessaria componunt, hoc pacto fabricata, adeo cædunt omnia, vt neq; scutum, neq; galea, neq; aliud quid eis obsistat. Duobus gladijs fulcti, cum equestri certamine superiores euaserint, ex equis desiliunt, pedestremq; adiuuant pugnam, mirabilis apud eos viget consuetudo. Nam cum in victus mundicia elegantes existant, in vna re videntur immundi, spurcitieq; pleni. Vniuersum enim corpus lauant vrina, dentesq; fricant, hanc optimam corporis curam existimantes. Erga nefarios homines, atq; hostes, crudeles sunt. cum aduenis humani, atq; hospitales, aduenientes enim externos benigne inuicē pro illorū honore certant recipere, quos aduenæ secunē, hos laudant, amicos deorū putāt. Nutriuntur affluenter varijs carnibus, potum ex melle cōficiunt, eius copiam præbente affatim patria, vinum emptum bibunt, mercatorum opera aduectū. Ex propinquis gentibus gratior est eis Vacceorum natio, ij enim singulis annis sortitos inter se agros colunt, fructusq; cum cæteris communicant, cuiq; sua portione præbita. Quod si quid agricolæ abstulerint, e uestigio morte multantur. Celtiberorū fortissimi habentur, qui appellantur Lusitani, peltas in bello paruas ex neruis confectas, quibus tegatur corpus, habent, ij in bello ea agilitate vtuntur, vt ictus, & sagittas euitent, iaculis ferreis vtuntur, galeam, ensemq; more Celtiberorum ferūt, iaculū longe iaciunt, & summa arte in acie diucius perseuerant mobili corpore, leuiq;, vt facile fugiant hostem, & insequantur. In profundis periculis superantur a Celtiberis. In pace choreas leui saltu exercēt mirabili crurum, ac totius corporis agilitate. bella ad numerum aggrediuntur, aliquid ex poëmatibus quum hosti obuiant cantando. Iberi, Lusitaniq; ętate integra, prętertim inopia oppressi, qui robore præstāt, atq; audacia, in montibus asperis manu facta diuersis per Iberiam locis latronum more, leui armatura, agiliq; corpore veloces discurrunt. populatisq; agris ad montē, veluti tutam patriā, cum locorum asperitate nullus eo exercitus adire possit, confugiunt. Aduersus hos profecti sępius cum exercitu Romani eorum audaciam represserunt, latrocinia nequaquam tollere potuerunt. Sequitur, vt de argento, quod plurimū apud Iberos, optimumq; effoditur, quodq; multum vtilitatis incolis afferat, scribamus.

De Pyrenęis montibus, ac metallis eorum.

MEMORIAE proditum est ab antiquis Scriptoribus Iberię mōtes, qui Pyrenęi vocantur, & latitudine, & longitudine longe alios excellere. Nam a mari, quod est ad Meridiem, iacent vsque ad Oceanum ferme ad arctos situm, Galleciamque ab Iberia diuidunt. Per Celtiberiam quoque protenduntur stadijs tribus milibus, in quibus cum sint fre-

quentes ſylux, ferunt priſcis temporibus igne a paſtoribus iniecto montanas omnes regiones fuiſſe combuſtas. Qua ex re montes, aiunt, cognominatos Pyrenæos, ardente continuis diebus igne, pluresque ex montium incendijs argenti puri riuuli defluxerunt. Quod incolis ignotum Phœnices mercatores vili rerum permutatione emptum in Græciam, aſiamque, ac nationes cæteras deferentes, magnas ex eo commertio opes contraxerunt. Adeo autem mercatores quęſtus excitauit cupiditas, vt quum onuſtis nauibus ſuperaret argentū, amoto ab anchoris plumbo argentum ſubderent eius loco. Hoc lucro Phœnices admodum opulenti facti plures colonos, tum in Siciliam, propinquaſque inſulas, tum in Libyam, Sardiniamque, ac Iberiam deſtinauerunt. Multis poſtmodum ſeculis cognito argento, Iberi metallis quęrēdis operam dedere, magnaque argenti copia reperta ingens ex eo vetigal prodijt, quum æs, aurum, argentumque ſint metalla præcipua. Qui reperiēdo æri dant operam, quartam eius, quod effodiunt, portionem capiunt. Qui in argento effodiendo occupantur, ſingulis tribus diebus euboicum cutiunt talentum. Terra enim omnis argento, cæteriſque metallis adeo referta eſt, vt mirabilis ſit, & eius ſoli natura, & operariorum cōtinuus labor.

Nam qui primum his metallis reperiendis incumbebant, magna comparabant. In promptu eſt enim argentum, terra abunde illud præſtante. Poſtea quū Romani Iberiam ſubægiſſent; Italici, qui lucri cupiditate id ſibi opus aſſumpſere maxime ex eo ditati ſunt. Emptam enim ſeruorum copiam ad effodienda metalla deputant, qui varijs locis metallorum venas ſcrutati, & alte, lateque terra effoſſa, plurimum auri, argentique eruunt, varijs multorumque ſtadiorum cuniculis ſub terram actis. Multoque fœlicior, & quæſtuoſior eſt hæc cura, quam metallorum, quæ apud atticos reperiuntur. Ibi enim multas impēſas effodiendo ſubeunt, ſæpius opinione fruſtrati quum aut non inueniunt, quod quærunt, aut inuentum ita parui ſit, vt ſuperetur a ſumptu.

Apud Hiſpaniam, qui metallis incumbunt reperiendis, ampliori ſpe percipiunt. Bonitate quippe ſoli glebas ſemper auro, argentoque fertiles inueniunt, vtpote terra metallis penitus plena. Reperiuntur ab eis nonnunquam in viſceribus terræ flumina decurrentia, quorum fluxum ſpe quæſtus vi magna recidunt, aut quod mirabilius videt, cochleis, quas dicunt Aegyptiacas ab Archimede, quum in Aegyptum profectus eſt, adinuentas. Eiſdem inſtrumentis loca diuertūt, vbi metalla effodiuntur, eiecta ſuperius aqua ſumma arte, diligentiaque excitāt. Mirabitur profecto quis Archimedis ingenium, non ſolum in his, ſed in cæteris quoque maioribus, quas multis in orbis partibus egregias fabricauit. De quibus ſcribetur diligentius, quum ad eius tempora veniemus. Serui, qui ad hæc metalla deputati ſunt, incredibilem quæſtum afferunt dominis. Verum enim die, noctuque in labore perſeuerant, quorum multi ex nimio labore moriuntur, quum vix vlla eis ab opere detur requies, aut laboris intermiſſio, ſed verberibus ad continuum opus coacti raro diutius viuant. Quidam tamen robuſtiori corpore, ac animi vigore plurimum temporis in ea verſantur calamitate, quibus tamen ob miſerię magnitudinem mors vita eſt optabilior. Quum plurima in hoc metallorum munere ſint admiratione digna, nequaquam tamen quis admiretur, cur nullus recens horum reperiendorū extiterit autor. Verum argenti ſtudio a Carthaginenſibus, quo tempore Iberiam tenuere, ea metalla adinuenta ſunt. Hæc fuit cauſa, vt eorum poſtmodum excreſcerent vires. Precio enim optimis militum conductis plura geſſerunt aduerſus hoſtes bella, neque domeſtico, neque ſociorum milite vſi Romanos, Siculoſque, ac Libycos ad maxima deduxerunt pericula, quum omnes

diuitijs ab auri argentiq; copia ſuperarent. Perſpicaces ſane, vt videntur, priſcis tempo ribus extitere Phœnices. Itali nullis alijs ceſſere. Oritur & ſtannum in pluribus Ibe riæ locis, non caſu repertum, vt quidam ſcriptores vulgarunt, ſed effoſum, conflatumq;, quemadmodum aurum argentumq; traditur. Nam ſupra Luſitaniam plu rimum ſtannum effoditur, in inſulis Oceani Iberiæ proximis, quæ a ſtanno Caliterides denominãtur. Plurimum tamen a Britannia inſula ad oppoſitam Galliam af fertur: Niſi per loca mediterranea Celtici mercatores equis per Maſſiliatas, ac Narbonam vrbem Romanorum coloniam optimum earum partium tum opportunitate, tum commoditate adeuntium emporium producant. Sed de Gallis, ac Celtiberis hactenus.

De prouincijs Hiſpaniæ, quæ nomina mutauerunt.

DIXIMVS Hiſpaniam omnem in tres diſtinctam prouincias Tarraconenſem, Bęticam, & Luſitaniam ſecundum Claudium Ptolemęum, Strabonem, Plinium, Pomponium Mellam, cæteroſq; antiquiores geographos. Quarum Bętica cõtinet flumen Bętis dictum Guadalquebir a noua Carthagine, a cuius mõtibus defluit in Oceanum Athlanticum, cuius regionis, & prouinciæ caput eſt Hiſpalis, quæ & Metropolis Bęticæ a palude, quæ vrbi circunfertur ſic dicta, ſiue vt aliqui voluerunt, quia vrbs eo in loco conſtructa ſit in fixis palis, in quibus vrbs fundata eſt propter aquarum redundanciam. Luſitania vero dicitur ab Ana flumine, quod hodie Gaudiam appellatur, quod ab eius exortu per totam decurrens prouinciam continet quicquid interiacet inter duo flumina Bętim, & Tagum decurrente per medium amne, a quo prouinciam denominationem habet, propterea quia apud illum Liber pater & Liſias luſerint, & Phana eius præfectus, vt Pli nio placet libro tertio Naturalis hiſtoriæ, quamquam idem Plinius eodem loco dixerit, quod flumen Anas interſecet, & diuidat prouinciam Luſitaniam, in quo non recte dixit, quum ipſa Luſitania prouincia contineat quicquid interiacet inter ipſa duo flumina Bętim, & Tagum, decurrente per medium prouinciæ ipſo flumine Ana, vſq; in Citeriorem Hiſpaniam, Celtiberiamq;. Cætera ad Tarraconenſem ſpectãt, ſcilicet omnis Citerior Hiſpania a Pyrenęis montibus vſq; ad nouam Cartaginem, & Cantabriam, & inde quicquid continet trans flumen Tagi ab illius exortu, Oceanumq; Athlanicũ, & Britãnicum. In his quoq; tribus prouincijs, populis, ac regionibus plurimi ſunt, qui ſua nomina mutauerũt taliter, quod difficillimã reddant lectionem rerum antiquarũ, quũ propter obliterationem antiquorũ nominum ignorationem faciant legentibus tum circa prouincias, tum etiã circa mõtes, & flumina, vrbeſq; deletas, quę quum non extent, neq; quibus in locis fuerint, neq; res apud eas geſtę facile deprehendi poſſunt. Igitur primũ de populis, prouincijs, & regionibus. Secundo de vrbibus. Tertio de fluminibus. Quarto de mõtibus. Quinto & vltimo de dele tis vrbibus agẽdum eſt. Habet igitur Hiſpania tres & quadraginta populos, regio nes, & prouincias, quæ ſequuntur, incipientes a Gadibus, & freto Herculeo, & inde vſq; ad nouam Carthaginẽ, quantũ continet vlterior Hiſpania, & inde a Gaditano vſq; in Pyrenęũ promontorium, ad Oceanũ Britannicũ ad oram maritimam, & inde mediterranea, ac poſtremo citeriorem Hiſpaniam. Oram itaq; maritimam Bętis fluminis inhabitant, & Turduli, inde Baſtuli, & Ithani, Conteſtani, Oretani ad

alteram oram, Celtici, Bracharij, Artabri, Callaici, Lucencij, Celerini, Memerani, Laccrini, Cygures, Hedij, Seburi, Aſturici, Amaces, Ceperani, Pelendones, Betones, Celini, Piſicori, Tugones, Auſtri, Auſtrigones, Cariſti, Cantabri, Varduli, Vaſcones, Edetani, Lacertani, Ilergetes, Ilarqueones, Pheni, Letani, Coſitani, Ceretani, Authetani, Caſtellani, Indicites. His itaq; tota continebatur Hiſpania. Atq; quicunq; perlegerit antiquorum hiſtorias, atq; annales, potius populos, quam vrbes, expreſſos comprobabit. Incipientes igitur a Gaditano, & Herculeo freto, ipſaq; ora maritima, quæ ad Gades pertinet, & hoſtia fluminis Bȩtis, quæ Guadalquebir modernitas nominat, Turditania appellatur, & protenditur vſq; ad Calpem montẽ, quem vulgus Gibeltarem appellat. Illi autem, qui ab hoſtio Bȩtis incolunt, vſq; ad Anam fluuium Turduli appellãtur, quamquam Ptolemȩus libro ſecundo dixerit Turdulos tenere mediterranea a Baria, vſq; in nouam Carthaginem, quaſi Turditanos, & Turdulos eoſdem dixerit. De quibus Strabo libro tertio de ſitu orbis ſic ait. Turditania, incolæ vero ipſi Turdetani, & Turduli appellantur. Sunt, qui eoſdem arbitrentur idem eſſe, ſunt tamen diuerſi, ex quibus eſt Polibius, qui Turditanis Turdulos finitimos eſſe dixit ad Septentrionem. A quibus dicimus fines Turdetanorũ, & Turdulum eſſe Bȩtim. Turditani ſunt ad auſtrum, ac montem Calpe, & protenduntur per medium duorum fluuiorum Bætim, & Anam, vſq; in Caſtulonem quoq; vrbem. Turduli vero ſunt habitantes oram maritimam Oceani Athalantici, vſq; in Anam flumen, & Sacrum promontorium, quod caput ſancti Vincentij appellamus. Poſt Turdetanos ſequunt̃ Baſtuli, a monte Calpi, ſiue Gibeltarem, vſq; ad nouam Carthaginem, quos ſimul & Ithanos Ptolemeus appellat. Sed veritas eſt, quod Baſtuli, licet largo modo protendantur vſq; in nouam Carthaginẽ, Carthageniam appellatam, tamen ſtrictius non protenditur Baſtulia, niſi a monte Calpe, vſq; in Bariam, & a Baria vſq; in nouam Carthaginem Ithani appellantur. Ii vero, qui incolunt mediterranea vſq; ad Obuluſtulũ, quæ Baecia appellatur, ſunt Turditani vſq; ad Hiſpalim, & oram maritimam. Ii vero, qui incolunt mediterranea vſq; ad Vbedam, & Murtiam appellantur Beſetani, incolæ vero a noua Carthagine vſq; in Sueconem amnem, & Valentiæ regnum Oretani ſunt, cuius regionis caput eſt Orantia vrbs, quæ & Oriola appellatur. Redeuntes vero ad oram maritimam Oceani poſt Turdulos, & Sacrum promontorium, ſequuntur Celtici, qui a Gallis in eam regionem tranſlati ſunt, & protenduntur a Guadiana flumine Ana antiquitus dicto, vſq; vltra Tagum, & flumen Mundam, & protenduntur vſq; in vrbem Salamanticam.

De iſtis autem Celtis refert Strabo, ob quandam ſeditionem per eos commiſſam cum Turdulis in eam regionem veniſſe, apud eos dicit eſſe flumen Lethes, quod ideo flumen obliuionis eſſe appellatur, inde ſunt Gallaici, Bracharij a Brachada vrbe ſic dicti, & protenduntur vſq; in oppidũ Baiona, & Ponteuedra includentes Tidures, qui incolæ Tudenſes ſunt. Et quoniam in Brachariorum incidimus mentionem, hęc Galleciorum regio, & prouincia magna eſt, & adeo magna, quod refert Strabo continere in ſe triginta populos. Et quoniam ipſe aſſerit, multi ex illis adeo humiles ſunt, quod rariſſimam mencionem de eis antiqui ſcriptores faciant. Quoniam quum de illis Ptolemȩus meminit, plures ex dictis populis ſingula quæq; oppida, ait, continere, & aliqua duo, aut tria. Propterea non oportet per illa ſingula diſcurrere. Ad Galleciam itaq; pertinent Artabri, qui antiquitus Arotebræ vocabantur, vt voluit Strabo libro tertio, a promontorio Onerio, & portu Baiona, & Ponteuedra protendun-

tur ad aliud promontorium Hauatiacorum, in quo magnus portus eſt, & oppidum Clunia. Ad iſtos enim Gallecios pertinent Tudures, qui & Tutenſes ab vrbe Tutenſe, ad iſtos pertinent Noniciani ab oppido Noia, Celerini, Luanci ab oppido Luanco, Limicei ab amne Limino, Bibali ab oppido Bibalo, nunc Birbao, Lacerni, Silini, Ceporí, Lamauori, Tibures, Gigures, Seburi, Amaces, Ceperani, Lugones a Lugo oppido, Oriuaces, Auſtri, Auſtrigones, Cariſti a Cariſto oppido, nunc Caſtro,

Ad ipſos inſuper Gallecos pertinent Vaccei, Miſburgi, Vectones, ſiue Vergones, Palendones, Aruaces, Aſcurici, Piſicorij vocati ſunt, qui a Gallecijs Lucenſibus, & ora maritima mediterranea poſſident, quæ prouincia nunc Alaua dicitur. Complectunturq; agrum, & vrbem Burgen̄. quamquam ſpecialius Burgenſes Miſburgi ſint ab antiquis ſcriptoribus appellati. Vaccei enim etiam complectuntur, & continent quicquid eſt vſq; ad Oroniam vrbem, vt Strabo voluit. Hos ſequuntur Vectones, qui Legionenſes ſunt, quos aliqui Vergones appellant, & complectuntur agrum Toletanum, immo vt Strabo vult Toletum, licet re vera in Carpentanis ſit, quod ſatis declarat eius Metropolis, quum illius præſul Metropolitanus Carpentaniæ in Tolatanis concilijs deſcriptus reperiatur. Inde Palendones a Palentia vrbe ſic cognominati, poſtea Pacicori a Paſcenſi vrbe ſic dicti. Aſturici ab Aſturgo flumine appellati, Aruaces ab Arena flumine, & oppido ipſius nominis ſic dicti. Inde ſunt Antrigones, quorum caput Calaguris eſt. Inde ſunt Hedeiani, qui ſunt Sorienſes a Soria vrbe, & continent vſq; ad Aragoniæ fines, & vt plærisq; aſſerunt Tiraſſonam. Vultq; Ptolemæus, quod complectantur Cæſarauguſtam, quamquam alij ſcribāt eos in Lacetanis, vt placet Straboni. Hæcq; deſcriptio generalis vlterioris Hiſpaniæ eſt mutationis nominum, regionum & prouinciarum.

De citeriori Hiſpania.

IAM nunc citeriorem Hiſpaniam aggrediamur. In citeriori Hiſpania ad partē Oceani Britannici, ad interiora Mediterranei Cantabria eſt continens regnum Nauarræ, habens populos tres Vardulos, Vaſcones, atque Betones. Varduli ſunt ij, qui montana tenent, atq; Opuſcuam. Vaſcones Pampilonenſes, & vſq; ad Pyrenæi iuga. Betones, vbi nunc Taphalla eſt, quæ antiquitus Trucium metallum dicebatur, & Olitum, quod & antiquitus Olibar, & Tutella dicta hodie antiquitus Titultia. Inde ſunt Celtiberi, quoniam licet omnis citerior Hiſpania nominetur Celtiberia, ſpecialius tamen prouincia Celtiberia dicta eſt, cuius caput Cæſarauguſta, & protenditur vſq; ad vrbem Segobriam, poſt Celtiberos vero ſunt Ilergetes, cōtinentq; Oſcam, & Ilerdam vrbes, & quicquid ijs interminis interiacet. Redeuntes igitur ad maritimam oram poſt Orctanos, & Succonem, ſiue Succonem amnem Conteſtani ſunt. Complectūturq; Valentiam, & Saguntum, quod hodie Muriuetus appellatur, & Magiſtrum Monteſiæ vſq; ad Iberum amnem. Hos ſequuntur Ilarqueones, qui ſunt Dertuſenſes, & Tarraconēſes. Inde Pœni, cuius caput Villa franca eſt dicta Pœnorum, quoniam eo in loco erat vetus Carthago Hiſpaniæ. Quam deleuerunt. T. Sempronius, & Publius. C. Scipiones, qui primi ſecundo bello punico intrauerunt in Hiſpaniam. Illam quia penitus euerterunt in vindictam euerſionis Sagunti factæ a Pœnis, neq; illam ſub illo nomine vlterius eſſe voluerūt. Sed poſt euerſionem conceſſa immunitate redeuntibus incolis non priori nomine,

ſed Villam francam nominari voluerunt, ſub eoq; nomine manet in hodiernum. Sed in memoriam antiquæ vrbis prouincia a Pœnis nomen retinuit, ita vt Villa franca Pœnorum, ſiue Phenicum vſq; in hodiernum appelletur. De hac veteri Carthagine meminit Ptolemæus libro ſecundo, & ſtatuit eam in Ilarqueonibus, quum tamē verum non ſit, neq; Ilarqueones pœnos attingunt, ſed ſolum Tarraconenſem agrum complectuntur. Poſt Pœnos ſequuntur Lethani, quorum caput regionis Barchinona vrbs eſt, concluditq; per maritimam oppidum, & flumen Tarmin, nunc Torderia nuncupatum. Abinde ad mediterranea ſunt Anthetani quorum caput eſt Gerunda ciuitas, & illius ager, complectunturq; Beſulam quæ hodie Biſuldunum appellatur. Inde ad montana habitant Caſtellani, dicti Caſtellani ab oppido Caſtellione, quod caput regionis erat, habetq; nunc oppidum parui momenti Caſtrum Caſtelionis nuncupatū, quod omni regioni Baſſi ſic dictæ nunc præeſt. Protendebant ijdem Caſtellani vſq; ad Baſagodam oppidū, & Ceretanos per montana, hos ſequebantur a parte occidua Oceetani, quorum caput eſt Vicus vrbs, & omnis Auſonia, ſuntq; dicti huiuſmodi Oceetani Auſonij a Vico vrbe, quæ quondam Auſonia dicebatur ab Italis condita, quū perantea Italia Auſonia diceret, maxime ad tēpora. Hos vero ad ſeptentrionem ſequuntur Coſitani, qui Vrgelenſes dicuntur, complectentes Comitatus Vrgelenſem, Cardonæ, & Palarienſem vſq; ad Pyrenæi iuga. Poſt hos ad ortum ſolis ſunt Ceretani incolentes oram Pyrenæi, & pene intra Pyrenęi montes conſtituti. qui & nunc dicuntur Sardones, cuius caput Iulium oppidum erat, a Iulio Cæſare conditum, quod nunc modernitas Lyncam appellat, ibiq; eſt Sardonum oppidum, quod nunc Podium Ceretanorum appellatur, ſuntq; hi Ceretani ab Italia in Coloniam miſſi a Cereto oppido, a quo Cereto Ceremonię nuncupantur. Vltimi vero omnium ad maris littora ſunt Indicetes, ab oppido Ciuixellenſi, vſq; ad Pyrenæum, & continet Emporium vrbem, ac omnem Emporitanenſem agrum, ac Rhodam quondam vrbem a Rhodijs conditam necnon mediterraneas vrbes Iuncariam, & Sinianam, Runcas eſt vltra vrbes Iuncariam, & Sinianam: vltra eſt Ruſcilionis prouincia, & Trophea Pompei, vt ſupra ſatis diffuſe diſſeruimus. Et ſic expediuimus mutationes omnium prouinciarum Hiſpaniæ, pro vt apud veteres ſcriptores nominantur, & quibus ad præſens modernis nominibus vocitentur. Iam nunc de vrbibus, fluminibus, & montibus vidēdum eſt, vrbibuſq; deletis. Sed prius quam ad eas deueniamus, aliqua memoratu digna, quæ ad nonnullas Hiſpaniæ prouincias pertinent, interſeram. Primo enim ſunt multa, quæ Strabo meminit de Turditanis, qui ad Bætim amnem habitant circa maritima littora. Hi inter Hiſpaniæ populos ſapientia putantur excellere, & in terris ſtudijs vtuntur, & memoranda vetuſtatis volumina habent, vatum codices, legeſq; a ſex annorum millibus verſibus conſcriptas. Cæteri autem Hiſpani vſum quidem habent literarum, ſed non vnius generis, nec vna lingua eſt. Addit inſuper, & alio loco in præfato tertio libro, quę ſequuntur. Verum ad regionis fœlicitatē, manſuetudo ſimul, & vrbanitas accedit Turdetanis, & Gallis propter vicinitatē, cognationemq;, vt teſtis eſt Polybius, cęterum illis minorem, vt plurimum enim vicatim habitāt, & viuunt. Nam Turdetani præſertim, qui circa Bætim loca tenent, in Romanos penitus vſus transformati ſunt, nec proprie linguæ memoriā ſeruant amplius, plurimiq; Latini facti ſecū accolas accepere Romanos. Itaq; parū abeſt, quin vniuerſi Romani ſint, & nūc habitatæ vrbes, & in Gallia pax Auguſta, & in Celtiberis Cęſarauguſta, & aliæ Coloniæ

quædam permutatos dictarum ciuitatum ritus demõſtrant. Hiſpaniquoq;, qui hoc
inſtitutionis ſeruãt genus ſtolidi, vel togati dicũtur, in quibus ſunt & Celtiberi, qui
quondã cæteros immanitate ſuperare credebanť. Ad illius autẽ vbertatis fidẽ facien
dam in tertio libro etiã Strabo addidit, quę ſequũtur. Quanta vero rerum ex Tur
ditania exportandarũ copia ſit, maxime declarat nauigiorũ magnitudo, & numerus,
ingentes enim naues onerarię iſtinc Puteolos nauigant, & Hoſtiã Romanorum na-
uale permaneant. Inſuper multitudo Africanis ferme ęquiparanda, tantum eſt incre-
mentum. Quũ autem huiuſmodi ſit mediterranea Turditanię copia, æqualem ma-
ritimam ex pelagi bonis inuenies. Oſtrea namq;, & conchilia omnia, & multitudine,
& amplitudine omniũ ex parte exterius mare ſuperat, pręcipue cũ fluxus, & reflu-
xus hic augeãtur, qui cauſa, vt par eſt, magnitudinis, & multitudinis propter innuda
tiones exiſtunt. Eundem ſe habet in modum circa Cetaria genera, Origos, Phalenas,
Phyſeteras, quibus reflantibus nebuloſe cuiuſdam cotumne vilio longe cernentibus
offertur. Quid Congri, quid Murenæ, quanto noſtris maiores capiuntur; Aliaq;
complura huius generis edulia. In Carteia vero Cerycas, id eſt, Murices, & purpuras
librarũ decem, in exteriobus autem locis Murenulã, & Congrum, minarum ſupra
LXXX. Polypum talenti pondo. Duorum autẽ Sepias cubitorũ, & ſimilia, frequẽs
vero Thymnus euetuſto feruore ingẽti aruina horſum impelliť. Quęrna vero qua-
dam glande ſaginať, quę ad mare naſcitur, humilis admodum, fertilẽ ingentemq; im-
pendio producens fructũ, quæ quidem copioſa in ipſa etiã terra generatur Hiſpania.
Ingentes ſanę radices, perinde ac integrę quærcus habẽs, quæ profecto ab humili radi
ce tollitur nimis. Tantum vero fructũ affert, vt poſt maturitatẽ littora, & extra co-
lumnas, & intra glande referta ſint, quam æſtus aquarũ eiectat. Cæterũ intra colum-
nas ſemper minus, ac minus reperiť. Vt autem autor eſt Polybius, vſq; Latinã ipſæ
glandes emittunť, niſi Sardinia quoq;, inquit, & huic vicinia regio ferat. Verum Thy
mni ipſi quo magis columnis propinquant ab exteriore delati pelago, eo amplius eſca
deficiente maceranť. Hæc in mari belua ſemper adeſt, plurimũ glande gaudens, cuius
cibo eximie pingueſcit. Quumq; glandium ſit copia, thymnorum itidẽ fit vberitas.
Quum vero prædicta regio omnibus bonis exuberet, effodiendorũ ſane metallorũ
ingenium admireris. Tota enim talibus pleniſſima eſt Hiſpania, non tota tamẽ pro-
creandis fructibus facilis, nec tota ferax, eundem in modum, præſertim quæ metallis
abundat. Rarum eſt enim vtriuſq; rei commoditate fortunari. Rarum & eandem di
uerſis paruo in loco abundare metallis. At Turditania, agerq; cõiunctus nullam in
hoc fœlicitatis genere rationem commendare volentibus abeſſe ſinit. Nam aurum,
argentũ, æs, ferrum nullibi terrarũ, neq; tantum, neq; tam probatum generari hacte
nus compertũ eſt. Aurum enim non ſolũ ex metallis effoditur, verum etiam fluit, flu
mina namq;, torrenteſq; auream deferũt arenã, quæ paſſim, & per loca aquarum in-
diga exiſtens cognoſcitur. Cæterum, quũ illic quidẽ minus appareat per aquatilia,
quidã elucent grumuli. Quod ſi quibus a natura negatę ſunt aquę, illatis rigantes
aquis, dehinc ſplendeſcentem efficiunt grumulũ, puteos quoq; effodientes, & aliã per
ſolertiã tractantes artificia, lauandis arenis aurum excipiunt. Pluresq; hac ætate ſunt,
qui aurum eruant, quam qui effodiãt. Vnde & chryſophiſia, id eſt, auri lauacra ſunt
appellata. Galli quidem digniora eſſe ſua prædicant metalla, quæ in Cimerio mon-
te ſunt præſertim, quæ ad Pyrenæum vergunt. Verum enimuero quod his locis
deduciť magis probatum eſt, inter auri micas autẽ quandoq; dimidia libra admodum

purgationis

purgationis, grummos, quos pilas vocant, repertos fuiſſe memorię traditum eſt, qui paruę admodum purgationis indigeant. Traditum etiam eſt ſciſſis lapidibus glebulas quaſdam papillis mammarum ſimiles inueniri. Ex auro autem excocto, & ex tenaci quadam creta repurgato purgamentum eiectum rurſus excoquitur commixtionem auri, atq; argenti habens. Argentum quidem exuritur, cæterum aurum ipſum remanet, forma enim eſt facile fuſilis, & lapidoſa. Ea propter paleis aurum potius liquefit, quoniam quum flamma mollis exiſtit ad illud ſeſe pariter metitur, quod & facile cedit, facileq; diffunditur. Carbo autē caloris vehementia liquefaciens, & ſublimans magis ac magis abſumit. In erythrijs vero extrahitur, & prope lauatur, & in alueolis, vel puteis mundificatur, limuſq; huic exhauſtus eluitur. Argentarias autem fornaces excelſas efficiunt, vt fumoſa illa glebarum euaporatio tollatur in altum, grauis enim eſt, & pernicioſa. Aerariæ quoq; effodinę vocantur, & aureæ, ex quibus licet per coniecturam agnoſcere aurum, inde prius effodi ſolitum. Poſidonius autem quum effodiendi locos, multitudinemq; laudibus extollat, & eorum virtutem, a ſolita minime ſeſe abſtinet eloquentia. Verum diuino quodam afflatus ſpiritu per ipſos agitatur exceſſius. Haud enim fidem, inquit, abnego fabulæ, quod ſyluis aliquando per incendia abſumptis terra ipſa auri atq; argenti feraciſſima noua quædam in ſuperficiem, & ſuperiorem Telluris faciem germina efferbuit. Montes enim omnes, & omnem tumulum materiem eſſe monetæ, quam quædam fœlicitatis abundantia cumulauit. Quod ſi quis regionem inſpectet, inquit, effluentis vbiq; perpetuo naturæ theſauris, & imperatoriæ cuiuſdam maieſtatis nequaquam deficiens ærarium eſſe dicat. Non enim diues tantummodo, ſed diuitias ſufficiens, & ſuggerens eſt regio, peneſq; illorum, vt vere dicam, ſubterraneum locum, non infernus, ſed Pluto ipſe opulentiæ Deus inhabitat. Talia quidem ſpecioſa quadam figura de hiſce locutus eſt, perinde acſi & ipſe de metallis copioſa vſus ſit oratione. Effodientium vero ſolertiam commemorans ſcitum illud Valerij adiungit, qui in argentifodinis agri Attici, ſic intente, atq; acriter homines effodere aſſerit, vt in ſuperiora, Plutonem ipſum adducendum eſſe præſtolentur.

De montibus Hiſpaniæ, qui nomina mutauerunt.

REgionum Hiſpanię deſcriptionem abſoluimus quę in hodiernū nomina mutauerunt, ne legentes auertantur a ſenſu hiſtoriæ propter ignota nomina regionum. Nunc autem, vt promiſimus, itidem faciendum eſt de montibus, fluminibus, ac vrbibus. Igitur a montibus incipiemus. Sunt montes excelſi in Hiſpania. Primū Pyrenęi, qui Hiſpaniam a Gallijs ſeiungunt, & incipiunt ſecundū communem hiſtoricorum opinionem a templo Veneris, & Mediterraneo, vltimoq; confine agri Gerundenſis, & protenduntur vſq; in Oceanum ad promontoriū, & ciuitatem ſui nominis Eaſo, quę hodie Baiona dicitur, ſeu, vt alijs placet, a vico ſancti Ioannis de Lueza, ne ſcindatur mons, Hi montes vſque in hodiernum ſuam appellationem retinuerunt, De iſtorum tamen montium nomine diuerſi diuerſa ſentiunt. Quoniam dixerunt quidā Pyrrhenęos a Pyrrho Hiſpani ſucceſſore vocitari. Diodorus vero libro quarto ait quod cū mons ipſe plenus eſſet maximis arboribus, plurimiſq; paſtoribus propter greges, qui inibi paſcuntur, accidit, vt die quadam appoſito igne monti quum ventus validus exercuiſſet, ignis vrens glebas ipſius montis coegit

aurum,atq; argentum colligendum, reliquã ipſorum montium partem incenderunt, & ab ardenti Pyra,quæ eſt lignorũ congeries ardens,Pyrenęi montes appellati ſunt. Hæc Diodorus. Idem etiam cenſuit Appianus. Aliqui a crebris fulminũ ictibus illic cadentium Pyrenæos dixere,a Pyr,quod eſt ignis. Ab his itaq; montibus procedunt & alij montes, qui per Lacham vrbem in Caſtellam, ac vlteriorẽ Hiſpaniam protenduntur, & ad vltimam Oceani oram in Portugallia terminãtur ad oppida Cintres, & Turres vedres, & hi montes Caſtellæ regnum per mediũ ſcindunt in partes duas. A primis enim habitatoribus Ebullei montes appellati ſunt. Hi radicem habent a Pyrenęo,atq; Cantabris magnam regni Nauarrę partem claudentes. Hi ijdem montes,qui in Aragoniã vergunt,mõs Caci,ſiue Moncaio a Caco Hiſpano dictus,de quo meminit Vergilius lib. octauo. Vnde protenduntur per vlteriorẽ Hiſpaniam, includentes diuerſas vrbes Segouiam, vrbemq; Rhoderin, quã Ciuitatenſem vocant, & ſecundum diuerſa loca diuerſa nomina ſortiti ſunt. Sunt & alij montes in Bætica, qui ab ora fluminis Bætis alias Gaudalcauir ſupra Hiſpalim in fretum Herculeũ protenduntur,& pene illis clauditur Granatæ regnũ. Vnde inexpugnabile ſit regnũ montibus altiſſimis circunſeptum. Hi montes quatenus oram freti Herculei contingunt, Calpe montes ab antiquis ſcriptoribus appellati ſunt, ibiq; fixæ ſunt alteræ ex columnis Herculis,mediũ habentes inter Malachã,& Gades inſulam, vbi alteræ fuere fixę columnæ. Nunc vero mons iſte mutationem nominis fecit ab aduentu Arabum,qui eandem inhabitant regionem, & Gibeltarich appellatur. Gibel itaq; Arabica lingua montem ſignificat tanquam mons Tarich. Hic itaq; Tarich primus Dux Arabum fuit,qui claſſe inſtructa Arabib^9 de Africa traiecit in Hiſpaniam. Ipſi vero montes, quum in Hiſpalim protenduntur, Illipæ montes dicebantur, quum in Cordubam verſus,Themarini mõtes ſiue Orthoſdadę montes dicti ſunt. Erat enim per antea ibi vrbs Calpe dicta a monte ipſo. Promontorium vero, quod in Oceanum mitiit, & Iunonis antiquitus templum habebat, hodie Tarypha oppidum eſt. Ibiq; non longe eſt Miniſter portus, & vrbs Belon, & fluuius eiuſdem nominis. In hocque monte incipiunt Herculei freti fragores exaudiri, habetq; ex oppoſito Libyam, & alium montem Abulam, quanquam Calpe mons excellior ſit, & hi montes,quatenus ex oppoſito Malachæ ſunt, habent Vliſcam vrbem, & Mineruæ templum, vt voluit Strabo libro tertio de orbis ſitu. Suntq; montes ipſi referti auro, argento, ære, ac diuerſis metallis,vt idem aſſerit. Illi vero montes,qui Valentiam ſciungunt a Murtiæ regno, Vbedæ montes appellati ſunt etiam ab antiquis Sturiarum, & Biſcaiæ.

Inſuper qui ad Oceanum, alteramq; partem Hiſpaniæ pertinent Numidicæ montes dicebantur, & a Pyrenæo procedentes per Cantabriam, Nauarręq; regnum prolabuntur. Item per Biſcaiam, Opuſcuamq;, Sturias, & Galleciam, vſq; in vltimam oram ad promontorium, vbi eccleſia de finibus terræ ſita eſt, & hi montes ſecundum vnamquanq; prouinciam, per quas progrediuntur, nomen acceperunt. Et propter ea mons vrbi Barchinonenſi adiacens ad oram maritimã mons Iouis, vt placet Pomponio Mellæ libro ſecundo & tertio, dicitur. Quod quidem nomen vulgus corrupit, & Iudaicum montem appellat idiomatum confuſio. Sunt præterea Scalæ Annibalis inter Barchinonem,& Tarraconem, quæ Coſtæ de Garaſa modernis dicuntur. Reperiuntur præterea & alij montes in Hiſpania omiſſi ab antiquis ſcriptoribus non omittendi propter illorum ſingularitatem. Sunt enim in Tarraconenſi Hiſpania duo montes,Primus in Letanis inter Vrbes Barchinonem, & Gerundam op-

poſitus oppido Blandę dictus Mons ſigni,ſiue ſignorũ,tanquã nauigãtibus per maritimã orã primus totius regionis ſigna terrę prębeat, ſiue gratia regionalibus ſigna pluuiarum,&imbriũ ſigna pręſtet. Eſt & alius mons in comitatu Cardonæ ſale plenus, pręſtatq; omnibus regionalibus ſalis fertilitate,quẽ montem,quũ maxime ſale euacuatur, tunc latius in altum creſcere nemo dubitat. Et hæc de montibus ſufficiant.

De fluminibus, quæ nomina mutauerunt.

PRimum omnium fluminum Hiſpaniæ, quæ nomina mutauerunt, Bætis eſt, a quo Bætica Hiſpaniæ prouincia dicta conſtat. Hic amnis ortum habet a montibus propinquis Carthagini, qui quondam Orthoſdadę dicebantur, & decurrens per Caſtulonem, & Cordubã influit in Oceanũ Athlanticum ad vrbẽ Hiſpalum, clauditq; ſuis terminis prouinciã Bæticam, in qua Granatæ regnũ ſitum eſt. Corduba inſuper ciuitas, quæ in medio pene fluminis curſu eſt,ab eodem flumine denominationẽ habet,vt tanquã cor Bętis dicta ſit Corduba. Huic autem flumini Arabes nomen immutarunt,quum Gothis expulſis Hiſpaniam obtinuiſſent. Quorum reliquiæ in Granatæ regno permanent. Amnem itaq; appellarunt Gaudalchauir, quod nomen in hodiernum manet. Poſt hunc oram ſequendo Oceani anas fluuius eſt, a cuius nomine prouincia Luſitania dicta eſt. Hic amnis ortum habens a montibus Orthoſdadę, & Vbedæ vicinis Carthagini, & Murtiæ per mediam vlteriorem Hiſpaniam. & Caſtellæ regnum decurrens ad oppidum Calatrauam influit in Oceanum ad confinia Portugalliæ, diuidens regna Caſtellæ, & Portugalliæ loco vocato Lanis. Huius autem fluminis priori nomini addiderunt Guadi, quod Arabica lingua interpretatur aqua, & ſic Ana Guadiana dicta eſt vſque in hodiernum diem. Tagus autem,qui a Bebuleis montibus naſcens per Toletum,& Vlisbonam vrbem decurrit in Oceanum, nomen retinuit ab antiquis impoſitum. Item apud hunc amnem finxere poetæ, vt ait Iuſtinus, equas ex aura concipere propter agri vbertatem. Ad præfati Oceani oram Compoſtellam verſus ſequitur alius amnis decurrens per Coimbriam in Portugallia, qui ab antiquis Munda appellabatur ſimul cum ipſa vrbe Coimbria. Hoc etiam flumen a modernis Mundeuo appellatur,eſt q; ibi oppidum ad Oceani littora eiuſdem nominis veterem denominationem retinens, apud quod Caius Iulius Cæſar, ſeu eiuſdem Duces Agrippa, & Brutus bellarunt vltimo contra Pompeij filios Gneũ,& Sextum,quorũ alter ibi occubuit,alter aufugit, quoniam mortuo patre apud Aegyptum poſtea quã ſuperatus eſt in Theſſalia apud Pharſalię cãpos victis,perẽptiſq; Scipione,& Catone,Lucio Afranio. M. Petreio,ac Iuba Getulorum Rege Pompeij filij Hiſpaniam omnem occupauerunt.

Poſtea ad eam vrbem ad prælium coacti fuerunt. De quo prelio, & vrbe meminit Lucanus in principio, dicens: Vltima funeſta concurrant pręlia Mundæ. Et hęc Luſitania dicta eſt, quanquam enim Luſitania dicta ſit prouincia, hi tamen ſpecialius, qui incolunt Vlisbonam, & Coimbriam Luſitani dicti ſunt vſque ad flumen Doricum, vt placet Straboni. Poſt Mundam Doria eſt procedens ex montibus Ebuleis, & decurrens per mediam Caſtellam influit in ciuitatem Portum, & hic amnis priſcum retinet nomen. Poſt hunc Liminus fluuius eſt, quem Iuſtinus Minium appellat ab ingenti copia Minij, in montibus Aſturiarum, & Biſcaiæ, qui quondam Vidumi montes dicebantur enaſcens. Hic amnis influit in O-

ceanum, Portugalliamq; a Gallicijs ſeiungit loco dicto Toi, quæ vrbs eſt, & a modernis nomine immutato Vnga vocatur. Poſt Vngam tria ſunt in Gallicijs flumina, quæ nomina mutauerunt. Primum eſt ad Ponteuedrum, quod Vias ab antiquis dicebatur. Alterum, quod decurrit non longe a Compoſtella, Tamarus. Tertium eſt poſt vltimum promontorium de finibus terræ Aſturios verſus Vir nomine. Poſt hæc in Sturijs tria alia flumina ſunt. Primum verſus Gallicios Vicatus. Secundum decurrens non longe ab Oneto Natum. Poſt hæc in Biſcaia vltimiſq; finibus Aſturiorum Nebalmonus. Item alia tria. Primum ad Aſturios Nelus non longe ab oppido Caſtro. Secundum eſt Negangeſia, quem alio nomine appellat Iuſtinus Chalybim, & ad oppidum Birbao decurrit in Oceanum. Tertium ad Nauarram pertinet, & Nerua dicebatur. Hæc quidem flumina aptiora ſunt omnibus aquis adferri fortitudinem faciendam. Ad partem vero Mediterraneam euntibus a Bętica, & noua Carthagine primũ flu. decurrens in Mediterraneũ ab oppido Oriola, quod antiqui Oritigum dixere, non longe a vico dicto Gardemar A lana dicebatur. Nunc autem a modernis Segura. Alterum vero ſequens, quod influit in Mediterraneum, quondam Secabur dicebatur ab antiquis, nunc vero . Tertium vero, quod decurrit per Alzeſiram oppidum ab antiquis primo Succon dictum eſt, deinde Succeo, nunc Chucarus. Apud hunc amnem Pompeius pugnauit cum Sertorio, & viciſſet Sertorius, niſi ſuperuentu Appij Metelli Pompeius adiutus fuiſſet. Amnis inſuper, qui per Valentiam decurrit in mare, Pallentia dicebatur, nunc vero Gaiadalaycar. Qui vero per Saguntum quondam nunc Murinetus Turris nomen habet. Qui vero prope Barchinonam decurrit a montibus Pyrenæis, ab antiquis Rubricatus dictus eſt, a noſtris vero, R, litera eſt mutata in, L, & dicitur Lubricatus, poſtea Betulo annis, vt placet Pomponio Mellæ, non longe a Barchinone, qui nunc Biſocto dicitur, alias Beſotium. Inde Tarnum flumen ſecus Blandam decurrens, quod Tordera hodie vocitatur. Ticer vero amnis, qui per Gerundam vrbem decurrit, & influit in Mediterraneum ad oppidum Turricellam, nomen retinuit. Cluuianus, qui non longe ab Emporio quondam maxima vrbe Gerundenſis agri per Occaſum influit in Mediterraneum, ſolam vnam mutauit literam, c, in, f, & Fluuianus dicitur, quanquam Plinius de Naturali hiſtoria libro tertio illum Flumialbum appellat. Sembroca alter amnis, qui ad Orientem diruptæ vrbis Emporiæ influit in Mediterraneum, a modernis Sambucha dicitur. Sunt & alia duo flumina, quæ in mare non influunt, ſed coniunguntur Ibero, de quibus accurate diſſeruit Iulius Cæſar in ſuis Commentarijs, quum aduerſus Lucium Afranium, &. M. Petreium in Hiſpania apud Ilerdam pugnaſſet, quorum alterum Cicoris, alterum Cinga appellatur. Cicoris ad Ilerdam, Cinga ad Fragam fluit. Hæc igitur de fluminibus, quę in Hiſpania nomina mutauerũt, dicta ſufficiãt. Iam ad vrbes veniamus.

De vrbibus Hiſpaniæ, quæ propria nomina mutauerunt.

IAm enumeratis ad plenum prouincijs mõtibus, & fluminibus Hiſpanię, quę nomina mutauerũt, reſtat & vrbes diſcutere. Primũ itaq; ab Oceano, Gadibuſq; Herculis, ac freto Herculeo incipiẽtes orã Mediterranei vſq; ad Carthaginẽ, inde alterã orã Oceani cũ reſiduo interiacẽti Mediterraneo, & vlteriorẽ Hiſpaniã deſcribemꝰ. Inde redeũtes tãq; ad ꝓpriã domũ, ad citeriorẽ deſcribẽdã deuoluemur. Pri

ma igitẽ omniũ ciuitatũ Gades erit, de qua meminit Dyoniſius Alexandrinus, quem ætate noſtra Antonius Bacharia Veronenſis tranſtulit, quod ante aduentum Herculis Tarteſſus dicebatur. Poſtea vero quã Hercules ad eam peruenit, ſtatuitq; in eadẽ columnas ad emulationẽ alterius Herculis Aegyptij, qui alias colũnas ſtatuerat ad alteram librę oram ſecundũ Diodorum libro quarto, ab ipſis columnis erectis Gades Herculis inſula, & illius vrbs appellata eſt. hæc Priſcianus. quanquam Strabo libro tertio referat, Polybiũ dicere eam regionem, quæ circa Bętim eſt, cognominari Tarteſſum, Gades vero prius Erytheã vocitatam cum duabus adiacentibus inſulis, huic autẽ propinquũ eſt oppidũ ſancti Lucę de Baromeda, in nauigatione per flumen Bętim, quod quondã Mendalia dicebatur illi enim adiacet vrbs Belon ad partẽ freti, quę hodie Taripha oppidũ eſt, & erat ibi templũ Iunonis, & Mneſtei portus. hanc regionẽ a Calpe monte vſq; in Bætim amnẽ, vocitari Tarteſſum. Alij vero dicunt agrũ Turditanorũ, qui oppoſitus eſt inſulæ gadi per oram Bætis fluminis vſq; in Sacrũ promontorium, quod caput ſancti Vincentij hodiernis tẽporibus vocitamus, appellari Tarteſſum. De hac enim Tarteſſo late diximus ſupra de prouincijs, q̃ nomina mutauerunt. Sed de hac vrbe Gade prętereundũ non cẽſeo, quod de ea refert Strabo lib. tertio de ſitu orbis. Quod quũ eſſet primũ oppidũ, Balbus Gaditanus vir triũphalis aliud illi inſuper ędificauit, quod Neapolim, id eſt, nouã vrbẽ appellauit. Additę ſunt etiam a Balbo ipſo inſulæ duæ, vna, quam Didimam appellãt, & altera illi adiacens, quæ maximum vrbi incolatum præbuerunt. Adiecit etiã Strabo ad illius magnitudinem, quod adeo creuerat, quod poſt Romanam vrbem, cæteras vrbes mundi anteibat. Et quũ illi ager nullus eſſet, omnes illius vrbis incolæ ad nauigationẽ ſe contulerant, in aſportandis Romam rebus mercatorijs, maximeq; eis, quæ ab Hiſpania exportabantur. Adiecit etiã Strabo ad illius amplificationẽ, quod quũ cenſus ſemel exigeretur ex ea, reperti ſunt in ea militaris ordinis equites aurati viri quingẽti, quod nuſquam in aliqua ciuitatũ Italię compertũ, quam in Patauio vrbe. Poſt bellonẽ vrbem ſequitur vrbs Mellaria ante fretum, quæ nunc Alzezira nũcupatur, vt placet Plinio libro tertio. Ptolemęus vero libro ſecundo vul quod Alzezira fuerit Charteia Charteios primo a Græcis dicta ſub Calpe monte in Oceano Athlantico locata ante fretũ. Inde ſequitur Molena, quæ antea Suelũ dicebatẽ, vt placet Ptolem. lib. II. Ad mediterranea Obcbuſca eſt, quã hodie appellamus Baheſſam. Inde eſt Siſapo oppidum quod Xeres appellatẽ, apud quod metalla expoliuntẽ. Hanc itaq; per orã Mediterranei maris ſequitẽ vrbs Granata, quæ ab Arabibus occupata eſt, a qua vrbe regnũ Arabũ nominationẽ capit: Atea enim vocabatẽ magna Illipula ſecundũ Claudiũ Ptol. Cauſam vero mutati nominis autenticã non memini me legiſſe, de ipſa tamen vaticinari libet.

Conſueuere arborũ fructus appellari a regionibus, vbi ijdem fructus ab initio ſunt reperti, vt ait Hieronymus in Epiſtola ad Euſtochium, dicens: Ceraſa ex eo ſic appellari, quod primum Lucullus a prouincia Ceraſa Romam veniens detuliſſet, ſic a Perſide perſica. Granata mala punica dicta ſunt, quia ij fructus apud Pœnos primum reperti ſunt. Quum vero Hiſpania diutius ſub Pœnorum fuerit poteſtate, perfacile fuit, vt illius generis arbores de Aphrica tranſlati ſint in Hiſpaniã, & ea vrbs, a qua forte per Hiſpaniam tranſlati ſunt, ab eorum fructu conuerſionem nominis ſecerit, vt Granata dicatur, Hiſpano ſiquidẽ nomine mala punica Granata appellãtur.

Almaria vrbs ab antiquis Illibera dicebatur, quæ ad oram Mediterranei eſt. De hac igitur Illibera vrbe, & eius Epiſcopo Gregorio meminit Hierony. in lib. de viris

illuſtribus, quod eſt Bęticus, nec immerito illum non expreſſit Hiſpanũ ſed Bęticum,
quum Hiſpania habeat duas vrbes illiberas, vnam in Bætica, alteram in Tarraconen
ſi ad iugum Pyrenæi, quæ confinis quondam fuerat noſtræ dicæceſi, de qua ſuo lo-
co dicetur de vrbibus, quæ corruerunt in Hiſpania. Poſt oram vlterioris Hiſpanię,
quæ eſt in Mediterraneo, ſequitur & altera ora ad Oceanum. Poſt Gades Hiſpalum
eſt. Hanc vrbem multi ferunt ab Hercule conditam, ſicq; vocitatam, ſiue quia palis
ſuppoſitis condita ſit, ſiue a palude, quę maximã vrbem circundat. Hiſpalis dicta eſt a
prioribus antiquis. Poſtea vero a Iulio Cæſare Iulia Romulea appellata, vt Straboni
placuit, a cuius nomine vulgata locutio originem traxit, vt Siuillia appelletur tan-
quam a Iulio Cæſare inſtaurata, & dicatur ciuitas Iulia, referuntq; præfatum Cæſa
rem eandem vrbem conſtruxiſſe, quod tamen verum non eſt, quum apud Titum Li
uium, Commentariaq; præfati. C. Iulij Cæſaris, ac Lucium, plurimoſq; ſcriptores
antiquiores, fiat eius ciuitatis mẽtio. Potuit tamẽ Iulius Cæſar illam inſtauraſſe laben
tem, auxiſſe, ac dilataſſe, obtinuit tamen moderna literarũ locutio, vt priſtino nomine
ab eis nuncupetur. Poſt Hiſpalũ ſequentes Oceani oram præuenitur ad Guadianam
fluuium, regnumq; Portugallię, vbi ciuitates Sylua, & Eura conditæ ſunt, & ad extre
mum Oceani promontoriũ, vbi ſacrum erat Herculis templũ, & ſacrum eſt appella-
tum promontoriũ. De hoc vero Herculis templo, & ſacro promõtorio liber aliquid
dicere, quũ referat Trogus Pompeius Hiſpanus, quem Iuſtinus ſingulari eloquentia
abbreuiauit, eſſe in Hiſpania ſaltus Tercenorũ, apud quos finxere poëtę Titanas bel
laſſe cum Dijs, in quibus primi Hiſpanię Reges Gorgonius & Abius regnauere.
Hos autem ſaltus non declarat, vbi ſunt, nec bellum Titanum aduerſus Deos elucidat
quam vltra fabulam, falſa admodum videantur, quoniam & ſi fabulæ falſitatis pluri-
mum habent, ſemper tamen veteres poëmatibus ſunt vſi, quum aliquid ad hiſtoriam
fictio veritatis habuerit. Vnde Firmian. Lactantius vir eruditiſſimus. de poëtarum
licentia primo lib. ſic loquitur: Hic homines decipiuntur maxime, quod hęc omni
ficta eſſe a poëtis arbitrantur, colunt, quod ignorant, neſciunt enim quis ſit poëtice li-
centiæ modus, quouſq; progredi fingendo liceat, quũ officium poëtę in eo ſit, vt ea quę
vere geſta ſunt, in alias ſpecies obliquis figurationibus cum decore aliquo cõuerſa tra-
ducat. Totum autẽ, quod referas, fingere, id eſt ineptum, & mendacis potius, quã poë-
tæ. Vnde, qui hi ſaltus Tercenorũ ſint, videndũ eſt, vbi inhabitauere Curetes, & quid
fuerit ad hiſtoriam pręlium Deorum cum Titanis. Saltus enim nemus eſt Terceno
rum. Itaq; vel ciuitas Gades eſt, vel littus Bætis, vt ſatis declarauimus. Saltus vero
iſtorum Tercenorum ſylua quondam maxima erat vltra Gadianam flumen. Hæc
enim ſylua protendebatur ab Eura vrbe vſq; ad vltimum promontorium Oceani,
quod Sacrum promontorium veteres appellabant. Hic Saltus non longe a Gadibus,
ſiue a Bęti flumine diſtabat, quẽ Saltum Curetes primi incoluere. Ab ipſo itaq; Sal
tu Sylua vrbs Portugallię hodierno idiomate nuncupatᷣ, quoniã Latino ſermone Sal
tus, & Sylua idẽ ſunt. Quũ enim Hercules in Tarteſſum veniſſet, finitimi regionis
intelligẽtes aduenã potentiſſimũ hoſtem adueniſſe, finitimãq; occupaſſe vrbẽ, ſeu pro
uinciã Tarteſſum, apud eandẽ ad ipſum ſaltũ congregari ceperũt amni propinquum.
Inde Hercules quũ prouinciales apud eundẽ Saltum, qui vltra Anã, ſiue Guadianam
flumẽ eſt, inuaſiſſet, cũ eiſq; certaſſet, illos pręlio vicit, atq; propterea parta victoria ibi
Herculẽ luſiſſe ferunt, atq; ludos, quos alter quondã Hercules Cretenſis patri Ioui in-
ſtituerat, ibi renouauit, quem ipſe ſe fore mentiebatᷣ. Erat enim gens ea tempeſtate ru-

dis, & ad bella inſucta, & propterea quia illos apud eandem ſyluam vicit, Titanas cū dijs certaſſe finxere poëtę, cui fabulæ cauſam tribuit, quod Hercules ad excuſandum matris Alcumenæ adulterium propter eius robuſtitatē Iouis ſummi dei filium falſo mentitus eſt. Quoniam cum Iupiter Cretenſis Herculem alterū, qui hunc per multa ſęcula anteceſſit, habuiſſet filium, a Græciſq; vt Deus fuiſſet adoratus, ille ſe illum aſſerēs a Ioue ſummo Deo genitum rudi populo affirmauit. Vnde Ioui patri, ac ſibi tanquam Deo templa, & adorationes conſtituens inſania quadam rudem populum circunuenit. Aduerſantes propterea ſibi prouinciales populos Titaneos, Herculeos vero deos poëta fingens ad illum ſaltum Tercenorum pugnaſſe refert. Quomodo vero Titanes cum Ioue Cretenſi antiquiori hiſtoria pugnauerint, ex quibus diuerſimoda poëmeta prodierunt, ſcribit enim Firmianus Lactantius de falſa religione libro ſecūdo, quam hiſtoriam hic referre, accōmodatum videtur. Quod fuit apud Grecos, inſulamq; Cretam quædam Regum genealogia a Saturno incipiens, quam propter nōnulla ab eis facta, prima gentiliū ætas vana ſuperſtitione in deos translatā eſſe credidit, de eiſq; poetæ multa fingentes ad nos multa vana perduxeruut. Saturnus enim huius genealogię principium, & Titan eiuſdem frater Vrani Regis Cretæ filij fuere. Titan enim primogenitus fuit, & Saturnus ſecundus. His autem mater erat Veſta, ſororeſq; Ceres, & Ops. Saturno vero vxor fuit Ops. Quum vero Saturnus fuiſſet facie hilarior, aſpectuq; magis decorus, quoniam Titani facies admodum triſtior eſſet, regnumq; Titani tanquam primogenito pertineret, ſuaſum eſt a ſororibus matre id præſtante conſilium, vt Saturnus Titani præficiatur in regnum, re itaque peracta ad concordiam ventum eſt. Quod vbi Saturno aliquis liber maſculi ſexus naſceretur, necaretur. Eo modo, vt ſucceſſio regni ſaltem in Titanis filios deueniret. Firmata itaq; pactione interueniente Veſta matre, quod primo natum eſt, a parentibus eſt extinctum. Quū vero denuo Ops Saturno peperiſſet geminos Iouem ſiquidem, & Iunonem. Veſta occultauit Iouem, & Iunonem palam ędidit. Quumq; Iouem clam educaſſet, Ops iterū parturiuit Neptunum, quem quum denuo occultaſſet Veſta, iterum & Ops geminos parit Plutonem, & Glaucam. Pluto item celatur, Glauca vero oblata in medium ſtatim emoritur. Re itaq; cognita Titani, quod nati eſſent Saturno maſculi, quos etiam educaſſet. Congregatis filijs, alijſq; adhærētibus, quos Titanos antiquitas appellauit, Saturnum, vxoremq; Opem vinxit compedibus, & in cuſtodia poſuit. Quum vero Iupiter Saturni filius adoleuiſſet, intellexiſſetq; parentes carcere detineri, collecta iuuenum manu ad liberandos parentes properat, & commiſſo prælio cum Titanis Iupiter Titanos vicit, parenteſq; in regnum reſtituit, atq; in Cretam redijt. Hęc, & longe alia de Ioue, ac Saturno proſequitur Firmianus Lactantius primo libro de falſa religione. Quum vero Hercules primus, prout inferius ſuo loco de Herculibus dicetur, Iouis filius Regis Cretenſis fuerit, ob eiuſq; virtutes a Græcis vt deus veneratus ſit. Illum Herculem hic noſter Alcides ſe eſſe falſo mentitus eſt, atq; illius inſtar, quū etiam ipſi Ioui, vt perſuaſerat, patri ad orationes tēpla conſtituerit, poëta fingens Herculem, ſuoſq; deos, Hiſpanoſq; cum eo belligerantes Titanes appellauit, tāquam Ioui ſummo Deo aduerſantes, & hoſtes, quod quidem præliū apud ſyluam ad oram amnis Anę commiſſum eſt. Quæ ſylua non longe a Tercenorum vrbe diſtat, nunc vero Gades appellata, apud quam Titanos cum alijs certaſſe finxerunt, ſiue vt Strabo, & plærique alij voluerunt apud oram Bætis, id eſt, agrum Turdetanorum, qui, vt ſupra diximus;

Tarteſſus vocabatur. De hac etiam Tarteſſo miminit, Solinus de mirabilibus mundi, quum de inſula Sardinia ageret. Sed iam nunc aliquatenus peruagati ad noſtrum propoſitum redeamus. Poſt Terenorum ſyluam, vbi Sylua, & Eura vrbes conſtitutę ſunt. Paſſa in agro Lucētino poſita eſt, quæ licet Latini nominis prioritatē retineat, vulgari tamen ſermone conuerſionem fecit, & dicitur Badabos. Hanc ſequitur Vliſbona vrbs ad oram fluminis Tagi, hæc autem apud veteres Scalabus dicebatur, pro vt ſupra retulimus in titulo de vrbibus ante Herculis aduentum. Inter ſaltus vero Terenorum, & ipſam vrbem Vlisbonam, & Tagum interiacet promontorium dictum Sacrum ab antiquis, quod nunc caput ſancti Vincentij appellamus, in quo ad Oceani oram, poſt obtentam de prouincialibus victoriam. Hercules Ioui, vt aſſerebat patri, libauit, & ipſi patri, & Herculi mendacibus Dijs templum conſtituit.

Quod vſq; ad tempora Claudij Ptolemæi perſtitit, quamquam multi ex antiquis ſcriptoribus aſſerant huius templi inſtitutionem non ad noſtrum Herculem, ſed ad alterum pertinere, qui columnas in parte Lybiæ conſtituit, vt placet Diodoro. Vliſbonam vrbem ſequitur Colymbrium quæ ſimul ſuo flumini iūcta ab antiquis Munda dicebatur. De qua Lucanus in principio, & Cæſar in Commentarijs libro vltimo, & ſuperiori titulo de fluminibus: cauſam vero mutationis nominis Rodericus Toletanus aſſignat. Apud ipſam itaq; Mundam vltimo pugnans Pompeius, maioris Pompei filius cū Bruto, & Agrippa Cæſarianis Ducibus victus, perēptuſq; eſt. Colymbriā vrbē ſequitur Portus ciuitas, a qua vrbe Portugallię regnū nomē habet.

Dicebatur enim eadem vrbs ab antiquis Lauara, per ipſam enim decurrens flumen Doria latiſſimo ſinu influit in Oceanum. Comperta itaq; opportunitate, atq; ſalubritate Portus ciuitatis, quum prouincia ipſa Gallecia dicta ſit ab Vliſbona vrbe ad omnem Oceani oram vſq; in finem Pyrenæi montis, & promontoriū Eaſo, vrbēq; Baionam, ideo Portus Galleciæ dictus eſt. Vnde & Portugalliæ nomen exortū eſt, & creuit in hodiernum. poſt Portum Galleciæ ſequit̄ Compoſtella, quæ per antea Ara Solis dicebatur, ſed verius dicitur, quod locus Aræ Solis ſit vltimus locus promontorij, vbi hodie eccleſia beatæ Mariæ de finibus terræ ſita eſt. Compoſtella vero ciuitas a promontorio, & Ara Solis duodecim milliarijs diſtat. Veteres enim Iberi iam vſq; a Chaldeorum finibus progreſſi, vbi Solem vti deum adorant, illum ab illius ortu, vſq; in occaſum proſequi ſtatuerunt. Quumq; inde vltimos terræ fines illum ſecuti, & vltra non poſſe progredi, conſpexiſſent, ibi Soli tāquā Deo aram conſtituerunt. A cuius adoratione, & ritu remota eſt poſteritas, quūq; ad eam partē Heſperum ſtellam oriri vidiſſent, ipſamq; tāquam regionibus illis ſalubrē, Compotem ſtellam nominarunt. Vnde & Compoſtella vrbs vicina denominationem trahit. eiq; vicinum oppidum eſt Clunia. Ad vltimū vero promontorium Pyrenæi ſita eſt Baiona ciuitas, quæ quondā Eaſo dicebatur. Sicq; vlteriorem omnem maritimam Oceani, atq; Mediterranei maris expediuimus, quatenus ad vlteriorem pertinet Hiſpaniam. In cuius perigrinatione potuiſſemus & multa Mediterranea, atq; maritima recenſere, vrbes, & oppida, quæ maximis commentarijs indigerent. Inter quæ ciuitas Complutū eſt dicta hodie Alchala lingua Arabica vicina Toleto, vt placet Ptolemæo, quum poſt Complutum ſubiūgat immediate Toletum, ſed ſatis ſit principaliores vrbes, & caſtra expreſſiſſe. Iam nunc citeriorem Hiſpaniā aggrediamur, & primum de inſulis diſſeramus. Sunt itaque in Mediterraneo pelago inſulę tres memorabiles, duæ ſiquidem, quas Baleares vocant moderni, quarum maiorem a maiori-

tate Maioricam, & minorẽ a minoritate Minoricam vulgus appellat. Hæ itaq; inſulæ ab antiquis Gymnaſiæ primũ ante Græcorum aduentũ appellatę ſunt ſecundum Claudium Ptolemęum, & Diodorum. Poſtea vero Baleares a Gręcis, vt Ptolemęus ait, ſiue a Romanis, vt ait Diodorus a peritiſſimo fundarum vſu, quas veteres Baleas dixere. Refert enim Diodorus adeo accuratam eſſe curam ipſis inſularibus de fundarum vſu, vt eorum natis ſtatim illarũ vſum pro magiſterio, atq; continua exercitatione tradãt, nec vnquã quis paruulus apud eorum priſcos poterat cibum ſumere, niſi matre conſentiente vt educaretur, prius panem ſupra palum impoſitũ funda ipſa deijceret. Quumq; in prelium veniunt tribus fundis vtuntur, prima caput cingũt, ſecunda ventrem, tertia manu exercentur, adeo vt quum ab eorum manu lapis emittitur, a quodã tormento emiſſus videatur. De ipſis inſularibus refert Diodorus nullum habuiſſe auri, & argenti vſum ad Romanorum, & Carthaginenſium tempora, exiſtimantes ſi auro, & argento carerent, omnia in fortunia ſe facile euaſuros. Meminerãt enim Geryonem Chryſauri filium ob maximas eius diuitias ab Hercule peremptum. Quumq; a Carthaginenſibus ſemel fuiſſent conducti, nihil pecuniæ, auri deniq;, neq; argenti habere curarunt, ſed tantummodo mulieres, & vinum pro ſtipendio acceperunt. Hæc Diodorus. Erat enim maior admodũ populoſa ad triginta millia hominum, in qua opulentiſſimæ fuerunt vrbes Palma, & Polentia ſecundũ Claudium Ptolemæum. In minori vero eſt Iana oppidum, quod Ciuicatella hodie ab incolis vocatur, alterum vero oppidum Mago eſt, a Magone filio Amilcaris Hannibalis fratre conditum, quum a Scipione Africano fuiſſet Hiſpania pulſus. De Balearibus vero populis refert Diodorus libro quarto facetam hiſtoriam, quod conſueuiſſent ijs, qui vxores ducebãt, primi ex amicis, ſecundi, & tertij vſq; ad certum numerum mulieris concubitum prætentare rogatu viri, atq; quum placuiſſet, explicato ſponſo, atq; conſulto ad eam vltimus accedebat, hæc Diodorus. Strabo vero libro tertio de ſitu orbis addit & aliã de his inſulis facetã hiſtoriã. Quoniã quum antiquo tempore incolæ dictarum inſularum infeſtarentur a quibuſdã animalibus, quæ alij cuniculos, alij lepuſculas vocant, tanta enim illorum multitudo creuerat, vt in inſulas ipſas inhabitabiles redderent, quoniã & vnguibus terrã effoderent, & radices frugum euellerent, vaſtitatemq; inferrent. Ii legatos Romam miſerunt petentes auxilia aduerſus huiuſmodi beſtias, quoniam eiectati ab ipſis beſtijs propter illarum multitudinem reſiſtere non valerent. Itaque præſtitis auxilijs, quum ad mediocritatem reducta eſſent, plures ad eas capiendas repertæ ſunt venationes. Adinuentæ enim catellæ agreſtes, quas ab Africa eduxerunt, eas vulgari idiomate furones appellamus, quæ funiculis ligatę intra foramina admittuntur, ea vero, quę capiunt, vnguibus extrahunt, aut in ſummum telluris effugere cogunt, indeq; eas venatores capiunt. Sunt autem & alię duæ inſulę, quarum minor caret incolatu, hę ante aduentum Herculis Petruſę ſunt appellatę ſecundum Claudium Ptolemęum, atq; Diodorũ, Dioniſius vero Alexãdrinus coſmographus dicit primã illam Lauſum appellatã. Poſt Herculis vero aduentum maior inſula nomen mutauit, ita vt Ebuſa diceretur, quod nomen vſq; ad omnia Romanorum tempora retinuit. Dicta Ebuſa a cãdore ſalis, quod ebori ſimillimum eſt. Nunc autem eadem inſula Aluiza dicta eſt ab Auicena Arabe medico, quem ibi regnaſſe ferunt Arabum tempore. Huic autem inſulæ adiecet altera dicta a noſtris Sementaria, quę habitatoribus caret. Poſt inſulas Baleares, atq; Petruſas, quę ad citeriorem Hiſpaniam pertinent, quarum Ebuſa Tarraconam, Balea-

res vero Barchinonam ex oppoſito habent. Nunc ipſa littora citerioris Hiſpanię deſcribamus. Prima itaq; omnium ciuitatum in littore citerioris Hiſpaniæ Saguntum eſt, quę hodie Muriuetus appellatur, quatuor diſtans a Valentia leucis, quæ quondã opulentiſſima vrbs Hiſpaniæ ab Hannibale Pœnorũ Duce octo menſiũ obſidione capta eſt, indeq; deuaſtata, ac diruta, ſola antiqua arcis mœnia extant. Vnde a ſucceſſoribus muri veteres dicti ſunt, & a modernis Muriuetus oppidum dictũ eſt. Poſt Sagũtũ Oriola vrbs fuit, q̃ ab antiquis Orontia, ſiue Oryntigũ dicebať, quã Lucius Scipio frater Africani expugnauit, ac cepit cruẽta victoria, quoniã ex oppidanis in ipſa expugnatione duo millia perẽpta ſunt, fuitq; ipſa expugnatio ſtatim capta ab Africano noua Carthagine. Hinc ſequiť Cæſarea Auguſta ciuitas olim Agrippa dicta, ab eius cõditore Agrippa, vt multis ſcriptoribus placet, inter quos Strabo libro tertio, & Plinius item libro tertio de Naturali hiſtoria, quę prius vocabať Saldyba, conuerſionẽ autem nominis ei dedit Auguſtus Cæſar, quũ poſteaquã deuicto Antonio Romam rediens eſt cognomitus Auguſtus, qui victricia arma quum tranſtuliſſet in Hiſpaniã, Ibiq; Vaccęis, Ilyturgibus, plurimiſq; Hiſpaniæ populis perdomitis demũ Agrippã, vel Saldybã vrbem venit, eamq; ampliauit, atq; ex ſuo nomine Cæſarauguſtam nominauit. Apud amnem Iberum duę quondam florentiſſimæ fuere vrbes, quæ hodie in parua oppida ſunt redactæ, Aſcua prima, quæ a modernis Aſco oppidum dicitur. Altera Aſcapa, quam hodie Ceſpum vulgus nominat. Eſt & pręterea oppidũ ad Iberum, quod Hitona diciť, Octogeſima ab antiquis appellatũ, De quo Cæſar meminit in Cõmentarijs ciuilis belli libro primo, Vicus ciuitas ab antiquioribus Auſa dicta eſt a recẽcioribus vero Auſonia, Auſam multi dixerũt ab auſu hominum, quũ cęteris cõfinitimis ſint Audaciores. Quidam vero Auſoñiam, tanquã ab Auſonijs, qui Itali ſunt, condita ſit. De quibus Auſonijs meminit Vergilius ſæpius, Poſt Auſam, ſiue Auſoniam, quæ tamen Vicus ciuitas nuncupatur, Berga oppidum eſt, quod veteres Birginium appellauere. Poſt hos iam noſtram intremus dioeceſem, in qua Byſuldiuio oppidũ eſt quondã vrbs, q̃ Betula dicebatur. Inde Balneole, oppidũ quod Aquis botonis perantea dicebať, vt ex itinerario Antonij Pij conſtat, poſt noſtram dioeceſem ſequuntur Ceretani, quorum apud antiquos maxima vrbs fuerat Libyca, quam Iulius Cæſar Iuliam Libycam appellauit. Nunc vero ad paruiſmomentiarcem, tutiſſimam tamen, redacta eſt. Et iam expediti ab vrbibus, quę nomina mutauerunt, nunc deletas vrbes aggrediamur.

De vrbibus, quæ quondam florentiſſimæ in Hiſpania ſunt deletæ.

SI ignorantia prouinciarũ propter mutationes nominum vrbiũ, montium, & fluminũ legẽtibus verum ſenſum impedit. Itidẽ quoq; exiſtimãdum eſt, quũ memoranť florentes quondã vrbes, quæ diuerſis caſibus ſunt deletę, quæ quũ non appareãt, quibus in locis extiterint, turbationẽ legentibus inde fieri neceſſe eſt, ideo vrbes quondã memorabiles Hiſpaniæ ſtatui recenſere, pręmittens quod multę fuerunt in Hiſpania vrbes, & oppida deleta, quæ in veteribus hiſtorijs nominantur. Nunc autem nec earum veſtigia exſtant, neq; euerſiones illarum memoranť. De quibus recẽſere libet, quod refert Strabp Polybium dicere in tertio libro. T. Tiberiũ Gracchum in Celtiberia tercentas vrbes euertiſſe. Quod idem Strabo, videtur irridere, vt more comico dictũ, niſi turres vrbes dixiſſet. Quãquã Lucius Florus in ſuo Epitomate

ſecutus Titum Liuium libro ſecundo dixerit Tiberium Graccum patrem duorum Graccorum Celtiberos centum quinquaginta vrbium euerſione mulctaſſe. In Bæticaq; primam omnium vrbium deletarum Calpe vrbem eſſe in radice montis Calpe, quæ poſita erat ad fretum Herculeum, de qua meminit Strabo libro tertio, referẽs Thymoſthenem dicere illam ab Hercule conditam, & Heracliam appellatam, oſtentari etiam magnum murum in circuitum, & naualia, eſtq; mons Calpe, & quondam vrbs in Turdetania. Ab eo enim monte in nouam Carthaginem tenditur, & ab ijs temporibus, quibus Titus Liuius eloquentiſſimam hiſtoriam texuit, vrbs collapſa refertur. Vnde a Luſitanis erit incipiendum, prima itaq; omniũ Luſitaniæ erit vrbs Lemacenorum quondam opulentiſſima, grandi murorum ambitu circunſpecta inter flumina Doriam, & Liminum, quem Liminum vulgus vngium vocat. Collapſa vero refertur Traiani Imperatoris temporibus propter rebellionem. Erat autem ipſa vrbs Dorio flumini ſatis propinqua, vicina Portugalliæ regno. Erat præterea maior omnibus vrbibus Hiſpaniæ ſecundum Claudium Ptolemæum, a qua Lemacenorum vrbe, vel ab amne Limino illius agri incolæ Limicæ dicti ſunt. Secunda opulentiſſima quondam vrbs Hiſpanię fuerat Norbea, quam Claudius Ptolemæus Cæſaream appellat, propterea quia quum in primo ciuili bello partibus Cæſarianis adhæreret, a Pompeianis, ſiue ſexto Pompeio, vel Petreio, ſeu Afranio Pompeianis Ducibus in odium Cæſareanorum euerterẽt. Vnde Norbea Cæſarea dicta eſt, hęc enim vrbs ſitum habuit in Luſitania inter duo flumina Tagum, & Anam nunc Godiana appellatũ, Tago tamẽ magis appropinquabat, magna ſiquidẽ, & opulentiſſima quondam vrbs erat, ad cuius emulationem, vel verius ſatisfactionem Auguſtus Cæſar ſuperata Hiſpania vrbem aliam illi vicinã inſtituit ex diſperſis populis, & veteranis Hiſpaniæ militibus, qui cũ Cæſaribus Iulio, ſeu Auguſto militauerãt, quos quoniam emeritos appellabat, ideo Emeritã vrbem vocauit. Ad alterã partem Norbeæ vrbis conſtructã, quæ amni Tago magis appropinquat, quę perſtitit vſq; ad Gothorum tempora, maxima quidem vrbs Luſitanię Metropolis temporibus Diocletiani, & Maximiani Cæſarum, in qua multi martyres paſſi ſunt, inter quos fuere Eulalia ab Emerita vrbe oriunda, & Iulia eius ſoror, quarum in Elnenſi eccleſia corpora quieſcunt, a Mauris itaq; euerſa putatur, quoniam Gothorum Archiepiſcopum habuit, qui interfuit pene omnibus Toletanis concilijs. Et inde deleta Emerita Metropolitana ſedes trãslata eſt in Ouetenſem, & ab Ouetenſi in Compoſtellanam. Tertia vrbs euerſa eſt in Aſturijs Aſturica Auguſta, quæ etiã a Mauris euerſa putatur, ſita enim erat in planicie inter Piſorgiam, atq; Storgiam flumina interq; duas vrbes Legionem, & Burgium.. Oppreſſi ſiquidem Chriſtiani a Mauris plana deſeruere, atq; in montana confugientes Ouetum vrbem condiderunt, ſeu ampliarũt, qui Pontificum ſummorum conceſſione Ouetum Metropolim Galliciarum effecerunt, inde per poſteros Reges ędificata Compoſtella, ipſam Metropolitanã eccleſiam in Compoſtellam trãſtulerunt. Erat prętereа & alia vrbs opulentiſſima, quę Illiturgium dicebatur, non longe ab Aragonię finibus diſtans, quam Publius Cornelius Scipio is; qui Africanus cognominatus eſt, incendit, atq; euertit in vindictam patris, & patrui; qui illiꝰ vrbis opere perierũt. Obtenta ſiquidẽ noua Carthagine ab ipſo Scipione prima aggreſſione Illiturgium inuaſit, atq; igne vaſtarã deleuit, hanc itaq; non longe a Medina cæli diſtare Titi Liuij deſignationes oſtendunt. Deinde fuit & altera vrbs Caſtulo quondam opulentiſſim, medium tenens in citeriorem, vlterioremq; Hiſpa-

niam, de qua Cecilius Italicus de bellis punicis libro primo. Fulget precipuis parma ſa Caſtulo ſignis. Et Plinius de Naturali hiſtoria libro tertio. lōgitudo citerioris hiſpaniç, eſt ad finē Caſtulonis a Pyrenæo ſexcēta ſeptē millia paſſuū, & paulo amplius. latitudo a Terracona Diarſonis ab hac enim vrbe quāquā collapſa, atq; diruta, a multis creditum eſt Caſtellç Reges traxiſſe nomen. vnde verſus. Caſtulo barbarica luget dicione Granata. a qua Rex habet denominationem Caſtulonenſis. Fuit enim hçc ciuitas ab eodem Africano in patris, & patrui vidictam euerſa, quæ non longe ab Iliturgo, eadem ſupputatione diſtabat. Hæ ſunt vrbes vlterioris Hiſpaniæ, quæ delectæ maxime memorantur. Iam nunc ad citeriorem Hiſpaniam veniamus. Prima igitur omnium vrbium citerioris Hiſpaniæ eſt Numātia, ceteris Hiſpaniæ vrbibus vulgatior propter virtutem, ac res ipſius mirifice geſtas: quç vrbs in citeriore Hiſpania ſita erat inter medios fines Cantabrum, Vacceorum, & Galliciç, qui hodie termini ſunt Nauarræ, Caſtellç, & Aragoniæ regnorum fines, vt placet Claudio Ptolemęo in eius coſmographia, necnon & Tito Liuio, & Lucio Floro in ſuo epitomate. Eſtq; illius ſitus ad oram Iberi ſupra flumen: ſecus oppidum Grunium Cātabriçç prouinciæ, modico in colle ſubleuata, maxima vndiq; planicie circunſtāte, vrbi per montis radicem decurrente Ibero. Eratq;, vt placuit Lucio Floro, nec muro circundata, nec turribus munita, quia ex ipſa naturalis ſitus natura munitiſſima erat, difficillimū hoſtibus aditum prębens propter eius circūundiq; altitudinem, vidimuſque ipſi oculis ſitum pręmiſſis autoribus concordantem. Proptereaq; in hac deſcribenda errauit Pomponius Mella, qui illam hodie Cęſar Auguſtam dixit appellari, quia nec ſitus, nec locus poſſunt illi conuenire. Quod Strabo declarauit libro tertio, vbi dicit Numanciam diſtare a Cæſarauguſta ſtadijs octingentis, quæ ſunt milliaria centum. Quo itinere Cęſarauguſta recte diſtat ab oppido Clunia, vt eſt dictum. Addit etiam idem Strabo, quod Numantia ſupra Iberum ſita fuerat. Erat enim vrbs Carthagini, Capuç, Corinthique opibus aliquantulum impar, virtute tamen omnibus præſtantior. De cuius ruina dicetur inferius latius in geſtis Romanorū in tertio punico bello. Solū ſufficiat de eius ruina, ac ſitu nunc mentionē feciſſe. Poſt Numantiā cōmemorabo Saguntum maximam olim in Hiſpania vrbē, quæ hodie Muriuetus appellatur, non longe a Valentia diſtans, de cuius ſitu dicetur infra libro quarto in eius vaſtatione, poſt Saguntum, quæ vicina Ibero fuerat, Iberia eſt, quondam nobiliſſima vrbs ab Iberis condita, De ea etenim ſępius ſignāter meminit Titus Liuius, quū deſcribit ingreſſum Cornelij Scipionis in Hiſpaniam claſſe inſtructa. Refert enim ſecunda Decade nauali certamine pugnaſſe cum Haſdrubale fratre Hānibalis, ac Imperatore Pœnorum apud eandem vrbem Iberiā, cuius ſitum late ibi declarat. Erat enim eadem vrbs ad alterā partem fluminis Iberi Occidentem verſus, cuius ruinç hactenus ibi viſuntur. Poſt hanc fuit vrbs Bilbilis in Vrgelenſi agro poſita ſecundum Claudium Ptolemęum, a qua vir maximus Valerius Marcialis poëta clariſſimus traxit originem. Poſt Bilbilim fuit quondā maxima, nobiliſſimaq; vrbs dicta Carthago vetus Hiſpaniç ſitum habens ſecundum Claudium Ptolemęum libro ſecundo eo in loco, ſeu prouincia, vbi nunc Villa franca Pœnorum eſt conſtructa inter populos Ilarqueones, a cuius Carthaginis deuaſtatione, ac gentis nomen hactenus eſt prouinciç Pœnorum. Hęc quidem vrbs colonia Carthaginenſium facta poſt obtentum Hiſpaniç dominium ad effodiendum aurum, argentumque a montibus Pyreneis, ac vrbi propinquis ſe totā contulit, a qua effoſſione Carthago maxima, ac omni

genere

genere diuitiarum affluentiſſima facta, omnibus formidabilis apparuit vſq; ad tempora Cornelij & Publij Scipionum patris, & patrui illius, qui primo Africanus eſt cognominatus, qui, vt ſuperius diximus, eam expugnauit, ac deleuit. Noua vero Carthago ſeu ab Hannibale ſecundũ Plinium de Naturali hiſtoria libro tertio, ſeu ab alijs Pœnis, vt multi voluerunt, condita, non ab alia magna Carthagine noua Carthago ſed ab ipſa veteri Carthagine Hiſpaniæ dicta eſt, vt iam dicto loco condita, & ſtatuta. Poſt veterem Carthaginem ciuitas Rubricata erat ad oram fluminis Rubricati ad Occidentalem partem a flumine dicta. Vrbi autem & flumini nomen dedit eiuſdem nominis gens, ſicuti de Iberis ſuperius diximus. Fuit enim ea gens ex Africa in Hiſpaniam tranſlata Carthaginenſium temporibus. Habet enim Africa quaſi ex obiecto fluminis Rubricati alium amnem eiuſdem nominis, cuius finitimi Rubricati appellantur, de quo Africano amne Rubricato meminit Cæſar libro ſecundo ciuilis belli, & Claudius Ptolemæus libro quarto. Ex huius enim ora incolæ tranſlati in Hiſpaniam oram ipſius fluminis per longum incolentes, nomen flumini ac prouinciæ dederunt, vrbemq; in ea condiderunt a nomine patrio Rubricatam appellantes. Ex cuius ruina Barchinona ciuitas aucta de tenui oppido in vrbem magnam creuit. Rubricatam inſuper vrbẽ ſequebantur tres nobiliſſimæ ciuitates in noſtra diœceſi. Prima omniũ erat Emporium a Græcis forenſibus quondã condita, a qua Emporitana prouincia hæc noſtra diœceſis appellata eſt, vrbs quidem & nobiliſſima & maxima quondam, de qua ſæpius meminit Titus Liuius in vita Marci Porcij Catonis illius, qui Cenſorius dictus eſt, qui quum iam deleta Carthagine Conſul in Hiſpaniam miſſus aduerſus multas Hiſpaniæ prouincias apud eandem vrbem ſæpius pugnaſſet, & quidẽ proſpere, vt refert Flauius hiſtoricus, q̃ ea tẽpeſtate annalia deſcribebat, in agro Gerundenſi, atq; Emporitano, vbi pugna conſerta fuit victore Catone. xl. millia Celtiberorum occubuiſſe. Cato vero ſuam hiſtoriam ſcribens refert detractor laudum ſuarum multa millia hominum interueniſſe, ſed numerum non expreſſit. In eadem etiam vrbe referunt ſcriptores moderni Iulium Cæſarem inſtituiſſe coloniã Romanorum ciuili bello, itemq; peracta dicta colonia manſiſſe vrbẽ ſub triplici cuſtodia, murorumq; diſtinctione, diuerſis ſpatijs, ac idiomatibus ſeiuncta. Vna ſiquidẽ, quæ ad littora maris ad Orientem ſpectabat, Græcorum erat. Altera vero, quæ ad Occidentem, Romanorũ. Tertia vero quę ad Septẽtrionem vergebat, prouincialium, ſeu Celtiberorum erat. Hæc enim vrbs in tres diuiſa, ſingulę vallo, mœnibuſq; ſeiunctę, alia aduerſus aliam ſe tutabatur. Ad eam itaq; ab Italia veniens in Hiſpaniam Cæſar applicuit pugnaturus aduerſus Pompeianos, qui Hiſpaniam obtinebant: L. videlicet Afranij, M. Petriciũ, ac. M. Varronem. Habuit autẽ hæc vrbs eandẽ originẽ cum Maſilienſibus ex Phocẽſibus Græciæ populis, in qua, vt refert Strabo lib. tertio, cum ipſis Maſiliẽſibus Dianã Epheſiam maxima veneratione colebãt. Hæc gens quũ primum littori applicuiſſet, apud paruã admodum inſulã, quam Palæampolim prius vocitabant ex oppoſito vrbis, nunc vero Medã appellant, habitarunt: inde poſtero tẽpore ad continentẽ tranſlati ſimul cũ paucis ibi ſtantibus incolis habitarunt, ſeiunctis tamen mœnib⁹, ſed ex cõmuni cõcordia remp. adminiſtrarũt. Deinde Iulius Cæſar adductis ibi Romanis populis tertiã vrbem cõſtituit, quã Coloniã Romanorũ effecit. Appellata eſt autẽ Emporiũ Iuncaria, Sicuti noua Carthago Spartaria ab amne nauigabili, qui in eo agro ab oppido Iuncaria emanat per vrbemq; delabitur, & ab eo vſq; in Italiam nauigatur, hæc Strabo. Satis itaq; ſit de Emporio hęc perſtrinxiſſe. Ferunt

autẽ quidã hanc vrbem Traiani tẽporibus euerſam propter rebellionem, quod tamen non exiſtimo verum, quum legatur Maximiani, & Diocletiani temporibus conſtitiſſe, diuerſaſq; inibi per prętores exercuiſſe paſſiones martyrum, fueruntq; a patribus inibi ſtatuti epiſcopi. vt cunq; igitur euerſa ſit, illam non extare nunc certum eſt, qualiſq; & quanta fuerit, oſtendunt ruinę, ac veſtigia collapſę vrbis. Erat præterea & altera vrbs in pręfata noſtra diœceſi, de qua meminit Titus Liuius, & Valerius Antias ad oram maritimam ſub iugo Pyrenęi poſita, quę quondam Rhoda dicebatur, a Rhodis condita. Ad quam veniens Marcus Portius Cato is, qui Cenſorius eſt appellatus, ad domandos nonnullos Hiſpanię rebellantes populos, ad eam primum applicuit ex portu Lunæ, prout in vita præfati Catonis legitur. Ipſa vero vrbs collapſa manet omnino carens incolatu, eiuſq; pauca admodum veſtigia manent, præter inſigne quoddam monaſterium ſub beati Petri nomine conſtructum, cui cognomen de Rhodis inditum eſt a vicina vrbe, quæ in radice montis locata fuerat. Monaſterium enim collem vrbi ſuperiorem occupat. Hæcq; vrbs vſq; ad Gothorum perſtitit tẽpora, & Epiſcopos habuiſſe legitur, qui diuerſis concilijs interfuere. Fuit & alia vrbs Iuncaria dicta in noſtra diœceſi ſub iugo Pyrenæi, quæ etiam collapſa manet redacta ad parui momenti oppidum, quod tantum viatoribus ſolitum eſt præſtare receptaculum, de qua meminit Ptolemæus libro ſecundo. Et ſic finem faciemus narrationi diruptur arum vrbium.

INCIPIT LIBER SECVNDVS DE ADVENTV HERCVLIS IN Hiſpaniam.

VASTATA igitur Troia ſub Laomedonte Rege infœliciſſimo, traditaq; ab Hercule Eſiona pręfati Laomedontis filia Thelamoni Salaminorũ Regi in concubinam. Is vtiq; omni ſceleratiſſimo ſceleracior quum nihil in Aſia prædandum conſpexiſſet, audita Geryonis Hiſpaniarum Regis fama, quod ditiſſimus eſſet, vt refert Iuſtinus libro vltimo, ad illum prædandum animum flexit. Erat enim Geryon ea tempeſtate armentis ditiſſimus, in quibus ſolis tunc hominum diuitiæ conſiſtebant. Magna itaq; manu pugnatorum hinc inde collecta ex diuerſis Aſię, Libyę, Europęq; populis inſtructa claſſe in Hiſpaniã pergit. Peragrato ſiquidem Phœnicum regno, in quo clariſſimę tunc Tirus, & Sidonis vrbes erant. Achaięq; ac Illyridis diſcuſſione facta per Italiã nauigans alto pelago in Hiſpaniam properat. Ab Auſonijs itaq;, ac Latio vbi nunc Roma eſt, & quæ quondam Auſonia, & Latium dicebatur, per oram maritimã ad montem Tuſciæ Tyberi propinquum perueniſſe ferunt. Ex cuius aduentu nomen portui inditum eſt, vt portus Herculeus diceretur, quod vſq; in hodiernum durat. Inde per pelagus mediterraneum in Sardiniam peruenit, ibiq; cum inter inſulas Sardiniam, Corſicamq;, quæ quondam Cyrnus dicebatur, apud paruulam inſulam intermediam libamina proſpera nauigatione dijs obtuliſſet, eam ex ſuo nomine Herculis inſulam appellauit ſecundum Claudium Ptole. Sardis autem filium Sardum Regem dedit,

qui ex ſuo nomine inſulam Sardiniam nominauit. Fuit enim Sardus filius Herculis ſecundum antiquorum ſcripta. Altera vero nauigatione ab inſula Sardinia, Cirneq; in Baleares inſulas peruenit, quæ ante præfati Herculis aduentum Gymnaſię dicebantur ſecundū eundem Ptolemęum, quanquā Diodorus referat a Romanis Baleares eſſe dictas, in quo potius Ptolemæo credendum eſſe puto. Quum enim inſulares inauditam, ferocemq; Græcorū gentē fundis, quæ Græca lingua Baleæ appellantur propellerent, ac propulſarent, Hercules Baleares inſulas cenſuit appellari. Habebāt enim per eadem tempora iſdm inſulares peritiſſimū fundarum vſum, vt ſupra de vrbibus, quæ nomina mutauerunt, late diſſeruimus. Quumq; primo in minorē inſulam peruenisſet, templū Iano dicauit cui rerū initia conſecrare ſolebat antiquitas, intrans enim in Hiſpaniam eam expugnaturus Ianum deum ſibi propitiatorē ſtatuit, apud oppidum, quod noſtris temporibus Ciuitatella dicitur, & templū Iano ſtatuit, & vrbem, quam a Iani templo Ianam appellauit, portuſq; ab vrbe nomen retinuit vſq; ad Ptolemæi tēpora. Ab inſulis itaq; Balearibus & altera nauigatione in alteras inſulas minores Tarraconæ oppoſitas peruentum eſt, quæ ante eius aduentum Pethruſæ dicebantur, quæ ab eodem poſtea mutato nomine Ebuſæ ſunt dictæ, prout ſuperius dictum eſt in capite de Vrbibus, quæ nomina mutauerunt. Et a Pethruſis inſulis in Oceanum properans, quidam dixerunt iam primum Hiſpaniæ oram attigiſſe apud Dianæ promontorium, quoniam Dianæ templum ibidem erat, quod Herculi ad ea littora in Hiſpaniam intranti aſcribitur, quoniā ducatus itinerum, ac ſyluarum Dianæ tribuebatur. Indeq; per altum pelagus ad Herculeum fretum peruenit. Vbi primum reſedit, & columnas fixit ad ęmulationem alterius Herculis, qui alias fixerat ad alteram Libyæ oram, ab eodem ſiquidem Hercule fretum Herculeum ibi dicitur, Iunoniſq; eo in loco conſtruxit templum, quod vſq; ad Claudij Ptolemęi perſtitit tempora. Cui terrarum ſpatia, ac planicies Gentilium obſeruantia conſecrabantur. Indeq; in Gaditanam inſulam nauigans, in ea aliquandiu reſediſſe ferunt, quæ quondam Tharteſſus dicebatur. Deinde accinctus ad prælium ad oram Anæ fluminis cum prouincialibus decertauit. Ex cuius pugna finxere poëtæ, Titanes pugnaſſe cum dijs apud Saltus Tercenorum. Victiſq; prouincialibus quum ibi luſiſſet gaudens de obtenta victoria ab Ana flumine, & luſo facto Luſitaniam prouinciam dixit, vt ſupra diximus, quanquam Plinius libro tertio de naturali hiſtoria ſic propterea dicat appellatam, quia apud illam Liber pater, ac Lyſias luſerunt cum Phana eiuſdem Liberi præfecto. Inde Hercules victor ingreſſus Hiſpaniam ab vlteriori Hiſpania in citeriorem peruenit, in qua regnabat Geryon, eumq; cum prælio viciſſet, interemit, omnemq; Hiſpaniam in ſuam ſubegit ditionem. Tharteſſum autem vrbem in Gades mutato nomine ex Tirijs, & Sidonis ampliauit. Poſt enim Herculis aduentum ex Tirijs, & Sidonis fuit eiuſdem vrbis incolatus, & ampliatio ſecundum Iuſtinum vltimo libro ſuarum antiquitatum.

De origine Herculis noſtri, & eius ſceleribus.

REm maxime difficilem aggredior, dicturus de Hercule noſtro in quo omnes fere ſcriptores, tum varij, tum ignari Herculum errore quodam ducti ſunt. Scribentes enim de Hercule, quidam, quod tantum vnus fuerit Hercules, putauerunt, geſtaque omnium huic noſtro

Herculi, qui venit in Hiſpaniam, tribuunt. In quo numero fuit Toletanus noſter, necnon & Firmanns Lactantius lib. primo de falſa religione, plurimiꝗ alij. Non-nulli vero plures Hercules confitentur, nec tamen inter eos facta parciuntur, ſed il-la inter ſe conculcantes, qualis quiſꝗ fuerit, non diſcernunt. Ex quibus eſt Iuſtinus poſt Trogum Pompeium penultimo lib. Papias inſuper quum duos fuiſſe Hercu-les aſſerat inter eos non diſcernit. Dicit enim duos Hercules, vnum Argiuũ, alterum Ethnm. Ioannes inſuper Boc. in lib. quos de genealogia Deor. inſcripſit, quũ diuer-ſos admodum Hercules confiteatur, de illorũ ſingulis geſtis non diſſerit. Eodẽ etiam modo Auguſt. noſter in. xviij. libro de Ciuitate Dei, quum ſecretiori hiſtoria plu-res Hercules eſſe confiteatur, inter eos facta non diuidit. Sic & Macrobius libro Sa-turnalium: non exiſtimes, inquit, Alcumenæ apud Thebas natum ſolum, vel primo Herculem nuncupatum, immo poſt multos, atꝗ poſtremos ille hac appellatione di-gnatus eſt, quod multa fortitudine nomen Dei promeruit. Ego vero plurimis hinc inde digeſtis codicibus, quæ de Herculibus inuenire potui, proferam in medium.

Et primo de noſtro diſſeramus. Hercules enim nomen Græcum eſſe monſtra-tur, & Græce Herculeos dicitur, nomen compoſitum ab her, quod Græce ſignificat hominem, & culeos fortem, ſiue ſtrenuum, agoneſꝗ ſuperantem. Hic autem, de quo dicturi ſumus, natus eſt in ea Italiæ ora, quæ magna olim Græcia dicebatur ciuitate Tarento, ipſius enim pater ignoratur. Erat in ea vir priuatus nomine Amphytrio, cui erat vxor nomine Alcumena. Quę hunc Herculem abſente viro peperit ex adul terio, & Alcidem appellauit. Sic enim eum appellat Vergilius in ſeptimo Aneidos, dicens: Ter gemini nece, ſpolijſꝗ ſuperbus Alcides aderat. Poſtea vero Alcides The bas Euboias mittitur educandus, qui admodum puer, quum ſemel duo ei ſerpentes oc curriſſent ambos pariter interemit. Quumꝗ coetaneos ſuos iam animo, & virtute ſuperaret, Hercules cœpit cognominari. Per antea enim præceſſerant alij eius no-minis, qui hoc Herculis nomine inſigniti immortalitatem famæ iam fuerant conſe-cuti. Hic autem quum adoleuiſſet, magnaꝗ de eo roboris, ac virium corporis fa-ma percurreret. Peleus dolo concepto, quũ Iaſoni nepoti paraſſet claſſem viroſꝗ ſtre nuos ad vellus aureum conquirendum, ei hunc Alciden ſocium dedit, qui expleta na uigatione in Colchos, deletaꝗ Troia cum Laomedonte Rege, ac ſuaſo ad fraudes Iaſone ob raptum Medeæ, quum iam ſibi nihil prædæ in Aſia, Græciaꝗ eſſet, au-dita fama Geryonis Hiſpaniæ Regis, quod ditiſſimus eſſet pecudibus, & armentis, quæ tunc ſolæ hominum diuitiæ habebantur, cogitauit in Hiſpaniam venire ſola prædæ cupiditate allectus, vt placet Trogo Pompeio. Non ergo quiſquam putet hunc Herculem noſtrum illum eſſe, qui illa. xxi. pericula ſuperauit, neꝗ illum, qui Antheum in Oetha monte peremit, neꝗ illum alium, quem Græci Deum putaue-runt. Hic enim noſter ſceleratiſſimorum ſceleratiſſimus, & omnium ſui nominis deterrimus fuit. Hic enim quum ex adulterio Alcumenæ procreatus eſſet, poë-tæ ad excuſandum adulterium matris, ſibiꝗ adulari cupientes, finxerunt Iouem cum Alcumena concubuiſſe, ex Iouéꝗ hunc Herculem peperiſſe infantẽ, qui quum tan dem cœpiſſet bella facere, nec quicquam, quod ad vitium, fœditatem, atꝗ immani tatem pertineret, omiſiſſet. deductus ad Troianam vrbem ad perdendum eam dedit operam, & illa duo fœda, ac immania facinora, ab omniꝗ poſteritate vituperãda com miſit, Regem ſcilicet Laumedonta deuictum armis proprijs perimendo, truncan-

doq; manibus, & eiuſdem Regis filiam virginem Thelamoni Aiaci tradendo in concubinam, vt ſuperius diximus. Qui item, quum in colchos perueniſſet, quã deprauata conſilia Iaſoni dederit, docent hiſtoriæ velleris aurei. Operatis ſiquidem fraudibus, rapta Medea, orbatoq; patre, qui aduenas ſumma pietate colebat, cogitauit in Hiſpaniam transfretari. Collectaq; magna manu Tyriorum, ac Sodomorum, Italicorumq; claſſe inſtructa in Hiſpaniam venit. Vbi quum alterum Hiſpaniæ Regem, ſeu tres fratres Geryones etiam armis victos peremiſſet, falſo mentitus eſt ſe Deum, Iouiſq; filium, nouamq; in Hiſpania, ac falſam introduxit religionem, atq; omnia, quæ ad priſcos ſui nominis Hercules pertinebant, laudandaq; occupauit. Sic itaq; noua per eum introducta religione ad multorum prædam conquirendam omnium decimas ſibi mẽdaci prẹſtari diuina autoritate decreuit, vt refert Diodorus libro quarto, & quinto. & Iuſtinus libro penultimo. De iſto enim Hercule, quanquam aliorum virtutes huic referat Rodericus Toletanus, tanquam qui præter vnicum Herculem aliorum notitiam non habuerit, ſubdit in iſtius deteſtationem. Quod ſatis fuit Hiſpano ſucceſſori dirupta, & prẹdata ab Hercule emendare ętate ſua, tanquã qui nihil laudis, & virtutis dignum Hiſpanis reliquerit, illius vitia proſequitur Firmianus Lactantius de falſa religione libro primo. Inde poſt quam Hiſpaniam iam multis annis, prædis, & incurſionibus fœdaſſet, euocatus a Thelamone Salaminorum Rege, cæteriſq; Græcis pro vindicando Helenæ raptu, cuius cauſa extiterat ob raptum Eſyonæ, veniſſetq; in Italiam regnumq; Fauni, recepto ab eodem Fauno humaniter curauit eius filiam ſtupro pulluere nomine Carmentem Nicoſtratam. Ex cuius concubitu creditum eſt Latinum Regem genuiſſe. Traditiſq; nonnullis Deitatis, ac religionis ceremonijs Latinis, & maxime Pontificię domui, vt refert Iuſtinus libro penultimo, & Valerius libro primo, in decennali obſidione Troiana poſt annum firmata obſidione obijt correptus febre. Cuius vim, ac impetum quum ferre non poſſet in ardentem ignis pyram ſe iactare inſtituit, atq; miniſtrata ſibi camiſia a Deianira eiuſdem concubina ea indutus in ignem ſe proiecit, cuius mortẽ poëtæ fictionibus ornantes dixere Deianiram cum ipſa camiſia ſibi miniſtraſſe venenũ, qua autore ſe in ignem præcipitauit, ſed tamen veraci hiſtoria ex eo fuit, quia ardorem febris ferre non poterat. Hæc de Hercule noſtro a veridicis ſcriptoribus relata comperta ſunt. Iam nunc nobis ad alios tranſeundum eſt.

De pluribus alijs Herculibus.

AVguſtinus in. xviij. libro de Ciuitate Dei multos Hercules, ac liberos patres ſecretiori hiſtoria fuiſſe affirmat. Quã ſecretam hiſtoriam cũ multi ignorauerint, nos Deo ductore eam aggrediemur. Primoq; dicemus vnum fuiſſe Herculẽ natione Syrum ex Phœnicia, ad quẽ illa. xij. pericula referuntur, quem Sampſonem, vt opinor, dixit antiquitas. Hunc, affirmat Diodorus libro tertio & quarto, præceſſiſſe Troianum bellum annis fere mille, quibus temporibus nondum arma erant ad bella apta, ſed tantũ homines fuſtibus vtebãtur pro armis, & pellibus pro indumentis. Auguſ. vero eodẽ loco, quem multi ſequuntur, refert illum fuiſſe tempore Moyſi alias exactis annis anno ab orbe cõdito milleſimo terno, ac ſexcẽteſimo qnquageſimo ſecũdo tribus millibus ſexcẽtis qnquaginta duobus. Iſtũq; Herculẽ aiunt Syrũ, Delphyniãq; appellari apud Phœniçes. Vnde de eo hacten⁹ Macedonib⁹ remãſit nomẽ, Hic locus eſt corruptus, vt exiſtimo.

vt Dethanans appellatur. Secundus fuit Grecus,filiuſq; Iouis Cretenſis Regis,ac nepos Saturni. Ferunt enim veteres ſcriptores Iouem habuiſſe duos filios Herculem,& Dionyſium, qui Liber pater dictus eſt. Hercules enim in Creta inſula, & Græcia regnauit, Dionyſius vero intrauit in Indiam ibi regnaturus,duxitq; ſecũ mulieres quas Bacchas appellauit. De iſtis enim duobus refert Iuſtinus,quod fuerunt Reges Orientis,lib.xlij. quoniã aliter in India, aliter in Græcia regnauerunt. Fuerunt autem Hercules, & Dionyſius Iouis filij per annos circiter trecentos ante Troianum bellũ,vt de eis meminit Firmianus Lactantius in fine primi libri,hicq; Hercules computationem Olympiadum conſtituit, ac Olympiacũ ludum, multaq; laudanda Græcis reliquit, propter quæ ab indocta multitudine Deus putatus eſt. De iſto etiam Hercule meminit Auguſtinus dicto.xviij.lib.hunc Herculẽ falſo ſe fuiſſe finxit Hercules noſter Hiſpanus,de quo ſuperiori loco diximus. Terti⁹ Hercules fuit Aegyptius, ſiue Afer, de quo late diſeruit Diodorus li. primo, & quarto antiquitatum. Et hic Aegyptius ſiue Afer Antheum paleſtrę inuentorem in Oetha monte peremit. Mons enim Oetha in Libya eſt,hic Antheus Tangin vrbem in Mauritania Libyæ conſtruxit,apud quam vrbẽ ſepultus comperitur. De cuius corporis magnitudine refert Plutarchus in Sertorij vita,quod quũ cepiſſet ipſam vrbem Tangin,ibiq; multa dicerentur de magnitudine corporis ipſius Anthei,quũ ibi eſſet ſepultum corpus ipſius,ipſe Sertorius iuſſit aperiri ſepulchrũ,in quo quũ nihil inueniretur, illud effodere iuſſit, vbi comperit oſſa illius longitudinis cubitorũ.lxx. Hic enim Hercules Aegyptius ſiue Afer totam peragrauit Libyam,& quum perueniſſet in Oceanum, ibi columnas fixit ad Libyæ partem. Ad cuius emulationẽ noſter Hercules,quũ in Hiſpaniam veniſſet, fixit alias ad partem Europæ in Gaditano, vt meminit Diodorus libro quarto. Hic autẽ Hercules Aegyptius,ſiue Afer per annos vltra centum Troianum bellum anteceſſit, & hic a multis Nili filius dictus eſt, tanquam apud illum natus, & educatus fuerit, vt refert Ioannes Boccatius libro quarto, & ſeptimo de genealogia Deorum. Fuit Hercules noſter Hiſpanus ex Græcia ex Alcumena, & incerto patre ob adulterium natus,de quo etiam ſuperiori capite late diſſeruimus. Tantum itaq; horum Herculum fama claruit, vt quicunq; ſtrenui, ac fortis nomen eſſent adepti, ij omnes Herculis nomine conſcriberentur. Vnde Varro quum nominaſſet tres & quadraginta Hercules, adiecit poſtea,quod omnes, qui fortiter aliquid feciſſent, Hercules appellatione nominis dicti fuerunt. Sed huic, qui Iouis ex Alcumena filius dictus eſt, cuncta poëtæ abſq; aliorum differentia tribuunt. Hoc itaq; Herculis nomen ob virtutem, reſq; geſtas, vel gerendas etiam Euander habuit, & Archadiæ Hercules appellatus eſt, vt de eo meminit Ioannes Boccatius li. xij. de genealogia deorum. Item Alexandri Macedonis filius ex Berſyna natus Hercules appellatus eſt, tanquam qui Alexandro patri ſucceſſurus alterum Herculem ſe exhibere conueniebat. De iſto Hercule meminit Iuſtinus poſt Trogum Pompeium. xiij.lib. Maximianus quoq; Imperator propter virtutem Hercules fuit cognominatus, & ab eo Conſtans gener eiuſdem Maximiani, & Pij Conſtantini pater creatus Imperator Occidentis Hercules & ipſe dictus eſt. Et ſic concludendo ſeptem Hercules connumerati ſunt veraci hiſtoria, & climatibus, & operibus diſtincti, quanquam Boccatius in libro de genealogia Deorum longe plures aſſerat, geſta tamen eorum,& origines ita conculcat, vt non facile deprehendi poſſint.

De vrbibus ab Hercule in Hiſpania conditis.

Singula quæcꝫ per Herculem in Hiſpania geſta non poſſunt deſcribi veraci hiſtoria, quum quaſi vetuſtate conſumpta maiorũ noſtrorum taciturnitate obliterata probentur. Extant tamen nonnulla ex gratis ſcriptoribus fragmenta, quæ ad nos tranſmiſſa certiores reddiderunt de quibuſdam in Hiſpania ab hoc Hercule geſtis, quæ tamen de eo incidenter, non vt hiſtoria Herculis texeretur, cõſperſa leguntur. Herculem igitur antiqui ferunt Hiſpalim conſtruxiſſe, pro vt ſuperiori loco dictum, vel a palis infixis, vel vt alij volunt a palude, quæ vrbem circundat appellatam, deinde Iulius Cæſar illam Iuliam Romuleam cognominauit, & Romanorum coloniam effecit. Vnde adhuc remanet vrbi vulgare nomen, vt a ciuibus Iulianis Ciuilia, id eſt, ciuitas Iulia appelletur. Poſt Hiſpalum ad Herculẽ pertinet Calpe vrbs dicta prius Heraclia, de qua diximus in vrbibus deletis. Ad ipſum etiã Herculem pertinet Cartheia vrbs, quæ nunc Alzezira dicitur ad fretum Herculeum, quæ prius Cartheios a Græcis dicta eſt, vt placet Ptolemæo, & Straboni. Ad ipſos item Græcos pertinent, quæ de Vliſſea vrbe Strabo meminit, dicens, quum de Malacha vrbe diſſeruiſſet, ſuperiora regionis montana loca Vliſſeam oſtentant, in qua erat Mineruæ templum, vt auctor eſt Poſidonius, ad Græcos quocꝫ vrbs Saguntum ſpectat a Zacynthijs condita, vt Strabo voluit, qui cum Hercule in Hiſpaniam nauigarunt. Segouiam inſuper vrbem ad Herculem pertinere multi aſſerunt. Poſtea vero quam citeriorem omnem Hiſpaniã conquiſiſſet fugato Caco, Geryonecꝫ, ac fratribus eius deuictis, & interemptis, ij qui cum ab Oriente, Græciacꝫ ſecuti ſunt ſedes proprias expoſcentes, partemque a Græcis ob acquiſitam victoriam eo annuente ſibi vendicarunt. Vnde Tirijs, & Auſonijs Tiraſſonam conceſſit, Tirij ſiquidẽ Aſiani ſunt, & Auſonij Itali, qui eum ab initio ſecuti fuerunt. Vrbem itidem conſtruxerunt Illiridi, qui Achei ſunt, & apud nos hodierno idiomate Sclauones dicuntur, quæ apud amnem Sicorum ſita, inſtar eorum propriæ regionis agrum valde fertilem ſortita eſt, Hanc a propriæ gentis cognomine nominauerunt Illerdam. Illirici enim Dalmaciæ contigui ſunt ſecundum Claudium Ptolemæum, & oram Adriatici ſinus obtinent, qui hodie Sclauones appellantur, licet enim vniuerſa Græcia, maximecꝫ ea, quæ ad Pontum, & Propontidem expectat, Illiricus appelletur, Illirici tamen ſpecialius appellantur ij, qui oram Adriatici ſinus inhabitant ſecundum Claudium Ptolemæum, Auſonijs inſuper, qui Itali ſunt, Auſoniam conceſſit, quam terram ex ſuę gentis nomine appellarunt. Italia ſiquidẽ ante Italum Syracuſanorum Regem, Auſonia dicebatur, & Auſonium regnum. Vnde Vergilius de Auſonijs meminit ſępius in libro AEneidos. Parta itacꝫ victoria vſcꝫ in Pyrenæũ, vltimoſcꝫ fines Hiſpaniæ, etiam Barchinonam condidit, quam Ioui Deo ſacrauit, ſtatuit enim templum Ioui in monte vrbi contiguo, quem montem ipſi Ioui dicauit, & ab eodem nomen retinuit vſcꝫ in hodiernum, vt placet Pomponio Mellę, quãquam vulgus idioma corrupit, vt apud noſtros mons Iudaicus appelletur, quum tamen Iouis mons ab antiquis fuerit appellatus ſecundũ Claudium Ptolemęum, & Mellam. De vrbis autem nomine multi auctores diſſentiunt, quoniam qui vrbem Barchinonam appellant, tanquã terminetur in, a, & ſit primæ declinationis, alij autem vti Claudius Ptolemæus, Strabo, & Mella, multicꝫ alij antiquiores Barchinon eam appellant, & tertię declinationis inſtituũt. Ex quorum differentijs diuerſas vrbi etymologias conſtituunt. Ii enim, qui eam in, a, terminant, & primæ declinationis conſtituunt, affirmant ex noua Herculis barcha ſic

vocitari. Aiunt enim quod Hercule citeriorem Hiſpaniã nouiter ſubactã peragrante, nouem a Gręcia rates adueniſſe noua legatione a Thelamone, Aiace, cęteriſq; Graecis aduocatus, vt in Graeciam rediret, petiturus cum regionalibus Graecis ſecundam Troiæ vindictam, quoniam pręſumpſiſſet Paris dictus Alexander Priami filius, ac Laomedõtis nepos, in vindictam Eſyonæ ab Hercule raptæ, & Thelamoni Salaminorum Regi traditæ in concubinam Helenam Menalai Micenarum Regis vxorem rapere, & violenter in Phrygiam transferre. Atque quum ad littora Hiſpanię rates applicuiſſent, vna apud vrbem Barchinonam confracta traditur cæteris in Oceanum decurſis, vbi Herculem moram trahere intellexerãt. Interea captis hominibus nonę ratis a prouincialibus, & ad Herculem deductis audita legatione Hercules in Gręciam redire parat, quod & fecit, vrbemq; pro noua barcha in eo loco conſtituit, quam Barchinonam appellauit. Hoc tamen fabuloſum exiſtimo doctiſſimorum auctoritati aſſenciens, qui vrbis nomẽ tertiæ declinationis conſtituunt, vt Barchinon dicatur, quod nomen veraci hiſtoria Græcum eſt, & ſignificat domũculas ex virgultis contextas, quæ ad maris littora ad piſcandum ſunt, in quibus ſe piſcatores recipiunt, quarum quum ibi magnus eſſet numerus, loci, ac aëris ſalubritate proſpecta Barchinon vrbem eodem in loco conſtituit, ſicq; eam ab eiſdem domunculis appellauit. Plinius vero libro tertio de Naturali hiſtoria etiã Græco nomine Barchinon appellans Fauentiam quoq; dixit cognominari a Romanis, quorum colonia effecta eſt. Ipſi etiam Herculi pertinet Calpe vrbs dicta primum Heraclia, de qua ſatis in deletis vrbibus dictum eſt.

De reditu Herculis ab Hiſpania in Græciam.

IVſtinus poſt Trogum Pompeium penultimo libro ſui Epitomatis Herculis reditum de Hiſpania in Gręciam refert, poſteaquam Fauni regnum deſcripſiſſet, qui tertio loco poſt Saturnum regnauit in Italia, adiecit hæc verba. Fauno vxor fuit fatua, quæ aſſidue diuino ſpiritu impleta veluti per furorem futura præmonebat, Ex filia huius Fauni, & Hercule, qui eodem tempore extincto Geryone armenta victoriæ præmia per Italiam ducebat, ſtupro conceptus Latinus procrearetur. Diodorus vero poſtquam veritatem Herculum ex veteribus hiſtorijs cõſcripſiſſet, quũ poëtarum antiquorum fabulas de Heroibus, ac Semideis retuliſſet, factaq; multorũ Herculũ ex vario ſcriptorũ aſſenſu, reditũ Herculis ab Hiſpania per Celtogallaciã deſcribit per hęc verba. Peragrata maioris Libyæ parte Hercules ad Oceanum, qui eſt ad Gades peruenit, ibiq; in Iberiam cum exercitu tranſijt, vbi columnis poſitis Chryſauri filios tribus magnis exercitibus fidentes ſingulari prouocatione ſuſtulit.
Capta Iberia greges boum ſecum ducens, iterque per Iberiam faciens, quum quidam eius gentis Rex, vir iuſtus præ cæteris, ac probus cum magno honore excepiſſet, partem boum Regi dono dedit, quos ille Herculi dicans ſingulis annis ex his pulchriorem taurum illi ſacrificauit. Hos ſacros in Iberia boues vſque ad noſtra tempora conſtat permanſiſſe. Et poſtquam columnarum Herculis meminimus, videtur de his paulo amplius dicendum, montes ab vtroque latere continentis mari Oceano imminent, in quibus ſtatuit columnas, cupiens autem ſempiternum ſui nominis monumentum eſſe, aiunt vtrumque montem, vt Oceani maris aditum antea arctiſſimum ampliorem, longioremque redderet, excidiſſe, vt magnis

nauibus ab Oceano in noſtrum mare aditus præberetur, vt vſq; ad poſteros perpetuā huius operis gloria maneret. Tradunt alĳ, maxime poëtæ, coniunctis prius montibus ab eo effoſſi ſub Oceano ad noſtrum mare aditum præbuiſſe. Verum hæc, quū ſingulis liceat pro libito credere, exiſtimationi hominum reliquenda ſunt. Poſt hæc Iberorum regno optimis eius regionis viris tradito cum exercitu in Celticam Galliā profectus eſt. O nunquam peragrata prouincia, quum ingens ex omnibus gentibus, exercitus eum ſequeretur vrbem condidit amplam, quam appellauit Aleſiam plurimis ex propinquis incolis ſponte in ciuitatem confluentibus, qui quum reliquam multitudinē ſuperarent, e veſtigio ciuitas ad Barbaros mores defluxit. Hanc vrbem Celtæ etiam nunc in honore habent, tanquam omnis Celticæ prouinciæ Metropolim, permanſit hæc vrbs a ſua conſtructione ſemper libera, ac ſui iuris vſq; ad tempora Caĳ Cæſaris, qui propter res geſtas Deus dictus eſt, a quo vi capta Romanorum imperio cum alĳs Celtis ceſſit. Ab his Hercules in Italiam tendēs, iterq; per Alpes faciens ita difficilem aditū, aſperamq; viam ſtrauit, vt poſtea exercitibus cum iumentis, impedimentiſq; facile iter eſſet, Barbaroſq; montanos tranſeuntibus infeſtos, ac latrocinĳs aſſuetos occiſis eorum Ducibus deleuit, poſteris reddita itineris ſecuritate, tranſcendenſq; Alpes ad eam oram, quæ nunc Gallia appellatur, per Liguſtos, qui hodie Genuenſes dicuntur, tranſĳt patriam aſperam, & omnino duram, multoque etiam incolarum labore, ac ſtudio paucos omnino fructus ferentem. Qua ex re robuſti ſunt homines, validiq;, & agiles, ac in bello præcipue fortes ob inopiam, & laborem, quibus eorum corpora durantur. Hi enim quum vltra cæteros agrorum exercitio fatigentur, fœminas quoq; ruſtico aſſueſecerunt operi, quorum partem Hercules mercede conduxit ad ferendum Græcis auxilium in oppugnatione Troiæ, triremibuſq; in portu Liguſtico relictis ad Tiberim fluuium, vbi nunc Roma eſt multis poſtea ſæculis a Romulo Martis filio condita, peruenit. Tenebant tunc Aborigines locum, vbi nunc palatinum eſt, vrbem penitus paruulam incolentes. Inter hos præſtantiores Poticius, & Piramus erant, qui Herculem, vt hoſpitem, magno honore, doniſq; ſuſcepere. Horum virorum monumenta vſq; ad hanc ætatē Romę permanent. Nam inter nobiliores habentur Piramorum deſcendentes, tanquam vetuſtiſſimum genus, Poticiorum in palatio Coclee deſcenſus eſt lapideę, ab illo Potina dicta propinqua domui, quę tunc Pocĳ fuit. Hercules ob honorem ſibi a Palatinis impenſum, dixiſſe fertur, eos, qui ſibi, poſtquam ad eos trāſlatus eſſet, decimam bonorum dicarent, vitam fœlicem victuros, quod & eueniſſe vſq; ad hoc tēpus cōſtat. Multi enim Romanorum non ſolum mediocri cenſu, ſed qui ditiſſimi ſunt habiti, decimas Herculi vouerunt, poſteaq; fortunaciores facti bona ſua ad quatuor talentorum millia Herculi ſacrarunt. Iuculus Romanorum ferme ditiſſimus æſtimatis bonis decimam partem Herculi dedit, epulas prębens continue, ac profundens multa. Templum inſuper iuxta Tiberim egregium condidere, qui ex decimis ſacra Deo offerebant. Deinde a Tiberi profectus Hercules per littus Italię ad mare, quum deſcendiſſet ad eum locum, vbi Rhegium vrbs condita eſt in loco valde anguſto, vt pote tredecim ſtadĳs diſtante a continente Trinacria, ipſe cornu bouis innixus gregibus præmiſſis mare traiecit, in Siciliamq;, quę & Trinacria a tribus promontorĳs dicitur, ingreſſus eſt, quam cupiens circūire ad Ericem Regem perductus eſt, cui Nymphę ad lauandum aquas calidas exhibuerunt. Inde quum in Syracuſam perueniſſet, cum Sicanis, qui regionem incolebant, in prelium venit, quos ſuperauit. Inde in Ita-

liam rediens, quum Cacus Hiſpanus, quem Diodorus Latinum dicit, quatuor illi boues, quos ab Hiſpania duxerat, rapuiſſet, Cacus ab eodē Hercule peremptus eſt, quã quam Vergilius ad oram Tyberis hoc fuiſſe ferat. Et quoniam in Caci memoriam incidimus, quem Hiſpanū fuiſſe, tam Toletanus, quam alij plures cōmemorant, quodque Carpentanijs princeps eſſet, a quo mons Caci dictus ſit, & vrbs Oſca, tanquam os Caci, aliquid de eo dicendum eſt. Hic enim victus, & fugatus ab Hercule in Hiſpania extincto Geryone Rege ſecutus Herculem vindictæ cauſa cupiebat ei ſiue publice, ſiue latenter mortem inferre. Quumque opportunitas non daretur, quum diutius in quadam ſpelunca latuiſſet, quatuor Herculi boues rapuit, quos quum mugientes Hercules perſenſiſſet in ſpelunca, illos intercmpto fure extraxit. Hic autem Cacus Vulcani filius appellatus eſt, propterea quia ignes fumigantes euomere dictus eſt in ſpelunca, quod ex eo fuiſſe fertur, quia primus puluerem ex diuerſis compoſitum ſpeciebus adiaciendos lapides adiuuenit, qui an in Calabria, an apud Tyberim interemptus ſit, incertum eſt. Refert etiam Diodorus præfato libro quinto, poſt mortem Caci Herculem colonis prædixiſſe futuram ibi vrbem, quam demum fundatores illius oraculo Herculis a Caco Catronam appellaſſe, hæc Diodorus. Inde iter inceptum agens, cū Adriaticum ſinum circuiſſet per Calabriam, Apuliam, Brucium, ac Pycenum agrum in Epirum peruenit. Inde in Macedoniam, Thraciamque, vbi, quarto anno poſtquam Troiana obſidio firmata eſſet, obijt correptus febre, cuius vim, quū ferre non poſſet, pyram ardentem ordinari iuſſit, in qua ſe iactaret, quumque petijſſet camiſiam, a Deianyra concubina ſua miniſtrata eſt ei, de qua multi poëtæ dixerunt, Deianyram ſibi miniſtraſſe venenum cum ipſa camiſia, quæ ipſum Herculem præcipitaret ad mortem. Hæc autem dixiſſe libuit ad memorandum, quæ de reditu ab Hiſpania retulere priores, vt ſciremus, an terra, an mari redierit. Referunt tamen plures Herculem nauigatione traiectum in Italiam rediſſe, regnūque Fauni, vbi nunc Roma cōdita eſt, de cuius aduētu meminit Iuſtinus libro quadrageſimo tertio, extincto Geryone armenta victoriæ per Italiam ducebat, ſtupro conceptus Latinus procreatur. Vocabatur autem filia Fauni, Latini mater Carmentis, Nicoſtrata autem ſecundum Eutropiū libro primo, quæ prima dicitur Latinas litteras inueniſſe, quas denuo Latinus eius filius quum correxiſſet, & emendaſſet ex ſuo nomine denominauit Latinas.

De morte vero Caci diſſentiunt Vergilius, & Ouidius a Diodoro, quoniam Diodorus in Calabria apud Catronam vrbem dicit interemptum. Cæteri vero apud Tyberim amnem. Referunt etiam ij, qui dixerunt Herculem nauibus ab Hiſpania rediſſe in Greciam, quod decedens ab Hiſpaniæ finibus, iugoque Pyrenei ad Mediterraneū littus dicauit templum Veneri, a quo etiam hac tempeſtate Portus Veneris nomen habet. Sciens autem ſe ad vindicandum Helenæ raptum in Græciam redire, vouit Veneri illius vindictam, & templum Deæ dicauit, quod vſque ad hæc tempora permanſit ad iugum Pyrenei in finibus Hiſpanię. Et hęc de Hercule dicta ſufficiant, iam de alijs Grecis, qui venerunt in Hiſpaniam videamus.

De aduentu Theucri, & aliorum Grecorum, & vrbibus ab eis conditis.

REfert Iuſtinus poſt Trogum Pompeium vltimo libro ſui Epitomatis, quem ſequitur Iſydorus libro nono, quod Thelamon Salaminorum Rex dictus Aiax, quum duos habuiſſet filios Aiacem, & Theucrum, Theucrum exoſum habuit, Aiacem vero regni ſucceſſorē inſtituit ex-

cluſo Teucro, poſt finem itaque Troiani belli Teucer intellecta morte Aiacis fratris venit in regnum Salaminorum, atq; quum ibi non reciperetur inſtructa claſſe in Ciprum properat, ibiq; Salaminam vrbem condidit ex nomine ſuæ gentis. Poſtea vero audita fama Hiſpanię per rumorem eorum, quæ de ea Hercules ſe feciſſe iactabat, in ipſam Hiſpaniam veniens appulit ad littora Hiſpaniæ ad eum locum, vbi nunc noua Carthago ſitum habet. Qui expoſitis ſedibus vrbem conſtruxit, quam a Salamanis, & Acticis Salamanticam appellauit. Actica enim prouincia Græciæ eſt ab Athena, Athiq; illius primo Rege ſic dicta, Salamim a Salamine ciuitate Ex his igitur duobus populis, quos ſecum duxerat, Salamanticam ciuitatem inſtituit. Teucer itaq; a Salamantica in Galliciam venit, eamq; regionem incoluit. Vnde ab aduentu ſuo Gallacia dicta eſt, tanquam a Galatis inhabitata. Vnius autem regionis Gallicię partem occupauit Amphiloia gens ſecundum Iuſtinum. Sunt enim Amphiloici populi in Græcia inter Epyrum, & Achaiam prouincias, habentq; duo flumina Arathum, & Acheloum, & in Mediterraneum fluunt. Habent inſuper ex oppoſito inſulam Cephaloniam ſecundum deſcriptionem Claudij Ptolemæi. Ipſius etiam prouinciæ Gallaciæ partem occupauere, & proprias ſedes ibi conſtruxere Migdonij, qui ex nomine ſuæ gentis vrbem Migdoniam dixerunt. Eſt enim Migdonum regio Mediterranea in Græcia, ſeu Gręcis propinqua inter duo flumina Aium, & Erygon, quæ ſimul iuncta fluunt in Egeum mare. Hæ itaq;, & aliæ ſedes ſunt, quas in Gallicia Galatæ conſtruxerunt, de quibus Iuſtinus breuiſſime meminit. Ad hos etiam Gręcos pertinet portus ciuitas, quę quondam Lauara vrbs dicebatur. Dicitur autem Portus Gallatię, quoniam amnis Dorus per eam decurrens quodam latiſſimo ſinu commeatus omnes ab Oceano recipiat in Gallacia, a qua Portugallię regnum nomen habet. Portugallia enim omnis ad Gallaciam ſpectat, vel ſaltem quicquid vltra Tagum, ac Doriam amnẽ eſt. Apud iſtã itaq; prouinciã Gallacię Hiſpanię mons ille Sacer eſt auro refertus, de quo Iuſtinus vltimo libro meminit in hęc verba. In huius gentis finibus Sacer mons eſt, quem ferro violari, vt nefas habetur. Sed ſi quando terra fulgure proſciſſa eſt, quod in his locis aſſidua res eſt, deiectum aurum, veluti Dei munus, colligere permittitur, hæc Iuſtinus.

De Galatis, & eorum nomine, & vnde prodierunt.

EX ſuperioribus ſcriptis oſtenſum eſt Gallaciam Gręcam habuiſſe originem a Teucro Telamonis filio. Vnde Hieronimus in proœmio epiſtolę ad Galatas ait. Galatæ Gręci ſunt, quomodo autem Gręci ſunt appellati Galatę, quũ per antea alio nomine vocarentur, de quibus ſuo loco dicetur. Dicendum eſt Galatas omnes ex Græcia prodijſſe. Vnde Diodorus libro ſexto de Galatis agens ait, Galliam duas habuiſſe vetuſtiſſimas gentes Galatas, & Celtas. Ea enim Galliæ ora maritimę, quæ ad Mediterraneum ſpectat, Celtę fuere, & incipiunt ab Alpibus, quæ diuidunt Galliam a Liguribus, & protenduntur per Maſſiliam vſq; in Pyrenæum. cęteri vero qui incolunt Oceanum a flumine Rheno vſq; in Pyrenęum cum cętero interiacenti Mediterraneo Galatę ſunt. Vnde Celtæ per tempora commixti Galatis, & Iberis finitimis populis, ij, qui Iberis admixti ſunt, Celtiberi ſunt dicti, ab Iberis, & Celtis. Cæteri vero, qui Galatis admixti ſunt, Celtogallatæ ſunt appellati a Celtis, & Galatis. Vnde Gallia omnis his duobus iuncta populis in quatuor Celto-

gallacias diuiſa eſt. Celtogallaciam Lugdunenſem, Belgicam, Narbonenſem, & Aquitanicam ſecundum Claudium Ptolemęum, & Strabonem. Hęc autē admixtio Celtarum cum Galatis recens eſt, perantea enim omnis Gallorum regio, quę ad Oceanum ſpectabat, dicta eſt Gallacia a candore populorum ſic appellata, quia homines illius regionis humido cælo educati corpora cęteris habēt candidiora. Vnde Galatę, qui & Galli dicti ſunt, quū intra proprias ſedes non reciperentur pręillorū multitudine, coadunatis trecentis millibus Alpes tranſiuere, ac trecenteſimo & quadrageſimo quinto anno poſt vrbem conditam Romam pręter Capitolium inciderunt. Inde in Traciam, Græciamq; declinantes quibuſdam intra Pannoniam relictis, diuerſa in Oriēte, ac Macedonia bella geſſere Ducibus Belgio, & Bremio, de quibus Iuſtinus meminit vigeſimo tertio libro ſui Epitomatis cum ſequentibus. Et deinde quū a Rege Bithiniæ, qui ab hoſtibus præmebatur, eſſent in ſubſidium aduocati, quum viciſſet Rex, cum Galatis dimidium regni partitus eſt. Vnde ſimul inhabitātes Gallogręci primū dicti ſunt a Gallis, & Græcis, deinde Galatę. Cæterum Bithinia Gręcię prouincia eſt, cuius prouinciæ Metropolis Nicena vrbs eſt. Inde Galatæ ex dicta cauſa, & ſuę gētis nomine prouinciæ Gallacię inditū nomen eſt. Huius autē Galatarum nominis originem deſcribit Diodorus præfato libro ſexto de eis latius agēs per hæc verba. Celtis olim imperauit, vt aiunt, vir egregius ex quo filia corporis magnitudine vltra naturę modū, decoreq; cæteras excellēs orta eſt. Hæc enim tum viribus, tum ſpecie elata omnes, qui eam vxorē expectabant, cōtempſit, exiſtimās neminem ſuo matrimonio dignū. Interim quū Hercules bello aduerſus Geryonē moto veniſſet in hanc prouinciam, ibiq; ciuitatē Aleſiam condidiſſet, admirata tum virtutem Herculis, tum corporis præſtantiā permiſſu parentū eius concubitum appetiuit, iuncta illi filiū genuit nomine Galatem, qui coæuos ſuos tum virtute animi, tum viribus corporis exceſſit, vir factus quum paternū regnum ſuſcepiſſet, plures oras ſibi ſubdidit propinquas præclaris rebus bello geſtis. Quumq; eius gloria celebraretur, ſubditos omnes ſuo nomine appellauit Galatas, ex quo omnis ea regio Gallacia dicta eſt. Huius gens ſola erga Romanos antiquam, & quę ad hanc vſq; ætatē durauit amicitiam cōſeruat. Natio vt plurimum ad Arctō ſita, regio vtiq; frigida, ac hyemis tempore pro aqua niuium opulentia abundās, glacies quoq; immenſa adeo regionē illam occupat, vt cōgelata flumina non ſolū paucis hominibus, ſed exercitibus quoq; cū curribus, ac impedimētis tranſitū præbeant. Suntq; in Gallacia plures magniq; fluuij, alij ex profundis ſtagnis, alij ex montibus emanātes, alijq; in Oceanū, alij in noſtrū mare decurrētes. Eorum, qui in noſtrū mare labuntur, maximus tenetur Rhodanus, qui in mōtibus fontes habens quinq; oſtijs deſcēdit in mare. Ibiq; Diodorus multa mirāda de Galatis proſequit̃, ſed tamen omittendū non eſt, quod, quamquam Gallia omnis a flumine Rheno vſq; in Pyrenæum dicat̃ Gallacia, Diodorus tamē a dicto loco extēdere eam videt̃ vſq; in Danubiū, atq; Scythiam, omnēq; Oceani maritimam oram, ſubijciēs poſt multa, quæ de Galatis diſſeruit, hęc, quæ ſequunt̃. Nunc, quod a multis ignorat̃, ſcribetur. Vltra Maſſilias, qui Mediterraneas regiones, quiq; iuxta Alpes, & mōtes Pyrenæos incolunt Celtæ appellant̃, vltra hos, qui ad Nothum Oceanū verſus pertinētes oras, & Herciniū montē, quiq; deinceps & in Scythiā vſq; habitāt, dicunt̃ Galathæ, quas omnes gētes cōmuni nomine Romani Galatas appellāt, hæc Diodorꝰ. De Galatis vero Hiſpaniæ refert Strabo libro tertio de orbis ſitu, ꝙ Gallecij Hiſpaniæ olim nullū habebant Deū, quod Biſcayæ vſq; ad hæc tempora perdurat,

perdurat, quæ regio intra Gallecię fines ſita eſt, & licet eiuſdem incolæ Chriſtianæ religionis cultores appellentur, ab illis tamen nullum venerari, colicꝙ Deum certum eſt, ſolumcꝙ Chriſtianam religionem labijs profitentur. Apud illos presbyter nullus recipitur non habens concubinam, arbitrantur enim neminem poſſe a carnalibus continere. Quod quum non poſſent, dicunt neceſſe eſſe presbyteros ad parochianorum vxores conuerti. Ad Biſcaiæ regionem nullus ex inſtitutione Epiſcopus adire poteſt, quinimmo horrendam rem narrabo, quam ipſe vidi. Quum enim ſub Calyguritano Epiſcopo ſint, ad illos tamen idem, nec alius Epiſcopus, etiam pro ſacramentalibus, adire poteſt, immo quum anno. M. CCCC. LXXVII. Ferdinandus Caſtellæ Rex inclytus in Biſcaiam intraſſet, adducens ſecũ Pampilonenſem Epiſcopum, occurrentes prouinciales dixerunt hoc eſſe contrarium ſuis legibus. Itacꝙ ne tumultus fieret, Epiſcopus ab Rege remiſſus eſt. Tantaque ex aduentu Epiſcopi ſe affectos moleſtia oſtenderunt, quod vbicuncꝙ Epiſcopus eorum ſolum calcaſſet, pro ſequentes illius veſtigia, ac eraſa terra puluerem colligentes maximo coadunatum puluerem igne cremarunt, illiuſcꝙ cineres in quandam ſuperſtitionem, ac diuini honoris ignominiam in mare proiecerunt.

De aduentu Phocenſium in Hiſpaniam, & vrbe Emporia.

DEſcripto aduentu Herculis in Hiſpaniam, & inibi per eum geſtis. Viſo item de Galatis, ac Theucri aduentu. Iam cætera, quæ ad Græcos ſpectant, nobis videnda, ac deſcribenda ſunt. Nunc igitur de Emporia vrbe, quæ a Græcis Phocenſibus originem habet, videamus. Eadem enim vrbi Emporio origo eſt, quę & Maſſilienſibus. De quibus vtriſcꝙ meminit Strabo libro tertio, noſcꝙ de eis ſatis ſupra retulimus in cap. te de deletis vrbibus. Alij vero ſecuti Valerium Anciam, Flauium, Titum Liuium, ac Plinium libr. tertio de Naturali hiſtoria, alioſcꝙ autores referunt in hæc verba. Marcus Porcius Cato Conſul, poſtquã abrogata eſt lex Appia, ex templo. xxv. nauibus longis, quarum quincꝙ ſociorum erant ad Lunæ portum alijs omnis generis contractis, cum ingenti claſſe a Luna ſoluens edixit, vt ad portum Pyrenęi omnes ſequerentur. Quo fœliciter acto inde Rhodam venerunt, & pręſidium Hiſpanorum, quod in caſtello erat, vi deiecerunt. Ab Rhodacꝙ ſecundo vento Emporias peruenerunt, vbi copiæ omnes, præter ſocios naualis claſſis cuſtodes, interra expoſitæ ſunt. Iam nunc Emporiæ duo erant oppida muro diuiſa, vnum Græci habebant a Phocenſibus, vnde & Maſſilienſes oriundi, alterum Hiſpani, ſed Græcum oppidum in mare expoſitum muri ambitum minus quadringentis paſſibus patentem habebat, Hiſpanum vero retractius a mari erat, cuius murus ad tria millia paſſuum in circuitu complectebatur. Tertium etiã genus ex Romanis colonis a diuo Cæſare poſt deuictos Pompeij liberos adiectum eſt. Nunc vero in corpus vnum cõfuſi omnes habitant, prius Græcis, poſtremo & Romanis in ciuitatẽ adſcitis, Mirandũ prorſus erat, quę res Gręcos tutaretur, ab altera parte aperto mari, ab altera Hiſpanis tã ferę, & bellicoſæ genti obiectos. Sed diſciplina certe cuſtos erat infirmitatis, quã inter validiores optime timor cõſeruat. Hiſpani ſiquidẽ oppidi murum agros verſus egregie munitũ habebant, vna tantũmodo in eam regionẽ porta impoſita, cuius aſſiduus cuſtos aliquis ex magiſtratibus erat. Nocte vero pars tertia ciuiũ in muris excubabat non minori certe vigilantia, quam ſi hoſtis ad portas eſſet, & cuſtodientes, & continue circumeuntes ciuitatem

citra Hiſpaniam, neminem in vrbem recipiebant, nec ipſi quidem temere vrbe excedebant. Ad mare patebat omnibus exitus, portis alterutrius oppidi e regione factis. Ex eis nunquam niſi frequentes, aut pars tertia fere, cuius proxima nocte vigiliæ in muris fuerant, egrediebantur. Cauſa exeundi hæc erat, commercio eorum Hiſpani non adhuc experti mare gaudebant, mercariq; ipſi ea, quæ externa nauibus aduherentur, volebant. Huius mutui vſus deſiderium, vt Hiſpana vrbs Græcis pateret, faciebat. Erant enim eo tutiores, quod ſub vmbra Romanæ amicitiæ lætabantur, quã ſicut minoribus viribus, quam Maſſilienſes, pari colebant fide. De huius autem vrbis initijs ſatis diximus ſupra in capite de deletis vrbibus. Tunc quoq; conſulem, exercitumq; Romanum comiter, ac benigne ſuſceperunt. Paucos ibi moratus dies Cato, dum exploraret vbi, & quantæ hoſtium copiæ eſſent, modicumq; id tempus in re frumentaria milites exercendo conſumpſiſſet, id enim erat tempus anni, quo frumentum in horrea portatur, ab Emporijs profectus agros hoſtiũ vſſit, vaſtauitq; omnia fuga, & terrore concutiens.

LIBER TERTIVS DE TIRIIS, ET SIDONIIS. VNDE CARTHAginenſes, & Gaditani originem habuerunt.

ET quoniam diximus, Iuſtinum poſt Trogum Pompeium ſcripſiſſe vltimo lib. ſui Epitomatis, Gaditanos ex Tirijs duxiſſe originem, qui quum a finitimis Hiſpaniæ impeterentur ab eorum conſanguineis Carthaginenſibus auxilia petiuere, quorum auxilio, ac fœlici expeditione, & Gaditanos ab iniuria vindicauerunt, & maiorem partem prouinciæ ſuo Imperio adiecerunt: quapropter, a quibus Carthaginenſes originem habuerunt, nobis videndum eſt. Carthaginenſes itaque Aſſyrij fuere ex Sidonijs, & Tirijs. Vnde Vergilius referens aduentum Aeneæ in Carthaginem, quam Dido conſtruxerat, Sidoniorum, & Tiriorum oſtendit originem in quarto Aeneidos, vbi ait. Nunc media Aeneam ſecum per mœnia ducit, Sidoniaſq; oſtentat opes, vrbemq; paratam. Pauloque poſt oſtendens non ſolum Sidonios, ſed etiam Tirios, atq; amorem Didonis in Aeneam. ſic ait. Dotaleſq; tuæ Tirios permittere dextræ. & paulo poſt ſubiungit. Sed fatis incerta feror, ſi Iuppiter vnam eſſe velit Tirijs vrbem, Troiaq; profectis. Miſcerive probet populos aut fœdera iungi. Iuſtinus vero poſt Trog. Põp. li. xviij. illorum originẽ proſecutus ſic ait. Et quoniã ad Carthaginenſiũ mẽtionem ventũ eſt, de origine eorum pauca dicenda ſunt, repetitis Tiriorum paulo altius rebus quatuor caſus etiam dolendi fuerunt. Tiriorum res condita a Phœnicibus fuit, qui terræ motu vexati relicto patrio ſolo Aſſyrium ſtagnum primo, mox mari proximum littus incoluerunt condita ibi vrbe, quam a piſcium vbertate Sidona appellauerunt, nam piſcem Phœnices Sidon vocant. Poſt multos deinde annos a Rege Aſcaloniorum expugnati, nauibus appulſi Tiron vrbem ante annũ Troianæ cladis condiderunt. Ibi Perſarum bellis diu, variiq; fatigati victores quidem fuere, ſed attritis viribus a ſeruis ſuis multitudine abundantibus indigna ſupplicia perpeſſi ſunt,

qui conſpiratione facta omnem liberum populum cum dominis interficiunt, atque ita potiti vrbe lares dominorum occupant, rempublicam inuadunt, coniuges ducunt, & quod ipſi non erant, liberos procreant. Vnus ex tot milibus ſeruorum fuit, qui miti ingenio ſenis domini, paruuliq; filij eius fortuna moueretur, dominoſq; non truci feritate, ſed pia miſericordiæ humanitate reſpiceret. Itaq; cum velut occiſſos occultaſſet, ſeruiſq; de ſtatu reipublicæ deliberantibus placuiſſet, Regem ex corpore ſuo creari, eumq; potiſſimum, quaſi acceptiſſimum Dijs qui ſolem Orientem primus vidiſſet, rem ad Stratonem, hoc enim illi nomen erat, dominum occulte latẽtem detulit. Ab eo informatus, quum medio noctis omnes in vnum campum proceſſiſſent, cæteris Orientem ſpectantibus ſolus Occidentis regionẽ intuebatur. Id primum alijs videri furor, in Occidenti ſolis ortum quærere. Vbi vero dies aduentare cœpit ęditiſſimiſq; culminibus vrbis Oriens ſplendere, expectantibus alijs, vt ipſum ſolem aſpicerent, is primus omnium fulgorem ſolis in ſummo faſtigio ciuitatis oſtendit, non ſeruilis ingenij ratio eſt viſa, requirentibuſq; autorem de domino confitetur. Tunc intellectum eſt quanto dominorum ingenia præſtarent, malitiaq; ſeruos, non ſapientiã vincere. Igitur venia ſeni, filioq; data eſt, & velut numine quodã reſeruatos arbitrantes, Regem Stratonem creauerunt. Poſt eius mortem regnum ad filium, ac deinde ad nepotes tranſijt. Celebre hoc ſeruorum facinus, metuendũq; exemplum toto orbe terrarum fuit. Itaq; Alexander Magnus, quũ interiecto tempore in Oriente bellum gereret, veluti victor publicę ſecuritatis expugnata eorum vrbe omnes, qui prælio ſuperfuerant, ob memoriã veteris cædis crucibus affixit, gentis tantũ Stratonis inuiolatum ſeruauit, regnũq; ſtirpi eius reſtituit. Ingenuis, & innoxijs incolis inſulę attributis, vt ſtirpato ſeruili germine genus vrbis ex integro conderet. Hic igitur modo Tirij Alexandri auſpicijs conditi parſimonia, & labore quærendi cito conualuere. Ante cladẽ dominorũ, cũ & opibus, & multitudine abũdarent, immiſſaq; in Africã iuuẽtute Vticam cõdidere. Quũ interim Rex Mulcto Tiro deceſſit filio Pigmalione, & Eliſa filia inſignis formæ virginis hæredibus inſtitutis, ſed populus Pigmalioni puero regnum tradit. Eliſa quoq; Aceruæ auunculo ſuo ſacerdoti Herculis qui honos ſecundus a Rege erat, nubit. Huic magnę, ſed diſimulatę, opes erant, aurũq; metu Regis non tectis, ſed terræ crediderat, quã rem, & ſi homines ignorarent, fama tamen loquebatur, qua incenſus Pigmalion oblitus iuris humani auunculũ ſuum, eundẽq; generum ſine reſpectu pietatis occidit. Eliſa diu fratrem propter ſcelus auerſata, ad poſtremum diſimulato odio, mitigatoq; interim vultu fugã tacitam molitur aſſumptis quibuſdã Principibus in ſocietatẽ, quibus par odiũ in Regẽ eſſe, eandẽq; fugiendi cupiditatem arbitrabatur. Tunc fratrẽ dolo aggreditur, fingit ſe ad eum migrare velle, ne amplius ei mariti domus cupidæ obliuionis grauem luctum renouet, neve vltra amara admonitio oculis eius occurrat. Non inuitus Pigmalion verba ſororis audiuit, exiſtimãs cum ea aurũ Aceruæ ad ſe venturũ. Sed Eliſa miniſtros migrationis a Rege miſſos nauibus cũ omnibus opibus ſuis prima veſperi imponit, prouectoſq; in altũ cõpellit eos onera arenę pro pecunia inuolucribus inuoluta in mare deijcere. Tunc deflẽs ipſa, lugbriq; voce Aceruã ciet, orat, vt libẽs opes ſuas recipiat, quas reliquerat, habeatq; inferiis, quas habuerat cauſam mortis. Tunc ipſos miniſtros aggreditur, ſibi quidẽ ait optatam olim mortem, ſed illis amaros cruciatus, & dira ſupplicia imminere, qui Aceruæ opes, quarum ſpe parricidium Rex fecerat, auaritiæ tyranni ſubtraxerint. Hoc metu omnibus iniecto comites fugæ accepit, iungũtur & Senatorum in ea nocte preparata

agmina, atq; ita ſacris Herculis, cuius Acerbas ſacerdos fuerat, repetitis, exilio ſedes quærunt. Primus illis appulſus terræ Ciprus inſula fuit. Ibi ſacerdos Iouis cum coniuge, & liberis Dei monitu comitem ſe Eliſæ, ſociumq; præbuit, pactus ſibi, poſteriſq; perpetuum honorem ſacerdotij. Conditio pro manifeſto omine accepta. Mos erat Ciprijs virgines ante nuptias ſtatutis diebus dotalem pecuniam quæſituras in quæſtum ad littus maris mittere, pro reliqua pudicitia libamenta Veneri ſoluturas. Harum igitur ex numero octoginta admodum virgines raptas nauibus imponi Eliſa iubet, vt & iuuenes matrimonia, & vrbs ſobolem habere poſſet. Dum hęc aguntur, Pigmalion cognita ſororis fuga cum impio bello ſugientem perſequi pararet, ęgre precibus matris, deorumq; minis victus quieuit. Cui quum inſpirati vates canerent non impune laturũ ſi incrementa vrbis toto orbe auſpicatiſſimæ interpellaſſet, hoc modo ſpatium reſpirandi fugientibus datum eſt. Itaq; Eliſa delata in Africæ ſinum incolas loci eius, aduentu peregrinorum, mutuarumq; rerum commercio gaudentes in amicitiam ſolicitat. Deinde empto loco, qui corio bouis tegi poſſet, in quo feſſos longa nauigatione ſocios, quoad proficiſceretur, reficere poſſet, corium in tenuiſſimas partes ſecari iubet, atque ita maius loci ſpatium, quam petierat, occupat. Vnde poſtea ei loco Byrſe nomen fuit. Confluentibus deinde vicinis locorum, qui ſpe lucri multa hoſpitibus venalia inferebant, ſedeſq; ibi ſtatuentibus, ex frequentia hominum velut inſtar ciuitatis effectum eſt. Vticẽſes quoq; legati dona vt cõſanguineis attulerũt, hortatiq; ſunt, vt vrbem ibi conderent, vbi ſedes ſortiti eſſent. Sed & Afros detinendi aduenas amor cepit. Ita & conſentientibus omnibus Carthago conditur, ſtatuto annuo vectigali pro ſolo vrbis. In primis fundamentis caput bubulum inuentum eſt, quod auſpicium fructuoſæ quidem, ſed laborioſæ, perpetuæq; ſeruæ vrbis fuit, propter quod in alium locum vrbs translata, ibi quoq; equi caput repertum, bellicoſum potentemq; populum futurum ſignificans. Vrbi occurrentibus gentibus breui & populus, & ciuitas magna facta. Quum ſucceſſu rerum florentes Carthaginis opes eſſent, Rex Mauritanorum Hiarbas decem Pœnorum Principibus ad ſe accerſitis Eliſæ nuptias ſub belli denunciatione petit, quod legati Reginæ referre metuentes, punico cum ea ingenio egerunt, nunciantes Regem aliquem poſcere, qui cultiores victus eum, Afroſq; perdoceat, ſed quoniam inueniri non poſſet qui ad barbaros, & ferarum more viuentes tranſire a conſanguineis vellet: tunc a Regina caſtigati, ſi pro ſalute patrię aſperiorem vitam recuſarent, cui etiam ipſa vita, ſi res exigat, debeatur. Tunc Regis mandata aperuere, dicẽtes, quę pręcipiebat alijs ipſi facienda eſſe, ſi velit ciuitati conſultum eſſe. Hoc dolo capta diu Acerbæ viri nomine cum multis lachrymis, ac lamentatione flebili inuocato ad poſtremum ituram ſeſe, quo ſua, & ſuę vrbis fata vocarent, reſpondit: in hoc trium menſium ſumpto ſpatio. Interim Pyra in alta parte vrbis, velut placatura viri manes, inferiaſq; ante nuptias miſſura multas hoſtias cedit. Sumpto gladio pyram conſcendit, atq; ita ad populũ reſpiciens ituram ſe ad virum, ſic pręceperat, dixit, vitamq; gladio finiuit. Quandiu Carthago inuicta fuit, pro Dea culta eſt. Condita eſt hæc vrbs. lxxij. annis ante quã Alba. Cuius, vt virtus bello clara fuit, ita domi ſtatus varijs diſcordiarum caſibus agitatus eſt, quum inter cætera mala etiam laborarent cruenta ſacrorum religione, & ſcelere pro remedio vſi ſint. Quippe homines, vt victimas, immolabant, & impuberes quæ ætas etiam hoſtium miſericordiam prouocat, aris admouebant, pacem Deorum ſanguine eorum expoſcentes, pro quorum vita dij rogari maxime ſolent.

Quomodo Carthaginenſes Hiſpaniæ poſt Græcos dominium obtinuerunt, & per longa ſæcula tenuerunt.

VIſa Carthaginenſium origine, introitum eorum in Hiſpaniam, & geſta memoratu digna videamus. Quum enim Greci per multa ſæcula Hiſpanię dominium tenuiſſent, tandem a Pœnis ab ipſa Hiſpania expulſi ſunt. Vnde Iuſtinus poſt Trogum Pomp. in ſuo Epitomate lib. vltimo de aduentu Carthaginenſium meminit per hęc verba: Poſt regna deinde Hiſpaniæ primi Carthaginenſes Imperium occupauere. Nam cum Gaditani a Tiro, vnde & Carthaginenſibus origo eſt, ſacra Herculis per quietem iuſſi in Hiſpaniam tranſtuliſſent, vrbemq; ibi condidiſſent, inuidentibus incrementis nouæ vrbis finitimis Hiſpaniæ populis, ac propterea Gaditanos bello laceſſentibus, auxilium conſanguineis Carthaginenſes miſere. Ibi fœlici expeditione, & Gaditanos ab iniuria vindicauerunt, & maiorem partem prouinciæ ſuo Imperio adiecerunt. hæc Iuſtinus. Diodorus vero lib. ſexto, & Hiſpaniæ Carthaginenſium Imperium narrat, & quomodo ex Hiſpanię auro, argentoq; quę in eadem prouincia effodiuntur, Carthaginenſes ditiores, & opulentiores facti multa bella geſſere, & diuerſas colonias in ipſa Hiſpania, Libya, Sicilia, & Sardinia conſtruxerunt.

De colonijs, & vrbibus a Carthaginenſibus in Hiſpania conſtructis.

PRimam omnium vrbem memorare libet veterem Carthaginem Hiſpaniæ, quam ex ſuo nomine denominauerunt, lingua enim Pœnorum Carthago noua ciuitas interpretatur, quæ primo Birſa, deinde Tirios, tum Carthago a Cartha oppido, vnde fuit Dido, vel a Cartha, id eſt, corio bouis in tenuiſſimas partes ſecto, quo locum vrbis cinxit. Hæc In citeriori Hiſpania ſitum habuit inter Elarquеones ſecundum Claudium Ptolomæum libro ſecundo, quæ Lethanis, Barchinoni, & Rubricatæ propinqua erat. Nunc quoq; ager Pœnetenſis, ac prouincia dicitur, ab vrbe Pœnorum demolita nomen retinens. Itaq; ibi vrbem condiderunt, quam Carthaginem dixerunt, & a ſuccedentibus vetus Carthago Hiſpaniæ dicta eſt. De hac meminit Claudius Ptolem. libro ſecundo deſcribens Tarraconenſem Hiſpaniam. Alia enim noua Carthago Spartaria ſecundum Strabonem appellata, non eſt dicta noua reſpectu magnæ Carthaginis, ſed reſpectu veteris, de qua diximus, quæ condita eſt a Carthaginenſibus ſecundo punico bello, poſt euerſam hanc veterem Carthaginem. Euerſa eſt autem vetus Hiſpaniæ Carthago a duobus Scipionibus Cornelio, & publio fratribus poſt captam Saguntum a Pœnis, & in illius vindictâ dirupta, vt ſupra diximus. Secunda noua Carthago eſt cōdita ab Haſdrubale genero Amilcharis Barchæ, qui primus eidem Amilchari ſucceſſit, vt refert Strabo libro tertio. Conſtat tamen, quod ante illorum imperium habuit incolatū, cum referat Trogus Pompeius libro vltimo, Theucrum Thelamonis Aiacis filium ad eundem locum veniſſe, ibiq; reſediſſe. Hoc etiam placet Pomponio Mellæ in ſua Coſmographia. Sed potuit illius ampliatio, ac dilatatio ad Haſdrubalem pertinere. Plinij quoque verba de Carthagine noua ſunt hæc: Tarraco Scipionum opus, ſicut & Carthago Pœnorum. Cauſa autem huius ædificandæ ac conſtruendę vrbis fuit duplex. Vna euerſio veteris Carthaginis Pœnorum coloniæ, ac Metropolis citerioris Hiſpaniæ. Secunda cauſa fuit inſtitutio, ſeu ampliatio Tarraconæ per Scipiones poſt deletam veterem Carthaginem

in Metropolim citerioris Hiſpaniæ erectæ. Sicut enim Romani voluerunt obfirmare paries citerioris Hiſpaniæ cis Iberum, ita & Carthaginenſes illas vltra Iberum, quarum dominium apud Pœnos erat. Comperto itaque ſalubri loco, portuq́ꝫ nouam Carthaginem Tarraconæ oppoſitam Pœnorum Coloniam erexerunt. Inde eſt Malacha, quam etiam in hodiernum Mauri poſſident in Hiſpania, de qua Strabo libro tertio ſic meminit: Malacha vero Phœniciȩ ciuitatis propinquioris tenet formã. Idem & de Abdera, quæ nunc Bera dicitur, de qua idem Strabo eodem loco meminit dicens: Abdera Phœnicum etiam ipſa ȩdificium. Brachara etiam vrbs Gallicię, nunc in Portugalliæ regno ſita, ad Pœnos pertinet. Bracharij enim gens Libyca ſunt, quę incolit ripam fluminis Bracadæ, quod eſt propinquum Carthagini ad ſolis ortum, & ibidem influit in Mediterraneũ. Incolæ enim riparum dicti fluminis ad partẽ vtranque Bracharij appellantur ſecundũ Claudium Ptolemæum lib. ij. Fluit autẽ amnis Bracada ab vltimis Aethiopię montibus, latiſſimoq́ꝫ ſinu influit in Mediterraneum. Quum enim Carthaginenſes, vt ſupra diximus, a Gaditanis aduocati eſſent, collecta magna Libycorum manu, in qua expeditione viciniores Carthagini fuerunt, tandem liberata vrbe, quam Gaditani intra Hiſpaniam erexerant, paſſim Carthaginenſes occupauere prouinciã cum ſacro Herculis promontorio, quod eſt vltra amnẽ Anam ad Oceanum, principiumq́ꝫ regni Portugalliæ, quod Hyron appellabant. Vnde & Bracharij milites vrbem ex ſua gente conſtituerunt, ac nominarunt. Eaq́ꝫ prouincia a duobus populis Galatis, ac Bracharijs, Gallatia Bracharia dicta eſt, ſicuti Celtiberię quoq́ꝫ, ac Celtogallaciæ accidiſſe diximus, ab Iberorum, ac Galatarum gente Celtis commixta. Numantia quoq́ꝫ a Carthaginenſibus condita eſt, ſeu a Numidis, qui vicini ſunt Carthagini, quibus imperauit Maſiniſſa Rex Numidarum, qui pro Carthaginenſibus bellauit in Hiſpania, de qua Africæ prouincia late mentionẽ facit Criſpus Saluſtius in hiſtoria Iugurtina. Vnde Numancia a Numidia Libyæ dicta eſt, quæ ſemper fuit infeſta Romanis, de cuius ſitu, & euerſione ſuo loco dicetur. Legio autem ciuitas, licet multi aſſerant eam ad Romanos pertinere, veraci tamen hiſtoria ad Pœnos pertinet. Fuit autẽ eadem ciuitas a primis inſtitutoribus cognominata Eleona, dicta a prouincia Eleona Libyæ propinqua, Cyriæ, & Aethiopiæ, in qua maxima leonum copia inuenitur adeo, vt præ multitudine pecudum greges videantur. A quibus, vt caueant homines regionis, leones ſibi domeſticos nutriunt ad tutelam. Eſt enim leo domabile animal, & aptum ſuum benefactorem tutari. De cuius regionis ſitu, leonumq́ꝫ multitudine, ac ferocitate diſſerit Diodorus libro tertio. Hæc autem gens ab Eleona Libyca Legionẽ vrbem, quam a ſua gente Eleonam vocauit, conſtruxit magna domeſticorum leonum multitudine pro ſuæ regionis more adducta. Qua ex re leonis illi vrbi, ac regno figura pro armis, & inſignibus eſt vſq́ꝫ in hodiernum. Quomodo autẽ Legio dicta ſit, cũ inſignia nomini non conueniant, a multis refertur, inter quos eſt Iſidorus iunior. Ait enim, quod Traiani Imperatoris temporibus, qui Hiſpanus fuit, diuerſæ vrbes in vlteriori Hiſpania rebellarunt, & ab Imperio defecerunt, ad quas recuperandas quum Traianus quatuor in Hiſpaniam militum legiones miſiſſet, vna legio, quæ Gerionarum fuit, in Eleona vrbe diu conſedit, vnde ab hac legione vrbs nomen mutauit, & Legio dicta eſt. Sic enim eam nominat Claudius Ptolemæus, qui paulo poſt Traiani tempora orbem deſcripſit temporibus diui Antonini. Hinc etiam eſt controuerſia, quod arma Leonis nomini vrbis, ac regno non quadrent, quoniam veri, ac vetuſtioris nominis inſi-

gnia ſunt. Rubricata autem vrbs apud Rubricatum amnem ſita ad oram Mediterrā neam non longe a Barchinone Lybicam habet originem. Habet enim vrbs & amnis aliud flumen eiuſdē nominis Rubricatū ex oppoſito in Africa, pro vt videri poteſt ex deſcriptione Claudij Ptolemæi libro ſecundo, cuius regionis incolæ tranſlati Carthaginenſium tēpore flumini, & vrbi dederunt nomen, vti de Iberis ſupra diximus. Aſturica inſuper vrbs, & prouincia Libybicam habēt originē. Aſturi enim ſecundum Claudiū Ptolemæum Libyci ſunt, incoluntq; eam Libyæ partem, quæ a Carthagine reſpicit Orientē, AEgyptumq; ad oram magni fluminis, qui Symphus dicitur, quod ab altiſſimis Arabiæ mōtibus per ipſos Aſtures, aliaſq; Libycas gētes defluit in Mediterraneū ſecundū Claudium Ptolemæū. Hæc gens cum Carthaginēſibus in Hiſpaniā peregrinata vrbē condidit, eamq; cum prouincia a ſuo nomine denominauit, diciturq; Aſturica vrbs, & Aſturica prouincia, quas mundāt duo flumina Aſturga, & Piſurga, quę fluunt in amnem Doriā, & ſuis terminis claudunt prouinciam, quam, vt diximus, Pœni primo incoluerunt, deinde Aſturi, poſtquā primo, & ſecundo bello punico eis adhæſerunt. Pœnis vero ab Hiſpania fugatis Romani vrbē Romanis impleuerunt, eamq; augētes, ac dilatātes Romanorum coloniam effecerunt, quam poſtea Auguſtus Cæſar Auguſtam cognominauit. Abinde enim ſecundum Claudium Ptolemęum Aſturica Auguſta dicta eſt. Hęc enim vrbs ad Galatas, Gallaciamq; pertinet, quæ perſtitit vſq; ad Gothorum tempora, quibus exactis ab Arabibus vrbs deleta eſt. Poſtea vero conualeſcentibus Chriſtianis, & præfatā regionem occupantibus poſt Pelagium, & Petrū Cantabriæ Ducem primi Aſturicarum Reges appellati ſunt, in eaq; regione Ouetū vrbem prouinciæ Metropolim erexerūt, vt bemq; regiā efficientes, in ea Reges diutius morati ſunt, & ab Emerita vrbe in Ouetenſem eccleſiā cathedralem ſedē tranſtulerūt, poſtea vero de Oueto trāſlata eſt in Cōpoſtellā. Biſcaia quoq; partim Libycam, partim Gręcam habet originē, & licet antiquorum eorum origo Græca ſit, habens Ephyloicos, ac Migdones, qui Græci ſunt, ij tamē admixti ſunt Baſtuli, a quib⁹ Biſcaię prouinciæ nomē eſt inditū a Maurorum tēporibus, Baſtuli enim ſunt ij, qui quondā prouinciā Beticā incolebāt, q̄ hodie Granatæ regnū continet, & a Mauris, & Arabibus poſſidetū, & a prouincia bætica Baſtuli dicti ſunt ſecundū Claudium Ptolemęum, qui ex vicinitate regionis Libycam habent originē, quū alterā Europæ oram Mediterraneo Africæ, & Libyæ obiectam obtinerēt, ex qua vicinitate iam ſecūdo Libycis in Hiſpaniam aditum præbuerunt. Primo enim quū Carthaginēſes Hiſpaniā occupauerūt, ſecūdo quū & Mauris præbuerūt aditū aduerſus Gothicā gētē. Hoc enim ſecūdo trāſitu Afrorū Baſtulorū gēte pulſa a Mauris finibus ſuis paſſim propulſi in montes Gallaciæ confugerunt, ibiq; domicilia ſtatuentes nomen gentis retinuerunt, vt Baſtulia ab eo tempore dicta ſit, atq; etiam appellata, qui admixti ſunt Galatis, Græcis, Aſturijs, Britanniſq;, quorum vicinam Oceano oram incoluerunt. Hi propriū idioma Barbaricum a Latino non admodū diſtans effecerūt, quod vſq; ad noſtra tēpora retinēt. His in montibus in Hiſpaniā paſſim graſſante Maurorū vaſtatione Chriſti nomen ſeruatū eſt, quoad vſq; Dominus ſuſcitauit Pelagium in populo ſuo Hiſpano belli fulmen, alterūq; Gedeonē, qui primus proſtratis Chriſtianis ſpem victoriæ aduerſus Mahumetēſes exhibuit, Ita vt eo præſtante victoriam Chriſti nomen per Hiſpanias ampliatum ſit vſq; in fines dictæ regionis Bæticæ, quam vſq; ad noſtra tēpora ijdem Mauri obtinent.

LIBER QVARTVS DE IIS QVAE GESTA SVNT IN Hiſpania durante primo bello punico.

EXPEDITI iam a Carthaginenſibus, geſtiſq; per eos in Hiſpania. Nunc geſta Romanorũ deſcribamus, qui Pœnis ſuperatis Hiſpanię imperium diu tenuerũt. Conſulatum agente Appio Claudio, qui primus contra Carthaginenſes arma ſumpſit, anno ab vrbe cõdita quadringẽteſimo ſeptuageſimo ſeptimo ſecundũ Eutropium, & ſeptuageſimo octauo ſecundũ Titum Liuium in principio quartæ Decadis agebať de bello cõtra Carthaginenſes ineundo, mortuo iam Alexandro Macedone, qui obierat per annos ante ſexaginta duos, anno ab vrbe cõdita quadringenteſimo ſexto decimo. Cauſas autẽ huius belli pernecesſarium eſt exquirere. Occupauerũt Romani anteactũ tempus ad ſubijciendã Tuſciam agrũ Picenum, Campanam, cæteraſq; Italiæ partes, quæ ad Orientẽ Septẽtrionemq; reſpiciunt, nec vſq; ad ea tempora extra Italiam arma aſſumpſerunt. Interea Carthaginenſes iam potentes facti Africam, omnẽq; Hiſpaniã poſſidebant. Ceperantq; Meſſanam potentiſſimã, vetuſtiſſimamq; Sicilię vrbem infeſtare, obſidereq;. Meſſanẽſes, qui & Mamertini appellanť, maximam Carthaginẽſium potentiã formidantes auxilia a Romanis petere decreuerũt. Legatos igitur Romam mittũt, decernentes potius parere Romanis, quam Pœnorũ imperiũ ſuſtinere. Facta Mamertinorũ expoſitione legationis in Senatu res anxie tractabať, periculũ captæ Meſſanę Romano Senatui obijciebãt, ex aduerſo metuebant Carthaginenſium potentiã, eis enim parebat omnis Africa, plurimæq; inſulæ, Hiſpania inſuper, quæ Romanis admodũ formidabilis videbatur, timebatur nauale prælium, quod a Romanis eatenus incognitum fuerat.

Sic ęqua lance negotium in Senatu gerebatur. Interim Mamertini cauſam ad plebem deferunt, exponũt periculũ vrbis. A plebe cauſa ſuſcipitur, & inſtante plebe bellum aduerſus Carthaginenſes decernitur. Et appius Claudius Conſul creatur, & conſtituitur Imperator, qui confecta claſſe apud Neapolitana littora exercitum traiecit in Siciliam. Interim Hiero Siracuſanorum Rex audiens Romanos bellum aduerſus Pœnos ſuſcepiſſe, inito fœdere cum Carthaginenſibus Hiero terreſtri robore Meſſanam, Carthaginenſes vero nauali claſſe obſidere acrius decreuerunt.

Igitur quum Appius exercitum in Siciliam traiecisſet, cum Hierone prælium cõmuniter cœpit, vbi tamen cũ aliquandiu dubie pugnatum eſſet, tandem Hiero ab Appio deuictus eſt. Cœpit interim Appius agros vſque Siracuſanos deuaſtare, Meſſanamq; redijt. Erat Pœnorum naualis Dux Haſdrubal, qui commiſſo prælio cum Appio, ceſſit Haſdrubal. Quumque diutius terra, mariq; tam in Sicilia, quam in Africa, Hiſpaniaq; pugnatum eſſet Appio Claudio, Quinto Flauio, Marco Actilio Regulo, Catuloque conſulibus per annos viginti quatuor, quum Carthaginenſes incommodo graui, ac inopia laborarent, pacem a Catulo popoſcerunt, qui nec pacem repulit, ſed pluribus adiectis conditionibus pacem ad Senatum remiſit, qui quidem Senatus miſſis in Siciliam decem legatis adiectis nonnullis, etiam

aliis legibus pacem Carthaginenſibus conceſſerunt, quæ per annos triginta ſeptem perſtitit. Durauit autem primum punicum bellum, & pax ſequuta vſque ad ſecundum punicum bellum per annos quadraginta duo, quatuor ſcilicet, ac viginti ſub bello, reliquos vero ſub pace. Et quoniam in Marci Actilij Reguli incidimus mentionem, cuius extat maxima laus de fide ſeruata, ipſius obitum interſeremus. Marcus igitur Regulus, quum in ipſo primo punico bello Conſul, & Imperator factus obſeſſa Carthagine rupto exercitu captus eſſet a Carthaginenſibus, Romam remiſſus eſt, pro commutandis captiuis iuramento præſtito, vt cōfecto, vel infecto negotio rediret Carthaginem. Quumq́ idem Regulus Romam veniſſet, conſediſſetq́ in Senatu, legationemq́ de commutandis captiuis expoſuiſſet, ac a Senatu ſibi remiſſum eſſet, in quam ipſe ſententiam declinaret, cenſuit captiuos non commutandos, Quum a cognatis maxime vrgeretur, ne rediret in Carthaginem, poſt poſitis mortis periculis iuſiurandum antepoſuit omni morti. Qui quū applicuiſſet Carthaginem, innotuiſſetq́ eius ſententia Carthaginenſium Senatui diuerſis cruciatibus exulceratus eſt, atq́ extinctus.

De diuiſione Hiſpaniæ in pace primi punici belli, & morte Amilcharis.

INterea compoſita pace in Sicilia Pœni exercitum curarunt in Carthaginem traducere, qui quum datis pluribus interuallis copias traduxiſſent, quia militibus grandis pecunia debebatur propter exhauſtum Carthaginis ærarium, Carthaginēſium exercitus ad oppidum Tunez deductus eſt, quod milliaribus diſtat vndecim a Carthagine. Milites vrbem Carthaginem infeſtare cœperunt, & diu Carthagineſes cum proprio exercitu de vita, & ſanguine certauerunt. Romani vero retractis copijs a Sicilia, neq́ eas otioſas voluerunt, cœperunt enim Macedonicū, & Gallicum bellum agere. Interim turbatis rebus in Africa, bellum adhuc in Hiſpanijs agebatur per Amilcharem Hannibalis patrem aduerſus Romanos. Poſt inchoatum igitur in Sicilia bellum, plurimę Hiſpaniæ vrbes, & populi, qui Carthaginenſibus obtemperabant, defecerunt ad Romanos, miſſis itaq́ a Romanis auxilijs ad eos iuuandos contra Amilcharē, qui eos bello impetebat, interim moritur Almichar, quo mortuo Haſdrubal ipſius Amilcharis gener Carthaginenſium ducatum adminiſtrabat.

Nec prętereundum eſt, quod refert Titus Liuius libro vigeſimo primo tertiæ Decadis, quod Hannibal, quum eſſet annorū nouem, patre Amilchare ſacrificante apud Carthaginem, quum copias in Hiſpaniam traducturus eſſet, ad aras iurauit ſe Romanorum inimicum, atque quandiu ætas perſtaret, arma contra Romonos ſumere. Amilchare mortuo, qui dum fortunam ſequeretur, incautus in inſidias deductus occiſus eſt, pax in Hiſpania firmata eſt, anno ab vrbe condita quingenteſimo decimo ſeptimo, quo tempore Onyas ſacerdotiū Hieroſolymis adminiſtrauit, de quo in ſecundo Machabeorum libro habetur hiſtoria. Cuius pacis cōditiones fuere, vt ea pars, quę citra Iberum fluuium eſt, & Pyrenæum reſpicit, Romanis cederet. Alia vero pars, quę vltra eſt, & in Herculeum fretum contendit Carthaginenſibus deberetur. Saguntum vero nobiliſſima Hiſpanię vrbs, quę hodie Muriuetus appellatur, quum vltra Iberum eſſet, & ad Pœnorum partem conſiſteret, poſt longa certamina libertate donata eſt, quum facile diuidi non poſſet, nec propter eius magnitudinem, ſplendorēq́ in portionem diſtribui. Hac itaq́ conditione, adiectioneq́ pax inter Romanos, Car-

lia Hannibali parebant in ea obſidione. Quumq; ſupradicti Romanorũ legati iam Saganti littora nauibus, ſeu triremibus attigiſſent, ab Hannibale recepti non ſunt, a quo reſponſum habuerunt, non opus eſſe verbis, legationibuſq; homini in tanta rerũ turbatione agẽti. His itaq; auditis legati Romani Carthaginẽ contendunt. Exponitur legatio Romanorum in Senatu Carthaginenſium. Hanno, & ij, qui partibus Hannibalis aduerſabantur, Romanorum partes ſuſcipiunt, Hanno quũ in deliberationem Senatus res veniret, orationem habet ad Senatum, dicens ſe hæc omnia vrbis incommoda prædixiſſe, quum de Hannibale cum copijs in Hiſpaniam tranſmittendis diſceptaretur. Hannibal vero ſuæ factionis viros per litteras ſollicitat, ne legati Romanorum aliquid a Senatu obtineant. Interea octauo menſe, quo Sagunti ciuitas ab Hannibale obſeſſa eſt, capitur: fit magna in vrbe cædes, & hominum interitus, vrbiſq; magna vaſtatio. De ſitu autem huius vrbis alij ignorantia rerum antiquarum dixerunt eſſe Segontiam, alij Medinam cæli, quos vtroſq; plurimum a veritate diſtare certũ eſt, quoniã Claudius Ptolemæus libro ſecundo ſuę coſmographię eam propinquam Valentiæ dicit. Titus vero Liuius ſecunda Decade in principio refert illam vno, vel duobus milliaribus a mari diſtare, quod nemini ex ipſis vrbibus pertinere poſſet, concordat etiam eorum aſſertio cum Romanis annalibus, quoniam in pace primi punici belli fines Romanorum, Carthaginenſiũq; Iber amnis erat, atq; quum Sagunti vrbs vicina eſſet Ibero, & propter illius opulentiam in maximã concertationem veniſſent, nec de ea valerent faciliter cõcordari, libertati relicta eſt. Ex quo ſatis patet fuiſſe vicinã Ibero, quod neq; Segonciæ, neq; Medinæ cæli patet aliquatenus conuenire. De ſitu vero Sagunti Strabo libro tertio meminit per hęc verba. Hiſpaniæ adiacent inſulæ, duæ quidem Pythuiſę, duæ vero Gymnaſiæ, quæ Baleares appellantur, quibus inter Tarraconis, & Sutronis maritimam eſſe ſitus contingit, ſuper has conditum eſt Saguntum.

INCIPIT LIBER QVINTVS DE SECVNDO BELLO PVNICO.

& exercitu Romanorum aduerſus Hannibalem.

CAPTA igitur Sagunto vrbe, legati Romani Romam redeunt, exponẽtes omnia hoſtilia fore. Magnus & terror, & ira fit vrbi. Populus Sagũto compatitur, quod perierit vrbs amica populi Romani, nec iuuare potuerunt, dolet populus non præſtitiſſe auxilia. Interim metus fit vndiq;, populo formidatur callidi adoleſcẽtis Hannibalis ferocitas, animuſq;: exercitatus animus Macedonum, Gallorumq;, quibus bellum intulerant, & non quidem bellum, ſed turbationem, quum bellum cum ſolis Pœnis geſſiſſent. Inter hæc decernitur bellum aduerſus Carthaginem. Creantur Conſules ad id bellum gerendum, Imperatoreſq; cõſtituunt Publius Cornelius Scipio, &, T. Sempronius: ex ærario pecunia miniſtrat ad parandum exercitũ, componitur claſſis, viri equeſtris, & pedeſtris generis conducuntur, qui apti ad bellum comperi potuerunt. Interea Hannibal con

ſyderans, quod ipſe cauſa huius belli fuerat, non decretum Carthaginenſium Senatus,
quum milites in nouam Carthaginem reduxiſſet partitis ſpolijs, militibuſq; ex victo-
ria iucundatis, municis Hiſpaniæ vrbibus in Italiam venire parat, Hiſpaniæ igitur
præfecit Haſdrubalem fratrē ſuum. Igitur Hannibal occupata reliqua Hiſpania Py
renęum tranſire ſatagit. De cuius vero itinere auctores diſſentiunt, quoniam dixe-
runt aliqui Hannibalem ſuperatis Ilergetibus, qui Nauarrenſes hodie dicunt, ſuntq;
coniuncti Pyrenęo, per Ruciſſium vallem trāſiſſe in Vaſconiam, Titus vero Liuius,
cui magis ſtādum eſt, refert Hannibalem per Emporitanum agrum tranſiuiſſe Pyre-
næum, dicit enim in ſecunda Decade, tranſacto Pyrenæo Hannibalem ad oppidum
Illiberū ſecus Ruciſſonē conceſſiſſe, & quinto menſe a capta Sagunto Italiam aggreſ
ſus eſt. Interim audito aduentu Hannibalis Romani ad Gallos legatos mittunt ad
reconciliandos eorum animos, vtq; Hannibali tranſitum prohiberent. Aſpernuntur
a Gallis legati Romanorum aſſerentibus, Romanos de Gallis non bene meritos eſſe,
neq; Carthaginenſes male meritos, vt tranſitum prohiberent. Hannibal ergo ſupera-
to Pyrenęo Vaſconiam, Auxiumq;, quæ ad dorſum Pyrenęi ſitum habent, occu-
pat, inde ad Alpes per medias Gallias peruenit, quæ Alpes Galliam ab Italiā ſeiun-
gunt. Quumq; igne, acetoq; rupiū aſpera itineri obſtantia fregiſſet, in Italiam traie-
cit exercitum. Titus vero Sempronius in Siciliam properat cum exercitu nauali &
Publius Scipio alter Conſul obuiam Hannibali cum exercitu terreſtri mittitur. Qui
cum audiſſet Hannibalem iam Alpes ſuperaſſe, is apud Ticinum amnem Italiæ con
ſedit, qui cum furore valido amnem Ticinum pertranſiſſet, occurrit ei publius Sci-
pio Conſul ex inſperato, grauis pugna committitur, & ſatis ęqua lance pugnatū eſt.
Publius vero Conſul multa dubitans intra Padum apud Placentiam ſe recepit.

Hannibal vero mox ſequutus Conſulem Emporium oppidum vicinum Placentię
inexpugnatum deleuit, cuius habitatores, & qui euadere potuerunt, ad Maritimā Li-
guriæ fugientes ab altero Conſule, qui in Hiſpaniam cum exercitu mittebatur, rece-
pti ſunt: interim Gneus Scipio Publij Scipionis frater in Hiſpaniam mittitur naua-
li exercitu præparato, qui primū in Emporiam vrbē noſtræ diœceſis exercitū duxit.

Gnei Scipionis aduentus in Hiſpaniam, Emporiumq; vrbem.

IGitur quum Gneus Scipio Emporium veniſſet, fama ingēs per Hiſ
paniam volat, Conſulem Scipionem aduenisse. Erat enim ea ciui-
tas non longe a Pyrenæo monte. Dimiſſo itaque exercitu apud
Emporium diſcurrit partim pro renouando, partim pro inſtruen-
do exercitu. Magnus clæmentiæ Scipionis rumor non ſolum per
maritima, ſed etiā per plana, & montana aſpergitur, fit inter eos non
ſolum pax, ſed fœderatio, multi ex prouincia in Romanorum auxilia aſcribuntur.
Erant apud eam regionem Duces duo Carthaginēſium Hanno ſcilicet, & Haſdru-
bal, quos magna militum manu Hannibal ab Hiſpania recedens in prouincię præſi-
dium reliquerat. Hanno itaq; alter ex Ducibus apud Tarraconam agens, de Con
ſulis aduentu factus certior, caſtra mouit aduerſus Romanorum Conſulem. Gneus
vero Conſul animaduertens neceſſario cum Hannone, & etiam Haſdrubalem pro-
perare, vt trans Iberum cum Conſule certamen iniret, potius cum altero certandum
decreuit. Quumq; Hanno prope Romanum exercitum caſtra mouiſſet, inde inſtru
cta acie in prælium venit. Grauis hinc inde pręlium committitur. Contigit autem
hoc certamen

hoc certamen, vt ex veterum ſcripturis colligitur apud vrbem, quæ quondam vetus Carthago dicebatur, vbi nunc Pœnetenſiũ prouincia dicitur, ad eũ locum, vbi nunc Villa franca Pœnetenſium ſita eſt, vbi ſecundũ Claudium Ptolemæũ vetus erat Hiſpaniæ Carthago, ſicuti ſupra diſſeruimus. Igitur commiſſo prælio inter vtraſq; copias, vicit Conſul, & captus eſt Hanno Dux exercitus, ſex milia Carthaginenſiũ cæſa ſunt, duo millia capta cum caſtrorum præſidio. Deinde expugnatur vrbs, quę facile victa cęſo, & capto præſidio in vindictam Sagunti, & iniuriam nominis Carthaginis demolita eſt, cuius incolę per prouinciã diſperſi, promiſſa immunitate volentibus eam inhabitare, Villam francã iiſdem in mœnibus conſtruxerũt, vt ſuperius diximus, & ſic poſtea ſemper vſq; ad hæc tempora nominata eſt cognomine adiecto Pœnetenſium, quia primo Pœni, id eſt, Carthaginenſes in ea habitaſſent. Igitur capto Pœnorum duce, ſuperataq; vrbe Romani milites multa ſupellectile ditati ſunt, quoniam omnis Pœnorum ſupellex, eorumq; præcipue, qui cum Hannibale ex Hiſpania receſſerunt, ne honuſti incederent, in ea vrbe dimiſſa a Romanis militibus intercepta eſt. Haſdrubal vero nouorum hoſtium aduentum præſentiens cum mille equitibus, ac octo millibus peditum tranſacto flumine Ibero in occurſum conſulis properat, ſed audito caſtrorum ſuæ gentis anfractu, non vltra ire auſus eſt. Sed Tarraconam verſus, vbi Scipio claſſem habebat, quum Romanorum milites per agros bacchareñtur, multos ex Romano exercitu interfecit, & reliquam partem exercitus ad naues fugere compulit. His ſic actis conſul Scipio præſidio Tarraconę dimiſſo, claſſem Emporiũ redire iuſſit. Haſdrubal vero conſulẽ timens in vlteriorẽ Iberi partẽ ad mare ſe recepit.

De Tarracona vrbe, & aliis vrbibus a Romanis in Hiſpania conditis.

ET quoniam in Tarraconæ incidimus mentionem, a quibus Tarracon originem habuerit videndum eſt. Strabo enim declarans in tertio libro conditores vrbium Hiſpaniæ adiecit, Tarraconam Scipiones conſtruxerunt, ideo caput eſt Tarraconẽſis prouinciæ, Idem pene dicit Plinius de Naturali hiſtoria libro tertio, dicẽs. Tarraco Scipionum opus, ſicut Carthago Pœnorum. quod tamẽ non exiſtimo verum, quoad illius fundationẽ, ſed quoad illius inſtaurationem, vel ampliationem, vt ſæpius ex antiquis ſcriptoribus factitatum conſtat. Refert enim Varro Cecropem conſtruxiſſe Athenas, ſed veraci hiſtoria Athis Rex primis illam conſtruxit, a quo Athenæ nomen vrbi eſt, & atticæ prouinciæ, vt meminit Iuſtinus in ſuo Epitomate. Et ideo puto eiuſdem vrbis primam conſtructionem ad Græcos, & Herculem pertinere, ſequentibus rationibus. Prima eſt, quoniã nequaquã veriſſimile eſt, vt Sciones, ſi illã ab initio fundaſſent, Græcum illi nomen imponerent, quũ eſſent Latini, quod euidenter oſtẽdit Iſidorus exiſtimans illã ad ipſos Scipiones pertinere: propter ea Tarraconã nominat, facitq; eam primæ declinationis in. xv. etymologiarũ lib. Sed antiqui omnes non quaſi Latinã habens originẽ Tarraconã dicunt, ſed Tarraconem, quaſi plane Grecũ ſit, tertię declinationis faciunt, inter quos eſt Claudius Ptolemęus Aegyptius libro ſecundo ſuæ Coſmographiæ. Et Plinius de Naturali hiſtoria libro tertio, & pene omnes antiquiores. Secunda ratio eſt, quoniam conſtat ex Romanis annalibus Gneum Scipionem, qui primus cum Romano exercitu ex omnibus Scipionibus intrauit Hiſpaniam, in primo ſuo aduentũ comperiſſe Han-

ff

nonem Pœnorum Ducem conſidere apud Tarraconam, ipſoq; Hannone deuicto ſtatim paruit Scipioni, ex quo clare conſtat antiquiorem illi eſſe originem a Græcis profectam, & quanquam autentice non legerim, tamen vaticinari licet eius exordium ad Herculem, Græcoſq; pertinere, quod ſequenti ratione firmatur, quoniam quum idem Hercules diuerſis populis, quos ex Tirijs, & Phœnicibus, cæteriſq; regionibus ſecum adduxerat, conceſſerit ſedes, vrbeſq; conſtruxerit, atq; ex nomine gentis eas appellauerit, non videtur a vero diſtare, quod Aconitis, quos ſecum adduxerat, Tarraconenſes agros conceſſerit, & terram Acon oppellauerit. Acon enim vrbs eſt in Phœnicia non longe diſtans a Tiro, & Sidone. Cuius Tiri, & Sidonis incolæ cum Hercule militantes Gades inſtruxerunt, vt refert Iuſtinus. Sic enim ab ipſis Aconitis terra Acon appellata dici poteſt. Eam tamen præfati Scipiones Gneus, & Publius Cornelius fratres auxerunt, ac dilatarunt, validiſſimoq; muro cinxerunt, & Metropolim totius citerioris Hiſpaniæ effecerunt. Ex quo non eſt dubium, quod potuit dici Scipionum opus, ſicut Carthago Pœnorum. Ad Romanos igitur pertinet Corduba Bætica, quæ a Marco Marcello condita eſt, vt placet Straboni libro tertio . Item & Emerita a Iulio Cæſare condita ex veteranis militibus, quos emeritos appellabat, & ab ipſis Emeritis, emeritam appellauit. Itidem & Hiſpalum quoniam licet illius prima conſtructio ad Herculem pertineat, illius tamen inſtauratio, & amplificatio ad Caium Iulium Cæſarem pertinet, ipſeq; Iuliam Romuleam appellauit, illiuſq; denominationem vulgari idiomate vſq; in hodiernum retinet, vt ab ipſo Iulio Cæſare Ciuilia, id eſt. ciuitas Iulia appelletur. Inde etiam Pampilona, quæ a Pompeio cōdita eſt, dum non longe ab ea pugnaſſet cum Sertorio, & dicta fuit Pompeiopolis, ſcilicet, ciuitas Pompeij, vt voluit Strabo libro tertio de ſitu orbis. Brutus inſuper cognominatus eſt Gallecus, qui quum obtenta Gallecia diutius cum Luſitanis pugnaſſet, illoſq; viciſſet, Toletum vrbem ex natura loci munitiſſimam in præſidium Luſitanorum conſtruxit. Quæ quum ab initio parua fuiſſet vrbs, Gothorum tempore tanta effecta eſt, vt in Metropolim creata ſit ſuppreſſa Metropoli Cartaginenſi, ſub qua erat, vt ex libro Conciliorum conſtat. Ad Romanos etiam pertinet Cæſarauguſta Salduba per antea dicta, vt Plinio placet, ab Auguſto Cæſare condita. Pertinet inſuper ad Romanos Villa Franca Pœnorum, Sardoniumq; oppidum, & Iulium in Ceretanis, quæ omnia non a Romanis prius fundata, ſed vel ampliata, vel inſtaurata fuiſſe conſtat.

De gente Nauarrorum, & vrbe Atanagro, quæ hodie Pampilona dicitur.

SCipio vero capta Tarracona, ibiq; dimiſſo præſidio, claſſe Emporium remiſſa Ilergetem gentem opprimere decreuit. Interim profectus Atanagrum vrbem, quam hodie Pampilonam dicunt, obſidet, quæ caput illius gentis habebatur, dicta eſt autem Pampilona a Pompeio, vt ſupra diximus, poſitaq; obſidione, & infeſto exercitu poſt dies paucos obſidibus imperatis Ilergetes etiam pecunia multatos in ius, deditionemq; recepit. Inde in Auſtranos procedens Tuielam vrbem ad oras Iberi perueniens obſedit. Quumq; Lacetani, qui & Cæſarauguſtani, vicinique ferrent auxilia, nocte non longe ab vrbe, quum intrare vellent, exceptis inſidijs eorum cæſa ſunt duodecim millia, reliquos vero pene o-

pene omnes exutos, per agros diffugere compulerunt. Vrbi tunc maximo adiutorio erat nix iniqua, infeſtaq; oppugnantibus, quæ, quum hyems eſſet, per. xxx. dies, quibus durauit obſidio, pedes alta quatuor extitit. Deinde quum Anniſitus Princeps eorum ad Haſdrubalem confugiſſet oblatis de vrbe. xx. talentis argenti, obſides Tarraconam deducuntur. Hæc in hyeme geſta ſunt anno ab vrbe condita quingentesimo viceſimo octauo. Sequenti vero æſtate dum Hannibal duro bello Romanos in Italia quateret, in Hiſpania terra, mariq; pugnatum eſt. Haſdrubal. xxx. habebat naues, ſiue triremes ſibi ab Hannibale dimiſſas. His autem. xxx. decem adiunxit, quas. xl. Amilchoni commiſit, atq; cum illis Carthaginem profectus exercitum ad maris littora ducebat, paratus pugnare terra, mariq; ad quancunq; partem hoſtis occurriſſet. Gneus Scipio primum terra hoſtem aggredi ſtatuerat, ſed tamen intellecto cum nouis hoſtibus conſultius eſſe, mari pugnandũ ſtatuit, parataq; claſſe quinque & tringinta triremium hoſtem ſequi parat, qui delectis militibus ex omnibus copijs ſuis triremem conſcendit. Primaq; ſtatione deno milliario ab hoſtio Iberi fluminis claſſem duxit, auditoq; claſſem hoſtium ad Iberi oſtia ſtare, duæ Maſſilienſium ſpeculatoriæ triremes a Conſule miſſæ ſunt, quæ retulerunt Carthaginenſium claſſem ad fluminis Iberi oſtia eſſe, caſtraq; in ripa poſita. Vnde viſum eſt, vt incautos, improuidoſq; magno clamore, ſimul & terrore aggrederetur, atq; ſublatis anchoris ad hoſtem vadit. Multas ea Hiſpaniæ pars altas turres habet, quibus & ſpeculas, & propugnacula aduerſus latrones, maximeq; pyratas, habent. Ex quibus primum conſpectis Romanorum nauibus ſignum dederunt Haſdrubali, ortuſq; tumultus maximus eſt, prius in terra, quam in mari nondum vllo pulſu Romanorũ, aut alio nautico ſtrepitu audito, quum nihil minus eo die quam prælium expectarent. Conſcenderunt igitur quam raptiſſime naues, atq; arma capere iuſſit Haſdrubal, caſtrorum milites potius fugæ locum dabant, quam in prælium properabãt, Carthaginenſium adeo omnia præpropere gerebantur, & perturbatione nautica prohibebantur, vt tentata ſit potius, quam inita pugna. Iam ſatis in lato pelago Carthaginenſes terram contingere conati in littus triremes ire coegerunt, ſicq; alij vago, alij ſicco littore excepti, partim armati, & partim inermes ad inſtructam per littus aciem ſuorum confugere conabantur. Duæ tamen fuere naues Carthaginenſium, quæ primo congreſſu captæ ſunt, & ſubmerſæ quatuor. Romani vero quanquã terra hoſtium erat, armatamq; aciem paratam in littore cernebant, inſecuti trepidam claſſem hoſtium præter eas triremes, quę proris in terrã colliſis, aut carinas vadis fixerãt, puppes in altũ extraxere, atq; ex. xxxv. xx. ceperunt, indeque parta victoria Conſul Romanus Carthaginem profectus eſt, atq; omnẽ agrum circunquaq; depopulati tecta vrbi, muroq; coniuncta incenderũt. Inde grandi, ac maxima præda ditati, Conſul cum claſſe Vticam peruenit, quę vrbs nõ multũ a Carthagine diſtat in littore, quod ad fretũ Herculeum pertinet. Ibiq; ſublatis ijs, quę Haſdrubal ad nautica officia parauerat, cęteris vero incenſis, deinde Ebuſum inſulam, quę hodie Iuiza dicitur, nauigauit, ibiq; oppugnata vrbe, quę caput eſt inſulę, quum eam expugnare non valuiſſent, biduo ibi cõmorati cum ſummo labore, ſpeq; fruſtrati ſe in agri depopulationẽ verterũt, direptiſq;, ac incenſis pluribus vicis, multaq; parta prȩda quũ in naues ſe recepiſſent, ex Balearibus inſulis, quæ hodie Maiorica, & Minorica nuncupantur, legati ad Scipionem peruenit unt pacem petentes. Interim flexa retro claſſe multorum populorum, tam citerioris, quam vlterioris Hiſpanię ad Scipionẽ legationes miſſę ſunt, qui vere dominio im-

perioq; Romanorum ſeſe dederunt obſidibus datis. Fuerunt autem populi Hiſpaniæ, qui ea ſtatione ad Romanum venerunt Imperium, amplius quam centum & viginti millia. Conſul vero Romano exercitu ſatis fidens exercitum vſq; ad Caſtulonem, ſeu illius ſaltus perduxit. Fuit enim Caſtulo vrbs amica ſatis populi Romani, quæ in principio vlterioris Hiſpaniæ, ſeu Caſtellæ ſita erat in capite Bætis fluminis, a qua Caſtellæ Rex, vt diximus, nomen & arma habet. Interea Haſdrubal exercitum in Luſitaniam duxit, ac propius Oceanum conſedere fecit, ſperans reliquum æſtatis ibi tranquille tranſigere. Interim, ſicut Hiſpanis mos eſt noua expetere, Mandonius quidam nobilis ex Ilergetarũ gente, quæ, vt diximus, hodie Nauarrenſis dicitur, quum intellexiſſet Romanum Conſulem a ſaltu Caſtulonis ad maritimam oram duxiſſe partem Romanorum ſociorum, quæ pacata erat, & pacifica, eos inuaſit. Cõtra quem, quum a Scipione miſſi fuiſſent tria millia Romani exercitus cum expeditis auxilijs leui certamine deuictus eſt Mandonius, ipſoq;, ac omnibus ſuis occiſis tumultus ſedatus eſt. Huius autem tumultus cauſa fuit, vt Haſdrubal, qui ad Oceanum ſedebat, in ſocios Romanorum caſtra punica ad Hibernica littora retraheret. Cuius aduentus alio vertit bellum, quoniam Celtiberorum Princeps, qui Romanis datis obſidibus ſe dederat, accepto nuncio a Scipione arma capit, qui nouæ Carthaginis prouinciam valido exercitu inuadit, tria oppida expugnat, & cum ipſo Haſdrubale bis pugnantes, & quidem egregie, tria millia hominum occiderunt, quatuor millia etiam vi ceperunt cum multis militaribus ſignis.

Quomodo Publius Scipio Gnei frater Conſul, & Imperator in Hiſpaniam venit, & fratri coniungitur.

SVPRA ſcriptis rebus ſic ſe agentibus Publius Scipio iam Conſul, Imperator conſtituitur, prorogatoq; conſulatu in Hiſpaniam venit miſſus a Senatu triginta ſecum adductis nauibus, & octo millibus militum, magnoq; commeatu rerum. Ea enim claſſis procul viſa a ſocijs in Hiſpania militantibus magna cum lætitia ciuium, ſociorumq; recepta eſt in portu Tarraconæ, ibiq; in terram expoſitis militibus profectus Publius Scipio fratri coniungitur, quorum ab inde communi conſilio bellum gereretur. Occupatis igitur Carthaginenſibus Celtiberi eo bello, tranſacto Ibero, ac nullo penitus viſo hoſte Saguntum pergunt, eoq; ibi traditos ab Hannibale omnes Hiſpaniæ obſides fama erat, modicoq; in arce præſidio cuſtodiri. Erat autem apud Saguntum Boſtar Carthaginenſium Dux, qui quum intellexiſſet Scipiones aduerſus Saguntum caſtra mouere, ipſe ſecus Saguntum caſtra poſuit, medius inter Saguntum, quod, vt diximus, Muriuetus hodie appellatur, & littora maris, ne claſſis Romanorum veniens poſſet vrbem inuadere.

Erat & inſuper Dux quidam Carthaginenſium alias Pœnis fidus natione Hiſpanus Abelox nomine, qui calido potius, quam fidei conſilio Boſtarem aggreditur, dicens ſe durum arbitrari, ſtatuiq; Carthaginenſium, nec modicum periculoſum, ſi vlterius apud eum ſit violenta obſidum detentio, conſultiuſque putare ſe Pœnis, ſi obſides gratia Carthaginenſium patribus remitterentur, qui, cum viri maiores vrbium forent, fortius beneuolentia aduerſus Romanos dimicarent. Quumq; hoc ſatis Boſtare placuiſſet, eum huiuſmodi generε miniſtrum fecit. Præſciuerat enim

Abelox, Scipiones Saguntum verſus veniſſe, quibus per quendam transfugam innotuit, ſe ad maxima quæq;, acceptiſſimaq; Romanis paratum eſſe. Qui quum obſides a cuſtodibus accepiſſet mandato a Boſtare dato, vt eos genitoribus, atq; propinquis redderet, ipſe data notitia Romanis in eorum manus ſe finxit incidiſſe. Vnde, quod facere Boſtar, Carthaginenſeſq; de Hiſpanis obſidibus ſtatuerant, fecere Romani, qui magnam inde populorum Hiſpaniæ captauerunt beneuolentiam. Redditis enim filijs patribus, atq; propinquis Romanorum nomen, quod perantea ferum, crudeleque credebatur, clæmens, ac liberale habitum eſt. Communis itaq; omnium ciuitatum defectio ſecuta a Carthaginenſibus fuiſſet, niſi hyems ſuperueniſſet, quæ Romanos, Carthaginenſeſq;, ne in caſtra prodirent, detinuiſſet. Dum hæc igitur a Scipionibus in Hiſpania agerentur, Hannibal primo a. Q. Fabio magiſtro militum victus eſt. Deinde Hannibal apud Cannas Apuliæ vicum Romanos vſq; ad finalem interitum vicit, adeo, vt ſi victoriam ſecutus fuiſſet, non dubium eſt quin Romanos penitus deleuiſſet, per ea tempora Pholonicus Philopater ſextus Aegyptiorum Rex, qui annis decem & ſeptem regnauit, annis ab orbe condito quatuor milibus nongentis octoginta deceſſit.

Quomodo duo Scipiones, alter terra, alter mari prælia ex concordia geſſerunt.

INterea dum hæc ſic in Italia agerentur, acriter bellum in Hiſpania gerebatur. Sed ad eam vſq; diem magis proſpere pro Romanis, Publius Scipio, & Gneus frater communi concordia decreuerunt, vt exercitibus partitis Gneus terra, Publius mari bella gererent. Haſdrubal Pœnorum Imperator neutri parti terra, mariq; ſatis fidens procul ab hoſtibus ducebat exercitum. Et quum ſæpius, ac ſæpius Carthaginenſibus auxilia poſtulaſſet, tandem quatuor ſibi a Carthagine miſſa ſunt equitum millia, & pedites quantum ſufficerent. Tunc Haſdrubal refecta ſpe propius caſtra mouit, claſſemq; & ipſe inſtrui, parariq; iubet ad inſulam, maritimamq; oram tutandam. Nunquã enim ex illa ora Haſdrubal nautis, nauiumq; prefectis fidem habuerat, qua ad Iberi oram turpiter pugnarunt, vel potius claſſem deſeruerunt: illis tamen plurimum increpatis claſſem de integro inſtaurat, & motis aduerſus hoſtem Romanum caſtris Calbul nobilem Tricenorum Ducem, qui ſe in caſtris valido exercitu detinebat, aggredi ſtatuit. Præmiſſa igitur leui ſuorum comitiua, vt illum poſſet ad prælium concitare, partem etiam ad vehementius excitandum ad agrorum deuaſtationẽ laxauit. Tumultus interim oritur, & per agros fuga ſimul, & cædes fit. Quum interea Tricenorum Dux ad caſtra ſe recepiſſet magna trepidatione, hoſtem Pœnum aggredi ſtatuit, nedum ſe, ab eo tueri. Quumq; Haſdrubal eorum animos deprehendiſſet, copias in altũ locum retrahere curauit, qui clauſus flumine ſatis fortis erat, nec ſe etiam tutum confidens caſtra vallo muniuit. Iterum quum Hiſpani ſæpius Pœnos ad prælium incitaſſent, pari fortuna, ac pauore vtrinq; pugnatum eſt. Quum vero Hiſpanus vidiſſet Pœnos non poſſe ad bellum elicere: Aſchuam vrbem aggreſſus eſt, quam vi cepit, agroſq; hoſtium deuaſtauit. Ea enim ciuitas Aſchua apud fluuium Iberum ſita hodie Aſcho dicitur,

Literæ Carthaginenſium ad Haſdrubalem, vt in Italiam tranſeat relicta Hiſpania.

HIs igitur ſic ſe habentibus a Carthagine ad Haſdrubalem litterę delatæ ſunt, vt primo veris tempore exercitū in Italiam traduceret, quæ res vulgata per Hiſpaniam omnium Hiſpanorum animos ad Romanos conuertit. Ita Haſdrubal ſtatim literas Carthaginem mittit, dicens, & indicans quanto damno profectionis ſuę fama fuiſſet. His addebat, ſi a prouincia diſcederet, Romanorum Hiſpaniam fore, ſeꝗ non habere præſidium, minuſꝗ Ducem, quem præficere prouinciæ poſſet, atꝗ duos eſſe Romanorū Imperatores Scipiones Publium, & Gneum, quibus vix æquis viribus reſiſtere poſſet. Itaꝗ, ſi vllam Hiſpaniæ curā haberēt, orabat, vt ſucceſſorē ſibi cū valido exercitu mitterēt, cui omnia proſpere euenirēt, non tamen opus eſſe eum ocioſum morari in prouincia. Hæ literę quanquā primo aſpectu Carthaginenſium Senatus animos mouiſſent, tamē quia eis de Italia propior cura erat, nihil de Haſdrubale, & copijs eius mutatū eſt. Amilcho ſucceſſor Haſdrubali, & Imperator miſſus eſt in Hiſpaniā valido cum exercitu, claſſeꝗ inſtructa ad retinendā terram, maritimamꝗ oram tutandā, qui cum exercitū, claſſemꝗ in Hiſpaniam traieciſſet castris communitis, & vallo circundatis, nauibuſꝗ ſubductis ipſe cum quibuſdā delectis militibus feſtinanter, & quantū accelerare potuit, per dubios, infeſtoſꝗ populos ad Haſdrubalem peruenit. Quumꝗ decreta Senatus expoſuiſſet, edoctus ab Haſdrubale, quemadmodū bellum in Hiſpania gerendū eſſet, retro in ſua caſtra redijt, arbitratus nihil adeo quam celeritate opus eſſe, ne hoſtes eius reditū præſentirent. Haſdrubal igitur prius quam caſtra moueret, pecuniam omnibus Hiſpaniæ populis imperat, non ignorans quemadmodū Hannibal ipſius frater tranſitū pecunia mercatorū comparaſſet, nec auxilia Gallica aliter quam conducta habuiſſe, inopemꝗ tantū iter ingreſſum, vix ad alpes penetraturum eſſe. Pecunijs igitur raptim exactis ad Iberum flumen deſcendit. Vbi vero decreta Senatus, & Haſdrubalis iter Romanis innotuit, omnibus omiſſis rebus ambo Duces iunctis copijs ire obuiam Haſdrubali cœperunt, vt ei obſiſterent, rati, ſi Hannibali Haſdrubal in Italia iungeretur cum Hiſpano exercitu, finem Romano Imperio fore. His anxij curis exercitus ad Iberum ducunt, & tranſacto flumine quum diu conſultaſſent, an deliberarent caſtra caſtris coniungere, tandem vrbem propinquam flumini, quæ Hibera dicebatur, quam ex illius ſitu quidam Deturſam arbitrantur, obſidere cœperunt. Quod vbi Haſdrubal intellexit, opem ferre vrbi parat, quæ paulo ante in amicitiam Pœnorum venerat, ita cœpta obſidio a Romanis omiſſa eſt, & in ipſum Haſdrubalem verterunt bellum. Quumꝗ quinꝗ milliarium interuallo caſtra poſuiſſent vtrinꝗ ſingulis diebus commiſſis hinc inde prælijs, tandem vno, eodemꝗ die velut ex compoſito vtrinꝗ ſignum pugnæ propoſitum eſt. Triplex eo die fuit Romana acies, peditum pars ante inter ſigna locata, pars poſt ſigna, equites cornua cinxere. Haſdrubal vero mediam aciem Hiſpanis firmat, in cornibus, dextero Pœnos locat, leuo Afros, non longe vtraꝗ acies viribus diſtabat, tum equitum, tum peditum numero, ſed vincendi diſpar Pœnis animus. Romani quidem perſuadebantur pro patria, pro replublica, pro reditu in Italiam pugnare, pro aduerſa Pœnorū parte non ita pertinaces animi erāt, quaſi mallent in Hiſpania vinci, quā in Italia vincere. Primo igiť concurſu cū ſolum pila conjecta eſſent, retulit pedē media acies inferētibus ſeſe mogno impetu Romanis, media Hiſpanorum acies, quæ cum Haſdrubale erat, terrga vertit, & tantum in cornibus prælium committitur, hinc Pœnus, hinc afer vrgent, & ancipiti prælio pugnant, iamꝗ duo

prælia eſſe videbantur, quoniã ſubmotis medijs ad alterutram partium pugnabatur.
Iam Romana acies media Haſdrubalis acie ſubmota ſatis virium habebat ad dimouen-
da Pœnorum cornua, quũ & numero, & viribus potiores hoſtibus forent. Haſdru-
bal vero ad vltimum euentum pugnę monitus ex media cęde ſolum cum paucis aufu-
git. Romani victo Haſdrubale Pœnorum caſtra cepere atq; diripuere. Ea pugna, ſi-
qua dubia in Hiſpania erant, Romanis adiunxit, Haſdrubaliq; non ſolum in Italiam
traducendi exercitum, ſed ne manendi quidem ſatis tuto loco in Hiſpania ſpem reli-
querat. Quæ poſteaquam litteris duorum Scipionum Romę nunciata ſunt, non
tam victoria, quam prohibito in Italiam Haſdrubali tranſitu lętabantur. Poſt prio-
res igitur literas Publij, & Gnei Scipionum, aliæ ſunt delatę literę eorundem ad Se-
natum, nunciantes quales, quantaſq; res geſſiſſent in Hiſpania proſpere, ſed primum
ſtipendia, veſtimentaq;, & frumentum exercitui, & naualibus ſocijs deeſſe. Deinde
poſtquam de publico ærario, & priuata pecunia a populo Romano prouiſum fuit,
conducta omnia magno animo fuerunt. Factum eſt hoc anno ab orbe cõdito quar-
to milleno nongenteſimo octogeſimo primo, & ab vrbe condita quingenteſimo ri-
ceſimo ſecundo. Poſtea vreo anno ſecundo, quum duobus ſequentibus annis pene
nihil memoria dignũ egiſſet Haſdrubal, cum Magone fratre & Amilcharis filio vr-
bem Ilyturgum obſidere cœperunt, quam vrbem Medinam cęli hodie vocitari arbi-
tror. Hanc enim obſidionẽ Haſdrubal, Mago, & Amilcho fecerũt propter defectio-
nem, quam a Carthaginenſibus fecerant ad Romanos. Quum vero ea vrbs frumen-
to maxime indigeret, duo Scipiones inter tria hoſtium caſtra maxima cum anguſtia
commeatum frumenti afferentes ad vrbem peruenerunt, cohortatiq; ſunt ciues, vt eo
animo, quo prius ſe defenderent, etiam mœnia tutarentur. In eo autem tranſitu com-
meatus magnam ſuorum ſtragem, cędem, ac ruinam paſſi ſunt Romani. Quum
vero Carthaginenſes maxima eruptione in duos Scipiones irruiſſent, grauis pugna
commiſſa eſt. Fuerunt enim eo die in Carthaginenſium exercitu vltra ſexaginta mil-
lia hominum. Romanorum vero ſexdecim millia tantum. Eoq; die ex Carthaginenſi-
bus plures occiſi ſunt, quam eſſent Romani numero. Ceperunt & inſuper eo die ex
Carthaginenſibus circiter tria millia equorum, & ſexaginta ſigna militaria, quinq; e-
tiam elephanti mortui, atq; omnibus Carthaginenſium caſtris in direptionem ad-
ductis Ilyturgum ab obſidione liberatum eſt. Hanc Ilyturgi obſidionem fecerunt
Carthaginenſes in odium vrbis, quę Caſtulo dicitur propinqua Ilyturgo, quę, quũ
olim affectiſſima Pœnis eſſet, ab eis tamen defecerat ad Romanos, quorũ pręſidium a
Scipionibus poſitum in Ilyturgo erat, longe maiora hoc anno in Hiſpania geſta ſunt,
quam in Italia. Inde Carthaginẽſes reparatis ſtatim exercitibus, nouis deniq; auxilijs
ab Africa traductis Burgiam vrbem, quę Romanis ſociata fuerat, Carthaginenſes op-
pugnare cœperunt. Quam obſidionem veniens Gneus Scipio ſoluit, ad Mundam
exinde vrbem caſtra punica mota ſunt. Eſt autem Munda vrbs, quam hodie Colym-
briã appellamus, in qua denuo Sextus Pompeius cum Aggrippa Cęſaris Duce pu-
gnauit. Quum vero Romani intellexiſſent, ad Mundam vrbem caſtra mouiſſe, ſta-
tim ſe eo contulerunt, ibiq; collatis ſignis ad bellum ventum eſt, & per quatuor oras
fere pugnatum eſt. Vincentibus Romanis ſignum in exercitu datum eſt, quod Pu-
blius Scipio tragula in femore vulneratus eſſet, pauor ceperat milites, ne vulnus mor-
tiferum eſſet, niſi caſus vulneris Scipionis occurriſſet, caſtra punica eo die capta fuiſ-
ſent, in hocq; prælio dicuntur occiſa ex Carthaginenſibus duodecim millia, & capta

tria millia. Interim Pœni ad Aurigem vrbem receſſerunt, quos, vt territos, non deſeruit ſequi Scipio, quoniã lecticula aducctus iterum cũ Pœnis prælium cœpit, atq; in hac ſecunda pugna circiter ſex hominum millia fuere cæſa, & mille quingenti capti.

His igitur peractis Haſdrubal Magonem fratrem pro reparãdis exercitibus ad conquiſitionem militum miſit, qui quidẽ breui exercitum repleuit militibus, animoſq; ad inſtaurandũ denuo certamen excitauit. Deniq; cõſerto prçlio eodẽ euentu, fortunaq; pugnarũt. In eo enim plusquam octo millia Carthaginenſiũ cçſa ſunt, elephanti octo capti, tres occiſi ſunt. Rebus igitur Romanorum ſic ſe proſpere in Hiſpania habentibus, verecundia cepit Romanos Saguntum vrbem, quæ cauſa belli fuerat, non obſidere, quæ per multos iam annos in hoſtium poteſtate fuerat, itaque ad illud exercitus duxerunt, quod modica vi expulſo præſidio obtinuerunt, indeq; Turditanos, qui Saguntinis parauerant bellũ, vendiderũt, illorumq; vrbem precio inde recepto. Turditani ea gens Hiſpaniç eſt ſecundum Claudium Ptolæmeum, quç a flumine Beti eſt, & vrbe Hiſpali vſq; ad flumen Anam, quod hodie vulgo dicitur Godiana, ibi enim vrbs erat a nomine prouinciç dicta, quæ ob iſtam ipſius vrbis hominũ venditionem deleta dicitur, & prouincia manet. Apud eãdem enim vrbem, & prouinciã Hannibal quum primo a Carthaginenſibus Dux exercitus creatus eſt, dicitur exercitum inſtruxiſſe, vt Saguntũ vrbem populi Romani amiciſſimam oppugnaret. Hæc enim geſta ſunt, anno ab orbe condito quarto milleno nongenteſimo octogeſimo quarto, & ab vrbe condita quingenteſimo triceſimo ſexto.

De morte duorum Scipionum in Hiſpania Publij videlicet, & Gnei.

SEquentibus igitur duobus poſt annis, videlicet anno ab orbe condito quarto milleno nongenteſimo octogeſimo ſexto, & ab vrbe cõdita quingenteſimo triceſimo octauo, quum in çſtatem tenderent tranſactis hyemalibus turbininib9 ambo Romani Imperatores Publius, & Gneus Scipiones duos exercitus cõiunxerunt cõſulte, & decreto cõſilio, vt Haſdrubalẽ, quem cenſebant in Italiam tranſiturum, totis viribus impedirent. Ad hoc credebãt ſatis virium, quũ ad eorum exercitum, & potentias acceſſiſſent viginti millia Celtiberorũ, qui tranſacta hyeme ad arma fuerant cõcitati. Tres enim fuerunt Carthaginenſiũ exercitus, Duces vero duo Haſdrubales, quorũ alter maximus erat Pœnorũ Dux in Hiſpania Amilcharis filius, & frater Hannibalis, alter vero Haſdrubal Giſconis filius, & Mago etiã Amilcharis filius. Hi etiam omnes tres exercitus iungere ſtatuerunt. Haſdrubal Giſconis filius ambos exercitus iam ſimul iunctos habebat, diſtabantq; dierum quinq; itinere ab Romanis, propior ipſis Romanis erat Haſdrubal Amilcharis filius magnus Hiſpaniæ Imperator, qui exercitũ ad vrbẽ Aſtorgum habebat. Eam igit̃ vrbẽ Imperatores Romani maxime obtinere cupiebãt, & Haſdrubalis Amilcharis filij exercitum delere, rati, ſi illum frangere poſſent, facile alterum Haſdrubalem, & Magonem per deuia, & ſaltus fugere compulſuros. Itaq; decreuerant copias in duos exercitus diuidere, vt ſcilicet Publius Scipio duas Romani exercitus partes aſſumeret dimicaturus cũ Magone, & Haſdrubale Giſconis filio. Gneus vero Scipio cũ reliqua tertia parte adiunctis Celtiberis bellum aduerſus Haſdrubalẽ Amilcharis filiũ aſſumeret. Sic igit̃ rebus cõpoſitis Gneus cũ fratre Publio adiũctis Celtiberis pariter omnes cum duobus exercitibus aduerſus

hoſtes itinere arrepto ad Aſtorgium vrbem caſtra poſuerunt ex oppoſito Haſdrubalis eos diuidente vrbe, quibus caſtris firmatis Publius ad decretos hoſtes progreſſus eſt cum duabus exercitus partibus Gneo ibi cum Celtiberis remanente. Haſdrubal vero quum conſpexiſſet imminutum exercitum Romanorum ex diſceſſu Publij, ſolamqꝫ vim exercitus Gnei Scipionis conſiſtere in Celtiberis, quorũ Duces ex diuturno bello, atqꝫ conſuetudine linguæ cognitos habebat, quum totum exercitũ plenum Hiſpanis haberet. Per multiplicata igitur, & occulta colloquia tractare cœpit, vt Celtiberi, illorumqꝫ principes ad patriam decederent, atqꝫ copias inde abducerent magna mercede eis promiſſa: illis vero tum illectis pręmio, tum ob dubiũ euẽtum futuri belli, ſpe etiam remeandi ad propria, ſuoſqꝫ viſendi, non atrox iniuria videbatur, quod non vertendi belli opus videbatur, ſed abſtinendi ad tempus. Hæc res Celtiberis haud dubia facta eſt propter Romanorum metum, quum adeo pauci Romani eſſent in exercitu, vt Celtiberis reſiſtere non valerent. Ex qua re hactenus Romanis reſtat prouerbium, vt nunquam adeo debeant in exteris fidere, quin in ſuis fiant etiam potiores. Signa itaqꝫ mouentibus Celtiberis, mirantibuſqꝫ, inſtantibus, rogantibus, ac contradicentibus Romanis, vt remanerent, nullam aliam cauſam allegarunt, niſi ſe domeſtico bello reuocari. Quum vero Gneus Scipio vidiſſet, nec hortatu, nec vi poſſe Celtiberos compellere, vt remanerent, cum anxietate cogitans quid inde acturus eſſet, quum nec ibi tutus eſſe poſſet, nec etiam fratri ob diſtantiam ſe coniungere nullum aliud conſultius in promptu viſum eſt remedium, quam retro paululum exercitum ducere. Nec minor anxietas, terrorqꝫ fratrem premebat, periculumqꝫ maius ex nouo hoſte. Quoniam interea Maſiniſſa Rex Numidarum eo tempore ſocius Carthaginenſium factus eſt, quem poſtea Romana amicitia fecit clarum. Is quum veniſſet valido Numidarum exercitu, Publius Scipio aduenienti occurrit, qui deinde diebus, ac noctibus Romanis adeo infeſtus erat, vt non ſineret eos longius lignatum, pabulatumqꝫ ire, quoniam ſępe iuuentus inter medias Romanorum ſtationes omnia ingenti tumultu miſcebat. Noctibus quoqꝫ eorũ incurſu repentino in portis, & vallo Romano trepidatum eſt, nec vel locus, vel tempus vllum vacuum a metu, ac ſolicitudine erat, Romanis compulſis intra vallum adempto omnium rerum vſu conſiſtere.

Quum igitur prope eſſet obſidio, eamqꝫ a ratione conciperet, Dux cautus, ac prouidus Scipio victus neceſſitatibus temerarium capit conſilium, vt nocte hoſti obuiam iret, & quocunqꝫ loco occurriſſet, prælium caperet, relicto igitur modico præſidio in caſtris Tito Fonteio legato, media nocte profectus cum hoſtibus obuijs manus conſeruit, agmina magis, quam acies pugnabant, nec tempus noctis, nec hoſtium impetus ordinari acies permittebat. Superiores vero ex tumultuaria turba Romani erant, ſed quum veniſſent a lateribus equites Numidarum, quos repentino incurſſu fefelliſſe Scipio arbitrabatur, ij magnum terrorem Romanis intulerunt. Contracto inſuper nouo certamine aduerſus irruẽtes equites Numidas, ſuperuenerunt etiam noui hoſtes duo Duces Pœnorum a tergo pugnantes, anceps, & dirum cõmittitur prælium.

Quumque tam diutius prælium ad vtranque partem dubie perduraſſet, prouidus, & ſtrenuus Imperator hinc inde prouidebat, vbi maxime videret occurrendum eſſe, interim dum ſtrenue ad alteram commiſſi certaminis partem prælium ageret, latus eius dextrum lancea transfigitur. Quumqꝫ hoſtes, qui in Imperatorem Romanum dimicabant, eundem ex quo labentem proſpexiſſent, alacres, ac magno gaudio exultantes cum clamore per totam aciem nunciauerunt Imperatorem Romanum

eccidiſſe. Quæ vox vulgata paſſim, Carthaginenſes victores, Romanos victos effe
cit. Fugam igitur Romani amiſſo imperarore ſtatim arripere cœperũt, multoq; plu
res ex Romanis in fuga, quam in prælio cæſi ſunt, quoniam velocitate equorum Bar
barorum ſtatim fugientes comprehenſi fuerunt. Nulluſq; eo die Romanorum euaſiſ
ſet, niſi nox occurriſſet. Quum vero Pœnorum Duces victoriam ex hoſtibus cõſpe
xiſſent, eam ocioſam eſſe noluerunt. Statim enim citato gradu exercitum Haſdrubali
Amilcharis filio coniungere decreuerunt, pro indubitato tenentes, ſi illi coniungeren
tur, alterum Romanum Imperatorẽ Gneum Scipionem deleturos eſſe. Nec eos ſpes
fefellit, læti enim ex priore victoria in alterum Imperatorem Romanum vnitum exer
citum ducere parant. Gneus vero quamprimum fratrem occiſum intellexit, auctũq;
exercitum hoſtium, ſuumq; imminutum, & ſocios territos ex amiſſo fratre, nihil con
ſultius eſſe duxit, quam paululum retrocedere, vt interim ad aliquem tutiorem locum
ſe reciperet, quo deliberare valeret, quid ei agendum eſſet. Vnde vna nocte ignoranti
bus hoſtibus exercitum illinc eduxit. Capto igitur aliquantulo itineris antequam re-
ceſſus Imperatoris Romani ad hoſtes perueniſſet, Hiſpani ſtatim cognita fuga præ-
miſſis Numidis, quantum poterant citatis agminibus, ſequi cœperunt, quos ante no
ctem aſſecutos Numidæ nunc a tergo, nunc a lateribus incurſantes Romanos conſi-
ſtere coëgerunt, Gneus vero Scipio Imperator prouide ſuum tutabatur exercitum,
nunc agendo, nunc conſiſtendo expectatis pedeſtribus, vt ſimul omnes iuncti confli
gerent. Quum vero aliquandiu non multum procederetur, & iam inſtaret nox, Sci
pio ſuos e prælio reuocat, & in vnum tumulũ collegit, qui locus non ſatis tutus erat
timore concuſſo exercitu, ſed tamen tutior, quam aliquis ex circunſtantibus. Ibi igitur
impedimẽtis in medium receptis, & peditibus circunſtantibus vix exercitum ab impe-
tu incurſantium Numidarum tutabantur. Poſtquam igitur omnes tres Imperato-
res Pœnorum aduenerunt cum eorum exercitibus, Imperatori Romano viſum eſt
in loco ſine præſidio, & vallo non poſſe tuto conſiſtere, & quum locum accuratius
circunſpexiſſet, minime aptum iudicauit, vt vallo circũdari poſſet. Nam adeo nudus
erat, ac aſperi ſoli, vt nec in eo virgulta eſſent, nec terra effodi, nec vlla opera aptari
poſſet, vt hoſtibus difficilẽ aditũ præberet. Cui nullũ præſentius remediũ fuit, quam
locum ſarcinulis exercitus circundare, vt ipſis obiectis hoſtes non tam facile valerent
inuadere. Quum id factum eſſet, Imperatoreſq; Pœnorum clauſum vidiſſent Ro-
manum exercitum, vociferantes, acclamanteſq;, quaſi capti intra ſarcinulas Romani
tenerentur, inuadere Romanos curant. Et quum magno impetu irruentes hoſtes,
nec illa clauſura, nec defenſione poſſent ab aditu prohibere, multi ex Romanis militi-
bus in ſyluas, quidam in caſtra Publij Scipionis mortui, quibus præerat. T. Fron-
teius legatus confugerunt. Ferunt aliqui ipſum Gneum Scipionem Imperatorem in
primo congreſſu, ac impetu mortuum fuiſſe, quidam vero, eum in propinquam tur-
rim cum paucis effugiſſe, quam circundatam, quum nulla vi poſſent ſuperare, igne
foribus ſuccenſo cum ipſo Imperatore, omnibuſq;, qui intus erant, crematam dicũt.

Sicq; Gneus Scipio Imperator Romanus triceſimo die poſt Publij fratris obitum
interfectus eſt. Luctus ex morte eorum non tantum Romæ, ſed & per totam Hiſpa
niam fuit, lugebant Romani amiſſos Duces, diſſipatum exercitum, & alienatam pro
uinciam. Hiſpani vero ipſos lugebant, deſiderabantq; Duces, Gneum tamen magis,
qui diutius prouinciæ præfuerat, maioremq; ex diutiori mora fauorem populorum
fuerat conſecutus, experimentumq; iuſtitiæ, ac temperãtiæ Romanæ primus Hiſpa-

nis fuerat. His itaqꝫ peractis quū deletꝰ eſſet Romanus exercitus, amiſſæqꝫ Hiſpaniȩ viderentur, vir vnus Lucius Marcius Septimi filius, qui erat Romanus impiger Iuuenis, animiqꝫ, & ingenij aliquanto maioris, quam pro fortuna in qua erat natus, huic ad ſummam indolem acceſſerat Gnei Scipionis diſciplina, ſub quo tot annos militiæ artem edoctus fuerat: qui ex fuga collectis militibus, & quibuſdam ex præſidijs vrbium adductis non contemnendum exercitum fecerat, cōiunxeratqꝫ cum Tito Fronteio Publij Scipionis legato, tantumqꝫ ei omnes Romani equites tribuerunt, vt ad eum ſummam imperij detulerint. Commutatis igitur, & cōmunitis caſtris circa Iberum amnem modico temporis interuallo omni re neceſſaria, victualibuſqꝫ, & commeatibus referta ſunt, adeo omnia per nouum Imperatorem Lucium Marcum tum impigre, tam præſtanti animo exequebantur. Cȩterum poſtquam Romani milites intellexerunt Haſdrubalem Giſconis filiū ad delendas reliquias belli veniſſe, Iberūqꝫ tranſiſſe, appropinquaſſe, ſignum pugnæ datum eſſe, recordati quos prius Imperatores habuiſſent, quibuſque Ducibus, & copijs freti prodire in campum ad pugnam ſoliti eſſent, flere omnes repente, offenſareqꝫ capita cœperunt, & alij manus in cȩlum tendentes, & Deos incuſantes, alij ſtrati humo ſuum quiſqꝫ Ducem inuocātes erant, nec celari poterat lamentatio, excitantibus tamen centurionibus, & increpāte Martio porrectis manibus, quod in muliebres, & inutiles ſe proieciſſent fletus potius quā ad tutandos ſemetipſos, ac rem publicā hortarent, vt ſecum accuerent animos, & ne inultos Imperatores ſuos ſinerent iacere. His verbis aliquantulum excitati, quum repente clamor, tubarumqꝫ ſonitus audirentur, iam enim hoſtes prope vallū erant, omnes a luctu ad arma diſcurrunt, & in hoſtem negligenter, & incompoſite venientem occurrunt. Quæ res improuiſa primo aſpectu terrorem intulit Pœnis, admirātes, vnde tot hoſtes deleto paulo ante exercitu tunc occurriſſent. Vndeqꝫ tanta audacia, vt duobus victis Imperatoribus in bellum ire præſumerent, percunctantibuſqꝫ quis caſtris præeſſet, exercitumqꝫ duceret, quis pugnȩ ſignum dediſſet, omnia admirationi erant. Deinde facta in eos valida impreſſione retro fugam capere Pœni cœperūt, & magna eo die fuiſſet cædes fugientium, niſi Marcius incurſantes ſuos repreſſiſſet, concitatamqꝫ aciem ad prima ſigna ſe opponens cædis, ac ſanguinis auidam ad caſtra retraxiſſet. Carthaginenſes, vt diximus, primo aſpectu trepidantes vallo ſe munierūt.

Quumqꝫ vidiſſent Romanos ſubſtitiſſe metu id feciſſe arbitrati, lento gradu in caſtra redeunt, contemptuiqꝫ Romanos habentes grandis illis negligentia in cuſtodiendis caſtris erat, quoniam & ſi vicinos hoſtes ſciebant, occurrebat tamen illis eſſe reliquias duorum exercituum ante paucos dies deletorum. Quum ergo omnia apud Pœnos neglecta eſſent, exploratis his Lucius Marcius ad conſilium magis temerarium, quam audax animum adiecit, vt ſcilicet caſtra hoſtium inuaderet, conſultius arbitratus vnius Haſdrubalis aggredi caſtra, quā ſi ſe omnes tres exercitus, ac Duces iunxiſſent, in ſua illorum expectare oppugnatione. Ne tamen ſubita res militum animos turbaret, alloquendos milites ſtatuit, & adiuuata concione declarat, quid faciendum ſit, hortans, vt conſtanti animo pugnent, neqꝫ etiam ſi difficillimum videatur, paueant, quum rem facillimam commoditate captata aggrediantur. Statuit enim eis tertiam vigiliam noctis, in qua exploratum habere dicebat, nullum vigiliarum ordinem in caſtris hoſtium eſſe, ſtationes deniqꝫ, ac cuſtodias non viſas fuiſſe. Quum igitur ora adueniſſet, primo impetu caſtra hoſtium cepit. Tum in omnes paſſim graſſatur mucro, qui ſemiſomnes, trepidiqꝫ ob inopinatum tumultum, & inermes trucidaban-

tur. Erant vltra eos proxima Pœnorum caſtra diſtantia interuallo ſex milliarium.

Itaq; Lucius Marcius ſilenti agmine proximos hoſtes aggreditur, quum nullæ in caſtris portæ, neq; in vallo cuſtodiæ forent, in quæ, velut in ſua caſtra, nullo vſquam obſiſtente penetrauit, inde tubę canunt, ſigna prodeunt, rumor tollitur, & clamor. ¶ Pars Romanorum ſemiſomnos hoſtes cędunt, pars portas occupat, pars ignem ſuccendit, pars obruit tecta, vt fugam aggreſſis intercludant, ignis, clamor, cædes velut alienatos ſenſibus hoſtes reddebant, incidunt inermes inter cateruas armatorum, alij ruunt ad portas, alij interceptis itineribus ſuperſaliunt vallum, &, vt quiſq; euadere poterat, ad alia ſociorum caſtra fugiebat, inter quæ Romani cohortem in medijs ſyluis ſtatuerant, quæ fugientibus præcludere viam poſſet. Quũ igitur aliqui a trucidatis caſtris euadere crederent, ad alia caſtra fugientes intercipiebantur a cohorte media Romanorum, a qua cæſi ad vnum omnes ſunt, ſi qui tamen euaſerũt in ipſa proxima caſtra, non prius ab eis renunciari potuit ſociorum cædes, quam priori exercitu cęſo Romani milites adeſſent, qui feroces ex nocturna victoria facti, quum eis in caſtrorum portis obſiſtere non valerent, graue, atrox q; intra portas ineunt pręliũ. Quũq; Pœni cladẽ alterius exercitus intellexiſſent, terrore verſi ſunt in fugã, itaq; die, ac nocte Pœnorũ caſtra expugnata ſunt ductu Lucij Marcij, ex quibus ſeptẽ & triginta millia hominũ cæſa ſunt ſecundũ Claudium, qui annales Acciales de Gręco in Latinum vertit. Capti vero mille octingenti ac triginta pręda ingenti parta, in qua non abfuit clipeus argẽteus Haſdrubalis librarũ centum ac triginta, in quo deſuper imago Barchini ferebatũ, ob quã cauſam Haſdrubal Barchini ab autoribus appellatus eſt.

Magnum deinde Lucij Marcij nomẽ fuit, eius inſuper victoriæ quidã addũt ex eius capite flammam igneã emicuiſſe, qua hoſtes delebat. Tantũ Romę de eius victorijs exultatũ eſt, vt in tẽplo Iouis eius ſtatua locata fuerit cũ imagine Haſdrubalis, tãtusq; ignis pro lętia accenſus eſt, vt pene capitoliũ cõflagratũ ſit. Poſt hęc vero res aliquãto tẽpore pacifice in Hiſpania fuerũt. Dum hęc tamen in Hiſpania geruntẽ, omnis belli cura a Romanis verſa eſt in obſidionẽ Capuę in Italia, quę iam ante diutius ab Hannibale tenebatur, quam, quum Romani fortiter oppugnarent, Hannibal ad eam obſidione liberandam occurrit, quam tamen quum non poſſet liberare, vrbem Romam obſidere decreuit. Ad eam igitur veniens caſtra firmauit ad tertium milliare apud amnem Amenem. Fuluius Flaccus Imperator Romanus inter Collinam, & Exquilinam portam extra vrbem caſtra poſuit, Caium Calphurnium prætorium capitolio Conſules præfecerunt, & arci Senatũ frequenter in foro contineri ordinarunt, vt ſi in tam dubijs rebus aliquid occurriſſet, prouideretur. Altero vero die poſtquam Hannibal ad eum locum caſtra firmaſſet, cum duobus militibus equitũ a porta Collina vſq; ad Herculis templum diſcurrit propius, quæ potuit mœnia explorando.

Quod Fuluius Flaccus, vbi vidit adeo licenter Hannibalem hoc facere, indignum exiſtimans, iuſſit equitatum ſubmoueri, & in caſtra hoſtium exerceri. Ad pugnam igitur venientes illo, & altero die pluuia immixta grandine vtrumque exercitum ſemel, & ſecundo diremit, ita, vt alteruter in propria caſtra compulſus ſit remeare.

Quam rem Hannibal ad miraculum capiens credidit Romam ex eo aduentu ſibi nullatenus deberi, vt ab ipſo vinceretur. Sic poſt paucos dies abire ſtatuit, ſpoliatoq; templo Feronię, quod multis ditatũ donis, auro, argẽtoq; erat, diſceſſit, per Reatem q; in Samnium profectus eſt. Interim Capua capitur a Romanis.

Caius Nero a Senatu Imperator in Hiſpaniam mittitur.

ORdinatis igitur, quæ ad vrbis Capuæ tuitionem pertinebant, Romani patres cum Senatu Caium Neronem, qui ad Capuam vrbem militauerat, cum duabus peditum legionibus, quas Capuæ habuerat, & equitibus, adiunctis ſibi totidem peditibus, ac equitibus octingentis, quos ipſe legiſſet Latini nominis, Puteolos miſerunt, vt inde in Hiſpaniam nauibus tranſiret. Qui, vt Puteolos exercitum adduxit, naues exercitum conſcendere iubet, indeꝗ traiecit in Hiſpaniam, ad Iberumꝗ fluuium venit, atꝗ exinde cum Lucio Martio ac Tito Frontonio coniunctus eſt, ſtatimꝗ properauit ad hoſtes ire. Haſdrubal Amilcharis filius interea ad Lapides Atros caſtra habebat in Auſitanis. Is enim locus eſt inter oppida Ilyturgum, quod Medina cœli ex illius ſitu hodie appellari arbitror. Emenſus alios montes iam huius ſaltus Nero fauces occupauerat. Quam rem quum proſpectaſſet Haſdrubal, legatum mittit ad Neronem, dicens: ſi ſecum colloqui vellet, omnem ſuum exercitum ex Hiſpania educturum. Quam rem cũ læte ſuſcepiſſet Claudius Nero, colloquium ad poſterum diem cum Haſdrubale petiuit, vt Romæ leges componerẽtur de tradendis arcibus, vrbibuſꝗ, dieꝗ ſtatuenda, ad quam præſidia deducerentur, omniaꝗ ſua Pœni ſine fraude aſportarent. Hoc enim Haſdrubal egiſſe probatẽ, dubitãs, ne reſtringeretur in arcto, excogitans ſi quomodo hoſtem fallere poſſet, vt inde exercitum educeret. Quod colloquium quum a Nerone non minus libenter, quam auide expectaretur, Haſdrubal interim exercitum nocte parat educere, Primumꝗ, quod in exercitu grauiſſimum erat, prima noctis hora iubet e caſtris educi, dataꝗ opera eſt, vt pauci ſimul, vt hoſtẽ ſilentio aptius fallerent, egrederentẽ. Nam euadendũ per arctas, ac difficiles vias erat. Quum vero iam maior pedeſtrium pars ex ſaltu euaſiſſet, iamꝗ ſide decreſcente, non ſine maximo metu ſtari poſſet, prima luce omnem aciem ſimul cum elephantibus educit. Ea hora nebula denſa omnem agrum, monteſque texerat, quod videns Haſdrubal, nuncium mittit ad Neronem orans vt in alterũ diem differat colloquium, aſſerenſꝗ illum diem religioſum Carthaginenſibus, ac feriatum eſſe.

Exacta deinde hora diei quarta nebula abeunte, & claritate diei facta, fraus detecta eſt. Tunc enim Haſdrubal inſtructa acie, omnibuſꝗ elephantis tutus extra ſaltus anguſtias per campos apparuit. Quum vero Nero clareſcente die Punicam fraudem agnouiſſet, proficiſcentem hoſtem inſequitur, acieꝗ inſtructa ad pugnam cogebat. Sed Haſdrubal detrectabat pugnam, leuia tamen conferebantur prælia per Romanos, & extremam Punicam aciem. Inter hæc Hiſpaniæ populi, qui poſt cladem Scipionum a Romanis defecerãt, nec redibant ad Romanos, nec vlli deficiebant.

Publius Cornelius Scipio filius alterius Publij annos natus. XXIIII. creatur Conſul, & in Hiſpaniam mittitur.

CApta igitur Capua in Italia a Romanis anno ab orbe cõdito: MMMM. DCCC. LXXXVII. ab vrbe vero condita. D. XXX. VIII. iam miſſo in Hiſpaniã Nerone, eodẽ anno Senat⁹ Romanus decreuit, vt exercitus augerentẽ, Imperatorꝗ item alius in Hiſpaniam mitteretur. Non tamen, quẽ mitterent, idoneum aliquẽ cenſebant, animo voluẽtes, ꝗ duo adeo inſignes Imperatores intra dies. XXX. ceci

derãt, quorum loco deligendus Imperator ſubſtitueretur. Quumq; alij alios nominarent poſtremo decurſum eſt, vt populus ſuper Imperatore creando, qui in Hiſpaniam iret, comitium haberet. Dicitur autem comitiũ congregatio, in qua omnes magiſtratus,& Romanus populus deſcendebant in campum Martiũ Romæ pro creandis Imperatoribus,& reliquis magiſtratibus. Statutoq; die ad comitiũ interim conſultant, quẽ dignum Imperio tanto arbitrarentur. Quumq; deſtituta expectatio videretur, neminem idoneum inueniendo,redintegratus eſt luctus acceptę cladis,deſideriumque amiſſorum Imperatorum. Qua ex re mœſta ciuitas erat, inopſq; conſilij videbatur. Die tamen ſtatuta omnes in campum conueniunt. Tum magiſtratus verſi circunſpectant ora Primatum, ac ipſius populi, illiq; illos intuentes dolent, fremuntq;, adeo perditas res videri, deſperatumq; de republica eſſe, vt nemo, vel non inueniãtur, vel non audeat imperium in Hiſpanos capere. Tunc ſtatim Publius Cornelius Scipio alterius Publij Scipionis, qui in Hiſpania occubuerat, filius adoleſcens quatuor & viginti annos natus, in alto eminentiq; loco, vt videri, proſpiciq; ab omnibus poſſet, conſiſtens, Imperium aduerſus Hiſpanos petijt. In quem omnium ora, vultuſq; conuerſi cum maximo aſſenſu, totiuſq; comicij fauore proclamatur dignus eo Imperio, vt in Hiſpaniam mitteretur. Cæterum poſt rem actam dum ardor, animorumq; impetus quieuiſſet, ſilentiũ ſtatim,& tacita cogitatio ſuborta eſt, conſiderantes quidnam feciſſent, pœnitebatque eos, quod plus valuiſſet fauor, quam ratio ætatis.

Quin etiam fortunam domus horrebant, ac Scipionum nomen. Scipio vero ad rem tantam delectus ita de ætate ſua, Imperioq; mandato, quomodoq; bellum gerendum eſſet magno elatoq; animo diſſeruit, vt ardentiſſimum omnium in ſe amorem excitaret, certoſq; redderet omnes conſiderantes de futura victoria. Fuit autem Scipio non tantum veris ſuis virtutibus mirabilis, ſed arte quoq; quadam adiutus, & in oſtentationem earum compoſitus, ita vt multitudinis quadã ſuperſtitione de ipſo capta mentes occupaſſet. Poſtquam enim togam virilem ſuſceperat nullo vnquam die vllam rem aut publicam,aut priuatam egit,quin in Capitoliũ iret, ingreſſuſq; penitiorem templi locum quaſi cum Dijs conſultaturus, ſolus diutiuſcule manebat, ita, vt ſtirpis diuinæ eum fuiſſe fama retulerit. Multa alia euſdem generis, alia vera, alia ſimulata admirationis humanæ in eo iuuene exceſſerant modũ. Ad has itaq; copias, quas Claudius Nero a Puteolis traiecerat,decem millia peditũ,& equites plurimi adduntur, & Marcus Iunius Sillanus prætor adiutor ad res gerendas datus eſt. Ita cum.XXX.nauium id eſt,quinqueremium claſſe a Tyberis oſtio ſoluens per mare Tuſcum, ſinumq; Gallicum Emporias peruenit, ibiq; deſcendens nauibus iuſſis ſequi terreſtri itinere Tarraconam vrbem petijt. Audita igitur fama ſui aduentus legati ad eum ex omni prouincia concurrerunt. Naues in Tarraconæ portu conſiſtere iuſſit,remiſſis quatuor triremibus Maſſilienſiũ, quę cauſa officij Scipionẽ ſecutę fuerant. Tum reſponſa legationibus dare cœpit, ſuſpenſa tamẽ ſuſpenſis prouiſionibus varietate tot caſuũ,ita elato animo ab ingenti virtutũ ſuarũ fiducia, vt tamen nullũ ferox verbũ excideret, ingenſq; omnibus,quę diceret, cũ maieſtas ineſſet, tũ fides. Profectus a Tarracone ad Iberi oſtia exercitũ duxit, vbi Nero, & Titus Frontonius exercitũ habebãt, ibi ꝓ collaudauit milites,ꝙ a duabꝰ tantis cladibus perpeſſis deinde prouinciã obtinuiſſẽt, neq; paſſi eſſent hoſtes fructus habere fœcundarũ rerũ, atq; ipſos hoſtes coercuiſſent ab omni agro cis Iberũ, ſocioſq; Romanorũ cũ fide tutati eſſent. Lucium vero Martiũ ſecum cũ tanto honore habebat, vt facile appareret nihil magis

vereri, quã ne quis obſtaret gloriæ illius. Succeſſit inde Sillanus Neroni. Deducto itaqꝫ nouo exercitu ad Iberum amnem, vt alteri exercitui iungeretur, compoſitis ordinatiſqꝫ rebus Scipio Tarraconam redijt, qui ob quandam futuri diuinationem non minori fama apud hoſtes fuit, quam apud ciues, ſocioſqꝫ ſuos, cuius diuinationis ratio reddi nullatenus poterat. Erat per idem tempus iam yemis principiũ, antequam obſideretur Capua, & Scipio in Hiſpaniam mitteret, in hac hyeme Romanus exercitus cis Iberũ hibernauit, Scipio vero Tarraconæ, Haſdrubal Amulcharis filius apud Saguntum, oraſqꝫ Iberi vltra amnem, alter Haſdrubal Giſconis filius ad Oceanum, & Gades, Mago vero apud Mediterranea, circa Saltus Caſtulonis cum ſuis exercitibus hibernauerunt.

Dira, & maxima prodigia.

EOdem anno multa prodigia viſa, nunciataqꝫ ſunt Romæ. Nam in vrbe Roma Idolum Victorię in culmine tẽpli Concordię locatum fulmine percuſſum corruit, omniaqꝫ victorię ſigna quę ante Idolum pendebant, a fulmine ſuccenſa ſunt. Idemqꝫ fulmen Ananiam percutiens muros ac portas vrbis arſit, in foro inſuper Subertano ſanguinis riuulos per diẽ fluxiſſe ferunt, & lapides immixtos grãdini pluiſſe in Reate vrbe, mulamqꝫ peperiſſe. Quæ prodigia Romani plurimum metuentes hoſtijs placare Deos ſtatuerunt, & multiplicatis ſacrificijs per nouem dies hoſtias immolarunt.

Captio nouæ Carthaginis in Hiſpania a Scipione.

SEquenti igit vere videlicet ab orbe condito. MMMM. DCCCC. LXXXVIII. & ab vrbe condita quingenteſimo. XXXVIIII. Quũ iam ver eſſet, præfectos militũ, qui in claſſe apud Tarraconã hyemabant, acceſſit, illiſqꝫ edixit, vt cum omni claſſe onerarijſqꝫ nauibus ad amnem Iberum trãjcerent. Ipſe vero terreſtri itinere cum quinqꝫ millibus ſociorum in exercitũ profectus eſt ad Iberũ amnem. Vbi quum iunxiſſet omnes exercitus, ac Romanas legiones, conuocata contione milites alloqui ſtatuit, præcipueqꝫ eos, qui tantis ſuperfuerant cladibus. Quos omnes ad oppugnandam nouã Carthaginam excitat, bonoqꝫ animo ac magna ſpe eſſe iubet. Quumqꝫ omnes vna voce id faciendũ conclamarent, eos Carthaginẽ duxit. Quo viſo Mago dux Pœnorum, qui ad præſidium vrbis erat, ſtatuit cum Scipione inire certamen ſi vrbem aggredi auderet, quã militibus ordinans, duo millia oppidanorum ex aduerſo, vbi caſtra Romana erant, oppoſuit, vt eis ad eam vrbis partẽ reſiſti valeret. Quingentos inſuper milites in arce conſtituit, alios itẽ quingentos diſpoſuit ad quendam tumulum, qui ad partem Orientis in ea vrbe loco eminenti fortiſſimus erat, reliquã vero multitudinem inſtruit, vt vndiqꝫ occurrat, hoſtiqꝫ reſiſtat. Patefactaqꝫ porta vrbis eos, quos ordinauerat in via ad Romanorũ caſtra mittit. Romani Duce ſuo pręcipiente parumper ceſſere, vt propiores ſubſidijs in certamine ſubmittẽdis eſſent. Tum Imperator Romanus dato ſigno copias immittit, quæ facto impetu in oppidanos eos vſqꝫ in vrbẽ propulerũt, adeo, vt niſi ipſe Imperator eis cõſiſtendi ſignũ dediſſet, commixtę oppidanis in vrbem confugiẽtibus irrupiſſent. Magna trepidatio tum Carthaginenſibus militibus, tum etiam toti vrbi fit, multæqꝫ ſtationes a militibus deſeruntur. Scipio vero circunſpecto, quod erat in vrbe locus, cui ob fortitudinẽ nul-

lum aderat præſidiū occupatis omnibus ad ferendam opem militibus ad ciuitatis por-
tam confligentibus, cui loco ſtagnum ſuberat. Ad eam igitur partem ſcalis admotis
paucos quoſdam milites conſcendere iubet, quibus conſcenſis ſine vllo certamine, ob-
ſtaculoq; quanto potuerant curſu ad eam portā conceſſerunt, circa quā omne contra-
ctum certamen erat, adeo fuerunt omniū non ſolum oculi, ſed etiam animi intenti ad
prelīū, vt non prius intelligerent a tergo captā vrbem, quā porta interius, exteriuſq;
infringeretur, ad quā Romani impetū facientes ea dirupta in vrbē irruunt, in forumq;
acie inſtructa prodeūtes magnam hominū cædem faciebant. Deinde quū hoſtes alij
in tumulum ſe reciperent, alij in arcem confugerent, in qua ipſe Mago erat cum omni
bus armatis, qui e muris expulſi fuerant, ipſe Scipio partem militum ad oppugnan-
dum tumulū, partem ad oppugnandū arcem mittit. Tumulus primo congreſſu ca-
ptus eſt. Mago vero qui arcē conabatur defendere, quū vidiſſet omnia hoſtib⁹ plena,
nec in arcis præſidio ſatis fideret, ſe, arcem, & præſidium dedit. Quum vero arx
data eſt, cædem maximam per totam vrbem facta eſt, nulli etiam puberum, qui ob-
uiam repertus ſit, parcitum eſt. tum ſigno dato, vt a cędibus abſtinerent, ad prædam
victores verſi ſunt, quæ ingens omnis generis fuit. Liberorum capitum virilis ſexus
decem millia capta ſunt. Inde qui ciues erant nouæ Cartaginis dimiſit, vrbemq; re-
liquam, quæ illis bellum fecerat, reſtituit. Opifices ad duo millia hominum erant, eos
populi Ramani fore cum propinqua ſpe libertatis fecit, ſi enixe ad miniſteria belli
darent operam. Cæteram multitudinem incolarum iuuenum, ac validorum ſeruo-
rum in claſſem ad ſupplementum remigum mittit. Ex his captiuis auxerat octo
quinqueremibus claſſem. Extra hanc multitudinem Hiſpanorum obſides erant,
quorum perinde cura ſuſcepta eſt, ac ſi liberi, vel ſocij eſſent. Captus eſt & ibi appa-
ratus belli maximus. Machinæ ferme. CC. XX. minores. CC. XCI. baliſtæ ma
iores XXIII. minores. LIII. Scorpiones minorumq; armorum, ac telorum infi-
nitus numerus. Signa militaria. LXXIIII. auri, & argenti relata ad Imperatorem
magna vis. Patinæ aureæ. CC. LXXVI. ſingulæ ponderis fere vnius libræ, ar-
genteæ vero decē & octo millia, &. CCC. Valorū argenteorū infinitus numerus.
Hęc omnia Caio Flaminio quæſtori aſſignata, numerataq; fuerūt tritici modia qua
draginta millia. Hordei. C. LXX. millia, & naues onerariæ. LXIII. in portu ex-
pugnatæ, captæq; cum ſuis oneribus frumento, armis, ære, ferro, lintheis, & ſparto,
aliaq; nauali materia ad claſſem ædificandam. Eo die Scipio. C. Lelio cum ſocijs
naualibus vrbem cuſtodire iuſſit, ipſeq; in caſtra milites, ac legiones adduxit. Poſte
ro vero die cōmilitonibus, naualibuſq; ſocijs conuocatis primum Dijs immortalibus
laudes, & gratias egit, qui ſe non vrbis ſolū opulentiſſimę omniū in Hiſpania vno die
compotē feciſſēt, ſed quod ante ipſum cōgeſſiſſent omnes Africę, & Hiſpanię opes, ne
hoſtibus aliquid relinqueretur, ac ſibi, & ſuis omnia ſupereſſent. Militū deinde virtu-
tem collaudauit, quod eos non eruptus hoſtiū, non altitudo mœniū, non explorata ſta
gni vada, non caſtellū in alto tumulo ſitū, non munitiſſima arx deterruiſſet, quo mi-
nus tranſcenderēt omnia proru̅perentq;. Itaq; omnes laudans, omnibus ſe debere di-
cebat, pręterea muralis coronæ decus eius eſſe, qui primus murū aſcendiſſet. Deinde
Scipio pronunciauit ſe ſatis compertum habere Quintum Tyberilium, & Sexdigi-
tium pariter in murum aſcendiſſe, ſeque eos virtutis cauſa coronis muralibus donare,
tum reliquos, prout cuiuſq; meritum virtutis erat, donauit. Poſtremo Scipio voca-
tis obſidibus Hiſpaniarum, vniuerſos bono animo eſſe iuſſit, dicēs ipſos veniſſe in po-

puli romani poteſtatē, qui beneficio potius, quā metu obligare homines malit, exteraſq; gentes fide,ac ſocietate vinctas habere, quā triſti ſeruicio ſubiectas. deinde acceptis nominibus ciuitatū recenſuit captiuos,nunciosq; ad eaſdē ciuitates miſit, vt ad ſuos vnuſquiſq; recipiēdos veniret. Si quarū forte ciuitatū legati pręſentes erant, ſuos cuiq; reſtituit. Curā vero aliorum benigne tuendorū. C. Flaminio quæſtori dedit. Inter hanc mediā turbā obſidū mulier magni generis,quę Mandonij vxor erat fratris Illergetæ Principis,flens ad pedes Imperatoris procedit,ſupplicare, ac obteſtari cœpit,vt curam cultumq; fœminarū impenſius cuſtodibus cōmendaret. Cum vero Scipio nihil defuturū præfecto diceret,tunc rurſus mulier inquit, quid enim huic, cui nos commiſiſti,non ſatis eſt fortuna,ætate enim, & forma florens eſt, & extra periculū mulierum ætas eum ſtimulat. Ipſi autē omnes obſides nobilitate clari eam vti parentē colebant, venerabanturq;. Tum Scipio, meę,populiq; Romani diſciplinę cauſa facerē, inquit, ne quid,quod Sanctum vſquā eſſet,apud vos violaretur. Nunc, vt curem id impenſius,veſtra quoq; virtus, dignitaſq; facit, quę nec in malis quidē oblitę decoris matronalis eſtis: ſpectatæ deinde integritatis viro tradidit eas, tueriq; non ſecus verecunde, ac modeſte iuſſit, quā hoſpitum coniuges,aut matres. Captiua deinde a militibus ducitur ad eum adulta virgo adeo eximia forma, vt quacūq; parte ſe verteret, omniū ad eam conuerteret oculos. Scipio percunctatus patriā, parenteſq; inter cętera accepit de ſponſatā eam Principi Celtiberorū adoleſcenti, cui Lucio nomen erat. Hęc a Scipione honeſtiſſime pudiciſſimeq; ſeruata eſt. Interim vocato ſpōſo, parētibuſq; per dies, cum interim audiret ſpōſum deperire ſponſę amore,vbi primū venit,accuratiore eum ſermone priuſquā parentes alloquitur:Iuuenis,inquit,cū ſim,appellor Iunior,ſic inter nos huius ſermonis verecundia. Ego cū ſponſa a militibus noſtris ad me deducta eſſet, audiremq; eam tibi cordi eſſe, & forma faceret fidē, voluiſſem pro ętate mea ſecū luſiſſe lęto, legitimoq; amore, niſi cura reip. meum animū occupaſſet. Nunc autē eam tibi ſponſo amanti impenſius conſeruaui. Fuit enim ſponſa tua apud me eadem, qua apud ſoceros tuos,parenteſq; ſuos verecundia,atq; ſeruata eſt tibi,vt inuiolatum,& dignum me teq;, dari tibi donū poſſet, hanc mercedē vnam pro eo munere paciſcor, vt amicus populi Romani ſis. Et ſi me virum bonum credis quales patrē, patruumq; meum,ſcias multos noſtri ſimiles in ciuitate Romana eſſe, nec vllum in terris populū hodie dici poſſe, qui tibi, tuiſq; minus hoſtis eſſe velit, aut amicus malit. Adoleſcens vero ſimul pudore,gaudioq; percuſſus dexterā Scipionis tenens Deos omnes inuocare cœpit ad gratiā illi pro ſe referendā, ad quā iam ſibi neq; ſatis facultatis pro ſuo animo,atq; illius erga ſe eſſet. Parentes inde cognatiq; virginis appellati, quoniā gratis ſibi redderetur virgo,ad quā redimendā ſatis magnū attuliſſent auri pondus, orare Scipionem cœperunt, vt id a ſe donū acciperet, neq; ob id minorem a ſe ſuſceptā gratiam arbitraretur. Scipio,quoniam tantopere peterent,accepturū ſe pollicitus,auri pondus poni ante pedes iuſſit, Vocatoq; Lucio ſuper dotem, inquit, quā accepturus a ſocero es, hæc tibi a me dotalia dona accedant, aurūq; inde tollere,ac ſibi habere iuſſit. His lætus donis, honoribuſque dimiſſus domum impleuit laudibus popularibus Scipionis. Et congregato,delectoq; maximo comitatu,ne ingratus Scipioni tanti beneficij fieret,cum mille & quadringentis equitibus intra paucos dies ad Scipionem venit. Interim Scipio Lelium, poſtquam captiuos, obſideſque, ac prædam ex conſilio eius diſpoſuerat, omnibus ſatis compoſitis ei data quinquereme cum captiuis, Magone, quindecimque Senatoribus Carthaginenſibus nuncium victoriæ Romam mittit,

Ipſe paucos dies, quibus morari in noua Carthagine ſtatuerat exercendis naualibus,
pedeſtribuſcꝫ copijs abſumpſit, ne otioſe vacarent. Primo enim die legiones ſpatiũm
quatuor millium decurrerunt, ne otioſis, dum in armis eſſent, anhelitus deficeret.
Secundo vero die arma curare, & tergere ante tentoria iuſſit. Tertio die rudibus
inter ſe in modum ruſticæ pugnæ concurrerunt, conglobaticꝫ iaculati ſunt. Quar-
to die quies data eſt. Quinto inſuper die iterum in armis decurſum eſt, hunc ordi-
nem laboris, quietiſcꝫ quandiu apud Carthaginẽ morati ſunt, ſeruauerunt. Remi
gium etiam claſſis. ac ciues in altum euecti agilitatẽ nauium ſimulacris naualibus pu-
gna experiebantur. Hæc extra vrbem terra, maricꝫ, corpora ſimul, animoſcꝫ ad bel-
lum acuebant. Res ipſa publica ſtrepebat apparatu belli fabris omnium generum in
publica officina incluſis. Data cuncta pari cura ſubibat, nunc operibus aſpiciẽdis tem
pus dabat, quæ in officijs, quæ in armamentario, quæ in naualibus ſociorum fabro-
rum multitudo plurima in ſingulos dies certatim faciebant, conſiderans. Vrbis itacꝫ
inchoatis, refectiſcꝫ muris, diſpoſitiſcꝫ præſidijs Tarraconam profectus eſt. Cui mul
tæ etiã in via legationes occurrerunt, quas partim ex itinere dato reſponſo remiſit, par
tim diſtulit in Tarraconã vrbem, ad quam omnibus ſuis veteribus ſocijs edixerat con
uentum, cunctícꝫ, qui cis Iberum erant, multicꝫ ex vlteriori Hiſpania ad eum conuene
runt. Iterim de induſtria Carthaginenſiũ Duces famam captæ nouę Carthaginis con
preſſerunt. Tandemcꝫ quum vulgari cepiſſet, aiebant, nec tanti momenti eſſe ipſis ca
ptam vrbem vnã in Hiſpania ab adoleſcente in experto vna die furtiue, & non vi op-
pugnatam, ipſi vero tacite conſiderabant, quanti eſſet nouam Carthaginem in Hiſpa-
nia amiſiſſe. Facto igitur conuentu Hiſpanorũ Tarraconæ a Scipione tota illa æſtas
conſumpta eſt ad reconciliandos Hiſpanorum animos, partim donis, partim remiſſio
ne obſidum, captiuorumcꝫ ſolutione. Clarus inter Hiſpanorũ Duces ad Scipionem
venit Idibilis, Mandoniuſque, erat enim coniux, libericꝫ eius apud Romanos, ſed
præter eam cauſam etiam fuit fortunata inclinatio animorũ, quæ Hiſpaniam omnem
a punico Imperio auertens ad Romanos trahebat. Vnde quaſi omnes Hiſpanorum
Principes cum omni populari manu ad Ramanos confugere videbantur. Sicꝫ Sci-
pio tota hyeme Tarraconæ hibernauit.

Prælium Publij Cornelij Scipionis contra Haſdrubalem.

QVum vero iam altera æſtas adueniſſet ſequentis anni, & Haſdrubal
cerneret res Romanas tot augeri incremẽtis, ſuaſcꝫ imminui, & quod
niſi forte aliquid audendo tentaret, frui forte ex toto poſſent. Dimi
care igitur cum Scipione quam primum ſtatuit. Scipio autem certa-
minis auidior erat, conſiderans quod ſibi res proſpere ſuccederent, con
ſultiuſcꝫ exiſtimabat cũ Haſdrubale Barchini præliari, quã ſi omnes
ſimul Pœnorũ exercitus, Duceſcꝫ iungerentur. Igitur irritatis ad certamẽ animis Ro
mani caſtra poſuerunt nocte. Haſdrubal in quodã plano caſtra habebat, qui quũ ap-
propinquaſſe Romanos intellexit, copias in quendã tumulũ in plani ſummitate cõſti
tutũ recepit, habẽs a poſteriori parte flumẽ, & hinc, & inde ripam, quę tumulũ omni
ex parte cingebat. Cũ vero Romani ad iactũ lapidis tumulo appropinquaſſẽt, omnis
generis telorũ copia iactata eſt, Pœni vero econtra, ſaxa etiam, quibus tumulus omnis
reſperſus erat, iactabãtur non ſolum a militibus, ſed etiam a multitudine magna colo-
num eis immixta. Verum licet aſcenſus difficilis eſſet, licet pene telis, ſaxiſcꝫ Romã-

ni obruerentur, tamen quadam audacia, & conſuetudine ſubcendendi muros, primo aliqui ripam cõſcenderunt quadã pertinacia animi, qui ſimul cœperũt aliquid in eo loco, quo firmo gradu perſtiterũt. Quũq; modico interuallo ibi aliquandiu perſtitiſſent, Pœni impetu facto eos inde expulerunt. Scipio vero quum in mediam hoſtiũ aciem irrumpere cuperet, aſſumpto Lelio, qui ad dexteram tumuli partem decertaret, ipſe vero ad leuam, inde vterq; altitudine loci explorata, qua aſcenſus facilis in tumulum fieret, Scipio apto ſatis aſcenſu in altum prodijt. Dumq; inſtructas acies, ordineſq; in Scipionem Pœni voluere volunt, ex alia parte Lelius ſubijt. Dum vero ipſi retro ordines auertere curant, ne a tergo vulnerentur, dilatatur prima acies, locuſq; datus medius ad peruadendum aciem. Quumq; inter medias copias prælia rẽtur, quia locus eis ad prælium difficilis erat, partitis hinc inde ſtationibus, elephantiſq; in medio conſtitutis, & ante ſigna locatis magna Romanorũ cędes fiebat, neq; inde euadere potuiſſent, niſi Scipio, qui a leuo cornu in dextrũ incurrerat, acriter in vnda hoſtiũ latera opugnaſſet. Et iam adeo a Romanis fortiter retro, leuoq; cornu pugnabaĩ, quod fugæ non dabatur locus. Præcluſerant enim vias, & portas caſtrorum, clauſerant & elephantes inter mediam aciem, & Romanorum impetu plurimum trepidabant.

In eo igitur prælio cæſa ſunt ad octo millia hominum ex Haſdrubalis exercitu. Haſdrubal vero quum exercitum exterminatũ conſpexiſſet rapta pecunia, elephantiſq; pręmiſſis quos potuit ex cęde fuga liberauit, atq; tranſacto flumine Tago Pyrenæum verſus in Ilergetes contendit, vbi nunc Nauarræ regnum eſſe conſtat. Scipio uero recenſitis captiuis Pœnorum reperti ſunt ad decem millia peditum, equitum vero ad duo millia, qui retentis Iberis hominibus cæteros cum omni pręda, ſpolijſq; caſtrorum, quibus omnibus potitus eſt, militibus diuiſit, Hiſpanos vero captiuos ſine pretio omnes domum remiſit. Afros vero quęſtori vendi iuſſit. Quumq; Hiſpani magnam Scipionis liberalilatem conſiderarent, & ij, qui Romanis prius adhæſerant, & ij, qui libertati fuerant, circunfuſi Regem Scipionem appellare cœperunt. Quum vero regium nomen alibi magnum & videretur, & eſſet, Romæ tamen tolerabile non erat, ex qua re multitudinem allocutus dixit. Si enim animi magnitudine Regem iudicarent, a voce tamen abſtinerent animo, ſtupebant Hiſpani, Barbarique omnes magnitudinem animi eius, cęlituſq; hominem proditum, ad magnaq; faſtigia euectum prædicabant. Iuſſit etiam Scipio dona dari principibus Hiſpanorum, atq; Indibilem ſibi diligere trecentos ex omnibus captiuis, qui ſibi dono darentur. Quũ autem quęſtor Afros iuſſu Imperatoris venderet, inuentus eſt inter eos puer adultus forma inſignis. Audiens autem Scipio eum regij generis eſſe, iuſſit afferri ad ſe, quem quum percunctaretur Scipio, quis, & cuias eſſet, & cur tali ætate in caſtris eſſet, lachrymans Numidam ſe eſſe ait, Maſſiumq; appellari, orbũq; patre apud Gallã maternum auum Regem educatum cum auunculo Maſiniſſa, qui nuper cum equitatu in ſubſidium Carthaginenſium veniſſet, in Hiſpaniam traieciſſe, atq; cum fuiſſet prohibitus a Maſiniſſa nunquam ante prælium adiſſe, eo die, quo pugnatum cum Romanis eſſet, inſcio auunculo clam arma ſumpſiſſe, equoq; in pręceps delapſo captum a Romanis eſſe, Scipio reſeruari Numidam iuſſit, quæ tunc agenda erant, pro imperij rebus peregit. Inde quum ſe in prætorium recepiſſet, accitum eum interrogat, an vellet ad Maſiniſſam reuerti, quũ effuſis gaudio lachrymis cupere ſe diceret, tum puero annulum aureum donat, tunicam inſuper admodum ornatam cum Hiſpano ſagulo, fibulaq;, ac aurea zona; equo quoq; ornato iuſſit, quo vellet, progredi.

De tranſitu Haſdrubalis in Italiam ab Hiſpania.

ANno itaq; ab orbe condito quarto m illeno nongenteſimo nonageſi-
mo primo, & ab vrbe condita quingenteſimo quadrageſimo ſecun-
do, Scipio poſt hanc victoriã conſiliũ de bello habuit. Et dum qui-
dam conſulerent, vt fugatũ Haſdrubalem inſequeret̃, diu ſuper con-
ſultatione huiuſmodi anceps fuit, dubitãs ne alter Haſdrubal Giſco-
nis filius, ac Mago eidẽ Haſdrubali Amilcharis filio iungerent̃. Tan
dem cõſultius remanere ratus, quaſdã exercitus copias miſit, vt Pyrenęus intercideret̃,
ne ad illum poſſet Amilchar deſcẽdere. Interim Scipio Tarraconã venit, vbi reliquũ
ęſtatis in recipiendis in fidẽ Hiſpaniæ populis conſumpſit. Interea paucis poſt præ-
lium diebus Haſdrubal Giſconis filius, & Mago Imperatores Carthaginenſium, &
Maſiniſſa Numidarum Rex ad Haſdrubalem Amilcharis filium cum magno exerci
tu venerunt, tardum poſt rem male geſtam auxilium, conſiliumq; ad cætera belli op
portuna. Conſultantibus itaq; de progreſſu belli, qualeſq; Hiſpanorum animi erga
ſe eſſent in quacunq; prouincia, vnus Haſdrubal Giſconis filius ignorabat eam vlte-
rioris Hiſpaniæ partem, quæ ad Oceanum, & Gades vergit, Romanorũ eſſe, quam
ipſe ſatis fidam Carthaginenſibus credebat. Conſtabat tamen alteri Haſdrubali, &
Magoni eandẽ Scipionis beneficijs occupatã eſſe, & ne Hiſpani milites, quorum de-
fectionem timebant, ad Romanos transferrentur, nihil eis conſultius viſum eſt, quam
vt omnes ab Hiſpania Hiſpani milites amouerentur, atque in Italiam, vbi caput bel-
li erat, transferrentur, etiam ſi Senatus Carthaginenſium decreta obſtarent. Itaque
Haſdrubal Amilcharis filius cum omnibus Hiſpanis militibus in Italiam transfert̃,
vbi Hiſpanos milites a Scipionis nomine alienos nõ aliter quã ſtrenue bellicum opus
acturos credebant. Interim Mago decretus eſt, vt tradito exercitu Haſdrubali Giſco
nis filio cum magna pecunia in Baleares inſulas ad congreganda auxilia mitteretur.
Maſiniſſaq; ex omnibus decretus eſt, vt lectis ex vniuerſo exercitu tribus millib' equi-
tum expeditus prouinciam peragraret auxilia ſocijs præſtiturus, ac hoſtiũ agros de-
populaturus. Haſdrubal vero Giſconis filius cum omni exercitu ad tutandã prouin
ciam ordinatus eſt. Deinde Haſdrubal Amilcharis filius magna pecunia vi cõgrega-
ta trãſiuit Pyrenęũ, mercede Gallorũ auxilia cõducturus in ſuo trãſitu. Ita quibuſq;
in opus ſuũ digreſſis in hyemem ventũ eſt. Quũ indies cura de trãſitu Haſdrubalis
in Italiã creuiſſet, mittuntur legati Maſiliẽſium Romanis, nunciãtes Haſdrubalem in
Galliam tranſiſſe, attractoſque ad ſe plurimorum Gallorum animos eſſe, quia ma-
gnum auri pondus attuliſſe diceretur ad conducenda Gallorum auxilia. Miſſi
deinde ab Roma legati ſunt Sextus Antiſtius, & Marcus Retius ad rem inſpicien-
dam, qui in vrbem reſcripſerunt miſiſſe ſe cum Maſilienſibus Ducibus, qui per prin
cipes Gallorum, & hoſpites Carthaginenſium omnia explorata referrent, qui re-
deuntes dixerunt, Haſdrubalem ingenti coacto exercitu proximo vere Alpes tranſ-
iturum, nec eum tunc quicquam morari, niſi quod clauſæ niuibus Alpes eſſent.

Romæ igitur creantur Conſules Claudius Nero, & Marcus Liuius. Magnã
vrbi trepidatio fit pro aduentu Haſdrubalis in Italiam, creatis Conſulibus magna Ro
mę ſcrificia pręter ſolitũ fiunt, per nouem enim dies ducebantur ab ęde Apollinis bo-
ues binę albę, quas ſequebantur duo ligna cõpreſſa. Deinde virgines viginti ſeptẽ lon
ga indutæ veſte carmẽ Iunoni Reginę cantabãt. Virginũ ordines ſequebant̃ omnes

prætextati, omnis Senatus, & a porta per Vigarium vicum in forum venere. In foro vero omnis pompa conſiſtens, per manus recte datas virgines ſonũ vocis pulſu pedũ modulantes interceſſerunt. Inde vico Tuſco in ędẽ Iunonis peruentũ eſt, & his duabus hoſtijs Deos Romani placatos crediderunt. Decreuerant enim his peractis Conſules eundum obuiam Haſdrubali eſſe ab Alpibus deſcenſuro, ne eius aduentus Ciſalpinam Galliam, & Tuſciam rerum nouarum auidam turbaret. Dicitur autem Gallia Ciſalpina ea pars, quæ hodie Longobardia dicitur, ab ipſis Alpibus vſq; in Padum, Rauennamq; incluſis vrbibus Mediolano, Pergamo, Brixia, Verona, Vincentia. Datum inſuper conſulibus fuit, vt ex omnibus prouincijs, exercitibuſq; eligerent eam exercitus partem, quę tantæ rei neceſſaria foret, ne Hannibal, qui Tarentum obſidebat, ſuo domeſtico prælio occupatus, fratri Haſdrubali in occurſum venire poſſet. Magna ex omnibus prouincijs Romę miſſa ſunt auxilia, ex Hiſpania vero cum Publio Sulpicio, ac. M. Liuio ad octo millia peditum, equitumq; duo millia cum multis ſagittarijs, ac fundibulatoribus mari Romam tranſmiſſa ſunt. Similiter & ex alijs omnibus prouincijs. Interim vere ſuperuento, annis ab orbe condito quatuor millibus nongentis nonageſimo primo, & ab vrbe condita quingentis quadraginta duobus exactis tumultus Romę factus eſt, ex literis Lucij Porcij, quę nunciarent Haſdrubalem ex Hibernis caſtra mouiſſe, Alpeſq; tranſuectum, Ligurũ nouem millia conduxiſſe, qui ſecum ducerentur, niſi eos prius prælio occuparet, Liguria enim Genuam vrbem continet, eamq; partem, quę a Pado flumine in maritimam, & Apenninum vergit. Conſules vero accelerantes eorum digreſſum ire obuiam parant. Interim Haſdrubal vrbem Placentiam obſidere cœpit, credebat enim Campeſtrem vrbem facilius obtinere. Eſt enim Placentia vrbs hodie Longobardorum, Romanorum colonia, ex cuius expugnatione ſperabat magnam ſuo exercitui gloriã, commoditatemq; fieri, ſpemq; Hannibali fratri futuram, ex ea quoq; rumorem ſui tranſitus ad Hannibalem perduci. Qui licet diu firmatam obſidionem tenuiſſet, ab ea tamen amoueri compulſus eſt.

De prælio, ac morte Haſdrubalis.

INterim, quum Haſdrubal ab obſidione Placentię diſceſſiſſet, quatuor Gallos equites, & duos Numidas ad fratrem Hannibalem mitti cũ literis, qui in itinere ab exploratorib' militibus capti, ad Quintum Claudium prætorem deducuntur, qui, quum interrogati varia reſpondiſſent, facto metu tormentorum veritatem dicere compulſi ſunt, atq; cum ipſis ſignatis litteris traditi ſunt Lucio Virginio tribuno militum, adducendi ad Claudium Conſulem peruenerunt, literæ per interpretem lectæ ſunt, & ex captiuis percunctatio facta. Quibus intellectis non opus mora ordinatis iam rebus cenſuit, ſed aliquid ex inopinato in hoſtem tentare. Scribebat enim Haſdrubal occurſurum ſe fratri Hannibali in Vmbriam. Conſul igitur Romam mittit, dicens, vt lecto milite ex vrbano exercitu in arma ad ſe mittant, atq; idem Claudius ex omni ſuo exercitu ſex millia peditum, & decem millia equitum legit, occurſurus Haſdrubali. Dimiſſo itaq; omni reliquo illic exercitu Quinto Quatio pronunciat ſe proximam in Lucanis vrbem cum præſidio capturum, & arrepto itinere quam maxime properat, vt collegæ Marco Liuio iungat exercitum. Terror vbi non minor fuit, ac trepidatio, quam ante biẽnium, dum caſtra punica vrbi obiecta

erant. Feſtinato igitur gradu Claudius Nero Conſul per Picenum in occurſum Haſdrubalis properat, maximeq́ꝫ, vt iungatur alteri Conſuli Marco Liuio. Miſſis itaq́ꝫ literis, nuncijſq́ꝫ ad alterum Conſulem de ſuo aduentu Liuius ordinat, vt Tribunus Tribunum, Centurio Centurionem, miles militem, pedes peditem hoſpitaretur, quoniam Claudius per literas indicaſſet nihil cum exercitu ferre ſe præter arma. Interim, quum per agros, vrbeſq́ꝫ pertranſiret, occurrebant viduæ, ac matronæ, quæ Deos precabantur pro victoria, ſimulq́ꝫ cantantes virgines, cæteriq́ꝫ neceſſaria miniſtrabant. Claudius vero Conſul monebat, vt nihil niſi ad victū neceſſaria ſuſciperent, & ita citato gradu iter accelerabat. Quum igitur Claudius prope Liuij caſtra veniſſet, nocte clam hoſpitaliter ab exercitu Liuij recepti ſunt omnes, & quotcunq́ꝫ erant, alter alterum ad præliū inuitabant, qui omnes validiſſimo corpore, ac robuſtiſſimo ad cœnam conſcripti ſunt. Poſtero die concilium habitum eſt, cui Lucius Porcius Prætor affuit, multi in eam ſententiam declinabant, vt dum Claudius reficeret fatigatos milites, ad cognoſcendū hoſtē paucos ſibi ſumeret dies. Erāt autē Pœnorum caſtra ad quingētos paſſus. Claudius vero nedum huic ſentētiæ acquieuerat, ſed conſilium tutiſſimum in celeritate putauit, in morando temerariū arbitratus eſt, ſignūq́ꝫ dari pugnę iubet, concilio dimiſſo ſignum pugnæ proponitur. Haſdrubal, quum ſigna belli audiuit, ſuſpicatus, ne nouis auxilijs Romanorum caſtra aucta eſſent, & ipſe ſuas acies inſtrui iuſſit. Quumq́ꝫ iam ante ſigna fuiſſet Haſdrubal, quædam ſcuta vetera hoſtium notauit, quę ante non viderat, ſtrictiores acies, ac multitudo maior ſolito viſa eſt. Sciſcitatus quid hoc eſſet, acies ſtare iuſſit, ac cecinit, miſitq́ꝫ milites exploratores ad flumen, vbi aquabantur, vbi & accipi poſſent, & notari oculis, ſi qui forte aduſtioris coloris vt ex recenti via eſſent, ſimulq́ꝫ ſe circunuehi procul ad eorum caſtra iubet, ſpeculariq́ꝫ, num aliqua ex parte auctum ſit vallum. Atq́ꝫ attenderent vtrū ſemel an bis ſignum caneret in caſtris. Ea omnia, quum per ordinem relata eſſent, caſtraq́ꝫ aucta non fuiſſe, errorem enim faciebant, quod antea caſtra duo erant, vna Liuij, altera prætoris Porcij, in neutra enim aliquid de nouo adiectum eſt, ſed omnes, qui cum Claudio Nerone altero Cōſule venerant, apud alios Liuij Conſulis, & Prętoris fuerāt hoſpitati. Illud autem dubium maxime referebant, quod in caſtris Prætoris ſignum datum ſemel, in Conſulis vero caſtris bis referebant cecinisse. Cura quā maxime Haſdrubalem angebat, quid nam Hannibal ageret, cum quo caſtra collocata haberet ignorans, ſerumq́ꝫ ei ſuum auxilium dubitabat, timens ne Romanis eadem in Italia, quæ in Hiſpania, fortuna belli foret, vel ſuas ad eum literas non perueniſſe credebat, interceptiſq́ꝫ litteris Conſulem acceleraſſe ad eum opprimendum. His anxius curis extinctis ignibus prima noctis vigilia dato ſigno, vt taciti vaſa colligerēt, ſigna afferri iuſſit. Ita in trepidatione, ac nocturno tumultu Duces parum intenti, inconſiderati in receſſu, quidam in deſtinatas animo iam latebras conceſſerunt, quidam per vada vltra Metaurum fluuium tranſnatarunt, ita deſertum agmen, primo vagi per agros, ac palantes eunt, feſſiq́ꝫ aliqui ſomno & vigilia ſternunt corpora paſſim, atq́ꝫ infrequentia relinquunt ſigna. Haſdrubal vero dum viam oſtenderet, in ipſa fluminis ripa ſigna ferri iubet, & prætortuoſi amnis ſinus, flexuſq́ꝫ cum errore voluens, quum non multum proceſſiſſet, impeditus altioribus fluminis ripis, vadiſq́ꝫ altioribus ne tranſiret, ſpacium dedit Conſulibus ad eum inſequendum. Claudius Nero primum cum omni equitatu aduenit inſequens Haſdruabalem. Porcius deinde ſecutus cum leui armatura, qui quū feſſum exercitū Haſdrubalis attigiſſent, ab omni parte incur-

ſantur, omiſſo itinere quod fugæ ſimile erat. Pœni in montem qui ripę fluminis propinquus erat, caſtra metati ſunt. Tum aduenit ſecundus Conſul Marcus Liuius cum omnibus pedeſtribus copijs ad conferendum pręlium inſtructis, armatiſq;. Sed vbi omnes copias coniunxerunt directa eſt acies. Caius Claudius Nero dextro cornu, Liuius a ſiniſtro pugnam inſtruxerunt, media acies prætori Lucio Porcio tuenda data eſt. Haſdrubal vero omiſſa caſtrorum munitione, poſtquam neceſſario pugnandum videt, ſuas acies inſtruxit. In prima acie autẽ ſigna collocat & elephantos, circa vero læuum cornu aduerſus Claudium Neronẽ Gallos opponit, neq; tantum in illis fidebat, quantum putabat illos a Romanis timeri, dextrũ cornu aduerſus Marcum Liuium ſibi, atq; Hiſpanis reſeruauit, & ibi maxime in veteribus ſuis militibus ſpem habebat, in medio poſt elephantes ſumpſit Ligures. Interim ea frons, quã Hiſpani tenebant concurrit cum ſiniſtro Romanorum cornu, in quo Liuius præſidebat, inter Haſdrubalem & Liuium ingens prælium certamenq; contractum eſt, atroxq; cædes vtrinq; fiebat, ibi Duces ambo, ibi pars maior peditum, equitumq; Romanæ pugnæ, & Ligures aſperrimum hominum genus in armis in eum locum verſi, elephanti inſuper, qui primo impetu ante ſigna turbauerant Romanos, etiam ſigna a ſuo loco mouerunt. Deinde creſcente certamine & clamore, iam regi milites inter duas acies non poterant, pugnabantq; velut incerti, quarum eſſent, non aliter quam nauibus ſine gubernatore vagis contingit. Claudius ergo clamabat militibus, quid ergo milites tam celeri curſu tam longũ iter menſi ſumus inaniter? Quum in aduerſum collem fruſtra ſigna erigere conatus eſſet, videns eam in partem penetrare non poſſe ad hoſtẽ, cohortibus aliquot ſubductis e dextero cornu, vbi cruentũ magis prælium iudicabat, a tergo hoſtium ſuis etiam inopinantibus in ſiniſtrum hoſtium latus incurrit, tantaq; celeritas fuit, vt quum aſcendiſſet a latere, mox in terga iam pugnaret. Ita ex omnibus partibus a fronte, a latere, & a tergo trucidantur Hiſpani, Ligureſq;, & ad Gallos iam cædes penetrabat, ibi enim minimum certaminis fuerat, ipſe autem Haſdrubal pugnãtes nunc hortando, nunc adeũdo pericula ſuſtinuit ille feſſos, abeunteſq; tedio, & labore, nunc precando, nunc caſtigando accendit, ille fugiẽtes reuocauit, amiſſamq; pugnam aliquot locis reſtituit. Poſtremo, quũ iam victoria Romanorum notiſſima eſſet, ne fracto tanto exercitu tanti nominis Dux ſupereſſet, concitato equo in cohortem Romanorum irruit, ibiq; vt patre Amilchare, & Hannibale fratre dignum erat, pugnans cecidit, & interfectus eſt. Nunquam vna acie tantum Pœnorum interfectum eſt, quantum eo bello, reddita eſt pugnę Cannenſi ęqua cædes & vindicta, ſex enim & quinquaginta millia hominum, & quadringenti ceciderunt. Præda inſuper magna, tum auri, argentiq;, tum alia omnis generis: capti inſuper ſunt Romani, qui ſerui apud eoſdem tenebantur, ſupra triginta millia capitum, illiq; pro ſolatio amiſſorum in pręlio militum recepti ſunt. Nam ipſa victoria nec ſine ſanguine fuit, octo enim millia Romanorũ occiſa ſunt. Die vero poſtero, quũ nunciatũ eſſet Liuio Cõſuli, Gallos Ciſalpinos, Ligureſq;, qui aut pręlio nõ interfuiſſent, aut inter cędẽ effugiſſent, vno agmine abire ſine certo Duce, ſine ſignis, ſine ordine vllo aut imperio, atq; poſſe omnes deleri, ſi vna militũ ala mitterẽt, ſine, ait, vt ſuperſint aliqui nuncij & hoſtiũ cladis, & noſtrę virtutis. Claudius vero Nero Cõſul ſecunda nocte poſt pugnã citatiori itinere, quo inde venerat, die ſexto ad caſtra ſua, quę obiecta Hannibali dimiſerat, peruenit. Hic igitur dicenda reſtant, quæ per Claudium cum Hannibale geſta ſunt iuxta Titi Liuij narrationem. Sed quoniã ad res Italicas perti-

nent, ſubſiſto. Obitum enim Haſdrubalis, licet in Italia cōtigerit, inſerere volui, quia de eo res maxime in Hiſpania prædicantur.

Hanno Pœnorum Imperator ex Africa in Hiſpaniam mittitur.

ET quoniam paululum digreſſi ſumus ab Italia, iam ad propria, id eſt, ad Hiſpaniam reuertamur. Poſt tranſitum Haſdrubalis in Italiam, quantum in Italia eius tranſitus turbauerat, tantum alleuare in Hiſpania Romanorum ſtatum viſum eſt. Nihilominus ſtatim bellum in ea par priori exortum eſt. In eius enim tranſitu, vt dictū eſt, duo in Hiſpania Pœnorum Duces remanſerant Mago Hamilcharis filius, fraterq́ꝫ Hannibalis, & mortui Haſdrubalis, & Haſdrubal Giſconis filius. Hi enim duo Duces poſt Haſdrubalis tranſitū, ad Oceanum, Gadeſq́ꝫ conceſſerunt. Mediterranei vero maris noſtri oram, & quicquid Orientem verſus pertinet, Scipio, Romaniq́ꝫ tenebāt. Interim nouus Imperator ex Africa in Hiſpaniam mittit̄ Hano nomine, qui traiecto ex Africa in Hiſpaniā exercitu in Celtiberia Magoni cōiungit̄. Dicitur autē Celtiberia ea omnis regio, quæ ad Iberū fluuiū inter vtrunq́ꝫ mare eſt vſq; in nouā Carthaginem. Hanno igitur cōiunctus Magoni in Celtiberia breui tempore magnum gentium numerum armauit aduerſum Romanos Duces. Scipio Marcum Syllanum cum decem millibus equitū, peditūq́ꝫ miſit, qui quā feſtinatiori poterat iuſſu properabat, vt Pœnorum caſtris occurreret. Sed plurimū impediebat̄, tum ſaltibus, tum aſperitate viarum, anguſtijſq́ꝫ, quibus ea omnis regio incluſa eſt, ex quo factū eſt, vt non ſolū fama, ſed nūcij aduētus Syllani ad Pœnos peruenerūt. Vnde factū eſt, vt ex ipſis Pœnis trāsfugę venirent ad Syllanū, qui nunciarēt, decē millia a Pœnis abeſſe, atq; bina eſſe caſtra eorū, ad lęuam itineris, quo irent, caſtra eſſe noui exercitus Pœnorum, nouem millia hominum habere, dextera vero punica caſtra eſſe tuta ac firma militari cuſtodia, altera vero noui exercitus ſoluta neglectaq́ꝫ eſſe, vtpote Barbarorum, ac Tyronum. Ea prius Syllanus aggredienda cenſuit, & ſigna ad lęuam afferri iuſſit, ne a ſtationibus Punicis conſpiceret̄, ipſe vero Syllanus præmiſſis ſpeculatoribus tacito agmine ad hoſtem pergebat, ad tria iam prope erant milliaria, quæ vna leuca more Gallico dicitur, & nemo Pœnorum Syllanum ſenſerat, quoniam confragoſa loca, & obſita virgultis tenebant, ibiq́ꝫ in caua valle, ac propterea occulta conſedere, cibumq́ꝫ cepere, interea ſpeculatores transfugæ dicta affirmantes venerunt. Tunc itaq́ꝫ ſarcinis in medium coniectis Romani arma ſumpſerunt, inſtructaq́ꝫ acie in pugnam vadunt.

Prælium, M. Syllani cum nouo Imperatore Pœnorum Hannone, Magoneq́ꝫ.

IAm quum inſtructa acie in bellum Romani properarent, quum ad mille paſſus hoſti appropinquarent, ab ipſis hoſtibus conſpecti ſunt, & Mago ex caſtris citato equo ad primum clamorem deuehitur.

Erant autem in Celtibero exercitu quadraginta ſcutati, & equites ducenti, hanc igitur legionem, & quicquid roboris erat, in prima acie locat, leuem vero armaturam in inſidijs poſuit. Quum vero ita inſtructos ex caſtris adduceret, vix dum vallum egreſſus, in eos Romani pila iniecta conieceerunt, ſubdideruntque Hiſpani Celtiberos aduerſus immiſſa tela a Romanis, mille ad immittenda ipſi conſurgunt, quæ quum Romani denſatis excepiſſent ſcutis, tunc

tis, tunc

tis, tunc pes cum pede collatus eſt, & gladijs res geri cœpta eſt. Aſperitas vero locorum Celtiberis propter eorũ velocitatem ſpem faciebat euadendi, ſed anguſtię, & internata virgulta ordines dirimebant, & ſinguli, bini velut cum paribus conſerere pugnã cogebantur, quod ad fugã impedimento Carthaginẽſibus erat, idq; eos iunctos ad cædem ducebat, parabatq;, & iam pene omnibus ſcutatis Celtiberorũ interfectis, leuis armatura, & Carthaginenſes, qui ex alijs caſtris ſubſidio venerant, percuſſi cędebantur. Deniq; duo amplius millia peditũ, & equitatus omnis, & ex veteribus peditibus euaſerunt fugientes, qui decimo die in Gaditanã prouinciam ad Haſdrubalẽ Giſconis filium reliquũ Imperatorem peruenerunt. Noui vero milites Celtiberorum in proximas ſyluas dilapſi, inde in domos diffugerunt proprias. Scipio igitur collaudato benigne Syllano cum animaduertiſſet, ſi prõptus fuiſſet, & reliquũ Pœnorum exercitum facile deleturum in vltimam Oceani, Gadiſq; Hiſpaniã aduerſus Haſdrubalem Giſconis filiũ pergit. Haſdrubal vero, perantea cum viſitaſſet vrbes ſociorũ in Bætica, vt contineret illos, quos in fide habebat, ſublatis ſignis in modũ fugę, potius quam itineris ad Oceanũ, Gadeſq; confugit. Verũtamen antequã fretũ Gadis trajceret, exercitum omnẽ paſſim in ciuitates amicorũ miſit, diuiſitq;, vt muris ſeipſos, & ipſi armis muros tutarent. Scipio vero cum vidiſſet diſſipatũ exercitũ, ac ſingulas vrbes debellare diuturni magis, quã magni operis retro vertit iter, & ne hoſtib⁹ eam relinqueret regionem, Lucium Scipionem fratrẽ ſuum cum decem millibus equitũ, peditumque ad oppugnandum opulentiſſimã ijs in locis vrbẽ, quã Ortigem Hiſpani appellabant, dimiſit.

Obſidio, & captio Ortigis vrbis per Lucium Scipionem.

ERat enim eo tempore ijs in regionibus vrbs opulentiſſima, quę Ortigis dicebatur, agro fertilis, quam Oriolam moderni appellant, in eaq; fodiebatur argentũ. Hanc igitur Lucius Scipio obſidere decreuit. In ea arx erat Haſdrubali ad faciendas circa Mediterraneos populos incurſiones. Scipio caſtris prope vrbem poſitis, priuſquam vallaret vrbem, nuncios miſit ad portas, qui ex propinquo colloquio tentarent animos, ſuaderentq;, vt amicitiam Romanorum potius, quam arma experirentur. Vbi vero nihil pacati reſponderunt, foſſa duplici, valloq; circundata vrbe in tres partes exercitum diuiſit, vt vna pars ſemper quieſceret, & duabus vrbẽ oppugnaret. Prima igit̃ pars adorta eſt vrbem oppugnare, ſcaliſq; muro admotis, quidã, qui aſcenderunt, vel a muris deiecti fuerunt, vel ſuſpenſi videbãtur. Magna itaq; telorũ, ac ſaxorum vi a muris ruẽte anceps bellũ ducebatur. Tunc animaduertens Scipio nimia ſuorum paucitate inequale certamen eſſe, e duabus ſimul partibus vrbẽ eſt aggreſſus, quæ res tantũ pauorem ingeſſit animis iã feſſis, vt oppidani nimia trepidatione mœnia repẽtina fuga desererẽt, & punicũ pręſidiũ, metu ne vrbs prodita eſſet, relictis ſtationibus in vnũ ſe colligeret. Timor inde oppidanos inuaſit, ne ſi Romani vrbem intraſſent, ſiue Pœnus, ſiue Hiſpanus ſorent, obuij paſſim cęderentur, atq; patefacta repente porta frequentes ſe ex oppido eiecerunt ſcuta poſt ſe tenentes, ne tela procul poſt ſe projcerẽtur, dexteraſq; ſuas nudas oſtentantes, vt appareret gladios abieciſſe. Id vero cũ dubitaretur an dolus eſſet, impetu hoſtili in trãsfugas facto, nõ ſec⁹ q̃ ſi aduerſa foret acies cęſa eſt, eadẽq; porta ſigna infeſta in vrbẽ illata ſunt, & alijs partibus ſecuribus, dolabriſq; cędebãtur portę, & vt quiſq; intrauerat eques, ad forũ occupandũ currebat citato equo, ſic enim pręceptũ fuerat. Carthaginenſes oẽs in cuſtodiã dati ſunt, ex oppidanis ij, qui clauſis portis euaſerunt, libertate donati ſunt, & ſua omnia reddita ſunt. In ea oppugnatione

tam ex oppidanis, quã ex Carthaginenſibus ceciderunt circiter duo millia, ex Romanis vero octoginta. Læta igitur fuit ijs, qui rem ipſam geſſere, eiuſdẽ vrbis expugnatio, & Imperatori Publio Scipioni, cæteroq; exercitui ſpatioſus, ac iocũdus aduentus: collaudatq; fratrẽ, F. Luciũ cum quãto potuit verborũ honore, & Carthagini a ſe capte Orontiã equat. Cæterũ quia inſtabat hyems, nec Gades tẽtari poterat, nec diſperſum exercitũ Haſdrubalis per totã prouinciã conſectari expediebat, in citeriorem Hiſpaniam ad Iberum fluuium omnes ſuas copias, exercitumq; reduxit. Ipſe vero Imperator Scipio cum Lucio fratre, & Hannone Pœnorum Imperatore, & alijs nobilibus captiuis Tarraconam venit.

Pugna Scipionis cum Haſdrubale Giſconis filio, & fuga Haſdrubalis in Oceanum, & Gades inſulam.

ANno ab orbe cõdito quarto milleno. DCCCC. XCII. & ab vrbe condita, CCCC. XLIII. quũ in Italia proſpera omnia eſſent, de retinẽda Hiſpania ſoliciti erãt Romani, quę tamẽ eandẽ quaſi fortunã habebat exercitus Romani geſtis fœliciter cedentibus. Nam Pœni amiſſo Hannone Duce exercitus vſq; ad vltimã Oceani oram, Gadeſq; perfugerant, qui tamen tum ſitu locorũ, tum hominũ ingenijs ad bellũ reparandũ idonei videbantᷣ. Itaq; cũ Haſdrubal Giſconis filius, tertius poſt Barchinos Hannibalẽ ſcilicet, ac Haſdrubalẽ fratres, pœnorũ Dux maximus eo bello haberetᷣ, regreſſ⁹ a Gadib⁹ rebellãdi ſpẽ Hiſpanis dedit. Adiuuãteq; Magone Hamilcharis filio directis per vlteriorẽ Hiſpaniã literis, nũcijſq; ad quinquaginta millia peditũ, quingẽtoſq;, ac quadraginta milites armauit. Deinde fama vulgata, quod ad. lxx. millia peditũ cõparaſſet, ad Alpiã vrbẽ cõceſſit, in cuius agro Pœni poſitis caſtris eo ãnimo erãt, vt nullo pacto detrectarẽt certamẽ. At Scipio cũ ad eum fama tãti cõparati exercitus perlata eſſet pręmiſſo Syllano, qui milites a locis, quibus per hyemẽ degebãt, acciperet, ipſe protinus a ſocijs contrahẽdo auxilia Caſtulonẽ peruenit, ad quẽ adducta ſunt a Syllano auxilia peditũ, equitũq; tria millia. Inde ad Betulã vrbẽ cum omni exercitu progreſſi ſunt, in quo erant equitũ quinq; millia, & peditũ quadraginta millia, quibus caſtra ponẽtibus, eos Mago, & Maſiniſſa cũ omni equitatu aggreſſi ſunt, turbaſſentq; muniẽtes caſtra Pœni incurſãtes in Romanos, niſi a Scipione in tumulũ propinquũ loco adducti fuiſſent. Interim graue cõmittitᷣ prælιũ ad eam partem, vbi ſigna locata erãt. Interim cũ omnis multitudo ex Romanorũ caſtris efflueret, Pœni ordinibus iam confuſis in fugã verſi ſunt, profugientes hac, & illac. vbi propior vnicuiq; ſalus videretᷣ. Inde cũ iam ex ea pugna Romani potiorẽ ptẽ obtinuiſſent, aliquibus tamen poſtea diebus licet tentati eſſent, abſtinuerunt ab incurſionibus. Deinde quum tentati a Romanis Pœni eſſent, Haſdrubal primo e caſtris copias in aciem eduxit, & Romani inde ſequuti ſunt. Quumq; vtraq; acies vallo aſpero intermedio aſtitiſſet inſtructa, a neutriſq; pugna caperetur, iam die ad occaſum vergente, a Pœnis prius, deinde a Romanis in caſtra copiæ adductæ ſunt. Hoc etiam poſtea per dies aliquot factum eſt, quoniam Pœnus primo e caſtris copias educebat, & prior feſſis inſtando ſignum receptui dabat, quum a neutra parte procurſum eſſet, telumve immiſſum, aut vox exorta. Hoc ſic per dies aliquot perperã acto, cum iam Haſdrubali tyrones Hiſpanorum, & Balearum matutino tumultu a militibus Romanis mandato Scipionis oppreſſi pugna deficerent, Pœnorũ Duces, priuſquã corpora cibum reciperent, raptim in aciem copias extraxerunt, Scipio hæc contemplatus detardare, & in veſperum differre prælium ſtatuit. Nam hora ſeptima primo cornua cœpit in-

ſtruere, & longe tardius ad medias acies peruenit. Aeſtus à meridiano ſole, laborq; armorum, ac inſuper fames, & ſitis, prius quã manus ad prælium conſererent, corpora non mediocriter affecerũt. Ita vtraq; acies innixis ſcutis, ſigniſq; diutius perſtiterũt. Cum vero dies declinaret, pugnaq; e cornibus, & quidẽ valde tumultuoſa inciperet, cum elephãti aliquãtulũ a leui armatura Romanorũ in mediã aciem ſe intuliſſent, Pœni feſſi corporibus, animiſq; retulere pedẽ caſtra verſus, ordinẽ tamen ſeruãtes, non ſecus, quã ſi hoc Ducis arbitrio fieri cõtigiſſet: & ſic aliquãtiſper ſeruatę ſunt integrę acies, quum tamen Romani eas in fugã inclinatas viderent, impetuſq; ab illis non poſſet facile ſuſtineri, quanquã Haſdrubal quantũ poterat retineret, reſiſteretq; cedẽtibus: qui vidẽs collem eſſe a tergo, vbi tutũ eſſet receptaculũ, ſi modico ſuos interuallo retraxiſſet, clamitabat, vt in eũ ſe collẽ reciperent. Interim cũ verecundia viciſſet metũ, Haſdrubale pauliſper in vna montis radice, exercitum continente, atq; in ordinẽ ſuos milites reuocante, citato Romani gradu ſigna in collẽ, quẽ prius Haſdrubal occupare cogitauerat, erexerunt, cumq; hoc Pœni vidiſſent, integra fuga in caſtra profugerunt, ne intercíperetur a Romanis iter. Superuenit interea poſt vehementẽ ſolem tanta vis aquæ, vt vix Pœni in caſtra ſe reciperent, necdum introirent, procul a vallo Romani erant, qui proculdubio caſtra cepiſſent, niſi vi aquæ fuiſſent prohibiti. Ex eo itaq; die Carthagínenſes vlterius aliquid tẽtare non ſunt auſi, ipſi enim, licet labore feſſi, ac vulneribus eſſent, noxq;, & imber ad pernceeſſariã quietẽ eos traheret, tamen quia metus, & periculũ ceſſandi tẽpus non dabant, prima ſtatim luce caſtra ſaxis vndiq; ex propinquis vallibus aduectis augent vallo, quoniã in armis parũ fidebant. Caſtra itaq; Punica oppugnaturi Romani quãprimũ erant, ſed impediti ſunt ob defectionẽ Hiſpanorum ad Romanos. Nam Athenas Regulus turditanorũ cum magna populorum manu transfugit, duo inſuper munitiſſima caſtra cum eorũ præſidijs ſeſe Romanis dedere. Turditani ea gente, & prouincia cõtinentur, quæ a Bæti flumine, quod hodie Guadalcauir appellatur, per orã Oceani vergit ad orã fluminis Anę, quod hodie Guadiana dicitur, vſq; ad ſacrũ Herculis promontoriũ in Portugallia ſecundũ deſcriptionem Claudij Ptol. Interim Haſdrubal Giſconis filius cũ intelligeret animos ſuorũ ad defectionẽ inclinatos, ne alij ex ſuis transfugerẽt, ſilentio noctis facto caſtra inde mouet. Quũ vero dies aduenuiſſet, & ab ijs, qui in ſtationibus erant, relata eſſet Haſdrubalis cum toto exercitu profectio, Romani pręmiſſo equitatu ſigna moueri, ac ferri iubent, adeoq; citato agmine ducebãtur, vt ſi recta via iſſent, proculdubio eũ fuiſſent aſſecuti, ſed Ducibus creditum eſt, qui dixerũt breuius eſſe iter aliud ad Bætim fluuiũ, qui, vt diximus, Guadalcauir dicitẽ, vt tranſeũtes aggrederentur. Haſdrubal vero cũ intellexit clauſum eſſe tranſitũ fluminis, ac interceptũ a Romanis, flectit ad Oceanũ exercitum, qui fugientiũ more diſperſi abibãt. Tandẽ aſſequunẽ eos equites Romani, & ij, qui leuiter armati erant, qui Pœnos nũc a tergo nunc a lateribus incurſabãt, fatigabãt, & morabãtur, adeo vt legiones Ro. ac ſigna iã appropinquarẽt. Cũ enim ad crebros tumultus ſigna cõſiſterent, & nũc equeſtres, nunc pedites præliũ conſererẽt, ſuperuenerunt legiones, ac ſigna Romanorũ, iam nõ pugna, ſed trucidatus velut pecorũ fieri cœpit, donec ipſe dux, & fugæ autor in proximos colles cũ ſex millibus fere inermiũ profugit, atq; euaſit, cæteri vero cæſi, captiq; ſunt. Interim Pœni in ipſo colle caſtra tumultuaria cõmunierunt. Romani vero, cũ in collẽ ſubire tẽtaſſent, iniquo aſcẽſu impediti nequiuerunt. Præterea conſiderãtes, quod obſidio in loco inopi, atq; nudo vix ad paucos dies tolerabilis eſſet, obſidionẽ firmauerũt. Interea multi ex Pœnis ad Ro-

manos confugiebant. Poſtremo Haſdrubal ipſe Dux acceptis nauibus, quum nocte clam fugiſſet, Gades traiecit, erat enim locus ipſe non longe a mari. Scipio vero fuga Haſdrubalis audita decem millia peditum, & mille equites Syllano ad obſidionem caſtrorum reliquit. Ipſe enim cæteris copijs cauſa recognoſcendorum Regulorum, populorumq́, vt præmia pro meritis poſſet elargiri, Tarraconam rediјt. Poſt profectionem vero eius Maſiniſſa Rex Numidarum clam nocte ad colloquia venit cum Syllano, in quibus ſe, gentemq́ ſuam amicam Romani populi ſpopondit, in qua amicitia vſq; ad finem, vltimamq́ ſenectutem permanſit, indeq́ concilio facto in Africam reuerſus eſt.

Quomodo Carthaginenſes vltimo ex Hiſpania ſunt expulſi.

POſtea vero quam Haſdrubal in Gades profugerat, naues Magoni remiſit, quæ eundem in Gades aſportarent. Mago igitur dimiſſis ijs, qui ex exercitu ſuperfuerant, in Gades tranſit, quorum pars ad Romanos confugit, pars a Ducibus deſerta per vicinas vrbes, & oppida diſpergitur nullo robore munita. Poſtea vero quam Syllanus vidit omnes Carthaginenſes ab Hiſpania pulſos, & diſſipatum exercitum, Duceſq́ fugatos, Tarraconam ad Scipionem properat. Qui cum veniſſet, Lucius Scipio Magni Publij Scipionis frater Romam a fratre nuncius miſſus eſt cum multis Hiſpaniæ nobilibus captiuis, quos in victoriæ ſignum ſecum attulit, qui res mirifice in Hiſpania geſtas, atq; victorias Senatui nunciaret.

Quomodo Scipio, & Haſdrubal ad Syphacem Maſſiliorum Regem venerunt pro fœdere.

QVum fama Scipionis ingenti gloria celebraretur, vulgoq́ Hiſpaniarum victor proclamaretur. Vir Magnanimus, inexplebiliq́ laudis amore captus iam Africam, magnamq́ Carthaginem petere ſtatuit, vt maiorem ſuo nomini honorem, gloriamq́ compararet. Et vt voti compos facilius euaderet, reconciliandos animos Regũ, ac gentium partiũ illarum tẽtare decreuit. Primũq́ aggredi Syphacem Maſſilienſium Regẽ curat, quę gẽs eſt ad finẽ Maurorũ nouę Carthagini obiecta diuidẽte ſinu Mediterranei maris. Erat enim cũ Carthaginẽſibus ipſi Regi, ac gẽti fœdus, ipſiſq́ præ cęteris barbaris de obſeruatione fœderis pręclarius nomen erat: cũ ipſis barbaris, vt multi dixerunt, fides ex fortuna eſſe conſueuerit. Ad eundẽ itaq́ Regẽ Caium Lelium oratorẽ mittit cũ donis, qui iocũde receptus eſt ab eo, quia res tam proſpere Romanis ſucceſſiſſent, maximeq́ Scipioni. Cũq́ etiã in Italia Pœnis aduerſæ res eſſent, in Hiſpania nullę, amicitiã Romanorũ Syphax Lelio annuit firmandã. Eam tñ nec dare, nec recipere poſſe, niſi corã ipſo Romanorũ Duce Scipione. Itaq́ Lelius accepta fide a Rege ad Scipionẽ reuertitur. Erat enim Syphax Rex opulẽtiſſim⁹, bello aptus, Carthaginiq́ magnę vicinus, illiq́ ſuis finibus cõiungebãtur, modico maris freto ab ipſa Hiſpania diſtans. Scipio igitur audito Lelio ratus rem dignam non poſſe ſine maximo periculo agi, Tarraconę Lucio Martio, nouę vero Carthagini Syllano ad præſidiũ Hiſpaniæ relictis, ipſe terreſtri itinere a Tarracona nouam Carthaginem venit, & a noua Carthagine cum duabus triremibus tranquillo mari in Africam traiecit. Caſuq́ accidit, vt eadem hora Haſdrubal ab Hiſpania pulſus ſeptem cum triremibus ad Syphacem veniens iactis anchoris in terrã deſcenderet. Ita prior in terram

Haſdrubal, mox Scipio, & Lelius ad terram egreſſi pergũt ad Regem. Vt Siphaci
viſum eſt duorum opulentiſſimorũ populorũ Duces ea tempeſtate, eadẽꝗ die ſuam
pacem, amicitiãꝗ petentes veniſſe ad eum, vtrunꝗ ad hoſpitium inuitat. Et quoniam
eos ſub vno eodemꝗ tecto ſors perduxit, conatus eſt eos ad colloquiũ deducere cauſa
dirimendarũ inter ſe factionũ. Scipio hoc renuit, dicens nullũ cum Pœnis priuatum
odium eſſe, quod colloquendo finiret, neꝗ de rep. ſe cum hoſte agere quicquã niſi iuſ-
ſu Senatus poſſe, in illudꝗ magnopere Rex tendebat, ne alter hoſpitũ excluſus men-
ſa videretur, ideoꝗ Scipionẽ ad eandẽ menſam cum Haſdrubale inuitat, quod Scipio
non abnuit, & quia id maxime Regi placebat, Scipio & Haſdrubal ſimul cœnati eo-
dem etiã lecto ſimul dormierunt. Tantum autẽ erat comptus Scipio, eiꝗ ad omnia
naturalis ingenij claritas, atꝗ facundia erat, vt non modo Syphacem barbarũ, inſue-
tumq; Romanis moribus, ſed etiam hoſtem quencunꝗ infeſtiſſimum alloquendo ſi-
bi conciliaret, mirabilioremꝗ aſpectum, ac maieſtatẽ præ ſe fecerat, quam geſtarum
rerum gloriam. Nec dubium eſt Regem, regnũꝗ ſola Scipionis allocutione in Ro-
manorum eſſe poteſtate, tantam artem ad conciliandos animos eidem natura tribue-
rat. Itaꝗ. non tantum quomodo Hiſpaniæ amiſſę eſſent, ſed quomodo Africa reti
neretur, Carthaginenſibus neceſſarium fuit cogitare. Inijt igitur Scipio fœdus cum
Syphace Rege, nec poſtea diutius immorans ſtatim prouinciam a ſe derelictam cum
duobus exercitibus repetijt. Non enim peregrinandi cauſa, neꝗ ſolatij Africam pe-
tierat ſed deſiderio ea potiendi, hocꝗ, cum iã diutius in animo reuoluiſſet, tandẽ palam
efficere voluit, vt quemadmodũ Hannibal in Italia bellũ gereret, ſic Scipio in Africa:
qui a receſſu ſuo duobus plerũꝗ & contrarijs vẽtis in altum iactatus quarto die nouę
Carthaginis portũ tenuit. Hiſpani vero licet a punico bello quieti eſſent, in quibuſdã
tamẽ ciuitatibus nõ bonus animus erat, quę metu tranquillę manebãt, cõſcientia enim
illos premebat cõmiſſorum delictorũ, inter quas maxime inſignes erant magnitudine
ſimul & culpa Ilyturgũ, & Caſtulo opulẽtiſſimæ vrbes. Cum enim proſperis rebus
Romanorũ ſocij fuiſſent, poſt cæſos tñ Scipiones cũ exercitibꝰ defecerũt ad Pœnos,
Ilyturgitani vero defectioni hoc addiderunt, quoniã Romanos qui ex illa clade ad eos
profugerãt hoſtibus prodiderũt interficiẽdos. In eos itaꝗ populos, cum dubię adhuc
Hiſpanię forẽt, ſeuitũ fuiſſet, niſi vtiliter potius quã merite factũ diſtuliſſet. Cum ve-
ro res tranquillæ viſę ſunt, tempus expectandæ vindictæ non amplius diſſimulauit.
Aduocatũꝗ Lucium Marcium a Tarracona cũ tertia parte copiarũ ad expugnan-
dum Caſtulonẽ mittit. Ipſe vero Scipio cũ reliquo exercitu quinꝗ caſtrorũ ſtatio-
nibus ad Ilyturgũ peruenit, cuius portas occluſas reperit. Tum omnibus inſtructis
ad oppugnationẽ faciendã, ipſe Scipio milites adhortari cœpit. vt multo infeſtioribus
animis cum ſuis, quam cũ Carthaginenſibus bellum gerendũ eſſet. quippe cum illis
de imperio, & gloria ſine ira certabant, cum iſtis vero, vt perfidię, crudelitatis, ac ſcele-
ris pœnas luant, quo & nefandam commilitonum necem vlciſcerentur, vt in omne
tempus documentum, ac prouerbium fierent, ne quis unquam Romanũ militem, ci-
uemꝗ in qualibet fortuna conſtitutum iniuria premeret. Ab hac exhortatione Du-
cis incitati milites electis viris, qui per manipulos ſcalas erigerent. partito exercitu, vt
alteri Lelius præeſſet legatus, duobus ſimul locis ancipiti terrore vrbem aggredi-
untur. Non enim Dux vnus, aut Princeps oppidanos ad defenſionem inuitabat,
ſed ſola conſcientia, & culpæ metus, ex quibus non gloriam, nec imperium, ſed ſup-
pliciũ quęrebant Romani, Quapropter ſeipſos oppidani animabant ad pugnam, di-

ëntes melius eſſe in acie mori, vbi Mars omnibus cõmunis eſſet, qui ſæpius victum erigere, ac victorem affligere ſolitus eſſet, quam poſtmodum cremata, diruptaq; vrbe ante ora captarum coniugum, liberorumq; inter verbera, & vincula omnia fœda, atque indigna paſſos expirare. Igitur non militaris tantũ ętas, & viri, ſed fœminę quoq;, ac pueri ſupra animi corporiſq; vires adſunt, pugnantibuſq; arma, telaq; miniſtrant, ſaxa quoq; ad murorum munitionem adducunt. Accẽdebantur ita animi certamine, labore, ac periculo, atq; ipſo inter ſe conſpectu, adeo q; magno ardore certamẽ initum eſt, vt a iuuentute oppidanorum exercitus Scipionis a muris repulſus ſit. Quod factum vt Scipio vidit, veritus ne vanis conatibus hoſtium animus creſceret, & remiſſiores ſui fierent, ſibimet conandum eſſe cenſuit, partemq; periculi capeſſens ferri ſcalas iubet, & ſeipſum aſcenſurum, ſi cæteri recuſarent, comminatur. Tum a multis partibus cœptæ ſunt ſcalæ erigi, ex aliaq; parte vrbis Lelius vehementi conatu inſtabat. Tunc victa eſt vis oppidanorum, deiectiſq; propugnatoribus occupantur muri. Arx inſuper ab ea parte, quę inexpugnabilis videbatur, capta eſt. Viderant enim eminentiſſimam eius partem, quæ alta rupe tegebatur, neq; vllo opere munitam, & a defenſoribus vacuam. Hanc partẽ leuium corporũ homines, & multa exercitatione diſpoſiti, clauos ferreos ſecum portantes per inequaliter prominẽtia rupis ſcandebant. Vbi per modica interualla diſtantes figebant clauos, quibus, velut quoſdam gradus facientes ita in ſummum peruenerunt. Capta igitur vrbe Romani iram in eos, odiumque euomunt. Nemo enim viuos capiebat nemoq; prædæ memor erat. Trucidantur paſſim inermes ſimul cum armatis, infantuliq; cum mulieribus, ignemq; inſuper tectis iniiciunt, diruunt, quę ignis abſumere nequiuit, ita enim memoriã vrbis penitus extinguere voluerunt. Caſtulonem deinde Scipio exercitum duxit, quam non modo oppidani defendebant, ſed etiam reliquiæ exercitus Pœnorum, qui ex diſſipata fuga paſſim in eam confugerant. Sed cum Scipio aduenisſet, fama cladis Iliturgitanorum eis pariter terrorem ad deſperationem intulit. Et quum in diuerſas ſententias quiſq;, prout ſibi videbatur, conſuleret, diſcordia inter Pœnos, ac Hiſpanos orta eſt. Oppidanorum, atq; Hiſpanorum caput erat Cerdubulus autor deditionis, qui propoſuerat vrbem Romanis tradere, Pœnis vero præerat Amilcho. Cerdubulus vero fide accepta a ciuibus Hiſpaniſq;, vrbem clam Romanis prodit, quæ, quoniam non tantum deliquerat, partemq; indignationis Romanis abſtulerat cruenta Iliturgi vaſtatio, & voluntaria ipſorum deditio, humaniter tractata eſt.

Scipio patri patruoq; exequias facit, & reddit Dijs vota pro vindicia.

SCipio igitur nouam Carthaginem redijt redditurus Dijs vota, ac daturus munera gladiatoribus, haſtiluſoribuſq; pro vindicta patris, patruiq;. Statuit igitur diem ad munera gladiatorum, conueneruntq; ad ſtatutum diem non ſolũ obſcuri generis, ſed etiam Reguli, illuſtreſq;, & clariores viri, quorum aliqui per ſe pugnauerunt, aliqui per alios, alij profeſſi ſunt ſe pugnaturos ob gratiam Ducis, alios æmulatio traxit, vt certamen prouocarent, prouocatiq; non abnuerent. Quidam controuerſias, quas inter ſe terminare non poterant, pacto inter ſe inito, vt victorem res ſequeretur, ferro terminare decreuerunt, ſpectaculoq; ludi funebres additi ſunt. Interim Martius multas ciuitates in deditionem accepit ſine vllo certamine.

Aſcapa vrbs Carthaginenſium igne, ferroq; vaſtatur.

AScapa erat vrbs, quæ hodie Aſcho dicitur, quę ſemper Carthaginenſium fuerat, quæ ſingulare quoddam odium ſemper habuit in Romanos, & tamen vrbem nec ſitu, nec munimēto tutam habebāt, quę ferociores illis animos fecerat, ſed ingenia incolarum latrocinijs dedita, qui ob excurſiones, quas in finitimum agrum ſociorū populi Romani faciebant, ad Romanorum odium prouocati ſunt. Ii etiam vagos Romanorum milites, ac mercatores dietim intercipiebant, & magnum quendam Romanorum comitatum per eorum fines tranſgredientem, iniquo loco circumuentum interfecerant. Ad hanc igitur vrbē expugnandā, quum admotus exercitus eſſet, Oppidani conſcientia ſcelerum, quia nec deditio tuta ad tam infeſtos hoſtes videbāt, nec ſpes in mœnibus, aut armis tuendæ ſalutis erat, facinus in ſe, ac ſuos ferum ac tetrum excogitant. Locum enim in foro ordinant, in quo pretioſiſſima rerum ſuarum congererent, ſuper eum tumulū coniuges, ac liberos cōſidere quum iuſſiſſent, ligna, faceſq; virgultorum circa eum extruunt: vt donec incertus euentus pugnæ eſſet, præſidium in eo loco fortunarū ſuarum, corporumq;, quę chariora omnibus fortunis erant, ſeruarent, ſi vero rem inclinatam viderent, atq; in eo eſſe, vt iam ciuitas caperetur, ſcirentque omnes quotquot in prælium iſſent obituros, eos per ſuperos, inferoſq; Deos orauere, vt memores libertatis, quæ illo die aut morte honeſta, aut miſera ſeruitute finienda eſſet, nihil relinquerent, in quo ſeuire hoſtis poſſet: ferrum, ignemq; in manibus eſſe, manuſq; amicæ, ac fideles potius ea, quæ peritura erunt, abſumant, quam hoſtes ſuperbo ludibrio inſultarent. His adhortationibus excitati, ne quem a propoſito ſpes, mollitia ve animi flecteret, die adiecta concitato agmine, patētibus portis, ingenti tumultu erumpunt, nec enim erat aliqua oppoſita ſtatio firma, quia nihil minus timeri poterat, quam, vt ex vrbe oppidani egrederentur. Perpaucæ igitur turmæ equitum, leuiſq; armaturæ repente e caſtris ad ipſum occurrunt, acrior impetu, atq; animis, quam compoſitior pugna fit, quoniā ſine ordine vllo ab vrbe plebs egreſſa eſt. Itaq; pulſi ſunt equites, qui prius ſe oppidanis obtulerant, cæteriſq; terrorem non leuem intulerunt, trepidatumq; parumper eſt circa ſigna, quum robur legionum præ anguſto tempore dato ad inſtruēdum, non potuerit tempeſtiue occurrere, quoniam ipſi oppidani in vulnera, hoſtes, ac ferrum vehementi vecordia ruebant. Occurrerunt tamen interea probati, ac electi milites, qui temerarios impetus cæde primorum ſuppreſſerunt. Patefacta itaq; acie quo ad fieri poterat, multitudo armatorū abſtinebat a cædibus, nec tamen poterat propter obſtinatos oppidanorum animos, qui ſic paſſim in eos inſultabant, vt in vrbem pugnando intrantes coacti ſint omnes vſque ad vnum occidere. Hoc itaque bellico more decertando actum eſt in prælio, ſed fœdior in vrbe trucidatio fuit, quoniam proprij ciues omnem fœminarū turmam, puerorumq; imbecillem, inermemq; multitudinem occiderunt, & incenſo rogo ſemiuiua adhuc corpora in ignem iecerunt. Præterea ipſi etiam ſuorum cæde miſerandi cum armis in medium ſe iecerunt incendium. Cęterum iam cæde perpetrata ſuperuenerunt Romani, ac primo conſpectu tam atrocis rei mirābundi parumper obſtupuerunt, Deinde, quum aurum, argētumq; flamma liquefaciente tumulo rerum aliarum interfluerēt, auiditate ducti milites, dum capere vellent, alij correpti flamma ſunt, alij combuſti a flamma, quum primi vrgente turba retrocedere nequirent. Ita Aſcapa ſine militum præda igne, ferroq; aſſumpta eſt, Marcius vero cęteris eius re-

gionis partibus in deditionem acceptis victorem exercitum reduxit.

Infirmitas Scipionis, & quæ mala pertulit.

SCIPIO interea graui morbo impeditus eſt, grauiorem tamen ægritudinem reddebat, quum plærique adijcerent, ei corruptionem humorum ex nimia caſtitate accidiſſe. Vnde factum eſt, vt prouincia omnis, & maxime longinqua turbaretur. Ex quo deprehendi potuit, quid ſubſequutū fuiſſet, ſi vera fuiſſet mors, quū vanus rumor tantas excitaſſet procellas, non enim ſocij, ac fœderati in fide manſerunt, non exercitus in officio. Mandonius enim, & Indibilis Celtiberorū principes, qui Aragonenſes hodie dicuntur, quum Scipioni expulſis Carthaginenſibus adhęſiſſent, nihilque ex eo proſperi obtinuiſſent, congregata magna Celtiberorum iuuenum manu agrum Socetanum, in quo ciuitas Soria ſita eſt, & agrum Suecitanum, in quo & Sangueſſa oppidum eſt in Nauarræ prouincia, ſociorum populi Romani multipliciter infeſtarunt, atqꝫ hoſtiliter pene depopulati ſunt. Deinde alius, & quidem maximus ciuilis rumor in caſtris ortus eſt. Erant enim ad præſidium octo millia militum in caſtris ijs gentibus, quę cis Iberum morabantur, ab Imperatore impoſitum, motæ ſunt autem eorum mentes, quum primum de vita Imperatoris dubij facti ſunt: ſed per antea cœperunt ex diuturno, vt fit, ocio, quum arctiores in pace res eſſent, occulte diſſeminare, quid eſſet, ſi debellata confectaqꝫ prouincia eſſet, quid item inter pacatos facerent, quidve, ſi bellum in prouincia eſſet, quomodoqꝫ in Italiam remearent. Petitumque eſt ſtipendium ſæpius procatius ac auidius ſolito ex more ac modeſtia militari, & a cuſtodibus in circuneuntes vigilias, tribunoſque opprobria iactabantur, & nocte multi in agrum pacatum prædatum ibant, deinde iam creſcente licentia ſi mandato a ſignis abibant, omnia libidine, ac licentia militum infeſtabantur, nihilque inſtitutum aut diſciplina militari, aut imperio eorum, qui præerant, gerebatur. Fortuna autem Romanorum caſtra ſeruabantur, eo quod Tribuni a principio iura reddere ommiſerāt ex cōtagione furoris, non ex parte ſeditionis, defectioniſqꝫ. Poſtquam vero Tribuni reprehendere, atqꝫ improbare ea, quę fierent, cœperunt, & propalā dicere ſe furoris eorum non futuros ſocios, ſtatim erupit ſeditio. Fugatis itaqꝫ principibus, ac deinde Tribunis e caſtris expulſis ad duos principes ſeditionis Caium Albiū, & Caium Atrium delatū eſt imperiū omniū conſenſu, qui nequaquā Tribunicijs cōtenti ornamētis inſignia etiam ſummi imperij faſces, ſecureſqꝫ attrectare auſi ſunt, neqꝫ in mētem veniebat ſuis tergis ceruicibuſqꝫ virgas illas, ac ſecures imminere, quas ad metū aliorū pręferrent. Mors enim Scipionis falſo credita erigebat eorū animos, ob cuius vulgatā famam mox non dubitabant totam Hiſpaniam arſurā bello. In eo enim tumultu nec ſocij pecunias Imperatori afferre nec adire propinquas vrbes poterāt propter turbatas res, quū omnia omnes auderēt. Expectabant enim ſingulis horis non tam nuncios mortis, quam funeris, neqꝫ ſuperuenire aliquid poſſe arbitrantur, quod eorum poſſet propoſitum euacuare. Verum, quum viuere primum, mox etiam valere Scipionem, certi nuncij afferrent, Tribuni militum ſeptem ab ipſo Scipione ſunt miſſi, ad quorum aduentum primo omnis factionis viri exaſperati ſunt animo. Percunctati igitur, quæ cauſa iræ, conſternationiſque ſubitę eſſet, diſſimulando ſtipendium ad diem non datum iactabant.

Et quum eodem tempore zelus Ilyturgitanorum extitiſſet poſt duorum Impera-

torum, duorumq; exercituum ſtragem, ſuaq; virtute defenſum nomen Romanorum, ac retenta prouincia eſſet. Ilyturgitanos pœnam noxę meritam habere, ſuis vero non eſſe qui gratiā exoluat recte factis: talia querētibus reſponderūt Tribuni vere ſe oraturos, ac ad Imperatorē delaturos. Lætari inſuper ſe fingebāt ſeditionis autores, quod nihil triſtius, inſanabiliuſq; eueniſſet, & quod ſupereſſet Scipio, qui Deū benignitate reipublicę gratiam reddere poſſet. Scipioni itaq; in principio leuiter agi placuit, & miſſis circa ſtipendiarias ciuitates exactoribus, ſtipendij ſpem propinquam dedit. Edictumq; ſubinde poſitum eſt, vt ad ſtipendium petendum cōuenirent in nouam Carthaginem, ſpemq; maximam ſuę factionis, ſeditioniſq; abſtulit Mandonio, & Indibili, qui audito quod viueret, & valeret Scipio, omiſſo incœpto in ſuos fines redierunt, neq; videbant quenquam, non principem, non priuatum, apud quem recipi poſſent. Omnia enim circunſpectantes, nihil reliqui habebant, præter non tutiſſimum a multis conſilium receptum, dubijq; erant, an Imperatoris iuſſu pro ſtipendijs irent, vel de eius clæmentia deſperarent, quum ſcirent eum etiam hoſtibus ignouiſſe, cum quibus dimicaſſet, ſuamque ſeditionem ſine ſanguine, ſine vulnere eſſe, ac propterea non atrocem, aut atroci pœna dignam: vt humana ingenia ſunt, ad ſuam quiſq; leuandam culpam declinabat. Maior tamen inter eos illa erat dubitatio, an eorum Tribuni & Centuriones, an vero omnes pro recipiendo ſtipendio irent, & valuit ſententia, vt omnes irent, quia tutius eſſe cenſebant.

Quomodo puniti ſunt tantæ ſeditionis autores.

QVum vero per eoſdem dies hæc illi inter ſe conſultarent, conſilium de his nouæ Carthagini agebatur, certabaturq; ſententijs. Vtrum in autores tantæ ſeditionis, an vero omnium ſupplicio culpa vindicanda eſſet. Erant enim autores paulo plures quinq; ac triginta, vicit tandē pœna leuior, vt vnde culpa eſſet, ibi pœna conſiſteret, ad multitudinem vero ſatis eſſe caſtigationem verbalem. Concilio itaq; dimiſſo parari expeditio cœpit aduerſus Mandonium, Indibilemq;, cibariaq; exercitui, qui Carthagini erat, parari iubentur. Et cum eis Tribuni ſeptem, qui per antea Succonem miſſi fuerant ad leniendam ſeditionem, obuiam exercitui irent, quibus ſingulis data ſunt nomina principum ſeditionis, vt eos per idoneos homines benigno vultu, & ſermone prius lenitos Carthaginem adducerent. Qui, quum veniſſent, ad concionem vocati in forum ad Imperatoris tribunal ducuntur. Imperator vero ſedit pauliſper tacitus, tum ſilentio per præconem facto, pluribus verbis de eorum ſeditione habitis, atq; errore confutato, tum ex præparato omnium rerum terror oculis, auribuſq; omnium eſt effuſus.

Inter hæc exercitus, qui corona concionē circundederat, gladijs & ſcutis cōcrepuit.

Tum præconis audita vox eſt citantis nomina damnatorum, qui ſtatim in cōcilio nudi in medium protrahuntur, & ſimul omnis apparatus ſupplicij exprimebatur.

Deligati igitur ad palum, virgiſq; cæſi, & ſecuri percuſſi ſunt: adeo concuſſis metu, qui aderant, vt circunſtantium gemitus exauditi ſint. Tracti inde de medio omnes ſunt, purgatoque loco, citati milites nominatim apud Tribunos militum intrauerunt, ſtipendiumq; ad nomen ſingulis perſolutum eſt. Hunc finem ſeditio militum habuit.

Fugatur iterum Hanno præfectus Magonis a Lucio Marcio.

PEr idem tempus Hanno præfectus Magonis miſſus à Gadibus cũ parua manu Afrorum, data mercede Hiſpanos ſolicitando ad quatuor millia iuuenũ armauit. Caſtra deinde parans ab Lucio Marcio diſſipatis caſtris, multis captis, cæteris in fugam datis, ipſe Hanno cum paucis effugit, reliquos per deuia vagos, pallanteſq; perſecutus eſt. Dum hæc agerentur ad Bętim fluuium, qui hodie Guadalcauir dicitur Arabica lingua, Lelius cum claſſe in Oceanum nauigauit ad vrbem, quę Carthe dicitur. Erat enim ea vrbs in Oceani ora ad eam Hiſpaniæ partem, qua ex anguſtis faucibus panditur mare ad Gades. Cauſa autem aduentus Lelij erat, quia Gaditani, miſſis ad Romanos nuncijs in caſtra, obtulerant vrbem ſine certamine tradere. Romanis interim vulgata proditio eſt, quoniam Mago, qui in ea vrbe erat, comprehenſos eos omnes Adherbali Prętori Carthaginem deuehendos tradidit. Adherbal vero cõiuratis in quinque remibus impoſitis, præmiſſiſq; ipſis quinque remibus, quę tardiores quam triremes erant, ipſe cum octo triremibus modico interuallo ſecutus eſt. Iamq; fretum intrabat quinque remis Carthaginenſium, & ecce Lelius cum claſſe affuit, qui, quum quinque remem Carthaginenſiũ capere conatus eſſet, ſequentibus ſeptem triremibus ad Adherbalem euectus eſt. Quinque remis vero pœna videns ſe deprehenſam, & obſiſtente ęſtu freti in aduerſum reciprocare non poſſe, in re ſubita parumper timuit, an videlicet ſuæ triremes ſequerentur, an vero hoſtis roſtra conuerteret, ipſa enim dubitatio moram fecit detractandæ pugnæ. Iam enim ſub ictu teli erãt, & vndiq; ſtabãt hoſtes, ęſtus quoq; morandi naues adimebat arbitriũ, neq; enim erat ſimile nauali pugnę, quum nihil voluntariũ haberet, nihilq; artis, vel cõſilij eſſet, quoniã & natura freti ęſtuſq; ſuis, alieniſq; nauib9 pariter inuehebat, vt remigi vllus locus non eſſet, ſi in contrarium ęſtus tetẽdiſſet, fit igitur coacta pugna. Quũ igiť quinque remis Pœnorũ coacta, infeſtaq; in Romanã roſtro decurriſſet, inuaſiſſetq;, oblica Romana ictũ alterius roſtri recipiebat, interim anceps pręliũ commiſſum eſt. Quinque remis vero Romana, ſeu pondere tenacior, ſeu quia pluribus remorum ordinibus referta facilius regeretur, duas triremes ſuppreſſit, & vnius ex alijs remos detorſit oppreſſa, cęteraſq;, quas adepta eſſet, mulctaſſet, niſi Adherbal cũ quinque remibus extenſis velis in Africam transfretaſſet. Lelius vero victor cęterarũ reuerſus auditis, quę acta Gadibus eſſent, ob patefactam proditionem, coniuratoſq; Carthaginem miſſos, ſpe ad irritum redacta, nuncios ad Lucium Marcium miſit, de cunctis certiorem faciens, & quia fruſtra ibi tempus tererent, aſſentiente Marcio redire ad Imperatorem decreuerunt, poſtq; paucos dies ambo nouam Carthaginem redierunt. Ad quorum diſceſſum nec ocioſus Mago fuit, quæ poterat terra, mariq; ordinans, vt in Hiſpaniam rediret. Audita enim Ilergetum rebellione, quę Nauarrorum gens eſt, vt ſupra diximus, ſpem recuperãdæ Hiſpaniæ dedit. Miſſis igitur nuncijs ad Senatum Carthaginenſium, qui ſimul ſeditionem ciuilem in caſtris Romanis, defectionẽq; ſociorũ in maius verbis augerẽt, imperiũ Hiſpanię poſſe repeti perſuaſit.

Prælium Scipionis, & Indibilis, ac Mandonij Celtiberorum Regulorum, qui aduerſus Romanos rebellarant.

MAndonius itaque & Indibilis audita Scipionis ſanitate, quia in fines ſuos regreſſi fuerant, viſuri pauliſper quid ſeditio incepta ſtatueret, quoniam ſi conſpiratis ciuibus in caſtris indulgeretur, ſibi quoq; ignoſci nõ dubitabant. Poſtquam vero vulgata eſt atrocitas ſupplicij, ſuam quoq;

noxam pari pœnà vindicandam arbitrati, vocatis rurſus ad armà popularibus; cõtractiſq;, quæ ante habuerant, auxilijs in Sucetanum agrum, vbi defectio primum exordium habuerat, cum viginti millibus peditũ, & duobus millibus, & quingentis equitum tranſcenderunt. Scipio vero quum omnibus noxijs, innoxijſq; ſtipendium dediſſet vultu, & ſermone in omnes placato, facilerec õciliatis militum animis prius quã caſtra a noua Carthagine moueret, concione aduocata multis verbis in perfidiam Regulorum verba faciens aſſeruit, non ſe eo animo ire ad vindicandũ hoc ſcelus, quo ciuilem errorem nuper ſanauerat, quoniam id fecit non ſecus, quam ſua viſcera ſecãs cum gemitu, ac lachrymis triginta hominum capitibus liberaſſe octo millium ſiue imprudentiam, ſiue noxam, nunc vero lęto, & erecto animo in cędem Ilergetũ ire. Deinde ſe ad iter præparare in diem alterum iubet, profectuſq; decimis caſtris peruenit ad Iberum flumen, deinde quarto die caſtra in conſpectu hoſtiũ poſuit. Campus enim erat ab interiori parte montibus circunſeptus, in eam vallem Scipio, quũ pecora multa ex hoſtium agris rapi iuſſiſſet, ad irritandos Barbarorum animos velites, qui proprie Hiſpano nomine Ginecarij appellãtur, immiſit. Vbi vero per excurſionem commiſſa fuit pugna, Lelium cum equitatu impetum ex occulto facere iubet, mons enim præeminens equitum inſidias texit, nec vlla mora ad pugnam facta eſt. Hiſpani cernentes eorum pecora tolli, in velites Hiſpanos præda occupatos incurrere cœperunt. Vnde quum cœpiſſet iam pugna, & gladijs nudatis, collatoq; pede certamen fieret, ſuperuenere equites, & maiores inde cędes fiunt, quã per excurſiones, ac leuia certamina fieri ſoleant, & magnæ inde cædes fiunt, ita magis accẽduntur ira Hiſpani ad vindictam, quive pulſi viderentur, poſtero die prima diei luce in aciem proceſſere, neq; capiebat omnes copias anguſta vallis: duæ namq; peditũ partes, & omnes deniq; equitatus in aciem deſcenderunt, reliqua vero peditum pars in vnum ex obliquo collẽ conſtitit. Scipio cõſiderãns loci anguſtiã pro ſe eſſe, quia in arcto pugna aptior Romanis, quam Hiſpanis futura videbatur, quodq; in eum locum retracta eorum multitudo eſſet, qui omnes minime capere poſſet, nouo conſilio animum adiecit, vt ſcilicet tam anguſto ſpatio circundaret cornibus hoſtium aciem, quo peracto Hiſpanis inutiles forent pedeſtres copiæ. Itaq; imperauit Lelio, vt per colles occultiſſimo itinere circunducat equites, ſegregetq; quantum poſſit equeſtrẽ a pedeſtri pugna, ipſe quoq; Scipio ſtatim omnia peditũ ſigna in hoſtes vertit, quatuorq; cohortes in fronte ſtatuit, quia latius non poterant aciem pandere, neq; moram pugnandi vllam fecit, vt cum certamine auerteret conſpectum equitum tranſeuntium per collem, neq; ante conſpicerent circunductos eſſe, quam a tergo inuaſos ſe eſſe ſentirent, ita duo prę lia, duę peditum acies, & duo equitatus per lõgitudinem campi, nam miſceri non poterant, quia vallis anguſtia hoc non patiebatur, pugnabantq; adeo, vt neq; pedites equitibus, neq; equites peditibus auxilio eſſe poſſent, quoniam quum pedites, qui in fronte erant, pugnarent, putantes equites a tergo eis auxilio eſſe, trucidantur, quoniam equites ipſi a Lelio, & Romanis ab ipſo tergo inuaſi etiam delebantur. Quumq; ipſi equites aliquandiu Lelij impetum ſuſtinuiſſent, finaliter tamen ad vnum omnes cęſi ſunt, nec quiſquam equitum, peditumve ſuperfuit, eorum ſcilicet, qui in valle pugnauerunt. Tertia vera pars, quæ ſuper collem ſeceſſerat, potius ad ſpectaculũ, quã ad pugnam ſteterat, & locum, & tempus ad fugiendum habuit, Inter eos enim Mandonius, & Indibilis Reguli fratres ipſi fugerunt, prius quam a tergo tota circũueniretur acies, elapſi inter tumultum. Caſtra itaq; Hiſpanorum eo die præter aliam prę

f.

dam cum tribus ferme millibus hominum capiuntur. Ex Romanis vero eo die, ac prę lio circiter mille ac ducenti ceciderunt, vulneratiq́ ſunt amplius quã tria millia hominum. Neq́ enim adeo cruenta fuiſſet victoria, ſi patētiore campo decertaſſent, & ad fugam capeſſendam facilitas fuiſſet. Indibilis itaq́ abiectus bello, & fugatus conſiliū cepit, & afflictis, proſtratiſq́ rebus nihil tutius eſſe duxit, quã vt in Scipionis clęmentia ſperaret. Experta itaq́ eius fide Mandonium fratrem ad Scipionem mittit, qui aduolutus genibus eius fatalem rabiem temporis accuſat, quum velut contagione quadam peſtifera, non Ilergetes modo, & Laceiani, ſed caſtra quoq́ Romana inſanierint, ſuam itaq́, & fratris, & reliquorum popularium eam conditionem eſſe, vt, ſi velit, reddant ſpiritum Scipioni, vel ſi ſeruari malit, tanquã ab eo acceptum, illum pro eius voluntate deuouerent, tanquam ab eo ſeruatum. In cauſa enim fuerat eatenus, ipſam clęmentiam non petijſſe, quum de ea, eius inſpecta magnanimitate, non haberetur fiducia, nunc antem econtra, quoniam quum victor euaſerit, non eſt dubium in eius maxima clęmentia ſperare. Ille enim ſemper Romanis mos fuit, parcere proſtratis, & debellare ſuperbos. Scipio igitur, licet vetus mos Romanorū fuiſſet, vt eis, quos non fœdere, ſed armis ſuperaſſent, non prius daretur amicitia tanquam in pacatū populum, quam omnia diuina, & humana dediſſent, obſides inſuper acciperentur, adimerentur arma, præſidiaq́ vrbibus compoſita forent: multis igitur verbis deteſtatus Mandonium præſentem, Indibilemq́ abſentem eorum ſuo ipſorum maleficio aſſeruit, victuros populi Romani beneficio. Itaq́ eiſdem Regulis, & illam pugnã, & rebellionem liberam eſſe voluit, eiſq́ velle præter Romanum morem, & arma relinquere, nec obſides petere, ne ſi iterum deficerent in obſides innoxios, ſed in ſe ipſos ſeuiret, atq́ eorum eſſe, an pacatos, an iratos Romanos velint. Ita dimiſſus eſt Mandonius, pecunia tantum imperata, qua militibus ſubſidiū parari poſſet, qui, Lucio Marcio in vlteriorem Hiſpaniam præmiſſo, paucos moratus dies, dum imperatam pecuniam Ilergetę numerarent, cum expeditis Lucium Marcium iam Oceano appropinquantē aſſequitur, incohata enim res erat de Maſſiniſſa, vt ad colloquiū cum Scipione veniret, vulgatum eſt in caſtris Scipionis Maſſiniſſam cum Scipione velle cōgredi, adhocq́ dexteras ſibi inuicem dediſſe. Maſſiniſſa vero quum Gadibus eſſet certior factus a Marcio, Scipionē aduentare, cauſando dixit corrumpi equos in inſula, penuriamq́ rerum omnium pati, & ideo ſe velle traijcere ad depopulandos Mediterraneos agros, vtq́ Imperator Mago hoc pateretur, marceſcere ſe dixit equitum deſidia. Tranſgreſſus itaq́ tres Principes Numidarum præmittit ad tempus, locumq́ pro colloquio ſtatuendum, duos pro obſidibus retineri a Scipione iubet, remiſſo tertio, qui quum iuſſus eſſet, adduceret Maſſiniſſam, cum paucis itaq́ ad colloquium venerunt. Ceperat enim Numidam Scipionis fama, geſtarumq́ rerum admiratio, qui animos ad ſpeciem corporis eius amplam, atq́ magnificã erexerat, cæterum maiorē venerationē præſentia fecit, & præterquã q́ a natura multa in eo erat mageſtas, adiuuabat tamē pręmiſſa cæſaries, habituſq́ corporis, non cultus ex exquſitis mundicijs, ſed virilis, ac vere militaris, quod plenius, nitidiuſq́ ex morbo apparebat, velut renouatus flos iuuentute, prope attonitus ipſo primo cōgreſſu Numida eſt. Agit igitur Maſſiniſſa primum Scipioni gratias de fratris filio remiſſo, ex eoq́ tempore eam ſe quęſiſſe occaſionem, quam tamen oblatam Deorum immortalium beneficio non omiſerit, cuperecq́ ſe illi, populoq́ Romano operam nauare, ita, vt nemo vnus externus magis enixe adiuuerit rem Romanam, ſeq́ diu hoc facturum parauerat in

Hiſpania

Hiſpânia ignotã, alienaq́ꝫ ſibi pàtrià, cum autem hoc fieri non valuerit, ſe id in Africa, ac propria patria facturum, quoniam ſi Romani eundem Scipionẽ in Africam mittant, non eſt dubium, ſparare poſſe, ſe breui illam adepturos. Lætus enim vidit eum Scipio, audiuitq́ꝫ, cum caput rerum in omni hoſtium equitatu Maſiniſſam ſciret, qui & iuuenis erat, & decorem præ ſe ferebat. Fide igitur data, receptaq́ꝫ Scipio regreſſus eſt Tarraconam. Maſiniſſa vero permiſſu Scipionis, ne ſine cauſa traieciſſe videretur, depopulans vicinos agros Gades rediјt.

Mago Pœnorum Dux a Gadibus ad minorem Balearium inſulam cum claſſe hibernaturus venit,

MAgo igitur deſperatis in Hiſpania rebus, quoniã cum ſpes fefellerat, quã primum in militari ſeditione cõcipiens in defectione Indibilis, ac Ilergetum poſuerat, quę duo eius animũ diu ſuſtinuerãt. Dum pararet claſſem in Africã traiјcere, nunciũ a Carthagine accepit, iubere Senatum, vt claſſem, quã Gadibus haberet, in Italiã traiјceret, conducta ibi quanta poſſet Gallorũ, ac Ligurũ iuuentute, coniungeretq́ꝫ Hannibali, ne ſineret ſeneſcere bellũ maximo impetu, ac fortuna cœptũ. Ad eam rem maxima pecunia a Carthagine magna adducta eſt, & ipſe quantũ potuit a Gaditanis exegit, non modo publice ab eorũ ęrariјs, ſed etiã templis ſpoliatis, priuatim ab omnibus eos cogendo, vt aurum, argentũq́ꝫ in publicũ conferrent. Qui cum a Gadibus cum claſſe diſceſſiſſet, ac pręteruheheretur ad Hiſpanię oram, non procul a noua Carthagine expoſitis in terrã militibus proximos depopulatur agros, inde ad vrbẽ claſſem appulit, ibiq́ꝫ, cũ die milites in nauib⁹ tenuiſſet, nocte in litus expoſuit ad eã muri partẽ, qua capta a Romanis noua Carthago fuerat, pro cõſtanti habens, eã vrbis partẽ nullo ſaltẽ valido pręſidio teneri, & aliquos oppidanorũ ad ſpem nouandi res moturos. Interim nunciј ex agris trepidi ſimul depopulationẽ, agreſtiũq́ꝫ fugã, & hoſtiũ aduẽtum retulerunt. Tum viſa eſt claſſis, nec ſine cauſa electa ante vrbẽ ſtatione apparuit, armati igitur oppidani, inſtructiq́ꝫ ad portã mare verſus, ac ſtagnũ cõcurrerũt, vbi circunfuſi hoſtes ad muros tumultu maiore, quã vi ſubierãt, patefactaq́ꝫ repente porta Romani cũ clamore erũpunt, turbatoſq́ꝫ hoſtes ad primũ incurſum, coniectũq́ꝫ telorum vſq́ꝫ ad littus cũ multa cęde perſequunt̃, & niſi naues littori appulſæ trepidos recepiſſent, non ſuperfuiſſet fugę, aut pugnę quiſq́ꝫ. In ipſis quoq́ꝫ nauibus trepidatũ eſt, ne hoſtes cũ ſuis ſimul in naues irruerent. Retrahunt igit̃ ſcalas, anchoraſq́ꝫ, ne morã nimiã facerent, præcidũt, quorũ multi in littore derelicti, vt naues natãdo aſſequerẽtur, incerti pręe tenebris quid peterẽt, aut vitarẽt, fluctibus obruti ſunt. Poſtero vero die cum claſſis retro in Oceanũ, vnde venerat, fugeret circiter duo millia, ac octingẽti homines cęſi inter muros, lituſq́ꝫ reperti ſunt. Mago autẽ in Gades cũ claſſe reuerſus excluditur, inde ad Cymbros non longe a Gadibus claſſe appulſa claudunt̃ illi portæ. Inde ad Petruſam centũ pene milliaria amplectens, quã Pœni adhuc obtinebant, incolebantq́ꝫ, In ea claſſis bona cum pace ſuſcepta eſt, nec modo cõmeatus ab ea benigne pręebiti ſunt, ſed etiã in ſupplementũ claſſis iuuentus, armaq́ꝫ data ſunt, quorũ fiducia Mago in Baleares inſulas quinquaginta abinde milliaribus diſtantes transfretauit. Duę enim ſunt Balearium inſulę, vna maior, quam Maioricam a maioritate inſulę, vt ſupra diximus, altera Minor, quã a minoritate reſpectu maioris Minoricam dicunt, armis, hominibuſq́ꝫ copioſior, ac portum habens pulcherrimum, in quo ſe hibernatu-

rum ſperabat ad extremum enim autumni erat. Quum itaq; ad maiorem inſulam cum ipſa claſſe transfretaſſet, cum fundis inſulani omnes hoſtiliter occurrerũt. quo ſolo armorum genere, ſicuti in aduentu Herculis ſupra narratum eſt, vtebantur, & inde etiam Baleares dictę ſunt, tantaq; vi lapidum appropinquantem claſſem obruebant, vt introitum portus eis omnino vetuerint. Inde igitur recedentes ad minorem Balearium inſulam traiecerunt. In cuius portum locum munientes ſine certamine, vrbe, agroq;, & quidem fertili, potiti ſunt, in qua tota hyeme reſidens Mago duo millia auxiliarium ex eis conſcripſit, vrbemq; ipſam amplians, & portui, & vrbi nomen dedit, Magoq; vſq; in hodiernum appellantur. Gaditani vero poſt eius ab Oceano diſceſſum Romanis ſe dederunt.

Scipio obtenta Hiſpania Romam reuertitur atq; Conſul creatur, eiq; Sicilia, & Africa aſſignatæ ſunt.

HIS itaq; peractis anno ab orbe condito quarto milleno & ab vrbe condita. D. ac. XLIII. Scipio obtenta Hiſpania Romam redijt & iterum Conſul creatur, & multis in Senatu contradicẽtibus Sicilia illi prouincia decreta eſt, & inſuper Africa Romanis armis aggredienda. Magnus itaq; Romæ apparatus fit ad bellũ in Africa transferendum, Scipioq; traijcere exercitũ in Siciliã, & inde in Africã parat. Sed, quoniam hæc ad Hiſpaniam pertinere non videntur illa prætermitto, de quibus ſatis, abundeq; Romani ſcriptores meminerunt. Nos autem de noſtris videamus.

Mago Amilcharis filius a portu, & vrbe Magone minoris inſulæ Balearis exercitum Genuam traijcit, & vrbem vi cepit, Indibiliſq; defectio, ac pugna.

MAgo igitur cum hibernaſſet. vt diximus, in minori inſula Balearium ſequẽti vere anno ab orbe cõdito quarto milleno. DCCCC. XIII. & ab vrbe cõdita. D. XLIIII. ex ipſa minore inſula Baleariũ iuuentute lecta, & in claſſem impoſita in Italiã triginta roſtratis nauibus, & multis onerarijs duodecim millia peditũ, duoq; ferme equitum traiecit. Genuam nullis præſidijs maritimam oram tutãtibus repentino aduentu cepit. In Hiſpania denuo bellum exortum eſt conſentiẽte Indibili, ac iterum rebellante nullam aliã ob cauſam niſi propter admirationẽ virtutum, Scipionẽq; ſolum militari peritia clarum putabat ſuperfuiſſe Romanis, cæteris omnibus ab Hannibale interfectis. Contẽnens itaq; reliquos intra paucos dies concitatis finitimis populis ad Hiſpaniã liberandam triginta millia peditum, & quatuor ferme equitũ in Sedetanum agrũ congregauit. Romani quoq; Imperatores. L. Lentulus, & . L. Mantius exercitũ contra Indibilem duxerunt, & cõmiſſa pugna tandẽ cum vidiſſent turbatos hoſtium ordines, trepidanteſq; atq; fluctuãtia ſigna, hortantur milites, vt perculſos inuadant, nec reſtitui aciem patiantur. Neq; ſuſtinuiſſent impetũ Hiſpani, niſi Indibilis ipſe cum equitibus pedes digreſſus ante prima ſigna peditũ ſe obieciſſet ibi enim aliquandiu atrox pugna fuit. Tandẽ poſtquam ij, qui circa Regem ſemimortuum, ac deinde terræ confixum pugnabant, obruti telis occubuerunt tunc fuga paſſim cœpta eſt, pluresq; cæſi equites, quia eis conſcendendi equos ſpatium non dabatur, & quia Romani perculſis Hiſpanis inſtiterunt acriter, nec anteabſceſſum eſt, quam a caſtris

hoſtem penitus expuliſſent, tredecim millia Hiſpanorũ eo die cæſa ſunt, octingenti vé
ro capti. At Romanorũ ſociorum paulo amplius quã ducenti, & præcipue in læ-
uo cornu ceciderunt. Pulſi itaqꝫ e caſtris Hiſpani ſunt, & qui ex prælio effugerunt di
ſperſi primo per agros, inde ad ſuas ciuitates redierũt. Tum a Mandonio Regulo fra
tre Indibilis ad conciliũ euocati, conqueſti ſunt ibi clades ſuas, valdeqꝫ deteſtari cœpe-
runt autores belli Indibilem, cæteroſqꝫ Principes, quorũ plærıqꝫ in acie occidiſſent.
Qui cum legatos ad arma tradenda, deditionẽqꝫ faciendam miſiſſent, reſponſum eſt a
Romanis Imperatoribus, in deditionem ita accepi, ſi Mandonium, cæteroſqꝫ belli con
citatores viuos traderent, ſin aliter facerent, exercitus in agrum Ilergetanum, moxqꝫ
Auſetanum, & deinceps aliorum populorũ ſe ducturos cum maximo eorum malo.
Hæc dicta vbi a legatis renunciata ſunt, Mandonius, cæteriqꝫ Principes in concilio
comprehenſi traditi ſunt Romanis ad ſupplicium, ſic pars Hiſpaniæ populis reddi-
ta eſt, ſtipendium inſuper duorũ, & frumentum ſex menſium imperatum eſt, & obſi
des a triginta ferme populis accepti ſunt. Ita Hiſpaniæ rebellantis tumultus magno
metu intra paucos dies concitatus, & cõpreſſus eſt, & omnis terror in Africã verſus.

INCIPIT LIBER SEX

TVS DE IIS, QVAE GESTA SVNT IN HI-
ſpania, & quomodo Pœnis expulſis vſqꝫ ad tẽpora ciuilis belli
Quieuit Hiſpania a bellis annis fere decem, in qui
bus Carthago magna capitur a
Scipione.

IAM itaqꝫ a ſuperiori anno, id eſt, ab vrbe cõdita quin
genteſimo quadrageſimo quarto vſqꝫ ad eiuſdẽ annum
D. LIIII. nil memorabile in Hiſpania geſtũ eſt, ſed qui
euit a bellis. Quo decennio Scipio in Africã cum exerci-
tu traiectus Carthaginẽ, vniuerſamqꝫ Africã debellauit,
ex qua re Africanus eſt cognominatus. Moxqꝫ exacto
tẽporis huius curriculo ciuilis contentio in vrbe cõmo-
ta eſt inſtantibus mulieribus, vt lex Oppia, quæ mulie-
rum ornatum prohibebat, abrogaretur. Tulerant enim
eam Marcus Oppius, & Titus Romuleus Tribuni po
puli Quinto Fabio, & Tito Sempronio Conſulibus in medio ardore punici belli, nẽ
qua mulier pluſquã ſemunciam auri geſtaret, neqꝫ veſtimento diuerſi coloris vteret-
tur, neqꝫ vehiculo, curruqꝫ in vrbe, oppidove ad mille paſſus, niſi ſacrorũ cauſa vtere-
tur. Tulerunt enim ad plebem abroganda lege Marcus Fundanius, & Lucius Vale
rius Tribuni populi. Brutus, & Titus Iunius legem Oppiam tuebantur, nec etiam ab
rogari ſe paſſuros aiebant. Ad ſuadendũ vero, diſſuadendumqꝫ multi nobiles pro-
dibant. Capitolium turba hominum fauentium, aduerſantiumqꝫ legi complebatur.
Matronæ nulla nec autoritate, nec verecundia virorum imperio contineri limine po-
terant. Omnes enim vias vrbis, aditumqꝫ in forum obſidentes viros deſcendentes
ad forum orabant, vt florente republica, ac per conſequens creſcente in dies etiam
priuata, omniumque fortuna, matronis quoqꝫ priſtinum ornatum reddi paterentur.
Augebatur hæc mulierum frequentia in dies, nam etiam ex oppidis, conciliabuliſque

conuenerant. Iamq; conſules, & prætores publice rogare audebant, habebant tamen alterum Conſulem Marcum Portium Catonem inexorabilem, qui pro tuenda lege publice orationem habuit. Contra vero Lucius Valerius pro rogatione mulierum confutauit Marcij Portij Catonis orationem. Vicit itaq; mulierum petitio, vt lex abrogaretur. Omnes enim vrbis matronæ, & mulieres vna acie in Capitolium conſcendentes rogarunt omnes magiſtratus, ac Tribunos, ex qua re tãtus fuit mulierum fauor, quod omnes pariter iudicauerunt legem Appiam eſſe abrogandam, quæ viceſimo, poſtquam lata fuerat, anno abrogata eſt.

Marcus Portius Cato Conſul cum exercitu in Hiſpaniam venit.

POſtquam igitur lex Appia abrogata eſt anno ab orbe condito quinto milleno tertio, & ab vrbe cõdita quingenteſimo quinquageſimo quarto Lucio Valerio Flacco, & Marco Portio Catone Conſulibus, idẽ Marcus Portius Cato cũ exercitu ad Lunę portũ cũ quinque ac viginti nauibus venit. Deinde nauibus omnis generis hinc inde cõtractis proficiſcẽs edixit, vt ad portũ Pyrenęi omnes ſequerentur, indeq; ad vrbẽ Rhodam ventũ eſt. Hæc enim vrbs in Gerundenſi erat Dioeceſi, cui nunc præſidemus, & a ſexcentis annis Epiſcopos habuit, quæ vrbs iuxta Claudij Ptolemęi deſcriptionẽ non longe a Pyrenęo diſtabat, ſita ad littus maris portu a vulgo vocato Lalena, quæ omnino deleta eſt: extat tamen in ipſo vertice montis cœnobium, quod ſancti Petri de Rhodis accolæ dicũt, ab ipſa vrbe Rhoda. Erat autẽ in ipſa vrbe arx, quã Hiſpani tenebãt, eam itaq; vi expugnatã Cato cepit. Indeq; ſecundo vento Emporias vrbẽ a Rhoda non longe diſtantẽ venit, quę in tres diuiſa erat. Primã enim mari vndiq; circundatã tenebãt Gręci, qui a Phocenſibus, vnde Maſilienſes, ortum habuerant, de quorũ origine Iuſtinus poſt Trogum Pomp. late diſſeruit, quod Gręcum oppidũ pene mare hinc inde cingebat, cuius muri quadringentorum paſſuum ſpatio protendebantur. Secundã Hiſpani tenebant, cuius trium milliarium ſpatiũ muri amplectebãtur, quę diſtans a mari milliario prope vno magnũ Hiſpanorũ, ferociſſimorũq; virorum numerũ continebat. Tertiã vrbẽ oppidũq; incolebant Romani ad littus maris, quod ad Oceanum reſpicit. Hanc itaq; tertiam refert Zozomenus Piſtorienſis hiſtoricus Iulium condidiſſe, poſtquã deuicit in Hiſpania Pompeij liberos, quoniã cũ primũ a Gerũda ſextũ Pompeiũ fugaſſet, inde etiã vſq; ad Ilerdã venit. Poſtquã Brutus eũ apud Mundã vrbẽ, quę nũc colimbriũ dicitᷣ, in Portugallia victũ interfeciſſet, Iulius Cęſar oppidũ ex Romanis, Italicis, qui primũ, vt opinor, cũ Cornelio Scipione venerant, cõſtruxit, coloniãq; Romanorũ effecit. Sicq; enim Emporiũ vrbs in tria oppida diuiſa diuerſis linguis volũtatibuſq; cõſiſtebat. Per eadẽ eñ tẽpora rebellarat citerior Hiſpania oñis, ac Romanũ oppidũ, quod apud Emporias erat, vi occuparãt. Ad hanc igitᷣ rebellionẽ perdomandã Cato Cõſul in Hiſpaniã venerat. Græcorũ vero oppidũ non modo non eſt rebellionẽ ſecutum, verũ ſeruata Romanorũ fide ſeruatũ legimus. Accurata enim diſciplina, quę potiſſimũ, vbi met⁹ accidit, ſeruatᷣ, eos eaten⁹ cõſeruarat, partẽ eñ murorũ ad Hiſpanos verſam optime munitã habebat, vna tantũ porta ad eã regionẽ vtebantᷣ, in qua ſemp alter ex magiſtratib⁹ vrbis pręſidebat. Nocte vero qualibet tertia ciuiũ pars in muris excubabat, & tanq̃ ſi hoſtis ad portã eſſet, & ſeruabant vigilias ſemper, & circuibant ciuitatem diligenti cura, Hiſpanum neminẽ intra vrbem recipiebãt, nec ipſi temere ab vrbe

exibant. Ad mare enim patebat omnibus exitus ad portam ad Hiſpanorũ oppidum
verſam, a qua non niſi frequentes egrediebantur. Cauſa vero excundi tantum erat
commertia cum Hiſpanis. Hiſpani enim tanquã maris imprudentes, inexpertiq; mer
cari gaudebant, vt ex ijs, quę mari afferebãtur, haberent, ſuoſq; fructus illis vẽderent.
Huius igitur deſiderij cauſa Hiſpana vrbs Gręcis patebat. Sic Græcũ Emporiæ op-
pidum ſeruatũ eſt. Erantq; eo tutiores, quod ſub ſpecie Romanę amicitię tutabãtur,
quã ſicut Maſſilienſes, a quibus deſcẽderant, minoribus licet viribus, pari tamen cole
bant fide. Sic conſulẽ Catonem ad eam declinantẽ comiter, ac benigne ſuſceperũt, pau
coſq; dies ibi moratus eſt, dũ explorare cœpit, vbi, & quãtæ hoſtiũ copiæ eſſent. Vn-
de ne mora ipſa inutilis eſſet, omne id tẽpus exercẽdis militibus conſumpſit, erat enim
tempus, quo frumentũ in horreis coaceruatur. Redẽptoribus itaq; vetitis ne frumen-
tum exportarẽt, & vrbe Græca eiſdẽ repleta ad bellũ ſe parat, ac profectus ab Empo
rijs agros hoſtium vrit, vaſtatq; omnia fuga, & terrore cõplens. Qui, cũ caſtra non
longe ab Emporijs in agro, q eſt inter medios fines Gerundę vrbis & Emporię poſu
iſſet, cũ hoſtibus, q ex reliqua Hiſpania cõfluxerãt, conſeruit pręliũ: quos deuictos cę-
cidit, ac diſſipauit, qui exuti caſtris, ſigna, armaq; abijcientes vſq; ad vicinorũ oppi-
dorum portas fugant, in quibus ipſi Hiſpani ſuo ſe agmine, ac preſſura perimebant,
cædentibus Romanis a tergo, ac eos cõprimentibus, quorũ caſtra omnia Romani di
ripuerunt. Refert Valerius Annias hiſtoricus eo die ſupra quadraginta millia Hiſpa
norum cæſa. Cato vero ipſe geſta ſua conſcribẽs, detractor laudũ ſuarum multa mil
lia hominũ ait ſe interemiſſe, ſed numerũ non expreſſit. Nihil deniq; a victoria ceſſa-
tum eſt. Quũ enim receptui ſignũ datũ eſſet, ſuoſq; ſpolijs onuſtos ad caſtra reduxiſ-
ſet, paucis horis noctis ad quietem datis ad prædandum in agros hoſtium ſparſos re-
duxit ad comprehendendũ hoſtes hinc inde ſine ordine fugientes, quæ res, non minus
quã pugna prioris diei, Emporitanos Hiſpanos, accolaſq; eorũ in deditionem cõpulit.
Sic Cato vrbem Emporiã Hiſpanorum obtinuit deditione recepta, ex alijſq; vicinis
vrbibus eos, qui Emporiam profugerant, Cato benigne ad ſe vocatos in ſua quenq; di
miſit. Inde caſtra mouit, ac itinere recto per Gerundã, Barchinonãq; Tarraconã per-
uenit. Interim ad quencũq; locũ Cato cum exercitu applicuiſſet, occurrebãt vndiq;
legati ciuitatũ ſe illi dedentiũ. Ita per Catonem omnis cis Iberum Hiſpania perdomi-
ta, & Romano nomini reſtituta eſt. Captiuiq; non modo Romani, ſed etiam ſocio-
rum, & Latini nominis varijs caſibus in Hiſpania oppreſſi, ad domũ Conſulis du-
cebant. Fama deinde vulgat, Conſulẽ velle in Turditaniã proficiſci cum exercitu, &
inde ad deuios mõtaneos eſſe venturũ, quem rumorem falſo vulgus iactauit, quã ob
cauſam ciuitates ſeptẽ cis Iberum, & caſtella plurima defecerũt, ad caſq; deducto exer
citu in poteſtatẽ redegit, quas cũ pacatas reliquiſſet, ac Tarraconã reuertiſſet, iterũ re
bellarunt, quas iterum ſubiugauit, & ne pari indulgentia relinquerentur, eos iuſſit ve-
nundari, & redigi in ſeruitutem, atq; quæſtori, vt venundarentur, traditi ſunt.

Rebellio Turditanorum, & prouinciæ cis Iberum propter quam
illis arma adempta ſunt.

ET quoniam Turditani interim rebellarant, qui ſunt incolæ maritimæ
oræ Bætis fluminis, & per Mediterraneum vſq; Caſtulonem, vt ſupra
ſatis declarauimus. Hæc enim gens præ cæteris Hiſpanis imbellis erat,
& armis inſueta. Audita itaq; rebellione Publius Manlius, qui. Q.

Minutio ſucceſſerat, accepto vetere exercitu Romano ab eodem. Q. Minutio, adiunctoq; Appio Claudio Nerone ex vlteriore Hiſpania cũ exercitu in Turditaniam proficiſcuntur. Turditani igitur audito Romanorum aduentu freti ſua multitudine ire obuiam Romanis parant, quumq; ipſis Romanis occurriſſent, equites Romani in agmen Turditanorũ immiſſi ſtatim eos turbauerunt, atq; in fugam conuerſos plurimos ſimul, & ceperunt, & trucidarunt. Nec prælio locus fuit, ſed in prædam, & fugam prælium conuerſum eſt. Quumq; Romani indubitatam victoriam obtinuiſſent, neq; ob id Turduli paruerunt, ſed conductis decem millibus Celtiberorum, alienis auxilijs bellũ parant. Interea Catoni conſuli in Turditaniã properanti nunciatum eſt rebellaſſe Barguſtanos, quę gens ea eſt, quæ inter Valentiã, & Carthaginem Spartariam, ſiue nouam Carthaginem ſita eſt, ipſeq; conſul ratus cæteras Hiſpaniæ vrbes itidem facturas, ſi non prouideretur, omnibus Hiſpaniæ vrbibus, quę cis Iberũ erant, arma ademit, quam rem adeo prouinciales ægre paſſi ſunt, vt multi ex eis mortem ſibi intulerint, gens ſiquidem ferox, vt ab antiquis ſcriptoribus traditum eſt, nullam vitam ſine armis eſſe arbitrantes: quod vbi Conſuli nunciatũ eſſet, Senatores omnium vrbium ad ſe euocari iuſſit, quibus in hanc ſententiam verba fecit. Non quidem noſtrum, nec veſtrum intereſt rebellare, multoq; maiore malo veſtro id, quam Romanorum, fit a vobis. Verum vno modo fieri poſſe video, vt vlterius non rebelletis, voloq; id quã molliſſima via conſequi, vos quoq; me adiuuare debetis, nullum enim conſilium libentius ſequar, quam quod voſmetipſi attuleritis, tacentibuſq; omnibus tempus reſpondendi dixit. Quumque acciti ſecundo conſilio tacuiſſent, vno die muri omnium illarum vrbium Catonis edicto dirupti ſunt. Ad eoſq; deinde omnes, qui nec ſic parebant cum exercitu profectus eſt, ita in quancunq; regionem veniebat, omnes ſeſe dedebant, Sygeſtam tantũ grauem, & opulentã ciuitatem vi cepit. Deinde Lathanos, qui hodie Barchinonẽſis ager dicũtur, in deditionem recepit. Inde victor ad Regium caſtrum caſtra direxit, quod receptaculum prædonum erat, inde enim excurſiones in agros pacatæ prouinciæ fiebant. Transfugit interea Princeps Larguſtanus, & purgare ſe, ac populares ſuos cœpit, dicens non eſſe in manu ipſius prædones expellere, caſtrumq; illud ſuæ poteſtatis non eſſe, cum Conſul domum redire iuſſit, poſtquam cum eo ordinaſſet, vt quamprimum ſecum exercitum caſtri muros ſubire cerneret, intentoſq; prædones ad tuenda mœnia, ipſe cum ſuæ factionis hominibus eniteretur arcem occupare. Id vti præceperat factum repente eſt, hinc muros aſcendentibus Romanis, illinc arce capta. Cato eos, qui arcem obtinuerant, cum cognatis, ſuiſq; omnibus liberos eſſe iuſſit, omniaq; ſua habere, Larguſtanus cæteros Quæſtori, vt venderet, imperauit, de prædonibus vero ſupplicium ſumpſit. Ex ferrarijs, argentarijſq; fabris, a quibus prouincia locupletior fiebat, conſilio expectato vſq; in diem tertium, nihil ſupplicij ſumens, eos conuenienti modo diſpoſuit. Poſtmodum vero ſequentibus duobus annis, anno videlicet ab orbe condito quinto milleno quinto, & ab vrbe condita quingenteſimo quinquageſimo ſexto Caius Flaminius in citeriori Hiſpania bella geſſit, & Lunam in Oretanis cepit. Inde exercitum ad hibernandum ad Iberum amnem adduxit, & per hyemem bella aliquot geſſit, vario euentu, non tamen memoratu digno, quia potius aduerſus incurſiones latronum, quam hoſtium pugnatum eſt. Multo maiores res fuere Marci Fuluij, qui apud Toletum oppidum cum Vacceis, Vectonibus, Celtiberiſq; ſignis collatis dimicauit, earumq; gentium exercitum fudit, atq; Ibernum Regem viuum in prælio cepit.

Prælium Heluij cum Celtiberis.

INterea Heluius miſſus a Publio Claudio prætore ex vlteriori Hiſpania cum exercitu ſex millium occurrit, vt Catoni Conſuli iungeretur. Quo audito Celtiberi intercidere viam Heluio parant, atq; ad oppidum Iliturgum occurrentes cum viginti millibus armatorum prælium cum Heluio fecerunt, in quo, vt refert Valerius Antias, eo die duodecim millia Hiſpanorum ceciderunt, indeq; Romani ad oppidũ Iliturgum occurrentes, quod receptũ hoſtibus prębuerat, puberes omnes ipſius oppidi Romani interfecerunt, ac deinde Heluius ad caſtra Catonis peruenit. Et quia iam ab hoſtibus tuta regio erat, præſidio in vlteriorem Hiſpaniam remiſſo, Cato Romam redijt, & ob rem fœliciter geſtam vrbem triumphans intrauit. Attamen de triumpho ſibi concedendo fuit aliquantiſper diſputatũ. Aiebant enim, qui ſibi triumphum negari dicebant, quod fortuito caſu, & non in propria, ſed aliena prouincia pugnaſſet. Vicit tamen ſententia, vt decerneretur triumphus. Magnumq; argenti pondus attulit, & in ærarium vrbis miſit.

Capitur Toletum parua vrbs, & Oliba, quæ nunc Olith dicitur, & oppidum Lycabrum, ac Rex Corbilio.

SEquenti vero anno, videlicet ab orbe condito quinto milleno ſexto, & ab vrbe condita. D. LVII. Caius Flaminius oppidum Lycabrum munitũ vineiſq; refertiſſimũ expugnauit, ac Regem Corbilionem viuum cepit, & Marcus Fuluius Proconſul cum duobus exercitibus hoſtiũ, duo pręlia fecit, oppidaq; duo cepit, Vecelliam, & Eleonam, quæ nunc Legio corrupto vocabulo dicitur, & caſtella multa expugnauit. Ad eundem de alia voluntate defecerunt, qui Nauarræ cõfinia tenent. Progreſſus vero duobus potitur oppidis, Oliba, quod hodie Oletum dicitur, & altero eius vicino, indeq; pergit ad Tagum amnem, Toletumq;, quæ parua vrbs erat, ſed tamen munita, oppugnatur. Quumq; eam oppugnaret Vaccęorum, Vectonum, Celtiberorumq; magnus exercitus Toletanis ſubſidio venit. Cum his igitur ſignis collatis proſpere pugnauit, quibus fuſis Toletum cepit.

Lutius Emilius Paulus contra Luſitanos tumultuario exercitu pugnat.

QVum anno ab orbe condito quinto milleno decimo, & ab vrbe condita quingẽteſimo ſexageſimo primo Romani Lucium Belum Prętorem in Hiſpaniam miſiſſent cum exercitu in Liguria, quæ terra Genuenſium, ac vicinarum eſt vrbium, a Liguribus circũſeptus magnam exercitus partem amiſit, ipſe cum paucis vulneratus aufugit, Maſſiliamq; peruenit, vbi ſpatio trium dierum expirauit. Quod vbi Romæ nũciatum eſt per legatos, decreuit Senatus, vt Publius Mumius Brutus, qui cum exercitu in Tuſcia erat, diuiſo exercitu, cui vellet ex legatis, ipſe in vlteriorem Hiſpaniam iret, eaq; prouincia illi cederet. Hocq; quum egiſſet Brutus, per antea Lucius Emilius Paulus, qui poſtea vir maximus fuit, & Perſeum Macedoniæ Regem maxima cum gloria cepit. & Macedonicus appellatus eſt: iam virtutis ſuæ præſagium faciẽs tumultuario exercitu coadunato, ſignis collatis cũ Luſitanis pugnauit, & ab eo fuſis, atq; fugatis, octodecim millia armatorũ ab eo cęſa ſunt, & tria millia capta

Publius Catinus Prętor in Hiſpania moritur ex vulnere.

DEinde ſecũdo poſt anno, videlicet, ab orbe cõdito ꝗnto milleno duodecimo & ab vrbe cõdita CCCCC ſexageſimo tertio. Caius Catinus per bienniũ ante Pętor cũ Luſitanis in agro Haſtenſi ſignis collatis pugnauit, in qua pugna Hiſpanorum ſex millia cęſa ſunt, cęteri vero ſogati, fuſiq; ſunt. Inde ad Haſtã vrbẽ oppugnandã exercitũ duxit, quã nõ lõge minori vi cepit, ſed dum incautus muros ſubiret, ictus ex vulnere paucos poſt dies morit̃. Statimq; Senatuſconſultũ Calphurniũ Prętorẽ, ac ſucceſſorẽ miſit, ne prouincia ſine imperio eſſet. Per eadẽ tẽpora P. Manlius Acinius, qui eodẽ tẽpore, quo. C. Catinus in prouincia erat, cũ Celtiberis acie cõflixit, & tandẽ incerta victoria diſceſſum eſt, niſi quod Celtiberi nocte proxima mouerunt caſtra. Quæ res Romanis, & ſuos ſepeliendi, & ſpolia legẽdi ex hoſt.bus poteſtatem fecit. Paucos poſt dies Celtiberi maiore coacto exercitu Romanos ad Calagurum oppidum laceſſerunt. Neq; traditur, quibus auxilijs Celtiberi firmiores, potentioreſq; facti fuerint. Tandem iuſto certamine duodecim millia cæſa, & plus quam duo millia capta ex eis referũtur, & Romani Celtiberorum caſtris potiti ſunt.

Poſt hęc, quum Calphurnius applicuiſſet, Prętores ambo exercitum ad hyberna reduxerunt. Duobus vero poſt annis, videlicet, anno ab orbe condito quinto milleno decimo quarto, & ab vrbe condita quingenteſimo ſexageſimo quinto, quum Lucio Manlio ſucceſſiſſet in prætoria dignitate Lucius Quincius, & Caius Calphurnius, primo vere ambo Prætores pariter in caſtra prodierunt, in Carpentaniamq;, vbi hoſtium caſtra erant, progreſſi iunctis copijs communi animo, conſilioq; rem geſſerũt. Quũ enim non longe a Toleto inter pabulatores pugna exorta eſſet, dũ ijs vtrinq; ſubuenitur, a caſtris paulatim omnes copię in aciem adductæ ſunt, in eo enim tumultuario certamine, & loca ſua, & genus pugnę pro Hiſpanis fuere. Nam Romani duo exercitus fuſi, atq; in caſtra compulſi ſunt, vbi non perſtiterunt Romani Prætores, ne poſtero die caſtra oppugnarentur. In ſilentio igitur proximæ noctis tacito ſigno tubę exercitum abduxerunt, luce itaq; prima Hiſpani acie inſtructa ad vallum acceſſerunt, vacuaq; caſtra præter ſpem ingreſſi, quę relicta inuenerunt inter nocturnam trepidationem, diripuerunt, regreſſiq; in caſtra ſua, paucos dies quieti ibi manſerunt. Romanorum, atq; ſociorum in hac pugna ad quinq; millia occiſa ſunt, quorum ſpolijs Hiſpani ſe armauerunt. Inde ad Tagum flumen profecti ſunt. Interea Prætores Romani omne tempus in contrahendis ex ciuitatibus Hiſpanorũ ſocijs, reficiendiſq; auxilijs dederunt. Vbi vero ſatis virium conduxiſſe viſum eſt, excitatis militum animis ad delendum priorem ignominiam ſe præparant, profecti itaq; cum toto exercitu ad duodecim milliaria a Tago flumine caſtra poſuerunt. Inde tertia vigilia ſublatis ſignis ad Tagi ripam peruenerũt: trans fluuium enim in colle caſtra hoſtiũ erant.

Deinde ab omnibus clamor, & pugna incipit, Romani fundunt, ſternũtq; Hiſpanos, perculſoſq; metu, ac fugientes in caſtra perſequũtur, immixtiq; turbę hoſtium intra vallum penetrauerunt, vbi ab Hiſpanis in prężidio caſtrorum relictis pręlium inſtauratur: coguntur; Romani equites ex equis deſcendere. Dimicãtibus his, legio quinta Romanorum ſuperuenit, alięq;, vt quęq; poterant, copię affluebant. Tum cęduntur paſſim Hiſpani per tota caſtra, nec plures, quam quatuor millia hominum effugerunt. Ex quibus tria millia fere, qui arma retinuerunt, montem propinquum ceperunt, mille vero ſemiermes per agros vagi, pallanteſq; fugerũt, ſupra enim quinq;

ac triginta hominum millia fuerunt, ex quibus iam exiguà pars pugnæ ſuperfuit. Cruentę maxime victorię cauſam tribuit ſubita caſtrorum inuaſio, ex qua Hiſpani aggreſſi non habuerunt ſpacium ſua communiendi caſtra. Ex Romanis tantum centum ac duo & triginta ceciderunt, ex ſocijs paulo plus quam ſexcenti, & ex prouincialibus auxilijs centum fere quinquaginta ceciderunt, Tribuni militum quinqꝫ amici, & pauci equites Romani. Poſtero die laudati, donatique ſunt milites a Caio Calphurnio, qui pronunciauit eorum opera maxime hoſtes fuſos, expugnata caſtra, & ſigna capta eſſe. Quintius alter Prętor ſuos itidem milites donis affecit, & Centuriones maximę, qui in vtroqꝫ exercitu mediam aciem tenuerant.

Prælium. Q. Fuluij Flacci cum Celtiberis.

IN cęteriore Hiſpania magnum bellum exortum eſt ſexto poſt anno, quam ſuperiora geſta ſunt, anno ab orbe condito quinto milleno decimo octauo, & ab vrbe condita quingenteſimo ſexageſimo nono. Celtiberi enim comparauerant quinque ac triginta hominum millia, quantum nunquam antea coadunauerant. Quintus enim Fuluius Flaccus prouinciã obtinẽs, quũ armari iuuentutẽ Celtiberorũ audiſſet, & ipſe quãta poterat auxilia a ſocijs cõtraxit, ſed tamẽ hoſtẽ nõ ęquabat numero militum, ac deinde pugna ab vtriſqꝫ cœpta eſt, in qua tria & viginti millia Celtiberorum eo die cæſa ſunt, quatuor millia & ſeptingenti capti cum equis plus quam quingentis, & ſigna militaria octingenta ſeptem. Magna quidem fuit Romanorum victoria, non tamen ſine cruore. Ex Romanis enim millitibus ex duabus legionibus paulo plus quam ducenti ſuperfuerunt, ſociorum Latini nominis octingenti ac triginta, externorum auxiliorum mille ferme & quadringenta ceciderũt. Prętor igitur victorẽ exercitũ in caſtra reduxit, Attilius tamẽ manere in caſtris a Romanis captis iuſſus eſt. Poſtero die ſpolia de hoſtibus lecta ſunt, & pro condicione donati ſunt omnes, quorum inſignis virtus fuerat. Saucijs vulneratiſqꝫ in Eburam oppidum miſſis per Carpentaniam ad vrbem Cãtabriam, quæ hodie Santroniogo appellatur, inde ductæ ſunt legiones, vrbeqꝫ circũſeſſa, quum Celtiberis auxilia poſtulaſſent, morantibus ijs, non quia auxilia dare renuerent, ſed quia adeo inexplicabiles pluuiæ imbreſqꝫ ceciderunt, & amnes intumuerunt, vt ſubueniendi illis poteſtatem impedirẽt, ab auxilio ſuorum deſperati ciues in deditionem venerunt. Flaccus vero tempeſtatibus fœdis coactus exercitum omnem in vrbem introduxit, Celtiberi demum deditionis ignari, vbi primum viæ aditum viderunt, imbreſqꝫ ceſſarunt, Cantabriam cum auxiliaribus copijs venerunt, ibiqꝫ nulla caſtra extra mœnia videntes, alioqꝫ hoſtem commigraſſe credentes, negligenter ad oppidum peruenerunt. In eos itaqꝫ Romani patefactis duabus portis eruptionem fecerunt, incompoſitoſqꝫ aggreſſi fuderunt, & ex Celtiberis tandem duodecim millia cęſa ſunt, & capti pluſquam quinqꝫ millia, equi quadringenti, ſigna militaria ſexaginta duo, cæteri vero per vicos, & caſtella ſua dilapſi ſunt. Deinde Flaccus a Cantabria profectus per Celtiberiam legiones duxit, multa caſtella expugnãdo, ſic maxima pars Celtiberorum in deditionem venit. Hęc in citeriore Hiſpania geſta ſunt.

LIBER SEPTIMVS DE TERTIO PVNICO BELLO, ET PRIMO quemodo Scipio Cornelius A Emilianus Carthaginem, ac Numantiam euertit.

POSTEA vero quã ſupradicta geſta ſunt, exacti ſunt anni tres ac triginta, quibus nihil memorabile de Hiſpania ſcriptũ cõperio. Poſt quod tempus, quũ euerſa Carthago eſſet per Scipionem Cornelium Aemilianũ, iterum bella ſurrexerunt. Qui Conſul eam deleuit anno ab orbe condito quinto milleno. CCCCC.II. & ab vrbe cõdita. DC.II. ex cuius euerſione Africanus appellat⁹ eſt, qui quidẽ fuit nepos alteri⁹ Publij Scipionis, qui eandẽ vrbẽ primo ſubiugauerat. Hic eñ adoptatus eſt filius a Scipione filio Scipionis Africani maioris, qui vxorẽ habuerat Aemiliã Lucij Pauli Aemilij filiam, quę fratrẽ habuit Paulũ Aemiliũ, qui Perſeũ Mecedoniæ Regem, & ipſam Macedoniam ſubiugauit. Qui Paulus Aemilius duos filios habuit ex priori coniuge Papyria Naſonis viri conſularis filia, quæ licet illi prolem nobiliſſimam genuiſſet ipſos duos filios, tamen ab eodem paulo Aemilio repudiata eſt. Poſt eius diuortiũ aliam duxit vxorẽ, ex qua dum alios duos genuiſſet filios, tamẽ priores duos alijs duab⁹ maximis, nobiliſſimiſq; familijs per adoptionẽ inſeruit, quorũ maior a Fabio maximo qnquies cõſule, & Scipio minor a Scipione filio maioris Africani adoptati ſunt, videlicet a Publio Scipione alterius Publij Scipionis filio, & q Aemilius Papyriã repudiauerit, nõ tradit ab autorib⁹. Sed quũ a multis cõſanguineis, & amicis impeteretẽ dicentibus, nõne hæc pulchra eſt? nõne honeſta? nonne fœcunda? quibus ille calceum porrexit in medium dicens: nonne pulcher hic calceus? nonne nouus? ſed tamen nemo veſtrum videt, qua ex parte me premat. Hic igiẽ Scipio Pauli Aemilij filius naturalis a Publio Scipione Africani maioris filio adoptatus Scipio Aemilianus appellat⁹ eſt, & quia vltimo Carthaginẽ funditus euertit, etiam Africanus appellatus eſt. Hic, quũ Carthaginenſes contra fœdus initum arma ſumpſiſſent, Conſul creatus eſt ad eam euertendam. De qua euertenda, quum pluries in Senatu controuerſia haberetur, Cato cenſebat eam euertendã, Scipio vero Naſica Pontifex eam ſeruandam eſſe cenſebat, prædicens, illius ruinam interitum vrbi minari, quia non ſtãtibus vrbi ęmulis, ac hoſtibus facile vrbs in multa vitia laberetur. Vicit tamen Catonis ſententia, vt deleretur, Scipio igitur Aemilianus ad eandem euertendam Conſul creatus eſt. Quam tandem quum funditus euertiſſet poſt diuturnum bellum, de quo apud plæroſq; autores de tertio bello punico agitur hiſtoria, in vrbem redijt.

De Viriaco Hiſpanorum Duce.

INterea in Hiſpania Romanis res non proſpere ſucceſſerant, ſurrexerat enim per eadem tempora Viriacus quidã Hiſpanus ex Luſitania, de quo Cicero in ſecundo Officiorum mentionem fecit, qui primum paſtor fuerat, inde latro, & quum latronum copias coadunaſſet, vias primum inuadere, ac deinde prouincias vaſtare cœpit. Poſtmodum vero etiam

Prætorum exercitus ſuperare, & in fugam vertere, adeo, vt magnum terrorem Romanis intulerit. Huic primum Caius occurrit, ac eius exercitum pene profligauit. Deinde idem Viriatus Caium Plancium multis prælijs victum fugauit, & ipſe Pretor cum paucis euaſit, ac denuo, quum Claudius Numidanus cum magno belli apparatu, quaſi ad delēdam ſuperiorum Pretorum infamiam, a Senatu miſſus cum Viriato congreſſus eſſet, pene vniuerſas, quas ſecū adduxerat, copias Romanorum amiſit. Viriatus deinde tot ex Romanis Ducibus victorijs habitis trabeas, falces, cæteraq́; inſignia Romana in ſuis montibus tropħea, quaſi de Romanis triumphans, præfixit, ita minus proſpere aliquandiu in Hiſpania bellatum eſt a Romanis, adeoq́; confuſæ res videbantur, vt vix aliqui reperirentur, qui aut tribunatum in Hiſpania ſuſcipere vellēt, aut legationis munere fungi. Tum Scipio Cornelius Aemilianus in mediu̅ proceſſit, ſeq́; accepturum quodcunq́; militiæ genus imperatum fuiſſet profeſſus eſt, quo exemplo omnes ad ſtudiū militandi concitauit.Poranteà enim in vlteriori Hiſpania Lepidus Proconſul Vaccæam gentem, quæ in Caſtellæ confinijs ad Nauarram ſpectat, quæ gens innoxia fuerat, ac ſimplex, prohibente Senatu expugnare tentauit. Vnde tam memoris audaciȩ pœnas luit, nam ab eis prælio victus ſex millia Romanorū amiſit, atq; exuſtis caſtris vix cum paucis fuga euaſit. Iſto etiam tempore Caius Mantinius apud Numantiam infœliciſſime bellauit, pro vt infra dicetur. Interea mittitur contra Viriatum Brutus Conſul, qui eum pugnando vicit, & in fugam vertit, ac Laconiam oppidū, quod idem Viriatus cum ſuis obſederat, liberauit. Poſt cuius fugam Viriatus a ſuis dolo interfectus eſt, cuius interfectores, quum a Romanis prȩmium poſtulaſſent, indigni prȩmio iudicati ſunt, ex eo quod eorum Ducem dolo interfeciſſent.

Brutus vniuerſam Galliam occupat.

BRutus itaq́; poſt Viriati interitum per totam vagatus Hiſpaniam vſq; ad Oceanum peruenit, quadragintaq́; millia Gallorū, & Græcorum, qui Viriato, & ſuis auxilium prȩbuerāt, atrociſſima pugna deleuit, ob quam victoriam vniuerſȩ Gallaciæ populos in deditionem recepit. Hæc, quȩ dicta ſunt de Viriato, & Bruto, cæteriſq́; Romanorum Ducibus a Viriato deuictis, acciderunt anno ab vrbe condita ſexcenteſimo nono.

De Numancia vrbe, quȩ fuit quondam Hiſpaniæ decus, & eius ſitu.

ERat in Hiſpania citeriore vrbs nobiliſſima, Hiſpaniȩ decus, vltima Celuberorum, inter vltimos fines Gallaciæ, Cantabriȩ, Vacceorum de cuius ſitu hȩſitatur a multis. Quoniam Pomponius Mella libro ſecūdo dixit illam eſſe Cȩſarauguſtam, & Rhodericus Toletanus dicit eſſe Zamoriam, ego vero teſtimonia antiquorum adducam ad illius ſitum comprobandum. Vnde Lucij Annei Flori in ſecundo libro Epitomatum Titi Liuij verba audiamus, quȩ ſunt hȩc. Numantia quantum Carthaginis, Capuȩ, & Corynthi opibus inferior, tantum virtutis nomine, & honore par, ſimulq́; ſi viros exiſtimes Hiſpaniæ decus, quippe quȩ ſine muro, ſine turribus modice edita in tumulo, apud flumen ſita, quatuor millibus Celtiberorum quadraginta milliū exercitum per annos quatuordecim ſola ſuſtinuit, nec ſu-

ſtinuit modo, ſed ſæuius aliquanto pertulit, pudendiſq; vulneribus affecit. Ex his enim conſtat Numantiam in Celtiberia conditam. Hoc idem de eius ſitu meminit Claudius Ptolemæus in ſua coſmographia, & Strabo de ſitu orbis libro tertio ſic ait. Sunt & Luſones, qui ad ortum ſpectantes, & ipſi ad Tagi fontes pertinent, oppidum eſt Arnettorum Segeda, & Pallanıia, Numantia, quæ ab Auguſta Cęſarea, cuius ſuper Iberum ſitum eſſe diximus, abeſt ad ſtadia octingēta. Ad hanc itaq; expugnandam fuerat decretus Conſul Caius Mancinus, qui, quum exercitum apud Numantiam ſuſcepiſſet, adeo cuncta prælia infœliciter geſſit, vt in ſupremam deſperationem redactus fœdus cum Numantinis componere coactus ſit, quod Senatui, populoq; Romano moleſtum, ac irritum fuit, quo non acceptato Mācinum tam turpis fœderis autorem nudato corpore, ac manibus poſt tergū ligatis ante Numātinorum portam iuſſerunt exponi, ibiq; vſq; ad noctem manens, a ſuis derelictus, & ab hoſtibus nonreceptus, viriſq; miſerādum ſpectaculum præbuit. Videtur autē quod Scipio Aemilianus Africanus, qui perhoc tempus potens in re publica habebatur, & Tiberius Gracchus, qui cum Mancino quęſtor erat, ad ſalutem profuerunt. Sed nihilominus aduerſus Scipionem querelæ iactabantur, quod non etiam Caium Mancinum ſeruaſſet.

Numantia vrbs Hiſpaniæ decus igne crematur a ciuibus ſuis.

DEleta itaq; Carthagine a Scipione Aemiliano, qui Conſul erat iam creatus, Senatus circunſpecta infamia, qua iam diu Romani in Hiſpania militauerant, Scipionem Aemilianum, qui ſecundo Africanus cognominatus eſt, in Hiſpaniā maxime aduerſus Numantinos mittere decreuit. Quumq; profectus eſſet, primo infeſtiſſimos, inſolentiſſimoſq; Numantinorum animos, ſuperiorū Romanorum Ducum culpa auctos, contundere curauit. Sed quum reperiſſet exercitus voluptatibus omnibus ante eius aduentum occupatos, atq; corruptos, non magis cum hoſtibus, quam cum Romanis militibus pugna fuit. Præcepit enim, vt omnia, quæ ad voluptatem, atq; laſciuiam aderant, de caſtris abijcerentur, & confeſtim ſcortorum multitudo de caſtris amota eſt, itaq; coquorū, & ſcortorum vltra duo millia expulit, adire culinas, & tabernas inhibuit, atq; iumenta exonerantia feſſos venundari iuſſit, militemq; cotidiano labore exercuit, & ſic a turpi libidine purgatus eſt exercitus, nam tantę eſt exercitus virtutis, quantæ Imparator. Igitur Scipio non ilico cum hoſtibus pugnauit, vt quaſi incautos circunueniret, ſciens nunquam Numantinos ociosos, ſed iugiter ad bella paratos, ac expeditos. Vnde milites ſuos in caſtris tāquam tyrones exercuit in ludis, & ſic totam ęſtatem, hyememq; ſine pugna tranſilijt, ac deinde redacto, ſiue exercitato exercitu ad prælium cum Numantinis deſcendit. Sed Numantini impetu facto iam Romanos cędebant, & vertebant in fugam, niſi Scipio fugiētes vi coactos ad pugnam redire coëgiſſet. Ac tandē cum difficultate maxima Romani fugaſſent Numantinos, Scipio Numantiam vrbem foſſa, & obſidione circundedit. Numantini itaq; ſic obſeſſi, ac fame coacti ad vltimum humanis carnibus veſcentes. deditionem poſtremo Scipioni obtulerunt, ſi tolerabilia, & humana iuberet. Quę poſtquā a Scipione repudiata ſunt, pugnam Numantini petieruut, vt ſaltem, non vt pecudes, ſed vt homines trucidarentur. Quod etiam quū a Sipione negatum eſſet, Numantini primum vino calefacti confeſtim duabus portis erumpūt, & contra Roma-

tra Romanos acriter inſurgunt, atrox diu certamen fuit, & fortaſſe Romani cecidiſſent, ntu Scipionis virtus affuiſſet. Numantini igitur ſic certantes, non tamen tanquam fugientes, in vrbem reuertuntur, ſuorumq; corpora a Scipione oblata recipere noluerunt. Poſtremo de ſalute deſperantes, ne in Romanorum ditionem venirent, clauſis ianuis vrbis totam ciuitatem igne conſumpſerunt, ipſiq; pariter vel igne, vel ferro, venenoq; mortẽ oppetierunt. Et ſic Romani nulla de Numantinis ſpolia reportarunt. Nec vnum ſolum Numantinũ victum in triumpho ſuo adduxit, nec etiam aurum, argetitum, arma, atq; veſtes, quæ omnia ignis conſumpſerat, ſed tantum de nomine triumphatum eſt, Numantinum enim victoris catena non tenuit.

Mors Scipionis Aemiliani.

POST deletas vero vrbes Carthaginem, ſcilicet, ac Numantiam in Hiſpania Scipio Aemilianus Aphricanus cognominatus quum in vrbem redijſſet, & graues inter eum, & Caium Gracchum, cæteroſq; Gracchos diſcordiæ ac ſimultates ſucceſſiſſent, quadam die quum fortis validuſq; ſe domum recepiſſet, mortuus nocte in cubiculo repertus eſt. Suſpecta de ea re fuit vxor Sempronia, tanquam illi miniſtraſſet venenum, & hoc ex eo creditum eſt, quum præfata vxor ſoror Gracchorum fuerit, de morte tamen eius nulla quæſtio facta eſt. Poſt cuius mortem multum ciuiles contentiones exarſerunt, quo viuente tanta erat eius autoritas apud Romanos, vt nullo pacto ſociale ac ciuile bellum oriri poſſe crederent. Pro huius autem Scipionis morte Tullius librum de Amicitia compoſuit, in quo introducit Lelium cum Mutio Sceuola, & Fannio generibus ſuis de amicitia diſputantem.

Explicit liber ſeptimus de geſtis a Romanis in Hiſpania
poſt Pœnos expulſos vſq; ad tempora ciuilis belli.

INCIPIT LIBER OCTAVVS DE GESTIS IN CIVILI BELLO INTER Marium, & Syllam, & primo de origine Caij Marij, & eius morbus.

IN ſuperiori hucuſq; libro actum eſt de ijs, quæ geſta ſunt in Hiſpania a Romanis poſt Pœnos eiectos a prouincia vſq; ad tẽpora ciuilis belli, quæ duo fuerunt, Marij videlicet, ac Syllæ, & ſecundo Cæſaris, & Pompeij. Et quoniam alterum ab altero dependet, de eorum initijs aliquid nobis dicendum eſt. Quoniã eorum ſtrages non modo vrbẽ, ſed vniuerſum quoq; orbẽ infecerunt, diuerſiſq; cladibus impleuerũt. Cœperãt enim & perantea ciuiles cõtentiones in vrbe, quę eã cruẽtis cędibus maculauerãt, a Gracchis initium ſumẽtes ob leges

Agrarias. Tulerant enim Gracchi vt agrí inter plebē diuiderent, quos nobilitas perperã poſſidebat, cuius rei contentio multos necauit viros illuſtres in vrbe, inter quos fuit Lucius ille egregius Conſul Scipio Aemelianus, qui quum Tito & Graccho aduerſaretur, nocte ſanus dormiens mane in lecto defunctus eſt compertus, & creditum eſt, quod vxor eius, quæ Gracchorum ſoror erat, venenum ei miniſtraſſet, ex hoc etiam plurimus ſanguis nobilium effuſus eſt. Ex quorum interitu deficiente nobilitate Marius ad conſolatum euectus eſt. De quo nobis primo, deinde de Caio Cæſare, & Pompeio nobis dicendum eſt. Caius Marius obſcura ſatis origine ortus, patrem habuit Marium, matrem Felicianam pauperes homines, atq; mechanicos, qui in vrbe proficiſcens ſtudia vrbana aliquantulum deguſtauit, reliquo tempore in villa Ticernate, quæ erat in agro Arpinati vitam ab vrbanis viuendi moribus alienam, ſed modeſtã, & priſcis Romanotum inſtitutis propriam egit. Primumq; in Hiſpania militauit ſub Scipione Aemiliano Numantiam obſidente, vbi & præſtantia, & fortitudine videbatur cæteres adoleſcentes ſuperare, cuius præſtantia Scipioni non latuit. Recepit enim cum Scipio apud ſe egregium forma, ſed corruptum rei militaris diſciplina emendauit, quem, ferunt, cum bellicoſo hoſtium Duce congredientem illum ante ora Scipionis interfeciſſe, quapropter plures dignitates ſub Scipione conſequutus eſt. Et quum aliquando poſt cœnam ſermo de Imperatoribus fieret, dum iocoſe Scipionem interrogaſſet, quem Ducem poſt illum Romanus populus habiturus eſſet, Scipio leuiter percuſſo Marij humero hunc inquit, nam magnam de ſe in adoleſcentia exhibet experientiam, ab ipſis enim cunabulis futuram auguramur virtutem. Fertur, hac Scipionis voce Marium elatum animum ad rem publicam applicuſſe, tanquam diuino quodam oraculo. Inde Marius Tribunatum obtinuit fauente ſibi Metello Cecilio, cuius in domo ipſe a pueritia, ac pater eius miniſtri fuerãt. Inde quum ædilitatem petijſſet, non obtinuit. Quumq; Iuliam ex inſigni Cæſarum familia ortam in vxorem duxiſſet, Prætor creatus eſt, & in prætura mediocres laudes conſecutus, poſt præturam vlteriorem Hiſpaniam aſſecutus eſt ſorte.

Quumq; Cecilius Metellus contra Iugurtam creatus eſſet Conſul Marium legatum in Numidiam duxit, ibiq; quum ſtrenue bellaſſet, magno etiam militum conſenſu Conſul creatur ad bellum contra Iugurtam contradicente ſibi vniuerſi vrbis nobilitate, populo vero aſſentiente. Opponebatur Mario, quod anteceſſorum imagines non haberet, atq; etiam nouus homo potiores honores in vrbe conſequi non deberet, qui ſeptimum conſulatum obtinuit, qui primum Conſul creatus in Libya erat, ad eumq; Sylla Quæſtor cum exercitu venit in Libyam. De cuius Syllæ natalibus aliquid etiam nobis dicendum eſt, vt vtriuſq; origo, per quos incendium ciuilis belli in vrbe cœpit, nobis nota ſit.

De origine Syllæ & eius conditioiibus.

SYLLA igitur patritiæ gentis nobilis fuit, eius familia iam prope extincta erat, maiorem ſuorum ignauia, qu litteris Græcis, atque Latinis doctiſſime eruditus fuit. Animus illi erat ingens, cupidus voluptatis, ſed tamen gloriæ cupidior, & licet otium luxurioſum ſectaretur, a negotijs tamen eũm nũnquam voluptas abalienauit. Cauſa autem paupertatis parentum Syllæ fuerat, quia

Vnus ex anteceſſoribus ſuis Rufinus nomine cum Conſul eſſet, repertũ eſt in eius domo argentum non bonum, immo falſificatũ, quod veteres ſtultum dicebant, ad libras decem, & quia a lege vetitum erat, a ſenatu cum omnibus ſuis remotus fuit, cuius deinde progenies vitam ſatis tenuem vixit. Qua ex re Sylla pauperrimis parentibus ortus domum non habuit propriam. Cui etiam pro conuitio dictum fuit, quod poſtquam diuitias conſequutus fuerat, indigne proſperabatur, quomodoq; vir bonus eſſe poſſet, poſtquam ex hæreditate paterna nihil accepit. Erat prærerea Sylla oculis ardentibus, & terribilibus, vultuq; albus, & rubeus, quo terribilior reddi videbatur.

Fuit etiam in adoleſcentia alacer, cum hiſtrionibus & cum ſodalibus rixabatur, ac etiam poſtquam in ætatem proceſſerat, diueſq; ac potens factus fuit, in theatris & in cenis cum eis bibebat, & amore captus Nicopolym vxorem duxit, quæ poſtea moriens eum reliquit hæredem, & ſimiliter bona nouercæ ſuæ poſt eius mortem ex teſtamento ſuo conſequutus eſt, & ſic ex conſecutis hæreditatibus diues factus fuit. Facundus etiam, & callidus, & amicitiæ facilis erat, ad ſimulanda quoq; negotia aptus, altiſſimi quidem ingenij, incredibiliſque multarum rerum largitor erat, ac maximæ pecuniæ, & omnium fideliſſimus fuit ante ciuilem victoriam, nunquam enim fortuna induſtriam eius ſuperauit, multiq; de eo dubitauere, fortior, an fœlicior eſſet. Igitur Sylla, vt ſuperiori capite dictum eſt, poſtq; in Africam venit ad caſtra Marij cum exercitu & equitatu, rudis antea, & ignarus belli expertiſſimus omnium paucis diebus effectus eſt. Ad hoc milites benigne appellare cœpit, ſolitus multis rogantibus, & ex ſe beneficia dare, & inuitus accipere, ſed ea propẽſius curare, vt ſi quod mutuum reciperet, redderet, ipſe vero a nullo repetere, idq; laborabat, vt ipſi quamplurimi deberent. Loca cum humilibus exercebat, neq;, quod multorum praua ambitio facere ſolet, Conſulis, aut cuiuſquam boni viri famam lædere ſatagebat, tantummodo neminem neq; conſilio neq; manu priorem pati. Quibus rebus breui Mario; militibuſq; chariſſimus fuit.

De cauſis diſſenſionis inter Marium, & Syllam.

AGebat Marius Romanorum Conſul & Imperator bellum aduerſus Iugurtam Numidarum Regem, quem quum regno pene expuliſſet, Iugurta ad Bocchũ Getulorum Regem ſibi vicinum confugit, ab eo auxilia poſtulans, promittenſq; tertiam Numidiæ partem ſi auxilia præſtitiſſet. Quo audito Bocchus maximo gentiũ numero collecto in Numidiam venit, & Iugurtæ coniunctus eſt. Qui ad prælium cum Mario venientes, obtinuit Marius, Numidæq; ac Getuli ſuperati ſunt. Quo facto legati a Boccho ad Marium venerunt petentes, vt idem Marius duos fideliſſimos de ſuis ad eundem Regem Bocchũ mitteret, atq; velle de ſuo, ac reipublicæ Romanæ commodo diſſerere, ille ſtatim Syllam, & Aulum Manlium ire iuſſit. Qui cũ celeres iſſent, Sylla ad Regem orationem habuit, cui cum Bocchus reſpondiſſet, impetrauit Bocchus ea legatione, vt per Marij mediũ legati Bocchi Romam mitterentur ad ſenatum. Habito quidem de infra ſcriptis pluribuſq; alijs inter Mariũ, & Bocchũ tractatu, Bocchus a Mario per literas petiuit, vt itẽ Syllã ad ſe mitteret, cuius arbitratu cõmunibus negotijs conſuleret. Is igitur Sylla miſſus eſt cum præſidio militum atq; peditum ſagittarijs inſuper, & fundibularijs, qui accepta tantum leui armatura muniti erant. Poſtquã enim Bocchus Rex & Sylla congreſſi ſunt

Sylla dicit ſe miſſum a Conſule, ac veniſſe quæſitum ab eo, pacemne? an bellum agitaturus eſſet? Tunc Rex poſt decem dies iterum venire iubet. Exactis deinde decem diebus Rex Bochus prætextu pacis vocatis Iugurta & Sylla ſtatim ſigno dato vndique ſimul ex inſidijs Iugurta capitur, ac cæteri ſocij ſui obtruncantur, atque idem Iugurta viuus, ac vinctus Sylle traditur a Bocho. Hinc graues, & nefariæ ſeditiones inter Marium, & Syllam, quæ fere Romam, & vniuerſum orbem funditus euerterunt, primordia habuerunt. Nam multi, qui contra Marium propter inuidiam accenſi erant, Sylle opera captum eſſe Iugurtã, ac ſibi a Bocho traditum. Marius vero, qui neminẽ parem in gloria patiebatur, decertabat. Aduerſarij vero Marij qui primas, maximaſque belli laudes Metello, ſecundas autem, & vltimas tribuebant Syllæ in illum vehementer agebant. Itaque populus, qui in primis Marij partibus fauebat perculſus terrore Marium deſerebat.

De cædibus, quas Marius in vrbe fecit.

AVguſtinus in tertio libro de Ciuitate Dei de malis, quæ in Mariano bello Romæ ſecuta ſunt, ſic ait in capite. xxvi. Quum vero Martius ciuili ſanguine, iam multis aduerſarum ſibi partium peremptis, victus vrbe profugiſſet, vix paulũ reſpirante ciuitate, vt verbis Tullianis vtar, ſuperauit poſtea Cinna cum Mario. Tunc vero clariſſimis viris interfectis, lumina ciuitatis extincta ſunt. Victus eſt huius victorię crudelitatẽ poſtea Sylla, nec dici quidem opus eſt quanta diminutione ciuium, & quanta calamitate reip. De hac enim vindicta, quæ pernicior fuit, quam ſi ſcelera, quę puniebantur, impunita relinquerentur, ait & Lucanus: Exceſſit medicina modum, nimiumque ſecuta eſt. Qua morbi duxere manus, periere nocentes. Sed cum iam poſſent ſoli ſupereſſe nocẽtes. Tunc data libertas odijs, reſolutaque legẽ frẹnis ira ruit. Illo bello Mariano, atque Syllano exceptis ijs, qui foris in acie cęciderunt, in ipſa quoque vrbe cadaueribus vici, plateę, fora, theatra, tẽpla cõpleta ſunt, vt difficile iudicaretur, quando victores plus funerũ ediderint, vtrum prius, vt vincerent? an poſtea quã uiciſſent. Cumprimũ victoria Mariana, quando de exilio ſe ipſe reſtituit, exceptis paſſim quaqua verſum cædibus factis, caput Octauij Conſulis poneretur in roſtris, Cæſar, & Fimbria in domib⁹ trucidarent a ſuis. Duo Craſſi pater, & filius in conſpectu mutuo mactarentur, Bebius, & Numitorius vnco tractis viſceribus interirent. Catulus hauſto veneno ſe manibus inimicorũ ſubtraheret. Merula Flamen dialis inciſis venis Ioui etiam ſuo ſanguine litaret. In ipſius autem Marij oculis continuo feriebantur, quibus ſalutantibus dexteram porrigere noluiſſet.

De malis, quæ Sylla Romæ operatus eſt.

DE Syllano quoque bello Auguſtinus dicto tertio lib. de Ciuitate Dei ſic proſequitur cap. xxvij. Syllana vero victoria ſecuta, huius videlicet vindex crudelitatis poſt tantum ſanguinem ciuium, quo fuſo comparata fuerat, finito iam bello inimicis viuentibus crudelius in pace graſſata eſt. Iam etiam poſt Marij Maioris priſtinas, ac recentiſſimas cædes, additæ fuerant aliæ grauiores a Mario Iuuene, atque Carbone earundem partium Marianarum. Qui, Sylla imminente, non ſolum victoriam, verum etiam ipſam deſperantes ſalutem, cuncta ſuis alcinisque cædibus

impleuerunt. Nam præter ſtragem late per diuerſa diffuſam, obſeſſo etiam ſenatū de ipſa curia tanquam de carcere producebantur ad gladium. Mutius Sceuola Pontifex, quoniam nihil apud Romanos templo Veſtæ ſanctius habebatur, aram ipſam amplexus, occiſus eſt, ignemque illum, qui perpetua cura virginum ſemper ardebat, ſuo pene ſanguine extinxit. Vrbem deinde Sylla victor intrauit, qui in via publica, non iam bello, ſed ipſa pace ſæuiente ſeptem millia peditum vndecimq; inermium non pugnando, ſed iubendo proſtrauerat. In vrbe autem tota, quem vellet Syllanus, quiſq; feriebatur. Vnde tot funera numerari omnino non poterant, donec Syllæ ſuggereretur ſinendos eſſe aliquos viuere, vt eſſent, quibus poſſent imperare, qui vicerant. Tunc iam cohibita, quæ hac, atq; hac paſſim furibunda ferebatur licentia iugulandi tabula illa cum magna gratulatione propoſita eſt, quæ hominum ex vtroq; ordine ſplendido equeſtri ſcilicet, atq; Senatorio occidēdorum, ac proſcribendorū duo millia continebat, contriſtabat numerus, ſed conſolabatur modus. Nec quia tot cadebant tantum erat mœroris, quantū lętitiæ, quia cæteri non timebant. Sed in quibuſdam eorum, qui mori iuſſi erant, etiam licet ipſa crudelis cæterorum ſecuritas, genera mortium exquiſita congemuit. Quendam enim ſine ferro laniantium manus diripuerunt, immanius homines hominem viuum, quā beſtiæ ſolent diſcerpere cadauer abiectum. Alius oculis effoſſis, & particulatim membris amputatis in tantis cruciatibus diu viuere, vel potius diu mori coactus eſt. Subuaſtatæ ſunt etiam tanquā villę quædam nobiles ciuitates. Vna vero, velut vnus reus occidi iuberetur, ſic tota iuſſa eſt ciuitas trucidari. Hæc facta ſunt in pace poſt bellum, non vt acceleretur obtinenda victoria, ſed ne contemneretur obtenta. Pax cum bello de crudelitate certauit, & vicit, illud enim proſtrauit armatos, iſta nudatos. Bellū erat, vt qui feriebatur, ſi poſſet, feriret. Pax autem, non vt, qui euaſerat, viueret, ſed vt moriens non repugnaret. Quæ rabies exterarum gentium? quæ ſæuitia barbarorum huic de ciuibus victorię ciuium comparari poteſt? Hæc Auguſtinus loco iam dicto.

De origine Gnei Pompeij Magni, & eius ſucceſſu.

IAm ad Gnei Pompeij Magni, & Caij Iulij Cæſaris ortum, ac geſta veniamus, qui e ſuperioribus ciuilibus bellis ortū trahentes, aliam nouam peſtem orbi effuderunt. Et quoniam diuerſa, ac maxima eorum geſta Hiſpania habuit, de eis, ac de eorum origine, vt clarior nobis eorum notitia fiat, aliquid deſcribamus. Gneus Pompeius Magnus appellatus alterius Pompeij filius Romæ natus eſt, quum Marius, de quo ſupra diximus, Conſul contra Iugurtam in Africa bellum ageret anno ab orbe condito quinto milleno. XCVI. & ab vrbe condita. DC. XLVII. Cuius ſuperiori anno. M. Tullius Cicero vir præclarus Arpinati natus fuerat. Hic igitur Gneus Pompeius Magnus primo ſub patre Pompeio, ac deinde ſub Sylla militauit, illi ab initio omnes Romani populi beniuolētiæ plurimū contulerūt, fuit enim bellicoſiſſimus, & imagine videlicet ex coma protenta, & lineamento oculorum adeo perſimilis Alexandro, vt a multis Alexander nominaretur, illi vna labes tantū fuit, quæ totius odij ciuilis fuit ſeminarium, inexpleta cupido, & auaritia, quoniam ſicuti Cæſar neminem ſuperiorem, ita & ipſe neminē parem volebat. Ei beneuolentia plures aſtricti erant, vitæ continentiā habebat, armorum inſuper peritiam, linguę perſua-

ſionem morum,fidem,& conueniendi modeſtiam. Aderat etiã eius gratijs, nihil cum
faſtu dare,nihil niſi ample recipere. Adhuc enim adoleſcens,& ſub patre militans Ari
ſtiam Ariſtij filiam accepit vxorem. Erat & inſuper populari gratiæ plurimum ac-
commodatus. Poſtea vero quã adoleuiſſet mortuo patre ſub Sylla militauit, & cum
Syllam fuiſſet ſecutus, ipſe Sylla obtenta victoria cõtra Caium Marium Iuniorem,
cæteroſq; partium ſuarum dictator factus multa in vrbe fecit. Primo enim quod ne-
mo vnquã fecerat, cum . xxiiij. faſcibus proceſſit, & rebus nouis remp. confirmauit.
Tribunorum plebis poteſtatem minuit, & omne ius legum ferendarum ademit. Pon
tificum, augurumq; collegium ampliauit, vt eſſent quindecim. Senatum ex equeſtri
ordine ſuppleuit: proſcriptorum liberis ius petendorum bonorum eripuit,& bona eo
rum vendidit, ex quibus plurima rapuit: conſtituitq;,quod de nullo maleficio, homi-
cidioq; facto, atq; fiendo poſſet cognoſci, niſi per ipſum. Bona præterea proſcripto
rum formoſis mulieribus , & in cantu eruditis, & hiſtrionibus, ac falibus diſtribuit.
Puellas item innuptas, ac nobiles, inuitas hominibus facinoroſis,ac vilibus matrimo-
nio cõiũxit. Omnes inſuper ſui exercitus pręfectos inſigniuit meritis, hos ad diuitias,
alios ad dignitates , magiſtratuſq; prouehens, alios abunde donis erexit. Gnei vero
Pompeij magnam virtutem admiratus, magnumq; pręſidium ſibi fore exiſtimans af
finitate eum ſibi iungere curauit. Cui rei cum Metella vxor nutu, conſilioq; faueret,
Pompeio ſuaſit, vt Ariſtia dimiſſa Aemiliam Syllę priuignã videlicet ex ipſa Metel
la,& Scauro genitã ducat. Hæc enim Aemilia dudum viro nupta fuerat, & ex eo gra
uida erat. Vnde hoc coniugium magis tyrannicum, quam tempeſtati Syllanæ con-
gruum fuit,quanquam Pompeio placeret. Ad ipſum itaq; Pompeium Aemilia per
quendam domeſticum adducta repudiata eſt Ariſtia proba, ac miſera , quæ dudum
etiam patre orbata fuerat, quoniam perantea iugulatus fuerat in Senatu Ariſtius pa-
ter propter Pompeium, qui Syllanam factionem ſequebatur. Hoc repudium Ari-
ſtiæ mater quum agnouiſſet, mortem ſibi intulit. Vnde noua quædam materia tra-
gicorum hæ nuptiæ viſæ ſunt, quum etiam nupta ipſa apud Pompeium mox e par-
tu obijſſet. Hic igitur Pompeius cum valido exercitu a Sylla aduerſus Carbonem,
Perpennam, atq; Domitium, cæteroſq; Marianarum partium, qui in Siciliam tra-
iecerant, miſſus eſt: quos deuicit, atq; Perpennas a Sicilia fugatus eſt, & Carbonem
ab exercitu Pompeij comprehenſum tribunitio Subſelio ſedens damnauit, ac occidi
iuſſit, ciuitateſq; afflictas recepit præter Meſſanam. Dum itaq; hæc Pompeius ciui-
liter in Sicilia adminiſtrat ,decretũ Senatus, ac Syllæ literæ miſſæ ſunt ad eum , qui-
bus præcipiebatur in Africam traijcere, omniq; manu oppugnare Domitium, apud
quem omnes eæ conuenerant copiæ, cum quibus nuper Marius ex Africa in Italiam
rediens rerum potitus erat, tyrannus ex exule factus. Statim igitur Pompeius omni
apparatu in expeditionem inſtructo, præfectum Siciliæ Mumium ſororis ſuæ vi-
rum inſtituit, atq; a Sicilia cum centum & viginti longis nauibus proficiſcitur. Hæ
quum partim ad Vticam partim ad Carthaginem applicuiſſent, ſeptem millia ho-
minum ex Mauris ad Pompeium defecere, ipſe enim Pompeius ſex integras legio-
nes in exercitu habebat. Domitius autem contra inſtructo exercitu vallem quandam
grauem, & aſperam ſuperaturus ab imbre validiſſimo, ventoq;, qui matutinis inſpira
bat, detentus eſt. Vnde ea die pugna deſperata a Domitio ad ſtationes reditum eſt.

Sed Pompeius ratus ad tempus ſibi congruere agmine citato vallem inuadit , tum
Mariani tumultu facto nullo ordine ſubſtitere, neq; omnes plane manſere. Ventus

præterea circunſtabat, procellam inſuper propellebat, nihil tamen minus ea hyems
Syllanos perturbabat, quoniã ſe adinuicem mutuo videre non poterant. Hocq; Pom
peius f rocius bellare ſatagebat, quum eius nomen adhuc fuiſſet incognitum, & ſic ma
gna cędẽ hoſtes vrgebat. Fertur enim ex tribus ac viginti millibus tria tantum mil-
lia effugiſſe. Deinde Pompeius Magnus appellatus eſt. Quum vero ſic eum vniuer
ſi milites appellare cœpiſſent, exclamauit: non ſum itaque dignus tali nomine, quo
ad vſq; vallum hoſtile ſtaret, ſiq; dignum eum tali appellatione iudicarent, vallũ deij
cerẽt, mox impetu facto in vallũ irruere, quo in conatu Pompeius priori periculo mo
nitus non ſine galea certauit. Vallum tandem captum eſt, perijtq; ibi Domitius. Ci-
uitates vero aliæ confeſtim paruere, aliæ vero vi captę ſunt. Percurrit denuó Pom-
peius Africam, Numidiamq;, per quadraginta enim dies, poſtquam ſuperius bellum
geſtum eſt, totam obtinuit Africam, concurrerunt deinde omnes Africæ Reges ad
Pompeium, & frequens inter eos factus eſt, & inter plures arbiter multa iudicauit.

Pompeius quomodo Magnus ſit appellatus, & in Hiſpaniam mittitur.

POmpeius igitur, quum Vticam confecto bello Africano rediſſet, ec
ce literę ſibi a Sylla ſunt redditæ, quibus iubebatur, vt reliquo di-
miſſo exercitu ſucceſſorem expectaret, & cũ vna legione Romã ve
nire properaret, in quibus tacite ipſe triſtatus eſt, ęgreq; id tulit, ſed
manifeſte totus exercitus eius eſt motus indignatione maxima. De-
inde orante Pompeio, vt iuſſa exequerentur, cœperunt obiectare Syl
lam, Pompeiumque non permiſerunt ſine exercitu vniuerſo abire, dicentes, Syllæ
tanquam tyranno non eſſe credendum. Pompeius igitur tentauit eorum animos
mollire, ſedareq;, ac perſuadere, vt iuſſis obtemperarent. Sed poſtquam perſuadere
id nequit, a ſubſellio in ſtationem deſcendens ceſſit illachrymãs, ſed milites arreptum
in ſuggeſtum reponunt. Suggeſtus enim eſt locus, in quo Reges ſedere conſueue-
runt pro magnis rebus tractandis. Hac itaq; altercatione plurima diei pars aſſumpta
eſt, volentibus illis manere eum, & imperare. Econuerſo autem Pompeio exhortãte
vt Syllæ iuſſis abſque ſeditione parerent, tandem non deſinentibus illis, ſed arctius
vrgentibus, preceſq; cum clamore admiſcentibus iurauit Pompeius ſe ipſum interfe-
cturũ, ſi vim afferrent, quo illos pacto vix acquieſcere coëgit. Cęterum ad Syllam
per primum nuncium allatum eſt Pompeium defeciſſe. Re tandem certius cognita,
compertaq;, vt aduenientem Pompeium vndiq; viri omnes obuiam irent, eumq; be
neuolentia cum ampla pompa proſequerentur, mandat: præuenire tamen eum Syl-
la accelerauit. Profectus ergo, & illi obuiam factus quam lætiſſime dexteram iun-
xit, eumq; ingenti voce Magnũ Pompeium ſalutauit, iuſſitq; omnibus, qui tum adẽ
rant, vt ſimiliter Magnum eum appellarent. Alij dicunt cognomen hoc primum in
Africa ab vniuerſo exercitu illi inditum, deinde vim, atq; conſuetudinem ex hac Syl-
læ affirmatione habuiſſe. Pompeius tamen longo poſt tempore Proconſul in Hiſpa
niam miſſus eſt aduerſus Sertorium, qui illam detinebat, & in eius epiſtolis, actiſq;
ſe Magnum Pompeiũ ſcripſit. Neq; hoc cuipiam admirationi ſit, nam conſueuerũt
Romani non hos ſolum, qui præclara confecerant bella, quive ſtrenue manu vſi ſunt,
ſed eos etiam, qui rem publicam conſilijs, ac virtutibus ſuis decorarunt, huiuſcemo-
di cognomentis ſæpe exornare. Duos enim populus Romanus cognominauit
maximos Valerium, quod patres a plebe diſſidentes conciliauit, Fabium Tullium,

quod diuites quoſdam viros e libertis genitos e Senatu àmouit.

De Sertorio, & Appio Metello.

ERat in Hiſpania ea tempeſtate Sertorius, qui illam diu tenuerat, & ciuili bello adhęſerat partibus Marianis, tremendus hoſtis Syllę ceteriſqꝫ ſuę factionis. Aduerſus Sertorium diuerſi Duces miſſi ſunt, quos Sertorius valide ſuperauit. Denuo aduerſus hui⁹ rabiẽ Apius Metellus vir clariſſimus miſſus eſt, & quidem bellicoſiſſimus, ac ſapientiſſimus, ſatiſqꝫ Marco Lepido diſſimilis, ſed nimis grandi cura implicitus propter ſenectutem, ob hanc enim tardus nimium erat ad bellum, Sertoriuſqꝫ propter velocitatem, ac promptitudinem ſępius grauitatem eius deluſerat.

Ex qua etiam re Senatus decreto Magnus Pompeius in Hiſpaniã miſſus eſt, vt Sertorium comprimeret Pompeius, itaqꝫ Proconſul a Senatu ordinatus contra Sertorium, iam Magnus cognominatus, quum Hiſpaniam veniſſet Proconſul, primũ Apio Metello ſe in præſidium diſpoſuit. Interim tamen Hiſpanos populos Sertorio parum donatos, ſeu beneuolos ſolicitare cœpit, & quoſdam ad defectionem adduxit, ex quo fertur Sertorium dixiſſe quam inſolentiſſime, virga, & loro ſibi opus eſſe ad puerum Pompeium caſtigandum, niſi vetulum pertimeſceret de Metello ſene locutus. Hoc itaqꝫ verbũ iactauit, factus eſt tamen de cætero Sertorius cautior, metuqꝫ Pompeij cautius in hoſtem ferebatur. Metellus quidem, quod incredibile erat, propter ſenectutem delicijs omnibus, & voluptati fræna laxabat. Vnde creſcebat Pompeij gloria, ac beniuolentia in ea militari diſciplina, qua milites tenebat, quoniam non magno degebat apparatu. Natura enim ſobrius fuit, & a cupiditatibus longe abſtinens, verum belli fortuna varia eſt. Cœpit enim Pompeius Vylauronam vrbem, nam putabat Pompeius Pertorium circunuenire, ex quo gloriam quam maximam ſperabat, in cuius ſpem maxime elatus multa iactauit, proſpexerat enim Põpeius ante ſuos oculos vrbem captam, & incenſam, caſtraqꝫ ſua a Pertorio circundata. Sertorio enim ſpem fecerant Perpennas, & Eninus maximi Duces, qui a Pompeio ad Sertoriũ profugerãt, illicqꝫ ſe ſocios belli addiderant. Quo audito Pompeius eos vſqꝫ in vrbem Valẽtiam fudit, atqꝫ fugauit, in qua fuga vltra decem millia hominum interemit. Ex qua re Pompeius ſpem, ſimul & gloriã conſecutus, elatus victoria mox in ipſum Sertoriũ feſtinat irruere, ne gloria Metello impartiretur, iuxta ergo Sucronẽ amnẽ ſole iam ad occaſum vergente copias ad pugnã ambo Duces inſtruxere. Metellus enim & Pompeius ambo cupiẽtes belli gloriã, alter alterum præuenire in bello cupiebat. Sertorius etiam, vt cum ſolo pugnaret, ſtuduit. Conſerta itaqꝫ pugna eſt, tandemqꝫ ęquo Marte dirempta, vterqꝫ enim alterum cornu ſtrauit, verum ex duobus maiorem gloriam reduxit Sertorius, nam ſolus aciem oppoſitam in fugam vertit. In Pompeij vero cornu vir permagnus equo ex pedeſtri comitatu Sertorij obuiam Pompeio egreſſus, poſtquam ad conflictũ enſium peruẽtum eſt, pugnauit cum Pompeio diſſimili tamen plaga, quoniam ad manus quum veniſſent, Pompeius ſautius factus eſt enſis ictu, hoſti vero a Pompeio eſt amputata manus. Quãprimum deinde poſtera dies illuxit, ambo Duces ſimul acies inſtruxerunt, proximę pugnę victoriam quiſqꝫ ſuam fuiſſe aſſerens, ſed ex aduentu Metelli ſoluto exercitu abijt Sertorius. Cęterum Pompeius, quum priuatum ad hoc bellum multa expoſuiſſet, pecunias a Senatu poſtulat, addens, ni mittant, ſe cum copijs in Italiam reuerſurum.

Lucullus tunc conſulatum gerebat, qui vir, licet a Pompeio diſſentiret, quoniam in Mithrydaticum bellum mitti affectabat, in mittendis pecunijs ſtudet, timens ne Pompeio redeundi materia eſſet, qui dimiſſo Sertorio cupiebat etiam Mithrydatem inuadere, Regem gloria ſplendiſſimum, hoſtemq;, quod credebat facile obtinere.

De morte Sertorij, & Perpennę.

SErtorius igitur poſt clariſſimas res in Hiſpania geſtas ſicut a principio omnium Hiſpanorum animos ad ſe flexerat, ita poſtea ab ipſo deſciuere. Huius autem defectionis autor Perpennas fuerat, qui tanquam nobilitate familiæ præſtantior Sertorio inuidebat, principatumq; affectabat, ſermoneſq; pãdebat in detractionem Sertorij. Ex quibus inquinamentis ciuitates quædam Hiſpaniæ a Sertorio defecerunt, effecitq;, vt in dies minus Sertorio pareretur, auxitq; indignationem Hiſpanorum immenſa Sertorij ab initio humanitas in crudelitatẽ conuerſa. Is enim, quum ab initio pueros Hiſpanorum obſides ſibi aſſignari iuſſiſſet, & in Oſcha vrbe tenuiſſet, illos liberalibus ſtudijs, alijſq; bonis artibus erudiebat. Deinde vero in eorum indignationem crudeliter conuerſus, quum alios necaſſet, alios vendidiſſet, magnam exinde populorum indignationem contraxit. Qua opportunitate comperta Perpennas in eiuſdem mortẽ cœpit conſpirare. Qui quum multos ſibi aſciuiſſet, Manlium quendam ex Sertorianis Ducibus ad hoc ſibi adiunxit. Hic tum forte adoleſcenti, cuius amore detinebatur, hæc omnia pandit, & hac ſpe elatus, cæteris amatoribus omiſſis ſibi vni ſe addiceret hortabatur, maximam cõfeſtim potentiam habiturο. Adoleſcens cuidam Aufidio amatori, qui ſibi gratior erat, hæc apperuit, quæ quum audiſſet Aufidius obſtupuit, nam & ipſe vnus ex coniuratis erat, ignorabat tamen Manlium iſta ſentire. Perpennam vero, & quoſdam alios, de quibus ſibi notum erat, nominante adoleſcente, conturbatus ſermonem abrupit, & inſanũ, contemnendũq; Manlium dixit, qui ita vanas fictiones induceat, ipſe autem ad Perpennam profectus rem, pro vt audiuerat, & quanta celeritate opus foret, expoſuit. Rem igitur aggreſſi conficiendam nuncium induxerunt victoriam quandam vnius ex Sertorianis Ducibus, & cædem magnam inimicorum ſignificãtem. Ad quem exhilaratus Sertorius quum immolaſſet, Perpennam ipſum, & alios, qui aderant, hi erant omnes coniurati, ad cœnam inuitat, exoratq;. Mos erat Sertorio in conuiuijs plurimam ſemper honeſtatẽ, decoremq; ſeruare, nec videre quicquam turpe, nec audire ſuſtinebat, docueratq; omnes ſuos ab omni maledicto, ac iurgio abſtinere, ſed placide, ac modeſte ioco vti. Tunc igitur in medio conuiuij rixæ initium quærentes aperte verba turpia, flagitioſaq; iactabant, & ficta ebrietate multa ſceleſte agebant, vt Sertorium prouocarent. Sertorius vero ſiue quod grauiter ferebat inconcinnitatem eorum, ſiue quod ipſorum mentes ex tarditate loquendi, & inconſueto contemptu animaduerteret, mutato diſcunbendi modo ſe ſupinum diſpoſuit, quaſi nec videre quicquam vellet, nec audire. Perpenna autem phialam meri in medium proijciente, & ſtrepitu inde facto, quod erat ſignum coniuratis datum, Antonius, qui ſupra diſcumbebat, gladio Sertorium percutit. Conuerſi vero ad plagã, & inſurgere conãtis in pectus ruit, manuſq; ambas capit, ne reſiſtere valeret, per hunc modũ a multis confoſſus occiditur. Maxima Iberiæ pars Metello, & Pompeio poſt mortem Sertorij ſeſe tradit. Eos, qui manſerant, Perpenna ſuſcipiens, aduerſus inimicos bellum gerere adortus eſt, in quo

ſtatim ſui experientiam dedit, vt viri nec ad parendum, nec ad imperandum apti.

Nam fretus Sertorij apparatibus aduerſus Pompeium congreſſus breui ſuperatus fuit, & captus, nec vltimam quidem fortunam ingenue tulit. Sed quum haberet Sertorij literas Pompeio promiſit, virorum conſularium, & qui plurimum Romae poterant, epiſtolas propria manu ſcriptas, per quas cupidi nouarum rerum Sertorium in in Italiam vocabant, ſe oſtenſurum. Sed Pompeius non vt iuuenis, ſed vt grauis, & prudentis animi vir eas quidem literas nec legere ipſe voluit, nec, a quoquam vt legerentur permiſit, ſed ipſas omnes in vnum collectas cremauit. Quod eius factum multos ciues periculo, & magnis nouitatibus patriam liberauit. Perpennam inſuper ſtatim occidit, veritus ne vulgatis quorundam nominibus turbationes, & ſcandala orirentur. Reliquorum vero, qui Sertorianę necis conſcij fuerant, alij ad Pompeiū deducti mactati ſunt, alij in Lybiam profecti a Maurucijs interfecti fuerūt, nec quiſquam euaſit pręter vnum Aufidium Manlij riualem. Hic enim ſiue latens, ſiue neglectus in quadam Barbariae villa inops inuiſuſq; conſenuit. Neq; praeterire libet ſui factis Sertorij, quod dum ab Hiſpania veniſſet in oppidum Tanginum in Libya, ibiq; vidiſſet ſepulchrum Anthei, non credidit facile vulgationi Barbarorū de illius corporis magnitudine, quod vbi effodi feciſſet, repperit illius oſſa lōgitudinis ſeptuaginta cubitorum, res quidem auditu ſtupenda. Poſt mortem itaq; Sertorij Perpennas celſior habitus eſt, qui imperiū occupans aduerſus Pompeium ſe inſtruit. Pompeius igitur extemplo exercitū eduxit, decemq; cohortes in eſcam hoſtium miſit, iubens, vt paulatim per agros in conſpectu Perpennae vagarentur, quas videns Perpennas, rerum inſcius, illas paſſim inſequitur, Pompeius vero inſtructa acie irruens conſerta pugna omniū victor fuit. Quum vero plęriq; primorum Perpennam cepiſſent, Pompeius ad ſe aductum occidi iuſſit, non immemor eorum, quae in Sicilia contigerant, quemadmodū a nonnullis criminatus eſt. In huius enim captura Pompeius maxima arte ad omnium ſalutem vſus eſt. Perpennas enim quum in poteſtate literas omnes, caeteraq; Sertorij monumenta habuiſſet, epiſtolas quorundam clariſſimorum virorum ciuium Romanorum propalauit, qui ad res vrbis innouandas ſtudebant, in Italiamq; Sertorium vocabant. Pompeius ergo timens ne ex his maiora ſuſcitarentur bella, quam quae iam reſtinxerat, Perpennam trucidauit, & epiſtolas omnes a nem ne inſpectas incendio tradidit. His peractis Pompeius quum Hiſpaniam, & maxim Celtiberiam deambulaſſet, omnes tumultus innatos oppreſſit, incendiaq; rerum extinxit. Poſt haec vero Pompeius Romam redijt, ibiq; triūphum petijt, cui ſe obiecit Sylla, Conſuli enim tantum, & non Proconſuli aiebat triūphum lege permitti. Vnde Scipio, quum magnis & arduis praelijs ſuperauiſſet in Hiſpania Carthaginenſes, triumphum non poſtulauit, non dum erat Conſul, aut id bellum ſuis gerebatur auſpicijs. Obſtabat praeterea triūpho Pompeij, quia vix pubeſcebat, quive ob aetatē nondum in Senatū admiſſus fuerat, omnino ſibi gloriā inuidioſam erat pariturus, principatuſq; ſuus ab vniuerſis ciuibus ęgre perferendus erat. Haec aduerſus Pompeium Sylla obloquebatur, veluti illi non aſſenſurus, ſed contentione ſua impediturus rogationem. Non tamen Pompeius ob hoc territus eſt, ſed quum denuo inſtaret Pompeius, admiratus iuuenis fiduciam bis acclamauit, ergo triumphet.

Qua ex re quum indignatio complures caperet, grauiterq; id ferretur, optans Pompeius eos grauiori moleſtia afficere, conatus eſt curru a quatuor elephantibus ducto triumphum ducere, anguſtiori tamen porta vrbis prohibitus equis vſus eſt.

De Marij morte.

QVoniam de ciuili bello Marij & Syllæ diximus, de eorum quoq; factione, ac morte dicendum videtur. Marius igitur poſtquam de exilio ſe reſtituit, quum magna Romanos ſtrage, ac nece vrbem fœdaſſet, omnia pariter diuina, ac humana confundẽs ſeptimum Conſulatum aſſumpſit, quod nemini Romanorũ adhuc cõtigerat. Qui quum Magiſtratum cepiſſet ad Kalendas Ianuarias, quibus annus incipitur, quendam Sextum Lucillum præcipitem dedit, quod ipſi, & vrbi magnũ fuit augurium ad futuras calamitates. Ipſe autem Maurius corporis laboribus, atq; ſollicitudine perterritus, quia multa pericula expertus fuerat, animi ferocitatem amiſit, exiſtimans in ſe crimen rediturũ. Nam Sylla, qui ipſum Marium patria expulerat, ad Mitrydatemq; potentiſſimum Regem fugere compulerat, Romam repetebat: huiuſmodi mentis agitationibus Maurius affectus, quum ante oculos errores, exilia, periculaq; maris ac terræ adduceret, in varias, dubiaſq; partes diſtrahebaẽ, & nocturnis, turbulentiſq; ſomnis perterrebaẽ. Videbatur enim continuo quendam audire dicentem, dura ſunt cubilia leonum. Sed quum maxime vigilias pertimeſceret, intempeſtiuis potationibus, & ebrietatibus indulgebat, tanquam per ſomnum animi cogitationes vitaturus eſſet, Cui quum quidam nunciaret ea, quę apud mare per Mithrydatem, ac Syllam facta erant, nouis timoribus percuſſus, partim futura timens, partim tanquam præſentium vulnere male affectus, paulo poſt exilium reſtitutus, vt Poſydonis Philoſophus ſcribit, in malam valetudinem incidit. Caius autem Piſo vir hiſtoricus memorię literarũ tradidit: Marium poſt cœnam cum amicis deambulantem in ſermonem de rebus ab eo geſtis veniſſe, & a rerum primordijs incipientem, ſępiuſq; de vtraq; fortuna diſputantem dixiſſe, non ſane mentis hominem eſſe, qui fortunæ ſeſe committeret. Poſt hæc appellatis lęto vultu, qui aderant, quũ per ſeptem dies paulatim deficeret, diem obijt. Quidam ferunt, eius ambitionem in ipſa mala valetudine omnino detectam in vanam ſpem euaſiſſe, putabat enim ſe in Mithrydatico bello imperatorem eſſe. Deinde, quemadmodum in ipſo langore corporis accidere ſolet, varias in corpore mutationes cum gemitu, ac multis vlulatibus patiebatur.

Sic adeo ingens cupiditas Magiſtratus illius belli eum ceperat, vt nulla conſolatione curari poſſet. Duos ac ſeptuaginta annos natus obijt, primuſq; omnium Romanorum fuit, qui ſeptimum Conſulatum attigerit, qui quum domum magnificam inſtruxiſſet, quę multis Regijs ædibus clarior erat, fortunã ſuam crudelem appellabat, quod priuſquam conſilia, deſideriaq; ſua peregiſſet, morte obiret. Septimo igitur die ſui ſeptimi Conſulatus Marius diem clauſit extremũ, cuius mors ſtatim Romam magna lætitia, atq; exultatione affecit, ex eo quod graui tyrannide liberata eſſet.

De Syllæ obitu.

LVtius Sylla poſtquam omnia mala, quæ multis voluminibus deſcripta fuerunt, peregiſſet: voluptati, ac ebrietati ad vltimum datus electis maximi pretij ferculis, potationibuſq;, in quibus vinis quadraginta annorũ vtebatur, inter quas potationes Metella vxor eius obierat, & cũ aliam Valeriã, quæ per antea diuortiũ cum viro ſuo fecerat, amore captus duxiſſet vxorem, ac vitam ſuam ageret cum cantoribus, tibicinibus, & hiſtrionibus, cæteriſq; ad voluptatẽ pertinentibus ad vlti

mum mala valetudine correptus eſt, atq; grauatus propter flegmà, quod adeo viſcera ſua putrefecerat, vt fetorem emitterent, & quidem maximum: ac eius corpus pediculis totũ abundans erat, nec tonſores continue radentes eos remouere valebant. Nam illis remotis alij plures pullulabãt veſtes eius implentes, & intra oculos eum etiã moleſtabãt, cui nec balnea, nec alia remedia proderant, & ſic pediculis afflictus erat quotidie. Pridie vero quam moreretur, quum Granium quendam potentiſſimũ ciuem Romanum, qui magnam pecuniam populo Romano debebat, audiſſet ſolutionem tergiuerſari, atq; ipſius Syllæ mortem expectare, ad ſe accitum hominem in ſecretiorem locum adduxit, accerſitis deinde miniſtris, vt illum necarent, præcepit. Ipſe vero Sylla cum clamore, ac totius corporis contentione laboraſſet, diſrupto, quod geſtabat, apoſtemate maximã vim ſanguinis effudit, qua de cauſa vehementer debilitatus, atq; omnino viribus amiſſis magna anxietate nocte illa vitã duceɳs mane obijt. Aderat enim eius morti Pompeius, qui licet contra Syllam ſimultates haberet, maxime quum Sylla oſtendiſſet, ſe minus beneuole habere cum Pompeio ex teſtamento, alijs enim munera legauit, alios filiorum curatores inſtituit, ſed Pompeium omnino omiſit. Tulit tamen hoc Pompeius modeſte, nimis placideq;, non obſtante quod Lepidus Conſul, cæteriq; nonnulli contradicerent, ne Sylla in campo Martio ſepeliretur, neve funus fieret publica impenſa. Pompeius ſuo præſidio gloriam ſimul, defenſionẽq; funeri attulit, & corpus eius in campo Martio ſepultum eſt, & ſtatua magna ad eius ſimilitudinem poſita eſt, & epitaphium poſitum, quod ipſemet fecerat, videlicet. Nullus meus amicus me bonitate ſuperauit, nec inimicus malitia. Filios pręterea duos gemellos reliquit, vt dictum eſt, Fauſtum, & Fauſtam, & ex Valeria poſt eius mortem nata eſt puella, quæ more Romano Poſthuma eſt appellata.

LIBER NONVS DE CIVILI BELLO INTER CAESAREM, ET POMpeium, & eorum progreſſibus vſq; ad Auguſtum Cæſarem, & primo de origine Caij Iulij Cæſaris.

CAius Iulius Cæſar ex patre Lucio Iulio Cęſare ortus eſt, qui Marianę factioni adhęrebat. Erat enim Marius ſenior cognatus Lucij Cæſaris, quoniam Iulia ſoror Cæſaris vxor Marij erat, cuius reſpectu ſuæ factioni adhęſit, qui Lucius interfectus eſt a Sylla, dũ vltimo in vrbem intrauit. Erat quidem ex nobiliſſima Iuliorum familia, a Syluio Poſthumo Aenee Veneris & Anchiſæ filij, & Lauinia Latini Regis filia ortum trahens: In cuius familiæ laudem Caius Iulius Cęſar dum orationem haberet in laudem amitę Iulię vxoris ſiquidem Marij ſenioris ſic ait. Amitę meę Iulię Marij ſenioris vxoris maternum genus ex Regibus ortum, paternum cum dijs immortalibus coniunctum eſt.

Nam ex Anco Marcio ſunt Marcij Reges, & a Venere ſunt Iulij, cuius gentis familia noſtra eſt. Eſt ergo ſanctitas in genere Regum, qui plurimum inter homines pollent, & ceremonia Deorum, quorũ in poteſtate ſunt ipſi Reges. Erat itaq; Caius

Iulius Cæſar ãnnorum ſexdecim, cum illi mortuus Lucius pater, & cum a principio ignoraretur, in quas partes declinaret, Ceſutiam ex equeſtri familia, quę primo prætextato deſponſata erat, duxit vxorem, ipſe autem ſatis inops habebatur. Poſtea vero Ceſutia vxore repudiata Corneliã Cynnę filiam, qui. IIII. Conſul fuerat, vxorẽ duxit, poſtea quam Pontifex factus eſt. Quam cum Sylla voluiſſet repudiari a Cæſare, quia hoc renuit, ſacerdotium, & vxoris dotem publicauit, & gentilicijs hæreditatibus mulctatus eſt, aduerſarũ enim partium habebatur, vt etiam diſcedere e medio conaretur, tñ morbo quartanę aggrauãte prope per ſingulas noctes mutare latebras cogebat̃, ſeq; ſępius ab inquiſitorib⁹ pecunia redimebat, donec per Mamertiũ Aemiliũ, & Aureliũ Cottam conſanguineos & affines, ac per Veſtales virgines, quarũ ſumma tunc erat autoritas, Sylla deprecatus multis tandẽ ac validis precibus acquieuit. Vbi illud memorabile contigit, quod cum Sylla diutius obſtitiſſet, neq; vllus eſſet precandi finis, victus ad vltimum exclamauit vel diuino oraculo, aut coniectura humana. Vincite itaq;, atq; habetote vobis cunctiſq; nobilibus hoc damnoſum donum, prædico autem vobis, quoniã hic, quem adeo enixe ſaluum vultis, optimatum partibus, quas vos mecum defendiſtis, erit quoque excidio, in Cæſare enim multi ſunt Marij. Suetonius etiam Tranquillus vitam Cæſaris deſcribens ſic ait: quoniam ornatius incederet, vtebatur enim lato clauo & nimium fimbriato, ſed tamen ſupra eum cingebatur, & quidẽ fluxiore cinctura, quoniã Romanis mos erat, vt ſtricte cingerentur. Vnde emanaſſe dicitur Syllæ dictum ad Pompeium, cæteroſq; nobiles ſuæ factionis, vt male præcinctum puerum cauerent. Vnde etiam legitur illud Ciceronis, cum poſt ciuile bellum interrogaretur, cur ita aberraſſet Pompeium Cæſari præferendo, Præcinctura, inquit, me decepit. Militauit ergo adoleſcens in Aſia primũ, deinde in Græcia, ac Sicilia, nunc clara fama, nunc obſcura. Audita autẽ Syllę morte nouandarum rerum ſpe trahente Romam rediJt. Sed ciuili motu pręter ſpem compreſſo ne nihil ageret, Cornelium Dolabellam virum conſularẽ, ac triumphalẽ accuſauit, quo iudicio magnam ſibi eloquentię famam acquiſiuit, ſed multum inuidię. Quam vt leniret abſentia, abſoluto reo rebuſq; præter vota fluentibus in inſulã Rhodum ſe tranſferre diſpoſuit, vt ſimul & otio operam daret, & literis apud Apollonium Molonem virum clariſſimũ, tunc facundię præceptorẽ, ſub quo Cicero ipſe Romanę Princeps eloquẽtię didiciſſe credit̃. Sed dũ eo nauigat, captus eſt a Piratis, & familiarib⁹ omnibus pręter tres Romã remiſſis ad redẽptionis ſuæ pecuniã procurandã, manſit cum prędonib⁹ dies circa quadraginta nõ ſine triſtitia, & indignatione grauiſſima. Cumq; illi ex conuictu familiaritate orta cum percontarẽtur, quid eis, ſi in ſua poteſtate eſſent, faceret, reſpondebat iocanti ſimilis, ſe illos crucibus affixurum, idq; tacitus facere iureiurando etiã confirmauit. Cum uero comitibus & ſeruis Roma redeuntibus quinquaginta talenta pro redẽptionis precio perſoluiſſet, libertati redditus claſſe ilico conquiſita illos attigit, comprehenditq;. In quibus iam tum ſecuturæ lenitatis, & clæmentiæ guſtum dedit. Nam quum & ſontes plectere, & iuramentũ ſeruare fixum eſſet, modum excogitauit, quo vtrunq; leniore ſupplicio compleretur. Itaq; iugulari illos primum, poſt exanimes crucib⁹ iuſſit affigi. Nec per otium publicas res neglexit, Mithridate enim Aſiam infeſtante congregatis auxilijs obſtitit, & præfectum Regis Aſiæ pepulit, & prouinciam conſeruauit. His exactis Romam reddijt, primuſq; illi honor fuit tribunatus militum, in quo quidem imminutam a Sylla tribunitiam poteſtatem reſtituere ſummo ſtudio niſus eſt.

Caius Iulius Cæſar Quæſtor in vlteriorem Hiſpaniam miſſus eſt.

POſt præmiſſa igitur Cæſar a Senatu in vlteriorem Hiſpaniam miſſus eſt Quæſtor factus. Qui cum veniſſet in Gades, vbi Herculis erat templum ſumma veneratione celebratū, in quo erat imago Alexandri Macedonis, quā imaginē cum Cæſar diutius contēplatus eſſet, vehemēter indoluit, quod ętate illa, quā ipſe tunc ageret, Alexander famā ſui nominis in fines terræ extendiſſet, a ſe vero nihil adhuc dignum actū eſſet, ideo petiit a Senatu, vt pro eo mitteretur, cupiens eſſe, vbi maioris famæ materiam inueniſſet. Romam itaq; reuerſus fœdo ilico turbatus eſt ſomno, viſus enim ſibi eſt per ſomniū dormiēs cum matre concūbere. Eſt hęc quidē vna humanarum miſeriarū, vt quāuis verū ſit, quod ait Cicero, quodq; de Homero ſcribit Ennius: plerunq; ea videre dormientes, de quibus ſæpiſſime vigilātes ſint ſoliti cogitare, & loqui: tamē illud certiſſimū eſt, ſolere ſe quieti hominū viſiones fœdas, ac turbidas, & a ſōniante anima pegrinas offerre, vt qđ nunq̄ vigilātes cogitarēt, quodq; potius quam facerent, mori eligerent, conſopiti facere videant. Paracta igit̃ viſione, illi, quorum vafrum, falaxq; eſt artificium, ad coniecturas redigenies, eſtimatis, vt credo, viri moribus ac natura cōſentanea interpretatione magnalia terrarū, & orbis imperium ſignificari ſomnio dixerunt, quod ea ſcilicet, quam ſibi ſubditam habuiſſet, nihil aliud eſſet niſi terra parēs publica, ſicut experiētia perhibet. Ad ampliſſimā itaq; ſpē incitauerunt, quod ego potius narro, quia ſic ab aliis ſcriptum inuenio, quam quod verum credam, virū tanti animi, tantęq; prudentiæ ad immenſam ſpem ſomnio inani ac nocturno phantaſmate, aut omnino circulatorū fallaciunculis incitatū. Ad quā implendam, quanta fortuna, quanto ingenio, quantis bellicis artibus, quantiſq; laboribus, quantis deniq; rebus aliis opus fuiſſe, quā ſomnio, quis non videt? Dehinc Aedilis factus eſt, quo tēpore in ſuſpitionē magnam venit, vt non modo ſemel, ſed pluries conſpiraſſe crederetur cum viris inſignibus, vt totum ſtatum reip. perturbaret. Numerabatur enim inter Catilinæ coniuratos, ſed vel pœnitētia, vel metu, ſeu morte conſpiratorū effectu conſiliū caruiſſe. In ea enim Aedilitate multa fecit inſignia ad ornatum vrbis, quorū omnium ipſe ſolus excluſo collega populi gratiā conſecutus eſt, ſperanſque ſibi nihil negatum iri, tentauit extra ordinem Aegyptum prouinciā adipiſci, quod Alexandrini Regem ſuum ſolio deieciſſent. Sed ab optimatibus impeditus, vt quo poterat modo ſe de illis vindicaret, in illorum contemptū Caii Marii noui hominis trophea de Iugurta ſcilicet, ac Cymbris, atq; Theutonis, quæ Sylla hoſtili ſuperbia euerterat, reparauit. perdita itaq; ſpe Aegypti Pontificatum maximū petiit non abſq; fluxu munerum ingenti. Ita iam ambitio Romanum orbem inuaſerat, vt iam tunc Pontificatus pecunia venderetur. Qua in re quū ipſe ſibi non ſufficeret, alienum æs, & quidem non modicū mutuauit. Quod deinde ſecum exiſtimans, cum in campum mane candidatus deſcenderet, matri eum deoſculanti dixiſſe traditur, domum niſi Pontifex non reuertar. Reuerſus eſt autem Pontifex duobus clariſſimis competitoribus ſuperatis ętate & dignitate præſtantibus. Interea Cæſar de coniuratione Catilinę, q; cum ipſo Lucio Catilina cęteriſq; viris illuſtribus coniuraſſet, a Lucio Vectio, & Q. Curio accuſabatur, aſſerebatq; Vectius ſe oſtenſurū chyrographum Cæſaris Catilinæ pro coniuratione oblatum, quod tamen Cæſar ægre ferens confutatis accuſatoribus liberari obtinuit, & præmia illi decreta a Senatu, Vectiuſque, &

Curius grauiter mulctati ſunt & priuati honore. Allegauit enim Cæſar innocentiæ ſuæ teſtem Conſulem Ciceronem, cui præfatæ coniurationis multa reuelauerat. His peractis Cæſar Prætor in Hiſpaniam decernitur. Tanta vero fuerat eius inopia, vt ſequeſtraretur Romæ a creditoribus, impedireturꝙ, quominus poſſet in præturam proficiſci, niſi quia oblatis fideiuſſoribus permiſſus eſt in Hiſpaniam ire, quam profectionem quum peregiſſet, compoſitis prouinciæ rebus pacatiſꝙ ſimultatibus, quæ in ea fuerant, etiam ſucceſſore non expectato properat Romam redire petiturus conſulatum, triumphumꝙ. Sed quum legibus vtrunꝙ petere prohibitus eſſet, omiſſo triumpho conſulatum petijt cupidus rerum gerendarum.

Caius Iulius Cæſar creatur Conſul, ſibiꝙ decernitur prouincia Galliarum, & Illiricum.

FActus eſt itaꝙ Conſul cum. M. Bibulo, quem collegam facta contentione legis Agrariæ, cum Bibulus diſſentiret, foro armis eiecit. Vnde Cæſar ſolus remp. gubernabat nemine prorſus obſtante, & ſi quis obſtitiſſet, non tamẽ minis ſed factis quoꝙ exterreret, in quibus Marcum Catonem virum tantæ ſapientiæ & virtutis actibus ſuis contradicentẽ manu Lictoris exactum curia mitti fecit in carcerem, quo euntẽ illum Senatus proſecutus eſt, non aliter quã ſi vnius in perſona capti omnes viderẽtur. Sunt etiam qui dicant, veſtem quoꝙ velut in luctu publico permutaſſe. qua quidẽ tanta veneratione ac pietate, niſi fallor, iniuria carceris compenſata eſt, vt optabile fuiſſe videatur Catoni, ſic in carcerem duci, vnde mox ſic educeretur. Si quidem hæc Senatus tanta conſenſio Cæſarem ipſum mouit, vtꝙ ait Valerius diuini animi perſeuerantiã flexit. Et quanquã hic aliquantulũ fines Hiſpaniarũ rerum egreſſi fuerimus, quia tamen rerum factorumꝙ Cæſaris, ac Pompeij in ipſa Hiſpania magna ſtat copia, ipſius Cæſaris vitam, originemꝙ ciuilis belli pernceſſariũ eſt attingegere. Igitur Cæſar initio conſulatus ſenciens inuidiã contra ſe laborantẽ, & Conſulibus a ſenatu prouincias nullius laboris, & gloriȩ decretas, idꝙ in ſe vnũ fieri cogitans, & ad ſuam, ſicut erat, iniuriã trahens, quod collegã ſcilicet iſta non tangerẽt, atꝙ incenſus cupiditate vindictæ Gneum Pompeium Magnum tunc Senatui infenſum, quod Mithrydate perdomito ad ipſius Pompeij honores ſilẽrium habuiſſet, omni obſequio promereri ſtuduit. Vtque ſolidior Gneus eſſet. M. Craſſi amicitiam vetuſto odio interruptam ex conſulatu, quem ambo diſſidentiſſime geſſerant, reſarcire viſus eſt. Effecitꝙ ſolito ac ſolerti ingenio, vt ipſi tres in repub. vnum eſſent: ratus, vt quæ eis placuiſſet, nullus reſcinderet, nec eum fefellit ſpes. Vtꝙ amicitiam conſanguinitate firmaret, filiam ſuam Iuliam Pompeio coniugem dedit, & vndiꝙ ſibi adminicula coaceruans ipſe Calphurniam Lucij Piſonis ſucceſſuri ſibi in conſulatu filiam in matrimonium accepit, generiꝙ atꝙ ſocerí ſuffragijs fultus ex omnibus prouincijs Gallias, atꝙ Illyricum præelegit, ampliſſimam quidẽ opum viam, atꝙ vberrimam materiam triumphorum, non quod Senatus ei tranſalpinã Galliam libens daret, ſed veritus, ne a ſe negatam populus largiretur, & quod ſuum nollent munus, fieret alienum. Necdum itaꝙ inuidia quieſcente iam profectus in prouinciam accuſatus ab æmulis procurauit, vt abſens reipublicæ cauſa vocari ad iudicium non poſſet, poſuitque in animum, omnes, qui ad Magiſtratum aſcenſuri eſſent, ſibi amicos efficere atꝙ nullum adiuuare, ſed pro viribus impedire, niſi qui ſibi pollicerentur ſe eius amicitiam

deſenſuros, ita vt à nonnullis iuſiurandum, ac chyrographum non vereret̃ accipere. Audiens vero Lutium Domitium Conſularē candidatū, qui eum Pretor anno altero vexare voluerat, iactare ſolitū ſe, quod pretor nequiſſet, Conſulē effecturum, ſibiq; exercitum crepturū, illius conſulatū impediendi viam vnā meditatus nouos amicos Pompeiū, & Craſſum ad ſe Lucam iure amicitiæ euocatos induxit, vt anni inſtantis conſulatū peterent, quatenus tantis cōpetitoribus ille ſuccūberet. Prouidenſq; in poſterum, ne quid in ſe liuor poſſet hoſtilis, illud quoq; ſuffragatoribus tantis obtinuit: imperiū a ſenatu ſibi in quinquēniū prorogari, quę quidē res & in Gallia, & in Italia, & in toto orbe magnorum motuum cauſa fuit. His enim ad vota fluētibus iam ſecurior & deſpexit aduerſarios, & legionibus nouis pro arbitrio conſcriptis omne quantumlibet periculoſum, & graue belli genus aggreſſus, Gallicū bellum per annos decē exercuit, de quibus ipſe latius in ſuis commentarijs meminit, quę Franciſcus Petrarca lucidius & explanauit, & abbreuiauit in libro de viris illuſtribus, cum vitā, & geſta Cæſaris latius deſcripſiſſet. Et quoniā in ciuili bello bis Cęſar Hiſpaniam ingreſſus eſt, vbi res bellicas mirifice geſſit. Primo aduerſus Duces Pompeianos, Luciū Afranium, Marcum Petreium, ac. M. Varronem ſecundo aduerſus Pompeij liberos progreſſus eiuſdem Cæſaris ſaltem ſummatim & compendioſe narraturi ſumus, ac dein de ciuilis belli initiū, ex quibus mala bellorū tum in Hiſpania, tum alibi ſucceſſere.

Initium ciuilis belli Caij Iulij Cæſaris, & Pompeij.

EGit itaq; Cæſar, vt diximus, bellum Gallicum annis decem, cuius finis initium ciuilis belli fuit. Peracto ſiquidē bello Gallico in ipſo temporis diſcurſu, Pompeius, qui Romæ remp. adminiſtrabat ab antiqua Cęſaris amicitia diſceſſit, amicoſq; Cęſaris cœpit multipliciter infeſtare. Hāc cauſā ciuilis belli multi autores tradunt, quod Pompeius parem in rep. Cæſar autem dominum recuſarent. Præſtitit autem cauſam diſſenſionis Iulia filia Cæſaris Pompeij vxor, quæ abortiuo vno filio obijt, vinculumq; affinitatis ſolutum, quo perantea fuerāt fœderati. Soluta itaq; coniunctione inter Cæſarem & Pompeiū per obitum Iuliæ vxoris Pompeij ac filię Cęſaris, Pompeius ſolus remp. adminiſtrare cupiens amicos Cæſaris cœpit multipliciter moleſtare, & etiam vrbe pellere. Multa itaq; clam contra Cæſarem dicta tractataq; ſunt, inter quæ illud eſt de Labieni defectione. Procurauit itaq; Senatus, Pompeiuſq;, vt Labienus a Cæſare deficeret, quod effectum fuit. Erat quidem Labienus legatus Cæſaris, qui in Gallico bello multa, & præclara peregerat. In Senatu quoq; multa tractabātur in damnum Cęſaris, nouęq; vię quærebātur, quibus poteſtas Cęſaris, quę iam multis formidabilis eſſe cœperat, tolleret̃, aut certe minueret̃. Siquidem cunctis iam magnificentia & liberalitate Cæſarea ſtupefactis, & quid his rebus tantis & tam late effuſis ſibi vellet ſecum tacitis meditantibus, nec loqui aliquid audentibus. M. Claudius Marcellus Conſul, cui aut amore publico, aut vero priuato odio dignitas Cæſaris ac poteſtas inuiſa erat, freq̄nti Senatu teſtatus de ſalute reipublicæ ſe acturum definiuit. Vt quum bellum in Gallia finitum eſſet, dimitteretur victor exercitus, & quiſquā ante tempus ſucceſſor Cæſari mitteretur, qui in pace prouinciam gubernaret, ipſe vero ſine imperio rediret. Addidit etiam ne abſentis ratio comitijs Conſularibus haberetur, quod licet communi lege de omnibus cautum eſſet, legi tamen Cæſar exceptus erat, ita ergo ſublata erat exceptio. Et non contentus Conſul

iniuriã Cæſaris in perſonam illata, ijs quoq;, quos Cæſar ciuitate donauerat, adimendam iudicauit, ambitioſam, & immodeſtã conceſſionem aſſeuerans. His & alijs iurbatus Cæſar, nec immerito, cogitanſq;, quod ſæpe dicere ſolitũ fama fuit: operoſius, multoq; difficilius Principẽ a ſummo dignitatis gradu ad media deijci, quã a medijs ad extrema: non cedendũ, vt Africanus Maior fecerat, ſed obſtandũ ſtatuit inuidię, & turbare potius omnia quam exemplo illius quãuis laudatiſſimo inuictũ ab hoſtibus vinci a ciuibus. Sed donec iure potius quã bello agendi ſpes ſuperfuit quieſcendũ ſtatuens patienter quidem, ſed rectius diſſimulãter cuncta ſuſtinuit, & quoniã non niſi verbis offenderetur, adhuc verborũ quoq; defenſionem parans e collegio Tribunorum Caium Curionẽ multa ſibi, ac profuſa largitione quæſiuit, ne quando vel in Senatu, vel ad populum deeſſent ſuæ cauſæ defenſores. Cum vero iam multi Cæſaris, necnon alij Pompeij formidarent potentiã, ſæpe Curio ipſe Senatui obtulerat, vt vterque ſimul ab armis abſcederet, atq; ad ęquã ciuilitatẽ pariter remearent. Itaq; demum ſecuram liberamq; remp. fore idq; non ſolum pollicitus, ſed etiam contentioſe niſus eſt efficere, certus de Cæſaris voluntate, qui idipſum a Senatu literis petijt, vt ſcilicet aut ſibi populi Romani beneficium integrũ ſeruaretur, hoc eſt imperium cum legionibus, aut cæteri ſaltem Duces in eadem conditione eſſent, exercituſq; dimitterent.

Adhocq; plurimũ inducebat Cæſarem fides, quam ad ſuos veteranos habebat, quod hoc facilius poterat polliceri, ſciebat enim eos quacunq; ſua neceſſitate ei non eſſe defuturos. Tantã enim cum eis Cæſar longo vſu familiaritatem contraxerat, vtq; erat eis affabilis, & animorum rapax, quod hæc ab eis poterat ſperare. Sed tamen neq; per ſe neq; per Tribunos, quod petebat, obtinuit obſtantibus fautoribus partis aduerſæ, qui nullum Pompeio parem pati poterant. Incidit in hoc tempus Senatuſconſultum prima ęquum fronte, re autẽ iniquum, vt duæ quidem, vna ſcilicet ex Pompeij, altera ex Cæſaris legionibus ad bellum Parthicũ mitterẽtur. En in verbis æqualitas, in rebus autem iniquitas. Siquidem quum Pompeius vnam ex ſuis, quibus ipſe pręerat, amicitię iure Cęſari conceſſiſſet, illã bello Parthico deputauit verbo non animo, eamq; repetijt, eam Cæſar remiſit, & ex ſuis miſit vnam. Ita Pompeium nulla, Cæſarem vero duabus legionibus imminutum nemo fuit qui non intelligeret.

Tulit tamen cum etiam cum aduerſarijs paciſci voluit, vt tranſalpina Gallia, & Illiricum cũ duabus tantũ legionibus, & nomen imperij remaneret, donec Conſul fieret. Deniq; eo vſq; ſubmiſit excelſum animũ, vt qui Cæſarem non noſſet, ſuſpicari eum poſſet belli metu ad iſta deſcendere, quo nihil erat ab illius viri moribus, ac mente remotius, ſed tantũ illi ſtudiũ fuit, vel exercendę, vel ſimulãdę modeſtię, vt quiduis videri potius eligeret ꝙ publicę tranquillitatis euerſor. Cumq; obſtinatos ad negandum cerneret, Senatum ſibi aduerſum, & e ſuis inimicis deſignatos iam Conſules, audiretque Tribunos, q ſibi adhęrebãt, nihil poſſe, imo propter ſe periculo, atq; odio expoſitos, nõ amplius differendũ rat⁹, ne autẽ ſui periclitarentẽ, aut ipſe cũctatione vileſceret, diſpoſitis more ſolito per hiberna legionibus vltimo trãſitu ex Gallijs in Italiã redijt.

Quo cũ veniſſet, inuenit illas duas legiones ſub obtẽtu Parthici belli ſibi ereptas, nec ad bellũ profectas, ſed in Italia detẽtas, quin & Põpeio aſſignatas. Quod ad euidẽtem Cęſaris iniuriã pertinere, non ſolũ ipſe vir talis, ſed quicunq; de populo perpẽdebat, adhuc tamen tacitus proceſſit, conuenticulisq; peractis, vt ſolebat, Rauennã venit vrbem ſuę prouincię ab ea parte nouiſſimam, vt neq; terminos ſuos excederet, & proximus eſſet aduerſarijs, & paratus vlciſci, ſi quid forte ſui odio in Tribunos inimici

ſui decreuiſſent. Et hoc quidem belli ciuilis initium, hæcq; fuerunt cauſæ, aliquã fortaſ
ſe non paruã iuſtitiæ faciẽ habentes, ſi qua vnquã eſſe poteſt iuſtitię cauſa patriã oppu-
gnandi, quãuis ab alijs minus iuſtæ cauſę quædã afferant, ſed odium manifeſtũ teſti-
monij fidẽ leuat. Gneus igitur Pompeius gener atq; hoſtis factus Cæſaris dicit, eum,
ideo quod non poſſet opera incepta perficere, neq; de ſe populi expectationẽ adimple
re, ideo turbare omnia voluiſſe, ne in turpitudine veritas appareret. Fuere, qui timuiſ
ſe illum dicerẽt, ne eorum, quæ primo conſulatu cõtra leges geſſerat, rationẽ reddere
graui ſuo periculo cogeretur, cum. M. Cato iſte vltimus, cuius virius, & grauitas
comminationẽ eius non minus terribilem quã cuiuſcunq; Conſulis faciebat, palam di
ceret, ac iuraret: ſe nomẽ Cęſaris, mox vt priuatus ipſe inciperet, inter reos delaturum,
ſiue hoc publicę ille iuſtitiæ ſtudioſus, ſeu propriæ memor iniuriæ. Vnde iam in vul-
gus effuſum erat, idem Cæſari euenturũ, quod Miloni, vt circunſeptus armatis apud
iudices, ſeu ex vinculis cauſam dicat. Alijs viſum eſt, eum ſpatio plurimorum anno-
rum imperio aſſuefactum dedidiciſſe priuatũ modum, & ſola cupidine dominandi in
bella ciuilia conceſſiſſe. Hæc eſt enim diuerſitas opinionũ in cauſa Cæſaris, quã Tul
lius diuerſis in locis damnat. Franciſcus vero Petrarca in lib. de viris illuſtribus Cæ
ſarem excuſat, adducẽs ad hoc plurimas epiſtolas ſignanter Tullij. Ad hiſtoriam igi-
tur reuertamur.

Quomodo Cæſar a Rauenna fines populi Romani aggre-
ditur, & in vrbem properat.

QVum Rauennæ igitur Cæſar ſubſtitiſſet, ne prouinciæ ſuæ terminos
tranſgrediendo aperte agere contra remp. videretur, audiens Tribunos,
qui pro eo erant, contẽptui habitos, & vel vi vrbe depulſos, vel ſua ſpon
te digreſſos: Romæ omnes vnanimiter contra ſe ſentire, omnia ſui odio
diuina, atq; humana miſceri ac peruerti, ſe quoq; per patientiã contem-
ptum iri cogitans, neq; iam amplius ferendũ diſſimulandũq; aliquid exiſtimans, euo-
catis legionibus vbicunq; eſſent, præmiſſiſq; clam cohortibus, quæ aderant: ſero ta-
men clandeſtino egreſſu ſecretum iter paucis comitatus arripuit, in quo quum nocte
tota deerraſſet, vix ad auroram in ducem aliquem caſus obtulit. Quo primo ad re-
ctum iter a perplexo ac difficili calle reuerſo, inuentiſq; cohortibus, quas pręmiſerat,
ad Rubiconem venit amnẽ exiguum, ſed magnarũ tunc limitem regionum, ibiq; pa-
rumper cogitabundus ſubſtitit ſecum tacitus, examinans quantũ opus aggrederetur.
Tandem verſus ad comites adhuc, inquit, cœptis reſiſtere, & reuerti licet, & ſi riuum
hunc tranſgredimur, ferro nobis gerenda ſunt omnia, ibi hærens, dubiuſq; animi hu-
iuſcemodi viſione firmatus eſt. Quidam ſibi & ſtatura & ſpecie corporis ſupra hu-
manum modũ ſubito viſus eſt, qui amnis ad ripam ſedens paſtoria modulabatur arun
dine. Ad quem, vt alias non viſum, paſtorem locorũ & quidam quoq; militum con
ueniſſent, ille ſubito vnius e manu tubicinũ crepta tuba vehementi inflatu increpuit.
Motus ergo tanto ſpectaculo, eatur ergo, ait, eatur, quo Deorum prodigia, atq; ho-
ſtium notat iniquitas, cœpta res eſt. Hæc dicens tranſijt, ac traduxit exercitum, Ari
minumq; vrbem proximã longa pace tranquillam attigit, & patentibus portis intro-
greſſus Tribunis plebis, qui propter eius odiũ pulſi ſibi obuiã veniebãt, aſtãtibus con
cionẽ habuit ad exercitũ i medio fori. Fuit autẽ cõcio efficaciſſima ſciſſa, vt ferũt, veſte
veris, ſeu fictis cũ lachrymis ad ſuã dignitatẽ cõtra inuidiã hoſtiũ conſeruandã, fidẽq;
militũ implorans, & ingẽtia promittẽs, Cæſarẽ itaq; Arimini agentẽ Lucius Cæſar

adoleſcēs adijt qui patrē habebat Cæſaris legatum, is a Pōpeio ad Cęſarē miſſus erat iure amitiæ, quæ inter eos erat. Ea vero huiuſmodi fuere. Excuſare ſe Pompeium Cęſari, & poſcere, ne ea, quæ pro rei publicæ ſtudio, atq; amore geſſerit, ad iniuriam ſuam trahat, charum enim eſſe ſibi Cæſarem, ſed rem publicā rebus omnibus chariorem, & eſſe, & ſemper fuiſſe. Similiter & Cęſari etiam charam eſſe debere, vt priuatus ſuas iniurias, ac inimicitias rei publicæ remittat, ne tam grauiter iraſcatur, vt dum hoſtibus vult nocere, patriæ immeritę noceat, idq; ita facere, ad ſuum decus eximium pertinere. Ad ea Cęſaris reſponſio paulo lōgior fuit. Rememorauit iniurias pro multis in rem publicam meritis ſibi illatas, paratum ſe tamen omnia rei publicę condonare ita tamen, vt decedant omnes ab armis, & ad ciuilitatem ſoli iam reuertantur. Proficiſcatur ergo Pompeius in Hiſpaniam prouinciam ſuam, dimittantur exercitus omnes per Italiam, arma deponant, ceſſent motus, & metus publici, ſit togata ciuitas non armata, ſe quoq; ęquiſſimo animo quieturum, iniuriaſq; omnes, & contumelias obliturum. Ad hæc tamen facienda, & iure iurando confirmanda petijt, vt Pompeius accederet, vel ſe accedere pateretur, ſperare enim ſe colloquio, & conſpectu mutuo omnes controuerſias finiendas. Hac itaq; reſponſione in ſcriptis in Senatu redacta, reſponſum eſt a Pompeio, vt Cæſar quam primum in Galliam reuertatur, exercitumq; dimittat, quo facto iturum in Hiſpaniam Pompeium, alioqui nihil de delectibus armiſq; omiſſuros Conſules. Hinc pacis deſperatio, & belli pręludium viſum eſt. Erat interea ad cuſtodiam Arimini ciuitatis Actius Varus, quem Decuriones Ariminiani ſummo adeunt conſenſu, dicuntq; notum ſibi eſſe Cęſaris aduentum, neq; vero propoſiti ſui eſſe, ſuorumq; ciuium, neq; rationi conſonum videri, Imperatorem populi Romani talem virum de imperio ſic meritum, tot victorijs inſignem mœnibus amicę vrbis arceri, orant, vt famæ, vt ſuo ſuorumq; diſcrimini, dum tempus eſt conſulat. His permotus Varus, & perniciem timens, fugam arripit, & inſequentibus Cæſaris militibus prælio decernere coactus, ac deſertus a ſuis ſolus abijt, quibuſdam eorum domum, alijs vero ad Cæſarem confugientibus, quos Cęſar collaudatos benigne ſuſcepit, & Lutium Pupium Centurionem partis aduerſę ad ſe adductum ilico relaxari, ac dimitti iuſſit, Ariminum ingreſſus ciuibus gratias egit. atq; illorum erga eum charitatis non immemorem ſe futurum ſpondet. Quibus Romę cognitis tantus pauor omniū mētes inuaſit, vt ab vrbe omnes fere abſcederent, ipſiq; Conſules, atq; ipſe Pompeius actum ſuis de rebus opinantes, & ex vnius oppidi euentu omnia metuētes. Mirum valde, vnde in tam paruis animis tam magna ſuperbia, vt eius viri meritos honores, ac gloriā tam pertinaciter detrectarēt, cuius nec conſpectū certe, neq; viciniam pati poſſent, & talem patriam ſolum ad illius nomen vniuerſali animorum conſeruatione deſererent: ſed vrgebat hinc inuidia, inde autem terrebat fama viri, quę euſq; creuerat, vt clemētiſſimus omnium præ omnibus atq; ab omnibus timeretur. His ad Arimium geſtis Picœnum omne, cuius olim Sculum, hodie Ancon eſt caput, nullo vſquā contradicente peruagatur, ſed cunctis ſibi vrbibus atq; oppidis obuiam mittentibus, lętoq; eum atq; exercitum eius obſequio ac fauore proſequentibus. Diffuſo itaq; metu, ſimul & fama virtutis, & vulgato horum, de quibus diximus exemplo, cæteri omnes ſequebantur, vndique fiebant deditiones, & ſi quis præfectorum contradiceret, capiebatur, aut pellebatur. Itaque pulſus ex Ethruria Libo, Termus ex Vmbria, ac Sculo Lentulus captus & Gneus Magius pręfecti ambo. Et quum Magius ad cæſarem ductus eſſet, & ſupplicium formida-

ret, Cęſar eum placato animo dimiſit, & vade, inquit, ad Pompeium, eiq; meis verbis nuncia, quoniam ad hunc diem non fuerit nobis opportunitas colloquendi, atq; ego Brunduſium, quo iuiſſe illum audio, profecturus ſum: credo, vt colloquamur, expedire publicæ ſaluti, cuius curam gerere maxime noſtrum eſt. Non eſt autem par effectus, per nuncios de longinquo, atq; inter præſentes iſta tractari, quod cõſpecti vultus, & viuæ voces ad mouendos animos multum poſſint. Occupato ſine ictu gladij Piceno Corfinum progreditur, ibi contentionis pluſculum fuit. Pendente tamen obſidione Lentulus per murum egreſſus, & finem metuens ad Cæſarem venit, ſibi, atq; intrinſecis veniam petens. Ad quem Cæſaris reſponſio fuit. Non ſe, vt cuiquã maleſaceret, veniſſe, ſed, vt ab inimicorum malitijs, atq; iniurijs tueretur, ac tribunos plebis ſui odio in exilium actos in ſuam reponeret dignitatem. Deniq; vt ſeipſum, ac populum Romanum ex paucorum tyrannide conculcatum antiquæ redderet libertati. Oppido tunc præerat Lucius Domitius vir magni animi, ſed exiguæ fortunæ, & bello promptus, ſed infauſtus, is defenſionem parans, ſed ab oppidanis ad deditionem coactus quum mori mallet, venenum a ſeruo medico popoſcit, quod ille nec dare volens, nec negare auſus, vt qui domini mores noſſet, poculũ ſomni ſerum pro veneno obtulit, quo ille hauſto graui ſopore reſolutus conquieuit. Experrectus poſtmodum, & deluſum ſe intelligens, vix q; a ſeruo manus abſtinens cum multis nobilibus, qui ſecum ſentiebant, vinctus ad Cæſarem eſt perductus, mori appetens: quem Cæſar ilico ſolui iuſſit, neve quis eorum a militibus re vel verbis offenderetur, inhibuit, queſtuſq; breuiter, quod pro ſuis ingentibus, & in illos & in remp. meritis referre ſibi debitam gratiam neglexiſſent, & iniurias, ac cõtumelias retuliſſent, cunctos dimiſit incolumes, quin & pecuniæ pondus ingens Domicij depoſitũ. & ab oppidanis oblatum, quãuis & pecunia publica eſſet, & in ſtipendium numerata, Domitio reſtituit, ne ſanguinis, quam pecunię abſtinentior videretur. Nihil poſtremo ex ea victoria, vel prædæ cuiuſpiam, vel victionis accepit, niſi quod Domitij milites ſacramento adegit, non inuitos, vt arbitror, ſed eo libentius iurantes quo fœlicius eſt ſub victore, quam fugaci Duce militare. Vulgatis nanq;, quæ ad Corfinum acta erant, multum metus omnibus demptum, multumq; ſpei additum eſt cognoſcentibus, Cæſarem nihil bello niſi victoriam petere. Vnde. vt diximus & Tuſcorum populi, & omnis Vmbria pulſis inde præſidijs ad Cæſarem tranſiere.

Pompeius a Luceria digreſſus Brunduſium Apuliæ petijt,
cum Cæſar inſequitur, & obſidet.

HIS itaq; rebus more Cæſaris velociter geſtis, ac proſpere, cum iam ſecum Gallia omnis Ciſalpina ſentiret, magnas Italiæ partes primo occupauit aduentu. Sed cum ſpes cæteris omnibus, ſoli Pompeio, ac Senatui additus timor fuerit, qui Pompeius, ac Senatus in Domitio multum momenti repoſuerant, & ſæpe eum per literas euocatum expectabant. Itaq; confeſtim his cognitis Pompeius Luceria digreſſus, vbi belli ſedem conſtituiſſe videbatur, Brunduſium petijt, vt Italiæ littore in extremo pron. ptior eſſet ad tranſitum. Ita enim animo decreuerat relicta Italia transmarina tentare, ſiue id ſolo metu pellente, ſiue intentione illa, quia ibi tutior eſſet ab hoſte, Cæſar autem ſemper propinquus, atq; contiguus hoſtibus eſſe feſtinans, non niſi ſeptem dierum mora ad Corfinum exacta eo ipſo die, quo Domitium, captiuoſq;

dimiſerat, motis caſtris in Apuliam perrexit. Et quoniam Cęſar inter omnes exactos de clæmentia laudatur, quum a quibuſdā amicis Cornelio Balbo, Oppio fuiſſet per literas collaudatus de ijs, quę Corfini geſſit, ipſe ſua illis epiſtola memoratu digna reſpondit per hæc verba.

Cæſar Oppio, Cornelioq; Salutem.

GAudeo me hercle, vos ſignificare literis, quam valde probetis ea, quæ apud Corfinum geſta ſunt. Conſilio veſtro vtar libenter, & hoc libentius, quod mea ſpōte facere conſtitueram, vt quam leniſſimum me prębērem, & Pompeium darem operam vt reconciliarem. Tentemus hoc, ſi poſſumus omnium voluntates recuperare, & diuturna victoria vti, quoniam reliqui crudelitate odium effugere non potuerunt, neq; victoriam diutius tenere, præter vnū Lutiū Syllā, quē imitaturus non ſum. Hæc noſtra ſit ratio vincendi, vt miſericordia nos muniamus, id quemadmodum fieri poſſit, nonnulla mihi in mentē veniunt, & multa reperiri poſſunt. De his rebus rogo vos, vt cogitationem ſuſcipiatis. Gneum Magium Pompeij præfectum deprehendi, ſcilicet meo inſtituto vſus ſum, & eum ſtatim miſſum feci. Iam duo præfecti partium Pompeij in meam poteſtatem venerunt, & a me miſſi ſunt. Si volent grati eſſe, debebunt Pompeiū hortari, vt malit mihi eſſe amicus, quam illis. qui illi, & mihi ſemper fuerunt inimiciſſimi, quorum artificijs effectum eſt, vt reſp. in hunc ſtatum peruenerit.

Ciceroni præterea, qui etiam ſibi de hoc ſcripſerat, factumq; laudauerat, qui ſe inter partes ad hæc medium, licet magna animi fluctuatione, & multa conſiliorum varietate, conſtituerat, reſcripſit per hæc verba.

Cæſar imperator Ciceroni ſalutem dicit.

Recte auguraris de me, bene enim tibi cognitus ſum, nihil a me longius crudelitate. Atq; ego, cum ex ipſa re magnā capio voluptatem, tamen meum factum probari abs te triumpho, gaudeo. Neq; illud me mouet, quod ij, qui a me dimiſſi ſunt, diſceſſiſſe dicuntur, vt mihi rurſus bellum inferrent. Nihil enim malo, quam & me mei ſimilem eſſe, illos ſui.

Quum itaq; Cæſar Apuliam attigiſſet, mox Brunduſium adijt, Pompeiumq; iam pręgreſſum valida obſidione circundedit. De quo idem Cęſar ſupradictis ſcribit per hęc verba.

Cęſar Oppio, Cornelioq; ſalutem. Ad ſeptimum Idus Martias Brunduſium veni, ad murum caſtra poſui. Pompeius eſt Brunduſij: miſit ad me Gneum Magium de pace, quę viſa ſunt reſpondi. Hęc vos ſtatim ſcire volui. Quum in ſpem venero, de compoſitione aliquid me conficere, ſtatim vos certiores faciam.

Et quoniā propter nauiū penuriā mari eum obſidere non poterat, timens hoſtis fugā famoſiſſimū maximūq; illū portū ſaxorū molibus iniectis obſtruere niſus eſt, opus non tantum hominum, ſed naturę improbum, atq; ineſtricabile. Quum vero exitu eum prohibere illo modo natura ipſum prohibente non poſſet, catenis os portus pręcluſit. Sed nec ſic detinere valuit Pompeium, quin mari Hadriatico Dyrrachium nauigaret.

Cęſar Romam intrat, & inde in Hiſpaniam properat.

QVum itaqꝫ intellexiſſet Cæſar Pompeium à Brunduſio digreſſum fugatumqꝫ, cum nonpoſſet eum commode ſequi propter nauium penuriam, vt dictum eſt, Brunduſium ingreſſus eſt, ibiqꝫ concionem habuit, qua iuſtitiam cauſę ſuę iniuriaſqꝫ hoſtium omnibus aperiret. Quo facto cum ſua illis in locis inutilis mora eſſet, ne quod ibi tempus otioſum efflueret, Vrbem Romam verſus iter arripuit, toto belli Gallici decennio non viſam. Cuius aduentus fama cognita quantus Romæ terror fuerit, non facile dictu eſt, multo quidem maior, quam neceſſe fuerat. Iratus ſiquidem multis erat, & fortaſſe non immerito, ſed iratiorem exiſtimabant. Non enim naturaliter, neqꝫ niſi magnis ex cauſis ad iracundiam pronus erat. Venit igitur Romam, Senatumqꝫ habuit ex ijs patribus, qui domi ſubſtiterant, ibi perpetuam dictaturam ipſe ſibi ſua autoritate arripuit. Vnde Cæſaris dictatoris nomine multa quoque conſtituit, in quibus pro lege voluntas fuit. Illud inter cuncta memorabile eſt, nam ærarium populi Romani, quod tot victoriæ, tot ſecula compleuerant, vno die exhauſit, interqꝫ alia, vt ſcriptum eſt, protulit ex eo latorum aureorũ viginti & ſex millia, non theſaurizandi cupiditate, ſed largiẽdi. Nam, vt alter ait, nemo liberalius victoria vſus eſt, nihil ſibi retinuit præter diſpenſandi poteſtatem. Compoſitis itaqꝫ rebus vrbanis, vt melius viſum eſt, animum ad extrema conuertit, atqꝫ in primis Siciliam, atqꝫ Sardiniam, illa duo horrea populi Romani per legatos adminiſtrare diſpoſuit, de Gallia nihil ſolicitus. quam in ſumma pace reliquerat, ſolam reſpexit Hiſpaniam, cogitanſque, quum primũ claſſis opportunitas affuiſſet, veſtigijs Pompeium aſſequi, ne quid a tergo formidabile relinqueret. Decreuit ergo in ipſam Hiſpaniã proficiſci, vbi Pompeij copiæ ingentes erant, quarum præſidio Hiſpania omnis tenebatur ſub legatis tribus. M. Petreio, Lucio Afranio, &. M. Varrone. Eo vero in Hiſpaniam pergente, Maſilia fœderata ciuitas, & ab ipſo principio amiciſſima populi Romani non ſui odio ſed ingenti ſtudio reip. portas clauſit, quam ille quũ obſidione cinxiſſet, Decium Brutum adoleſcentem, &. C. Trebonium legatum cum parte copiarum ad eam oppugnandam reliquit. Caium Fabium legatum cum tribus legionibus, quas Narbonæ circumqꝫ ea loca hyemandi cauſa diſpoſuerat, præmittit ad occupandum Pyrenæi ſaltus, celeriterqꝫ ab eo occupati ſunt, qui eo tempore a Lucio Afranio præſidijs tenebatur. Reliquas legiones, vti longius hibernabant, ſubſequi iubet. Afranius enim ſe continebat ad oppidum Caſtillionẽ non longe a Pyrenæi Saltu, loco vocato a modernis Pertuſio ſupra collem vbi nunc arx conſtructa eſt. Diuiſa ſiquidem Hiſpania erat inter tres præfatos Pompeij legatos, quoniam Afranius præſidebat a Pyrenæo Caſtillioneqꝫ citeriori omni Hiſpaniæ: Petreius vero ab Ana flumine nunc Godiana dicto vſqꝫ ad Cantabros, qui Nauarri ſunt, Oceanumqꝫ: Marcus vero Varro Luſitaniam, Bæticamqꝫ obtinebat. Fabius itaqꝫ, vt fuerat imperatũ a Cæſare, a Narbona primo aduentu Pyrenęum occupat, prędiumqꝫ a Saltu deiecit, magnaqꝫ celeritate ad exercitum Afranij contendit. Afranius vero intelligens colle Pyrenæi occupato, patere aditum Cæſari in Hiſpaniã, ab agro Emporitanenſi properat coniungi Petreio, ac Varroni, communicatoque conſilio de aduentu Cæſaris ſtatutum eſt, vt Cetreius cum duabus legionibus coniungatur Afranio, Varro vero alijs duabus legionibus tutetur omnem vlteriorem Hiſpaniam, ſtatutumqꝫ inſuper eſt, vt bellum ad Illerdam geratur propter loci opportunitatem. Interim Petreius a Luſitania per Vectones, qui legionenſes ſunt, cum legionibus, & omnibus amicorum auxilijs

ad Ilerdam vrbem citerioris Hiſpaniæ properet. Interea Cæſar occupato Pyrenæo a Fabio Emporium vrbem ingreſſus eſt. Erat enim vrbs regionis Metropolis in duas diuiſa vrbes & mœnia, vna quidem fuerat ad mare, quæ Græcam habuerat originem cum Maſſilienſibus ex Phocenſibus, & ea etiam Græco idiomate loquebatur: altera, quæ fuerat Celtiberorum ad Occidentem verſus, hæcq; regionalium colonum fuit. Vtraq; vero ſuo vallo, ſuiſq; mœnibus, ac ſeiunctis cuſtodijs tutabatur. In ea ſi quidem vrbe Cæſar ab vtriſq; acceptus benigne timens neſi ab hinc digrederetur, vrbs propter Pompeianorum amicitiam Maſſilienſiumq; affinitatem deficeret, tertiam vrbem addidit, inſtruxit ſi quidem vrbem ad Meridianum vtrique Græcæ, & Celtiberorum vicinã, quam ex Romanis inſtruxit, & Romanorũ Coloniam effecit in præſidium regionis. Cæſar igitur his compoſitis occupato omni Emporitano & Gerundenſi agro ad Ilerdam properat ſecutus Afranium Petreiumq;.

Prælia Cæſaris apud Ilerdam vrbem, cum. L. Afranio, & Marco Petreio.

QVum itaq; peruentum eſſet ad Ilerdam, erant exercitus Afranij, Petreijq; cum vrbe coniuncti. Eſt enim Ilerda ciuitas ſita inter duo flumina Sicorim, & Cingam. Cæſar itaq; duos pontes aſtruxit ad Sicorim amnem quatuor milliaribus inter ſe diſtantes, per quos exercitus pabulatum iret, quum magna pars eorum, quæ fuerant citra Sicorim conſumpta fuerint. Itidemq; Pompeiani fecere, propter eaq; ſæpius inter ſe equeſtribus prælijs contendebant. Cæſar igitur caſtra poſuerat inter duos amnes Sicorim, & Cingam ſupra vrbem ad eam partem, vbi oppidum Baleaguerum ſitum eſt, ibi in Sicori duo pontes erant a Fabio conſtructi. Quumq; Fabij duę legiones irent præſidio pro more eorum, qui vltra flumen pabulantur, quum tranſiſſent pontem vrbi proximum, præ multitudine iumentorum ſequentium, & vi aquarum pons interruptus eſt. Quod vbi intellectum eſt a Pompeianis, quatuor legiones miſſę ſunt ab Afranio vrbi ac caſtris, vt fortunę beneficio vterentur ad opprimendum duas Fabij legiones. Re itaq; nũciata Lucio Planco, qui duabus legionibus Fabianis præerat neceſſaria re coactus locum capit ſuperiorem, omnemq; comitatum in duas diuidit acies, ne ab equitatu circũueniri facilliter poſſet. Ita Plancus hoſtium impetum ſatis diſpari numero ſuſtinet. Commiſſo itaq; pręlio ab equitibus ſigna legionum duarum procul ab utriſq; conſpiciuntur, quas Fabius vlteriori ponte ſubſidio ſuis miſerat, ſuſpicatus id, quod accidit, quarum aduentu pręlium dirimitur, ac vterq; reducit ſuas legiones in caſtra. Poſt vero die ſcilicet tertio refecto iam prope ponte, qui fuerat interruptus, relicto præſidio in caſtris pontibuſque triplici inſtructa acie ad Ilerdam proficiſcitur, & ſub caſtris Afranij conſtitit. At Cæſar vbi paulum ſub armis conſtitiſſet, exhibet de ſe opportuno loco pugnandi facultatem, qua opportunitate facta Afranius copias educit, & in medio colle ſub caſtris conſtitit. Cęſar autem vbi cognouit Afranium pręlium reſpuere, ab infimis radicibus montis intermiſſis quadringentis circiter paſſibus caſtra ponere conſtituit, & ne milites in opere faciendo impedirentur incurſionibus hoſtium, propugnacula in caſtris fieri prohibuit, quę a procul cernerentur, ſed cõſtitutis aciebus prima & ſecunda ante caſtra foſſam latitudinis pedum quindecim fieri iuſſit. Adſtantibus itaq; duabus aciebus ante caſtra ne opus inceptum videretur ab hoſtibus, tertia a tergo acies opus foſſę perficiebat. Sic omne opus perfectum eſt, antequam ab Afranio percipe-

ciuitatibus, quæ ad eius amicitiam acceſſerant, quę blado carebant, pecus imperabat. His ſic ſe habentibus, interq; has anguſtias Cæſar poſitus naues & ſcaphas militibus fieri iubet, cuius generis ſuperioribus annis eum Britanniæ vſus docuerat, ex leui primum materia viminibus cõtextas, coricq; coopertas, piceq; linitas, quas perfectas curribus ſuppoſitas deducit ad flumẽ loco a caſtris duobus & viginti millibus paſſuum diſtanti, militeſq; trans flumen in proximã ripã tranſportat, collẽq; ripę proximũ occupat, ipſumq; collẽ antequã intelligeretur ab Afranio ſumma celeritate cõmuniuit, legionẽq; ſtatim traicit, pontemq; ab vtroq; latere biduo perfecit. Ita eos cõmeatus, qui frumenti cauſa proceſſerãt, tute recipit ad ſe, & rem frumentariã incœpit expedire. Eodem die equitum magna pars traiecit flumen, qui pabulatores inopinantes & ſine vllo diſſipates timore aggreſſi, quã magnum numerũ hominum atq; iumentorũ intercipiunt, capiuntq;. Miſſiſq; alijs centuriatis cohortibus in ſubſidiũ in duas ſe partes diuidunt, vt alij videlicet prędę ſint pręſidio, alij vero vt veniẽtibus reſiſtãt, eoſq; propellant: circunueniũtq; cohortẽ vnam, quæ ante alias percurrerat, ſecluſam, atq; eam interficiũt, incolumeſq; cũ magna præda eodẽ ponte in caſtra reuertunt. Itaq; perfecto ponte ſtatim fortuna mutat, Afraniani nanq; perterriti virtute equitũ minus libere ac minus audacter vagabantur. Interim Oſcenſes & Calagurritani cõfœderati adinuicẽ legatos ad Cęſarẽ mittunt, ſe facturos quicquid per eum fuerit imperatum, hos etiam ſequuntur Tarraconẽſes, & Lacetani, qui & Barcinonenſes ſunt: & Auſetani, qui & Vicenſes, & poſt paululum Ilarquones, qui & Derthuſenſes fuere, oraſq; Iberi obtinent. Hos Cæſar hortatur, vt eius caſtra frumento iuuent, quod ipſi ſe facturos pollicentur, conquiſitiſq; hinc inde iumentis in Cæſaris caſtra deportant. Eratq; cum Afranio cohors vna Lurgauomenſiũ ſiue Ilarqueonũ, quæ cognito conſilio ciuitatis ad Cęſarẽ tranſit. Magna quidẽ celeriter fit rerum cõmutatio perfecto põte magnis quidẽ ciuitatibus ad amicitiã adiũctis, extinctis rumoribus de auxilijs legionum, quæ cum Pompeio per Mauritaniã venire dicebantur. Multę longiores ciuitates ab Afranio deficiunt, & Cæſaris amicitiam ſequũtur. Quibus rebus perterritis animis aduerſariorũ Cæſar, ne ſemper magno circuitu equitatus per pontẽ eſſet mittendus, compertis idoneis locis foſſas. xxx. pedum in latitudinem complures fieri iubet, quibus partem aliquã Sicoris auerteret, vadumq; in eo flumine efficeret. Quibus effectis Afranius Petreiuſq; in magnum timorem perueniunt, ne omnino frumento pabuloque intercluderent, quoniã multum Cæſar equitatu valebat, itaq; conſtituunt ipſi locis excedere, & in Celtiberiã bellum transferre. Iuuabat hoc propoſitũ Valentia, nonnullæq; ciuitates, quæ olim a Lucio Sertorio defecerant, adhæſerantq; Pompeio, in eiuſq; amicitia permanſerant multis receptis ab eo beneficijs, & enixe eum diligebant. Cæſaris enim in Celtiberis & Hiſpanis erat nomen obſcurius, illiuſq; plurimi faciẽ pertimebãt. Ab his itaq; ciuitatibus magnos equitat⁹, magnaq; auxilia expectabãt, differunteq; bellũ in hyemẽ, in quo potuiſſent hinc inde plurima auxilia cõtraxiſſe. Hoc inito cõſilio per totũ amnẽ Iberũ naues cõgregari iubẽt, atq; efferri in oppidũ Octogeſima, quod hodierno idiomate Hitona dicit, ibiq; pontẽ inſtrui iubet ad tranſitum Iberi, diſtabatq; oppidum Octogeſima ſiue Hitona a caſtris milliaribus. xx. Interim legiones duas pontẽ Ilerdę trãſire iubẽt, trãs Sicorim caſtra muniunt foſſa latitudinis pedũ. xij. Qua re p exploratores cognita ſũmo labore militũ Cęſar cõtinuato opere die noctuq; in auertẽdo flumine huc reduxerat rem, vt equites, & ſi difficulter ac ægre poſſent, tamen auderent flumen tranſire, pedites vero tantũmodo humeris ac ſummo

pectore ſtare, & tam magnitudine aquæ, quam etiam rapiditate fluminis ad tranſeun-dum impedirentur. Eodē tamen tēpore pons in Ibero ab Afranianis effectus nūciabatur, & in Sicori iam vadum reperiebatur, & ideo iam magis Afranius atq; Petreius feſtinandum iter exiſtimabant. Itaq; duabus auxiliaribus cohortibus Ilerdæ pro præſidio relictis cum omnibus copijs Sicorim tranſeunt, & cum duabus legionibus, quas ſuperioribus diebus traduxerant, caſtra coniungunt. Cæſar enim nihil ſperabat niſi equitatum aduerſus Pompeianos, & cum pons eius magnum habuiſſet circuitum, multo breuiori itinere Pompeiani poterāt ad Iberū peruenire. Equites itaq; a Cæſare miſſi flumen tranſeunt, & cū tertia vigilia Afranius & Petreius caſtra mouiſſent, repēte Cæſariani ad vltimū agmen oſtenduntur, atq; magna multitudine circunfuſa morari, atq; iter impedire incipiūt, atq; ipſi Cæſariani Pōpeianos aggrediuntur, inſultant, & incurſant adeo, vt nunc ſuſtinere, nunc in eos irrūpere, nunc fugere, compellerētur, ſępius rūpere alas cogebant, inferri ſigna. Totis vero caſtris milites circulari, & dolere hoſtem e manibus dimitti, bellum neceſſario longius duci, hortabanturq; milites Centuriones, Tribunoſq; militum, vt per eos certior Cæſar fieret, ne labore ſuo, neve periculo parceret, paratos ſeſe audere ea omnia, q̄ exp. dirent, tranſire flumen vado eo modo, quo traductus fuerat equitatus. Quorū ſtudio & vocibus excitatus Cæſar, & ſi timebat tantę magnitudinis flumini exercitū obijcere, conandum tamen, atq; experiendū iudicauit. Itaq; infirmiores milites ex omnibus Centurijs deligi iubet, quorū aut animus, aut vires viderētur ſuſtinere non poſſe, quos cū legione una caſtris prępſidio reliquit, reliquas omnes legiones expeditas aducit, magno numero iumentorū in flumine ſupra infraq; conſtituto traduxit exercitum. Pauci tamen a flumine erepti ſunt, qui ſtatim ab equitatu ſuſcepti ſunt, & nemo ibi interijt. Traducto itaq; incolumi exercitu copias inſtruxit, triplicē q; aciem ducere incipit, ac tantum fuit ſtudij in militibus, vt ſex milliaribus ad iter per vadum de circuitu factis, magnaque fluminis mora interpoſita eos, qui tertia vigilia exiſſent e caſtris, ante horam diei nonā attigiſſent. & conſecuti fuiſſent. Quos vbi Afranius, & Petreius procul vidiſſent, noua re perterriti locis ſuperioribus conſtiterunt, acieſq; inſtruxerunt. Cæſar tunc in campis exercitum refecit, ne defeſſum prælio obijceret: rurſus conantes progredi inſequitur, & detinet, & moratur. Properant maturius, atq; conſultius, quam conſtituerant, caſtra ponunt, ſuberant enim montes, atq; a millibus paſſuum quinque itinera difficilia atq; anguſta excipiebant. Hos mōtes intra ſe recipiebant, vt equitatum Cæſaris effugerent, præſidijſq; in anguſtijs collocatis exercitum itinere prohiberent, & ipſi ſine periculo ac timore ad Iberum copias traducerent, quod fuit illis conandum, atq; omni ratione efficiendum, & totius diei pugna & itineris labore defeſſi rem in poſterum diem diſtulerunt. Cæſar quoque in proximo colle caſtra ponit: media circiter nocte ij, qui aquandi cauſa longius e caſtris proceſſerant, ab equitibus Pompeianis correpti ſunt. Fit certior Cæſar, Duces Pompeianos ſilentio copias ex caſtris aducere, quo cognito ſignum dari iubet, & vaſa omnia caſtrorum militari more cōclamari. Illi exaudito clamore veriti, ne nocte impediti non pari conditione confugere cogerent̄, aut ne ab equitatu Cæſaris in anguſtijs itinerum tenerentur, iter ſupprimūt, copiaſque in caſtris continēt. Poſtero vero die Petreius cū paucis equitibus occulte ad explorāda loca proficiſcitur, hoc etiā idem fit ex caſtris Cæſaris, mittitur Lucius Decidius Saxo cum paucis, qui loci naturā perſpiciant, vterq; idem

ſuis renunciat, eſſe quinq; milliaria campeſtris itineris, inde incipere loca ſaxoſa, atq; montuoſa: vnde qui prior has anguſtias occupauerit, hoſtem ab eodem itinere prohiberi diſputat. Igitur in Petreij, & Afranij concilio tempus profectionis plæriq; cenſebant, vt noctu iter fieret, ſic enim eos poſſe prius ad anguſtias peruenire, quam ſentirentur: alij ſumebant argumento ex nocturno conclamatu in caſtris Cæſaris ex eo loco non poſſe clam exiri: atq; circundari noctis tempore equitatū Cęſaris, omniaq; loca & itinera obſideri, nocturnaq; prælia maxime eſſe vitanda, quoniam perterriti milites timori magis, quam religioni conſulere conſueuerint: ad lucem multum prodeſſe pudorem omniū oculis, multum etiā Tribunorum, militum, & Centurionum prçſentiam afferre, quibus rebus coerceri milites, & in eorum officio cōtineri ſoleant. Hæc tandē poſt multa euicit in concilio ſententia, vt omni ratione eſſet interdiu prorumpendum, etiā ſi aliquo accepto incōmodo, tamen coniectabant ſalua ſumma exercitus locum, quem petebant, capi poſſe, & prima luce poſtero die conſtituunt proficiſci. Cæſar exploratis regionibus albente cælo omnes copias e caſtris educit, magnoque circuitu nullo certo itinere exercitum educit, quoniam itinera, quæ ad Iberum & Octogeſimam ſiue Hytonam ducunt, caſtris oppoſitis Pompeianorū tenebantur, erantq; tranſcendēdæ valles, maximeq; difficillima ſaxa multis locis pręrupta iter impediebant, ita vt præ difficultate viarum arma de vno in alium per manus neceſſario traderentur, militeſq; inermes ſubleuatiq; alij ab alijs magnam partem itineris conficerent: ſed hunc laborem nemo recuſabat, exiſtimabant enim eum eſſe laborum finem ſi Pompeianos Ibero intercluderent, & frumento potuiſſent prohibere. Pompeiani econtra milites loci uidendi cauſa ex caſtris percurrebant, contumelioſiſq; verbis Cæſarianos proſequebantur, quod coacti victus inopia cogerentur Ilerdam reuerti, quod ſatis erat a Cæſaris propoſito alienum. Duces enim Pompeianorum conſilium eius ſumme laudabant, ſi ſe in caſtris tenuiſſet, conſiderantes, quod Cæſar ſine iumentis, atq; impedimētis ad iter profectus eſſet, ideoq; non poſſe diutius eum inopiam ſuſtinere, confidebant. Sed vbi viderunt paululum retorqueri agmen ad dexteram, iamque primos Cęſarianorū ſuperare locum, & regionē caſtrorum Pompeianorum, nemo ex Pompeianis fuit adeo tardus, aut laboris fugiens, quin ſtatim caſtris exeūdum, atq; occurrendum putarit. Conclamabant ad arma, atq; omnes copiæ paucis præſidio relictis exeunt, retroq; itinere ad Iberum contendunt, erat in celeritate poſitum omne pręſidium, ideo vtiq; prius anguſtias, montemq; preoccupare contendebant. Sed exercitus Cæſaris viarum dificultate ſuperata prius iter confecit, atq; ex magnis rupibus nactus planiciem in hac contra hoſtem Cæſar aciem inſtruit. Res a Pompeianis huc erat neceſſario deducta, vt etiam ſi priores montes, quos petebant attigiſſent, ipſi quidem periculum vitarent, impedimenta tamen totius exercitus, cohorteſque in caſtris relictas ſeruare non poſſent. Afranius autem quum ab equitatu Cæſaris in nouiſſimo agmine premeretur, & ante ſe hoſtem videret, collem quendam nactus ibi conſtitit, ex eo loco quatuor cohortes in montē excelſiſſimum, qui erat in conſpectu omniū, mittit. Hunc magno concurſu concitatos iubet occupare eo conſilio, vt ipſe cum omnibus copijs ad illū conſcenderet, & mutato itinere Octogeſimā ſiue Hytonam per iuga montiū concederet. Hunc cū oblico itinere cohortes peterēt, conſpicatus equitatus Cęſaris in cohortes impetū fecit, nec minimā quidem partē tēporis equitum impetū cohortes ſuſtinere valuerūt, ſed omnes ab eis circūuenti in conſpectu viri uſq; exercitus interficiunt. Quę res maxima fuit occaſio Cęſari bene gerēdę rei. Neq;

hoc Cæſar ignorabat perterritū exercitum tanto in conſpectu omniū, & ſub oculis accepto tali detrimento eum ſuſtinere non poſſe, præſertim quum eorum exercitus eſſet circundatus equitatu magno, tum quia loco apto atq; aperto eſſet confligendū. Concurrebant inſuper legiones, Centuriones, Tribuniq; militum hortantes, ne dubitaret prælium conſerere, ad hocq; omniū militum animos eſſe paratiſſimos, econtrario autem Pompeianos multis rebus ſui timorem oſtendentes, quod ſuis, dum interficerentur, non ſubueniſſent, quod denuo de colle non recederēt, quod vix ſuorum equitum incurſſus ſuſtinerent, collatiſq; in vnum locum ſignis neq; ordines neq; ſigna ſeruarent. Quod ſi iniquitatem loci timeret, futurum eſſe, vt aliquo opportuno loco pugnandi facultas captaretur, quoniam in eo loco eſſent Pompeiani, vbi re aquaria laborantes diutius eſſe non poterant. Cæſar tamen in eam ſpem deuenerat, ſe ſine pugna ac ſine vulnere ſuorum rem conficere poſſe, quum iam rem frumentariam eis interclusiſſet, hocq; ſit munus Imperatoris, non minus conſilio ſuperare, quam gladio. Mouebatur etiam Cæſar miſericordia ciuium Romanorum aduerſariorum ſuorum, quos interficiendos videbat, quibus ſaluis atq; incolumibus rem obtinere malebat. Hoc autem conſiliū Cæſaris a pleriſq; non probabatur, militeſq; inter ſe palam loquebantur, quod non daretur talis pugnandi occaſio, ipſe tamen Cæſar in ſua ſententia permanebat, & paululum ex eo loco digreditur, vt timorem aduerſarijs minueret. Petreius atq; Afranius data pugnæ facultate in caſtra ſe referunt.

Cæſar interclusis omnibus itineribus præſidijſq; in montibus relictis ad Iberum caſtra ponit, quam maxime poteſt caſtris hoſtium coniuncta, illaq; communiuit. Poſtero vero die Duces Pompeianorum comprobato, quod rei frumentariæ, & Iberi ſpem omnē amiſiſſent, de reliquis rebus conſultabant. Erat enim vnum iter Ilerdam, ſi reuerti vellent, aliud Tarraconam, hoc ipſis conſultantibus nunciatur aquatores Pompeianos ab equitatu Cæſariano premi. Qua re cognita diuerſas ſtationes equitum diſponunt, vallumq; a caſtris ad aquam facere incipiunt, vt intra munitionem & ſine munitione ac ſtationibus aquari poſſet, idq; opus Petreius & Afranius inter ſe partiunt: ipſiq; perficiendi cauſa operis longius progrediunt, quorum diſceſſu nacti milites colloquiorum facultatem procedunt, & quem quiſq; in caſtris notum ac municipem habebat conquirit, atq; euocat. Primum itaq; agunt gratias omnes omnibus, quod ſibi perterritis pridie pepercissēt, eorumq; ſe beneficio viuere, deinde de Cęſaris fide inquirunt, an ne illi ſe poſſent tuto committere. Quęruntur pręterea, quod arma ſumpſerint in homines amicos, & conſanguineos. His prouocati ſermonibus fidem a Cæſare petunt de Petreij atq; Afranij vita, ne quod in eos ſcelus concepiſſe, neq; ſuos Duces prodidiſſe viderentur, quibus confirmatis rebus ſe ſtatim ſigna tranſlaturos confirmant, Legatoſq; de primo ordine Centurionum ad Cæſarem mittunt. Interim alij ſuos in caſtra inuitandi cauſa adducunt, alij a ſuis adducuntur, adeo, vt vna eademq; caſtra eſſe facta viderentur. Conpluresq; Centuriones, & Tribuni militum ad Cæſarem veniunt, ſeq; ei commendant, idem etiam hoc fit a Principibus Hiſpanię, quos illi euocauerant, & ſecum in caſtris habebant obſidum loco: hi ſuos notos & hoſpites quærebant, per quem quiſq; eorum additum commendationis haberet ad Cęſarem. Afranij etiam filius adoleſcens de ſua, ac parentis ſui ſalute per Sulpitium Legatum agebat, erant plena lętitia, & cōgratulatione omnia, & eorum, qui tanta pericula vitaſſe, & eorum, qui ſine vulnere tantas res confeciſſe videbantur. Magnumq; fructum ſuę priſtinę lenitatis omniū iudicio Cæſar fereba, conſiliumq; eius

à cunctis probabatur. Quibus rebus nunciatis Afranio ab inſtituto opere diſceſſit, ſeq; in caſtra recepit, ſic paratus, vt videbatur, vt quicunq; accidiſſet caſus hunc quieto, & æquo animo ferret. Petreius vero non differt ſeq; arma, ac familiam ſuam, Prętoriamq; cohortem cum paucis Hiſpanis beneficiarijs ſuis, quos cuſtodię cauſa habere conſueuerat, ad vallum aduolat, colloquiaque militum interrumpit, Cæſarianos repellit à caſtris, & quos deprehendit interficit, reliqui vero recipiunt ſe inter ſe, & perterriti inopinato periculo ſiniſtris veſtimenta inuoluunt, gladioſq; diſtringunt, atque ita ſe a militibus defendunt, caſtrorumq; propinquitate confiſi ſe in caſtra recipiunt, & ab ijs cohortibus, quæ erant in ſtationibus ad portas caſtrorum, defenduntur. Quibus factis flens Petreius circuit, militeſq; appellat, obſecratq;, ne ſe, neq; Pompeium abſentem Imperatorem ſuum tradant Cæſari ad ſupplicium, fitq; celeriter concurſus in tabernaculo Ducū, poſtulat Petreius, vt iurēt milites omnes ſe exercitium, Duceſq; non deſerturos, neq; prodituros, neq; ſeparatim a reliquis conſilium capturos. Iurat itaq; Princeps Ilerdæ primus, ſecundus Petreius, tertius Afranius. Afranium ſequuntur Tribuni militū, Centuriones centuriam producunt. Milites idem iurant, & dicunt, penes quem quiſq; ſit Cæſaris miles, vt eos palam producant, productoſq; interficiant. Sed plęriq;, quos ceperant, celant, noctuq; per vallum emittunt. Sic terrore oblato a ducibus crudelitas facta in Cæſareanos, noua inſuper iuramenti religio ſpem inſtantis deditionis ſuſtulit mentes militum conuertit, & rem in priſtinam belli rationem redegit. Cæſar milites aduerſariorum, qui per tempus colloquij ad ſua caſtra venerant, perquiri ſumma diligentia, ac remitti iubet, ſed ex numero Tribunorum, militum, Centurionumq; nonnulli ſua voluntate apud eum remanſerunt, quos Cæſar poſtea in magno honore habuit, Centuriones amplioris ordinis, & Tribunos in tribunitium honorem reſtituit. Præmebantur Pompeiani pabulatione, aquabantur ęgre, frumenti copiam nonnulli Legionarij habebāt, quoniam frumentum viginti duorum dierum ab Ilerda iuſſi portare fuerant, auxiliariorū nonnulli, quorumq; erant facultates tenuiores, & corpora inſueta ad portandum onera, magnus cotidie numerus ad Cæſarem perfugiebat. Res itaque eorum erat inter has anguſtias, vt vel Tarraconam contenderent, cuius itinere loci nimium in longum protrahi videbantur, vel Ilerdam reuerterent. Probatur vltima ſententia, & probato conſilio ex caſtris proficiſcuntur Ilerdam verſus. Cæſar equitatu præmiſſo, qui nouiſſimum agmen caperet, atq; impediret, ipſe cum legionibus ſubſequitur, neque vllum intercidebat tempus, quin extremi cum equitibus prœliarentur. Tali igitur dum pugnatur modo, lente atq; paulatim proceditur. Quum igitur milliaria pene quatuor progreſſi eſſent, ibi vnanimi fronte hoſtis contra hoſtē caſtra muniuit, neq; tamen iumentis onera deponunt. Vbi vero Cæſaris caſtra poſita ſunt, tabernaculaq; conſtituta, & diuiſi equites pabulandi cauſa, animaduertunt Pompeianos iter facere ſeſe ſubito proripiunt, & illos more ſolito inſequuntur. Erat enim quaſi hora diei ſexta. Spem igitur eis fecerat euagatio militum Cæſarianorum, qui ad pabula digreſſi fuerant. Quumque iter facere incœpiſſent, Cæſar ſubſequitur relictis quibuſdam cohortibus præſidio impedimentis, qui pabulatores reuocari, & hora decima ſubſequi iubet, & celeriter equitatus ad cotidianum itineris officium reuertitur. Pugnatur itaq; acriter ad nouiſſimum agmen, adeo, vt pene terga conuerterent, pluresque milites, & Centuriones Pompeianorum interficiuntur. Inſtabat agmen Cæſaris, & ab omni parte premebat, adeo, vt neque ad explorandum

idoneum locum ad caſtra ponendum, neq; ad progrediendum data eſſet facultas.
Tandem neceſſitate coacti conſiſtunt, & caſtra ponunt loco iniquo, & procul ab aqua. Cæſar autem iiſdem de cauſis, quæ ſupra ſunt demonſtratæ, prælio amplius non laceſſit, & eo die tabernacula ſtatui paſſus non eſt, quo omnes paratiores eſſent ad inſequendum, ſiue nocte, ſiue die erumperent. Pompeiani vero animaduerſo loco, quo caſtra poſuerant, de vno loco in aliū caſtra mutare ſatagunt, hoc & ſequenti die faciunt, totumq; diem in ea re conſumunt, ſed quantū a priori loco diſceſſerant, tanto longius ab aqua diſtabant. Prima itaq; nocte nemo aquandi cauſa a caſtris egreditur. Proximo die præſidio caſtris relicto vniuerſas ad aquam copias educunt, pabulatum emittitur nemo, his eos ſupplices malis Cæſar neceſſariam ſubire deditionem, quam prælio decertare malebat, conatur tamen vallo foſſaq; circummuniri, vt quam maxime eorum repentinas eruptiones demoretur. Illi vero & inopia pabuli adducti, & quo eſſent ad id expeditiores, omnia ſarcinaria iumenta iubent interfici, in his operibus conſiliiſq; biduum conſumitur. Tertio iam die magna pars operis Cæſaris proceſſerat, Pompeiani vero impediendæ rei, quæ munitionis cauſa fiebat, hora circiter nona ſigno dato legiones e caſtris educūt, aciemq; ſub caſtris inſtruunt. Cæſar legiones ab opere euocat, equitatum omnem conuenire iubet, aciem inſtruit contra opinionem militum, qui dicebant Cæſarem prælium diffugere, conſiſtunt itaq; quæ armatæ acies ab vtriſq; vſq; ad ſolis occaſum. Cæſar ſtatuerat non pugnare certus de victoria. Pompeiani aggredi metuebant, ſcientes pugnam ſatis eſſe diſparem, illis ſatis erat operam impedire, ne circundarentur vallo. Poſt vero occaſum ſolis vtrique in caſtra ſe recipiunt. Poſtero vero die Cæſar parat munitiones perficere, Pompeiani amnis Sicoris Vadū tentare ſatagunt, ſi tranſire poſſent. Qua re animaduerſa Cæſar Germanos, equitumq; partē flumen trancere iubet, plurimoſq; in ripis flumi num diſpoſuit, & ordinauit. Tandem omnibus rebus obſeſſi, quarto iam die ſine pabulo retentis iumentis & equitibus, aquæ, lignorum, ac frumenti inopia colloquium petūt, & id, ſi fieri poteſt, loquiẗ Cæſari Afranii filius. Venitur itaq; in eum locum, quem Cæſar delegit, & audiēte vtroq; exercitu loquitur Afranius, cuius orationem Cæſar in Commentariis libro primo ciuilis belli explicat prolixo ſermone: quā Franciſcus Petrarca in libro de viris illuſtribus adeo compreſſit, vt multa effectualia omiſerit in explicatione Afranii, & replicatione Cæſaris, ideo Cæſarem ſequar in Commentariis, quem in omnibus potiſſimum ſum ſecutus. Loquitur ergo Afranius in hanc ſententiam. Non eſt aut mihi, aut militibus his Cæſar iraſcendum, quod fidem erga Imperatorem noſtrum Gneum Pompeium conſeruare voluerimus, ſed iam ſatiſfecimus officio, ſatiſq; ſupplicii tulimus perpeſſi omnium rerum inopiam. Nunc vero quoniam pene, vt fœminas, circunuentos nos intelligimus, prohibiti aqua prohibiti ingreſſu neq; corpore dolorem, neq; animo ignominiam ferre poſſumus, itaq; victos nos confitentes oramus, atq; obſecramus, vt nobis locus aliquis miſericordiæ relinquatur, ne ad vltimum ſupplicium veniendum nobis ſit. Secq; exponit Afranius quam dimiſſiſſime, & ſubiectiſſime poteſt. Ad eaque Cæſar reſpondit. Nulli hominum has miſerationes, & querimoniæ preces minus conuenire quam ipſis, reliquos enim omnes officium ſuum preſtitiſſe, qui etiam bona conditione, & loco, & tempore congruo confligere noluerunt, vt quam integerrima ad pacem eſſent omnia.
Exercitum vero ſuum in iniuria accepta ſuiſq; interfectis conſeruauit, & texit illius deniq; exercitus, qui per ſe de concilianda pace egerant. Qua in re omnium ſuorum

vitæ conſulendum putarunt, ſic omnium ordinum ſuorum partes in ſola miſericordia conſtitiſſe, ipſos duces a pace abhorruiſſe, eoſq; nec colloquij, neque induciarum iura ſeruaſſe, & homines imperitos per colloquium deceptos crudeliſſime interfeciſſe. Accidiſſe igitur eis, quod plerunq; nimia pertinatia & arogantia viris accidere ſoleat, vti eo recurrant, & id cupidiſſime petant, quod paulo ante contempſerant, neq; nunc ſe illorum humanitate, neque aliqua temporis opportunitate poſtulare, quibus rebus opes ſuæ augeantur, ſed eos exercitus, quos contra ſe annos iam multos aluerant, velle dimitti. Neque enim ſex legiones in Hiſpaniam per Pompeium miſſas, ac ſeptimam in ipſa Hiſpania conſcriptam, neq; tot, tantaſq; claſſes paratas, neq; ſubmiſſos Duces rei militaris peritos, nihil eorum ad pacandas Hiſpanias, neq; ad vſum prouinciæ comparatum eſſe, quæ propter diuturnitatem pacis nullum auxilium deſiderarit. Omnia hæc iampridem in ſe parari, in ſe noui generis imperia conſtitui, vt idem apportans vrbanis præſidia rebus, & duas bellicoſiſſimas prouincias abſens tot annos obtineat, in ſe iura magiſtratuum commutari, ne ex prætura & conſulatu, vt ſemper ſit, perpauci probati & electi in prouincias mittantur, in ſe ætatis excuſationem nihil valere, quod ſuperioribus annis probati ad obtinẽdos exercitus euocentur, in ſe vno non ſeruari. Quod ſi omnibus datum ſemper Imperatoribus, vt rebus fœliciter geſtis, aut cum honore aliquo, aut certe ſine ignominia domum reuertantur, exercitumq; dimittant, quæ tamen omnia & ſe tuliſſe patienter, & eſſe laturum. Neq; id agere, vt ab illis abductum exercitum teneat ipſe, quod tamen difficile non ſit, ſed ne illi habeant, quo contra ſe vti poſſint: proinde, vt eſſet dictum, prouincijs excederent, exercitumq; dimitterent, ſed ſi id ſit factum, ſe nociturum nemini, hanc vnam atque extremam pacis eſſe conditionem. Id itaq; pergratum fuit militibus, & iocũdum, vt ex ipſa ſignificatione cognoſci potuit. Nam cum de loco & tempore huius rei controuerſia inferretur, & voce & manibus vniuerſi, ex vallo vbi conſtiterant, ſignificare cœperunt, vt ſtatim dimitterentur, neq; aliter firmum eſſe, quod promittebant, ſi in aliud tempus differretur. Et cum paucis verbis eſſet in vtranq; partem diſputatum, res in hanc concluſionẽ deducta eſt, vt ij, qui haberent domicilium aut poſſeſſionem in Hiſpaniam ſtatim dimitterentur, reliqui vero ad Varum flumen, quod eſt in ingreſſu Italiæ, dimitterentur, neq; eis a quoquã noceretur, neq; quis inuitus aſtringeretur ſacramento militiæ Cæſari. Atq; Cæſar eis, qui ad Varum fluuium dimittẽdi erant, ſe frumentum neceſſarium daturum pollicetur. Addidit etiam Cæſar, vt cuique, qui in bello aliquid, quod ſit penes milites, amiſiſſet, hoc illi reſtitueretur, data ſatiſfactione ei, apud quem res ipſa eſſet, quam eſtimationem ipſe Cæſar ex proprio ſoluit militibus. Itaq; poſt biduũ pars ipſa, quæ ad Varum flumen dimittenda fuerat dimiſſa eſt. Ordinatumq; eſt, vt duæ legiones præcederent, & reliqua poſtea ſequeretur, ne ſimul caſtra ponerent, illiſq; vſq; ad Varum flumen præfectus eſt Quintus Fuſius Calenus, & reliqua pars, quæ ad Hiſpaniam pertinebat, ſtatim dimiſſa eſt.

Superatis Lucio Afranio &. M. Petreio Cæſar. M. Varronem inſequitur in vlteriorem Hiſpaniam.

SVperatis itaq; Lucio Afranio, & Marco Petreio cum corũ exercitibus apud Ilerdã ſtatuit nullã belli rationẽ in Hiſpanis relinquere, ſed. M. Varronem tertium Pompeij legatum, qui vlteriorem Hiſpaniam tuebatur, inſequi. Comparauerat autem Varro multa ad belli opus, indixe

rat enim ciuitatibus vlterioris Hiſpaniæ cohortes octoginta, necnon & argenti pon-
dera viginti millia, frumenti modios centum & viginti millia, illiſq; ciuitatibus, quas
Cæſaris amicas arbitrabatur, grauiora onera iniungebat, prouinciamq; omnem in
Pompeij fidem adegit, cognitiſq; rebus, quę ad Ilerdā gerebantur, bellum parabat. Ra
tio autem & ſumma gerendi hæc erat, vt duas legiones, quas ſecum haberet, Gades
conferret, Gadibus enim ſex cohortes præſidij cauſa reliquerat, omnemq; pecuniā atq;
theſaurum, & ornamenta ex templo Herculis rapuerat, & in Gades contulerat. Cui
prouinciæ Gallonium equitem Romanum familiarem Domicij præfecerat, cogno-
uerat enim prouinciam omnem rebus Cæſaris fauere. Vnde ſperabat frumento in in-
ſulam tranſportato nauibuſq; facilíter bellum duci. Itaq; Cæſar duas legiones præ-
mittit in vlteriorē Hiſpaniam cum. Q. Caſſio Tribuno, & ſexcentis equitibus qui
magnis itineribus progreditur, edictumq; pręmittit ad certum diem, quo omnes Ma
giſtratus Principeſq; omnium ciuitatum præſto ſint Cordubæ, quo edicto per to-
tam prouinciam promulgato nulla fuit ciuitas, quæ non ad id tempus partem Sena-
tus mitteret Cordubam. Corduba vero per ſe nunciato edicto Cæſaris portas clau-
dit, Varroniq; cuſtodias ac vigilias in turribus muroq; diſpoſuit: & cohortes duas,
quæ Colonicæ appellabantur, & cum Varrone venerant, tuendæ vrbis cauſa pęnes
ſe retinuit. Hiſdem interea diebus Carmonenſes, quę eſt longe firmiſſima totius pro
uinciæ ciuitas, deductis in arcem oppidi cohortibus a Varone pro pręſidio, per ſe eie-
cerūt cohortes, portaſq; pręcluſerūt, hęc magis properare compulerunt Varronē, vt
cum legionibus Gades veniret, ne itinere, aut traiectu intercluderetur, tanta ac tam ſe-
cunda in Cæſarem voluntas prouinciæ reperiebatur. Progreſſoq; ei paulo longius li-
terę a Gadibus redduntur, continentes quod ſimul cū eſſet cognitum de edicto Cæ-
ſaris & eius Cordubam aduentu, concordaſſe Gaditanos Principes cum Tribunis
cohortum, quę eſſent in præſidio, vt Gallonium ex oppido expellerent, vrbemq; ac
inſulam Cęſari ſeruarent. Hocq; inito conſilio denunciauiſſe Gallonio, vt ſua ſpon-
te, dum ſine periculo liceret, a Gadibus excederet, & ſi id non feciſſet, conſilium eſſe
executuros, hoc timore adductum Gallonium Gadibus exceſſiſſe. His cognitis
altera ex duabus legionibus, quę Vernacula appellabatur, quę cum Varrone fuerat,
ex caſtris Varronis adſtante & inſpiciente ipſo ſigna ſuſtulit, ſeſeq; Hiſpalim recepit,
atq; in foro & porticibus ſine maleficio conſedit: quod factū adeo conuentus ciuium
Romanorum, qui ibi aderant, probauerunt, vt eos quiſq; ad propriam domum hoſpi
tio cupidiſſime reciperet. Quibus rebus perterritus Varro, certior a ſuis factus pręe
cluſas eſſe portas, tum vero omnium intercluſus itinere ad Cęſarem mittit, paratum
ſe eſſe legionem, cui iuſſerit, tradere. Cęſar vero ad eum Sextum Cęſarem mittit, at-
que huic illam tradi iubet, tradita vero legione Varro Cordubam ad Cęſarem venit,
relatis ad eum publicis cum fide rationibus, quod penes eum fuit pecunię tradidit, &
quod habebat vbiq; frumenti ac nauium oſtendit. Cęſar contione habita Cordubę
omnibus generatim gratias agit ciuibus, Romanis, quod oppidum in ſui poteſtate ſtu
duiſſent habere: Hiſpanis, quod præſidia expuliſſent: Gaditanis, quod conatus hoſtiū
infregiſſent, ſeſeq; in libertatem vendicauiſſent: Tribunis militum, Centurionibuſq;,
qui eo præſidij cauſa venerant, quod eorum conſilia ſua virtute confirmauiſſent. Pe-
cunias, quæ erant in publicum ciuium Romanorum, Varroni remittit, ac bona reſti
tuit ijs, qui in eius fauorem liberius ſunt locuti, & pœnam tuliſſe cognouerat: tributis
quibuſdam publicis priuatiſq; præmijs reliquos in poſterum bona ſpe complet. Bi-

duocꝫ Cordubæ commoratus Gades proficiſcitur, pecunias, ac monumenta, quę ex phano Herculis ablata fuerant, & in priuatā domum Gallonij collata, referri in templum iubet: prouinciæ. Q. Caſſium præfecit, illicꝗ quatuor legiones aſſignauit, ipſe vero ijs nauibus, quas. M. Varro, quaſꝗ Gaditani iuſſu Varronis fecerāt, Tarraconam paucis dieb⁹ peruenit. Vbi totius fere prouinciæ citerioris Hiſpanię legiones Cęſaris aduentum expectabant, vt redderent rationem de pecunijs ad ſuffragia belli priuatim ac publice exactis, ibiꝗ paucos commoratus dies ab ea diſcedens terreſtri itinere Narbonam, atꝗ inde Maſſiliam peruenit.

Cæſar obtenta omni Hiſpania, & Maſſilia Pompeium inſequitur.

CAEſar itaꝗ, vt diximus, a Tarracona Narbonam terreſtri itinere peruenit, & a Naborna Maſſiliam, quam olim in tranſitu in Hiſpaniam obſidione cinxerat relictis ibi Legatis, quam ſuo aduentu cepit, & dirupit quibuſdam interiectis diſcriminibus. Deinde claſſe & nauibus paratis Pompeium inſequi ſtudet, miſſoꝗ ad occupandum Hadriaticum ſinum, ipſe cum copijs traiecit in Epirum, quē perantea Pompeius occupauerat, prouinciam ſibi ad bella gerenda aptiſſimam. Receperat ſe igitur Pompeius in Dyrrachium vrbem Epiri, ad hanc igitur contendit Cæſar, Pompeiumque ibi obſedit, qua obſidione firmata, Cęſar diuerſis tractatibus de pace agere cœpit, & vbi hoc a Pompeio obtinere non potuit, pugnæ opportunitatem exhibet, quam Pompeius recuſauit. Vbi vero neꝗ hoc eum iuuare videt, cogitauit Pompeij caſtra vallo circundare, & paucioribus plures conſtringere. Foſſa itaꝗ circundare incipit & vallo Pompeij caſtra, turreſꝗ ac propugnacula inſtruit, vt intercluderentur eruptiones in caſtra Cæſaris. Cupiebat enim Cęſar, vt quicunꝗ belli futurus eſſet exitus, ſtatim eſſet: omnia tamen fruſtra erant. Nam & Dyrrachium inexpugnabile erat, & Pompeius immutabilis, vt qui contrario Cæſaris conſilio niteretur, ſperans dilatione victoriam propter inopiam rei frumentariæ, quæ valde Cæſarem premebat, neꝗ diutius tollerari poſſe videbatur: inſuper, & quod ſimillimum veri erat, vt virtus animoſiſſimi Imperatoris tędio atꝗ expectatione ſeneſceret, impetuſꝗ lenteſceret, ac ardor tepeſceret: hac ſpe pugnam recuſabat, neꝗ rationis partes fortunæ committere volebat. Sic quum Pompeio cunctatio, Cæſari celeritas grata eſſet, ſtatuit Cæſar, quum non poſſet prælio, vincere obſidione, propterea, vt dictum eſt, Dyrrachium & caſtra Pompeij ſexdecim millium paſſuum foſſa circunduxit ac vallo: impoſitiſꝗ caſtellis ac turribus cum paucioribus obſedit plures, ſi modo obſideri dici poſſunt, quib⁹ maria patent. Idcirco crebræ fiebāt eruptiones, & ſæpe erumpentibus funeſtę ſuccedebant, pugnabaturꝗ etiā ſæpius diuerſo Marte. Quoniam quum ſemel Cæſar profecturus publium Syllam caſtris præfeciſſet, & ille audiſſet cohortem vnam ab hoſtibus vrgeri, duarum legionum auxilium tulit laborantibus, quarū occurſu verſi ſunt in fugā Pompeiani, & ſi inſequi præfugos victoribus licuiſſet, creditum fuit die illo confici bellum potuiſſe. Sed Sylla ſuorum impetum continuit, cecinit receptuiꝗ, cuius conſiliū a ſcriptoribus excuſatur, quoniam aliud eſt Legati, & aliud Imperatoris officium. Imperator rei totius exitum expectat, & conſilio metitur: at Legatus ſolum Imperatoris ſui iuſſum aſpicit, & mandati finibus ſe continet, Syllæ enim caſtrorum a Cęſare cuſtodia commiſſa fuerat, contentus fuit cuſtodiſſe, & ſuos periculo liberaſſe. Multæ pręterea eruptiones hincinde fiebant, & in

Dirrachium. & a Dirrachio in caſtra Cæſaris, adeo, vt vno die ſex in locis pugnaret.
Quibus in prælijs de Cæſarianis viginti dũtaxat, Pompeianorum vero duo millia
periere, inter quos multi erant Centuriones, & inſignes viri: in quibus congreſſibus
inſignis virtus laudatur Vulcaſij Tullij, qui cum tribus cohortibus Pompeianã le-
gionem pertulit, repulitq;: necnon & quorundam Germanorũ, qui e munitionibus
erumpentes multis hoſtium cęſis ſoſpites rediere. In caſtello autẽ quodã, quod Pom-
peius inuaſerat, tantus fuit ſagittarum imber, vt ſine vulnere defenſorum nullus eua-
deret, quin & Centuriones quatuor oculis capti ſunt: & quum ſero diurni laboris &
periculi ſummam repreſentare decreuiſſet, triginta ſagittarum millia numerarunt. In-
ter cuncta Scęuæ ceſi Centurionis admirabilis virtus fuit, cuius ſcutum relatum Cæ
ſari cum centum viginti foraminibus eſt inuentum, de quo quidem varia fama eſt.
Quidam enim tradunt, Cęſarem viri & de ſe & de re publica, vt aiũt, meriti eximia
virtute permotum, qua caſtellum prope ſua ſeruatum eſſet, pecuniarijs cum donis in-
gentibus & magnis honoribus cumulaſſe: & inter cætera ab octauis ordinibus ad
Primipilum prouexiſſe, cohortem vero totam duplici ſtipendio, & donis militaribus
proſecutum. Apud alios Scęua idem Duce abſente cedentibuſq; ſuis clipeo centum
viginti telorum ictibus trãsfixo, miriſq; ac incredibilibus rebus geſtis occubuit. Sic
igitur rebus ſe habentibus Cæſar neq; proſperitate tumidior, neq; aduerſitate contra-
ctior cotidie in aciem ducebat exercitum, & pugnæ copiam faciebat. Quotidie in-
terim congreſſus fiebat in prælia, & vtrinq; cędes, atq; inſignium virorum caſus mi-
ſerabiles, paciſq; conſilijs male repudiatis locus iræ atq; odio datus erat. Fuit dies v-
nus Cæſari ſatis aduerſus, quo eruptio ab hoſtibus violentiſſima facta eſt. Fuitq; eo
die Aquiliferi illius virtus inſignis, ac ſpectata dies, qui quum letali vulnere transfixus
morti proximum ſe ſentiret, verſus ad Comites, porrigenſq; aquilam, quã iam ægre
ſuſtinebat, hanc, ait, o commilitones mei viuens multis annis & multa cura ſeruaui,
& nunc moriens eandem Cæſari pari fide reſtituo: vos autem per communis Impe-
ratoris amorem oro, atq; obteſtor, cauete dedecus Cæſaris caſtris inſolitũ, ne forte ho-
ſtium in manus veniat tanti Ducis ſignum, per manus veſtras ſalua ad Cæſarem re-
uertatur. Hęc dicens corruit, centumq; alij primæ ſuę cohortis cum Principe cecide-
runt, multaq; diuerſis in locis cęde edita vicit Pompeius illa acie, & Imperator eſt ap-
pellatus. Quumq; cedentes fugienteſq; non ſequeretur, negauit Cęſar aut vincere,
aut victoria vti ſcire. Cęſi ſunt autem eo die de Cæſarianis, vt refert Oroſius, militũ
quatuor millia, Centuriones viginti duo, plurimiq; equites Romani. Labienus ve-
ro in ſuũ olim Ducem inexpiabili odio accẽſus a Pompeio captiuos ſibi dono dari pe-
tijt, quod quum impetraſſet, productos omnes in medium, & contumelioſiſſimis ver-
bis increpitos in conſpectu omnium interfecit. Hoc enim euentu Pompeianis tan-
tum ſpei accreuerat, vt non de bello amplius, ſed de victoria cogitarent, & multa va-
ria decernerent, & quaſi nil iam incidere poſſet aduerſi famam victorię per terrarum
orbem nuncijs ac litteris diuulgarunt. Cæſar concione aduocata milites conſolatus
eſt, hortatus ne deficerent animis, debere enim eos vnum, & idipſum non nimis graue
prælium ac infauſtum, multis fœlicibus compenſare, & fortunæ gratiã habere, quod
Romam, quod Italiam, quod Hiſpaniam vtranq; ſine ſanguine quaſi diuinitus rece-
piſſent, non poſſe præſertim in bello proſpera omnia prouenire, verum triſtia læ-
tis tẽperanda eſſe, aduerſamq; fortunã virtutis ope leniendam, & hęc quidẽ ad exer-
citum. Quoſdã vero ſigniferos, quorum culpa clades accepta fuerat, notatos infamia

a gradu militiæ ſuæ amouit, exercitum reliquum tantus pudor & tantus dolor in-
uaſerat, tantumq; deſiderium abolendæ ignominiæ, vt non expectato ſuperioris Im-
perio vltro quiſq; pro ſupplicio grauiſſimo ſibi labores aſſumeret, omniumq; anim
arderent incredibili quadam cupiditate pugnandi, viam illam expugnandæ infamiæ
vnicam exiſtimantes. Quin & Legati, & qui ad conſiliũ vocabantur oratione Im-
peratoris & pudore tacti perſiſtendum pugnandumq; cenſerent, & acceptam præ-
lio hoſtibus refundendã cladẽ. Solus Cæſar erat in contraria ſentẽtia, nam neq; victis
tam cito in aciem reuerſuris ſatis fidebat, & reparandis animis ſpacio opus eſſe, neq;
præterea tam hoſtem, quam frumenti inopiam eſſe metuendam eo loco manentibus
iudicabat, Ilico igitur ſauciorum & ęgrotantium cura ſuſcepta, noctuq; impedimen
tis præmiſſis Apolloniam profectus eſt, qua meſtri obſidione derelicta & hinc in
Theſſaliam fatis impellentibus commigrauit.

Prælium Cæſaris, & Pompeij in Theſſalia.

QVanquam hæc Cæſaris geſta nullatenus ad Hiſpaniã illiuſq; geſta
pertineant, quia tamen geſta Cæſaris in Hiſpania plurima & ma-
gna ſunt, viſum eſt, & alia alibi facta innectere duplici cõſideratiõe:
prima, quoniã eius facta adeo magna ſunt, & a viris illuſtribus com
mendata, vt debite debeãt interſeri, ne ab Hiſpanis ignorentur: ſecun
da quia res Cæſaris in Hiſpania geſtæ magnæ ſunt, & plurimę qua
druplici tranſitu, vt illorum facta & geſta continuentur ad ea, quę apud exteras natio
nes & prouincias ab eo geſta ſunt, quoq; ordine geſta ſint per neceſſarium eſt intelli
gere. Hunc tamen in eis explicandis obſeruauimus modum, vt res extra Hiſpaniã ge
ſtas breui relatione perſtringam, cęteræ vero, quę ad Hiſpaniam pertinẽt copioſa re-
latione deſcribentur. Intellecto itaq; a Pompeio diſceſſu Cæſaris concione facta
ſuis pro rebus bene geſtis grtias agit, eos vero, qui cum Metello Scipione ſocero Pom
peij paucis ante diebus venerant, hortatur non tam ad bellum, quã ad præmia belli,
ipſi autem ſocero & claſſicum & prętoriũ tribuit, quæ fuerant Imperatoris inſignia,
omniſq; & honoris & imperij eum participem fecit. Duobus enim tantis exercitibus
in eadem caſtra coniunctis nemo erat, qui de victoria dubitaret, vſq; adeo, vt iam o-
mnes de præmijs & honoribus, & qd' ſtultius eſt, de Cęſaris cõtumelia plurimũ in-
ter ſe agerent. Pompeius quidẽ ſolitis artibus bellũ trahere cunctãdo erat intentus, vt
cœperat, Principes vero ipſius ambitionem in prorogando bello arguebant, tot voci
bus conſilijſq; ſuperatus vnus omnibus ceſſit inuitus, decreuitq; pugnare, adhuc ta-
men rem trahebat. Cæſar vero dilationem oderat, neq; ſperabat Pompeium poſſe
vllo ingenio ad pugnandum induci, hac difficultate perplexus vtilimum belli genus
elegit, vt motis caſtris in perpetuo motu eſſet, neq; vnquã amplius, quam vnũ diem,
vno agerei in loco, hoc ſibi conſilium vna ratio ſuggerebat, nouerat enim exercitum
ſuum fortem, duratumq; laboribus: Pompeianum vero molliorem, verſatum in vr-
bibus, & diſcurſibus inſuetum, itaq; circunducẽdo illum poſſe fatigari. Cræterea mu
tatione locorum, quod frumenta iam in agris eſſent, victurum vberius exercitum con
fidebat, illa autem ſpe potiſſimum mouebatur, ſi forſitan ſe vagante hoſtis etiam mo-
ueretur, & ſic intereundum caſus aliquis atq; occurſus exoptatæ pugnæ tribueret
facultatem. Ex his enim omnibus hoc vltimum euenit, vt ſine ampliore diſcurſu pu-
gnę daretur occaſio. Vnde quum ab Apollonia Cęſar caſtra metatus eſſet in Theſ-

ſaliam regionem vicinam, & vt decreuerat ſignum dediſſet itineris, & iam tētoria vel lerentur, ecce iam mota Pompeij caſtra proſpiciūt. Qui, vt diximus, victus omnium vocibus ſuo abiecto aliena conſilia ſequebatur, & aſſumpta, vt fit, multorum hortationibus fiducia paulo ante hunc diem in concilio dixerat euenturum, vt ante congreſſum exercitus Cæſaris vinceretur, quibuſdam mirantibus, non ſe neſcium incredibilem rem videri prima facie, dehinc latius ingreſſus expoſuit: quum equitatu abundarent, circunueniri omnes Cæſaris copias, eſſet perfacile. Quod quum pluribus verbis explicauiſſet, Labienus incœpit Pompeij ſententiam atq; potentiam laudibus ad cælum ferens, & Cæſaris imbecillitatem oratione deprimens inſolenti. Quibus dictis, ne quid deeſſet inſaniæ, iurauit ſe, niſi victorem, nunquam e prælio reuerſurum, cæteroſq; ad id iuſiurandum verbis incitauit, nec minus exemplo Pompeius dictum laudans iurauit ſimiliter, & ſic omnes pariter iurauerunt, vt neceſſe fuerit, multos ibi fieri periuros. Ingēti gaudio, tanquā fœliciter rebus geſtis, nec minori ſpe a cōſilio diſceſſerūt, iuramentū tanti Imperatoris de tam magna re velut arrā victoriȩ tenentes, digreſſi autem e cōcilio, non ita multo poſt, vt diximus, in aciem ſunt progreſſi. Quos vbi Cȩſar, quum ipſe etiā caſtra mouiſſet, aduertit in eum locū deſcēdiſſe, vbi ȩquo Marte certari poterat, ſubſtitit, & conuerſus ad ſuos ait: non eſt modo amplius de itinere ſed de prȩlio laborandū, adeſt ecce nobis occaſio, quā ſemper optauimus, pugnādi, & finē laboribus imponēdi. Hæc dicens, inſtruere acies cœpit omni militari arte, cuius peritiſſimus erat, ſuoſq; interim admonere, ne ſe a multitudine hoſtiū circunueniri ſinerent, omnibus iubens ne ſine iuſſu eius inciperēt, ſe in tēpore quid agēdum ſit ſigno indicaturū. Circunuenire inde acies, & animos verbis accendere, virtutēq; inſitam excitare cōmemoratione ſuȩ erga illos ſemper optimȩ ac beneficȩ voluntatis. Inter alia non omiſit ſe modis omnibus pacem queſiuiſſe, & humilius forte etiā quam deceret: nominauit etiā per quos de pace Pompeium & Scipionem interpellaſſet, atq; hȩc omnia non metu aliquo ſed pietate, vt ciuili ſanguini parcerēt, ne res publica paucorum furoribus in magnas calamitates incideret. Ex aduerſo autem quam ſuperbe ac impie petitiones ſuas neglexerunt, telorūq; miſſione repulerunt, magnam nobilibus animis indignandi materiam præbuiſſet. Hiſq; explicitis obſecrantibuſq; militibus pugnȩ ſignum dedit. Erat in exercitu Chraſtinus quidam, qui priori tempore ſub Cæſare honeſto gradu militauerat, tunc vero non militiæ ſacramento, quo ſolutus erat, ſed iure quodam amicitiæ euocatus aderat, vir bellica virtute memorabilis. Hic Cæſaris concione intellecta, & ſigno prælij audito alacri vultu & voce ſequimini, inquit, me manipulares olim mei, Imperatori noſtro, quam debetis operam, exhibite, vltimum hoc prælium eſt, quo peracto ille ſuam dignitatem, nos noſtram recuperabimus libertatē. Dehinc verſus in Cæſarem, faciam, inquit, hodie Imperator vt de vel viuo vel mortuo mihi gratias agas. Hȩc dicens, primus in hoſtes impetū fecit, eumq; delecti milites circiter centū viginti voluntarie proſecuti ſunt. Concurſumq; eſt in campis Theſſaliæ, quos Philippicos vocāt, ad Pharſalum oppidum: illum ſibi locum Romȩ inuidens fortuna delegerat. De numero vero copiarum longe autores diſſentiunt, Annei quidem Flori, qui hanc rem breuiſſima oratione perſtrinxit, verba ſunt hæc: nullo vnquam loco tātum virium Romani populi fortuna vidit, trecenta & amplius millia bellatorum hinc atq; illinc præter auxilia Regum & Senatus. Eutropius vero deſcribit in eo bello fuiſſe cum Pompeio peditum quadringenta millia, milites vero mille & centum, ſexcentos videlicet in ſiniſtro cornu, in dextero

vero quin

vero quingentos. Cæſar vero habuit peditum non plene trecenta millia, equites vero mille. Huic autem concordat Oroſius. Cæſar vero in Commentarijs numerum copiarum non exprimit, ſed aſſerit eodem bello interfuiſſe mille viginti duas cohortes, ex qua expreſſione de ſupradicto numero facilius poteſt haberi credulitas. Petrarcha vero in libro de viris illuſtribus tranſit cum aſſertione Annei Flori. Hic exitus pugnę ad Pharſalum fuit.

De morte Pompeij, & bello Alexandrino, & Africano, a Cęſare geſto.

POmpeius igitur viſo aduerſo belli euẽtu fugiens in Lariſam vrbem ad Egeum mare in oſtio Pœneis amnis onerariam nauẽ nactus in Aſiam tranſijt, inde in Ciprũ, poſt in Aegiptum venit. Ibiqꝫ mox, vt littus attigit, iuſſu Ptolemęi Regis Aegyptiorũ in gratiã Cęſaris victoris occiſus eſt. Pompeij filij fugerunt. Cętera Pompeiana claſſis direpta eſt omnibus, q̃ in ea erãt crudeliſſime trucidatis, ibiqꝫ, & Põpeius Bithynicus occiſus eſt. Lentulus vero vir conſularis etiã apud Peluſium interfectus eſt. Cęſar compoſitis apud Theſſaliã rebus Alexandriã venit: prolatoqꝫ ad ſe per Ptolemęũ ac viſo Pompeij capite anuloqꝫ fleuit. Cumqꝫ Ptolemęus in Regiã ſe domum recepiſſet, hortabatur a tutoribus, vt pecuniã omnem acciperet, ac tẽpla ſpoliaret ſuis ornamentis, & regios theſauros vacuos eſſe oſtenderet, & in odium Cęſaris populum excitaret. Pręterea Achillas Dux Regius imbutus ſemel Pompeij ſanguine, & Cęſaris meditabatur, nã iuſſus exercitũ dimittere, pręerat enim viginti millibus armatorũ, non modo ſpreuit imperiũ, verum etiã aciem direxit: in ipſo prælio regia claſſis, quę ad terram adducta fuerat, iubetur incendi ea flamma, pars quoqꝫ biblyothecæ Philadelphi proximis ædibus conſtructa exarſit. Cæſar poſtea inſulã, vbi pharos eſt, cepit. Achillas deinde cũ Gauinianis militibus venit, ingens vbi pugna commiſſa eſt, magnã quidem ibi Cæſarianorum militum multitudo occidit, omnes etiam interfectores Pompeij interfecti ſunt. Cæſar vi inſiſtentiũ hoſtium preſſus ſcapham aſcendit, qua mox ſubſequentium pondere grauata ac merſa per ducentos paſſus ad nauem vna manu eleuata, qua chartas tenebat, natando peruenit. Mox nauali certamine inito magna facilitate claſſem Regiam depreſſit, & Alexandriam cepit, petentibuſqꝫ Alexandrinis Regem ſuum reddidit, monitum, vt magis amicitiam Romanam, quam arma experiri ſtuderet, qui tamen ilico, vbi liber fuit, bellũ intulit, ſed continuo cum toto exercitu ſuo & ipſe deletus eſt. Nam viginti millia hominum in eo bello cæſa referuntur, duodecimqꝫ millia cum ſeptuaginta longis nauibus dedita, & quingenti ac duo ex victoribus occidiſſe dicuntur. Rex vero ipſe adoleſcens ſcapha exceptus vt fugeret, multis inſilientibus merſus ac necatus eſt, corpuſqꝫ eius ad littus euolutũ indicio loricæ aureæ cognitũ fuit. Quo peracto Cęſar Alexandrinos omnes deſperatione ad deditionẽ compulit, regnumqꝫ Aegypti Cleopatræ Regis ſorori ob in eam illecebrarum amorem conceptũ dedit, inde Syriam peruagatus pharnacem in Ponto vicit. Poſtea vero quam Romam venit, in Aphricam tranſiuit, & apud Tarſum cum Iuba & Scipione pugnauit, maximamque ibi hominum multitudinem interfecit, caſtraque vtriuſque dirupit, ac ſexaginta elephantos cepit. Cato ſeſe apud Vticam occidit: Iuba Rex percuſſori iugulum dato precio præbuit: Petreius eodem ſe gladio perfodit: Scipio in naui, qua ad Hiſpaniam fugere contendens

vento coactus in Africam redierat, ſemetipſum iugulauit, in eadem naui etiam Titus
Torquatus occiſus eſt. Inde quatuor triumphis vrbem ingreſſus, diſpoſito recupera
toq; reipublicę ſtatu continuo in Hiſpanias contra Pompeianos Pompeij filios pro
fectus eſt.

Cęſar iterum in Hiſpania venit ad proſequendum Pompeij filios.

IAm igit̃ quarto Cęſar intrat Hiſpanias perſecuturus vltimo Pom-
peij filios. Hęc enim, quę ad Hiſpaniam non pertinerent, curſim per
tingimus, vt, Hiſpaniæ geſta quo ordine conſtarent, facile quiſq; in-
telligeret. Nunc vero paululũ digreſſi ad noſtrũ Hiſpanię propoſitũ
reuertamur. Decimo igitur ſeptimo die poſt q̃ ab vrbe egreſſus fue-
rat, vt ait Oroſius, Saguntũ Hiſpanię, nunc Muriuetus, peruenit, &
inde ſeptimo diẽ terreſtri itinere videlicet. xxiiij. die, poſt quã ab vrbe diſceſſit, vt refert
Petrarca libro de viris illuſtribus, Cordubã vrbem vlterioris Hiſpanię attigit. Duo
enim ſuperfuerant filij Pompeij Gneus & Sextus., Sextus perantea in Hiſpaniam ſe
receperat poſt patris mortẽ, Gneus vero, quum Cęſar bellum Africanum ageret, pul
ſus ab oppido Sturro in littoribus Africanis per Baleares inſulas in Hiſpaniam perue
nit. Sextus Cordubam cum pręſidio tenebat, Gneus vero circuibat prouinciam, &
quarundam ciuitatum amicitiam petebat a patre receptis beneficijs, quarundam ve-
ro amicorum beneuolentia, aliarum precibus, cæteras vero etiam bello & armis ten-
tabat. Interea Gneus nullum oppidum inter Hiſpalum Cremonamq; quondam opu
lentiſſimam vrbem oppugnare ſtatuit. Oppidani quidem Hullæ portas Gneo Pom
peio clauſerunt, intellecto enim Cæſaris aduentu duos ab oppido nuncios per media
hoſtium caſtra miſerunt, nunciantes Cæſari, niſi citiſſime occurreret, oppidum in ma
nus Gnei Pompeij eſſe venturum. Cæſar, audiens vrbem Hullam tam bene de ipſo
meritam, ſexdecim cohortes totidemq; equites ad illorum auxilia nocte ſecundaq; vi-
gilia miſit, illiſq; præfecit hominem eiuſdẽ patriæ doctum rei militaris & practicum
L. Viminium Paciecum. Qui quum veniſſent ad Gnei Pompeij præſidia, quæ tem
peſtate aduerſa ac vento affligtarentur, adeo, vt vis proximos cõſpicere poſſent, maxi
mam exinde opportunitatem aſſecuti ſunt. Nam quum videri non poſſent, per me-
dia hoſtium caſtra bini emittuntur equites, qui, ſimulantes eſſe de Pompeianis, ad op-
pidi portas venerũt, & ſigno dato tam ipſi quam equites & pedites ſunt recepti. Inde
rebus diſpoſitis in Põpeianos obſeſſores eruperũt, plurimaq; illis tanq̃ inſcijs damna
intulerunt. Cæſar igitur miſſo ad Hullam præſidio, vt Gneum Pompeium ab obſi-
dine auerteret, Cordubam, quæ principalis tunc vrbs erat illius regionis, conceſſit.

Bellum ad Cordubam a Cæſare ſecundo geſtum.

CAESAR, vt diximus, vt Gneum Pompeium ab Hullæ obſidio
ne deduceret, Cordubam venit: venerant enim ad eum perantea le-
gati a Corduba promittentes vrbis deditionem. Sextus vero Pom
peius frater Gnei in ea ſe continebat. Præmiſit igitur Cæſar non-
nullos loricatos viros fortes cum parte equitatus, qui quum ante con
ſpectum vrbis ſe contuliſſent, ab oppidanis & ciuibus deprehen-

ſum eſt, Cæſarem proximum eſſe. Propterea erupit magna vrbis multitudo ad excitandum prælio loricatos. Ipſi autem loricati ab equis deſcendentes magnum ibi prælium commiſerunt, ſuperuenienteq; equitatu Cęſaris, qui latebat in inſidijs. maxima multitudo erumpentium ceſſit, & capti ſunt, ita quod pauci in vrbem redierunt.

Qua ex re timore Commotus Sextus Pompeius literas miſit ad fratrem Gneum, vt celeriter ſibi ſubſidio veniret, ne prius Cæſar Cordubam caperet, quam ipſe veniſſet. Itaq; Gneus Pompeius Hulla vrbe capta litteris fratris excitatus cum copijs Cordubam venit. Eſt autem Corduba ſita ad flumen Bętim Guadalchauir moderna lingua vocitatum, eſtq; poſita vrbs ad Occidentem ad Luſitaniæ partem. Ad eam itaq; partem Cæſar caſtra poſuerat inde ad Bætim amnem pontem inſtituit, quo in Bæticam tranſiret, per eumq; traiecit exercitum. Vrbs vero potē habebat, quo tranſitur in Bæticam. Pompeius igitur quum veniſſet, caſtra poſuit contra vrbem, & Cæſar Luſitaniam verſus, qui, vt commeatum ab vrbe prohiberet, pontem vrbis intercidere conatus eſt. Quod quum fuiſſet proſpectum a Pompeio, ad pontem concurſum eſt, ibiq; diuerſis prælijs pugnatum: quod vt expeditius fieret, Gneus Pompeius intra vrbem ſe recepit. Per hos igitur dies pedites duo a Cæſarianis capti ſunt, qui ſe ſeruos dicerent. Illis autem non licuit Cæſarē ſuam ſeruare conſuetudinem, antequam enim ad Cęſarem ducerentur, quod ex Cæſariano excercitu tranſfugiſſent, a militibus interfecti ſunt: & tabelliones capti, qui ad Pompeium Cordubam mittebantur, & præciſis ilico manibus ſunt remiſſi. Similiter ſpeculator Pompeianus captus, atque occiſus eſt. Creditur enim milites hoc feciſſe tanquam iratos bello, & cognito Imperatoris ſui more, qui in hos ſemper conſueuit eſſe clęmens hoc remedij genus excogitaſſe, ne quis faciem eius videret, vt ſic nullus euaderet. Multis igitur, & magnis inſultibus vtrinq; decertatū eſt in ea obſidione. Quumq; die quodam ferro & flammis ſolito etiam grauius pugnaretur, ciues ira in furorem verſa in hoſpites, qui ſecuri ſecum iure veteris hoſpicij morabantur, inſpectante Cæſaris exercitu iugulatos e muris præcipitauere. Qua re audita ex gemitu morientium vnius, quidam, qui ad muri cuſtodiam ſtabat in cuniculo, ſcilicet ad murum perfodiendum, exclamauit: Tetrum ſcelus, & immane flagitium, nullaq; excuſandum barbarie commiſiſtis abſq; vlla cauſa, nihil enim mali merebantur, quia nihil mali fecerant, qui ad vos veſtraſq; aras, ac focos infauſta fiducia ſe contulerant: ius hoſpicij ſanctum gentibus ſoli vos ſpreuiſtis, atq; vtinā ſpreuiſſe ſufficeret, inhumano illud ſcelere violaſtis. Multa quoq; in hanc ſententiam dixit, quorum verecūdia repreſſi ciues ab hoſtium cædibus ſe continuerunt. Sic interdum vnius boni viri inter multos malos valuit oratio. Ea res relatu transfugæ in exercitu primum Cæſaris innotuit. Die proximo Tullius quidam cum Catone Luſitano quodam legatus ex oppido ad Cęſarem venit. Huius prima pars orationis fuit optare, vt ſuus potius fuiſſet, quam Pompeij miles, ſuamq; conſtantiā in Cæſaris potius fœlicitate, quam in Pompeij miſeria præſtitiſſet. Finis autem fuit, ſe a Pompeio deſertos, victos a Cæſare, ſeq; & vrbem dedere, atq; orare, vt clæmentiam, quam victis gentibus præbuiſſet, ſuis ciuibus non negaret. Multa præter hæc loquutus eſt, quæ, vt refert Petrarca libro de viris illuſtribus, librariorum culpa confuſa vix intelligi poſſunt. Vnum tamen hoc intelligit, quod multis vltro citroq; dictis tunc vrbis deditio non eſt facta. Sequenti tēpore duo Luſitani fratres, qui a Pompeio ad Cęſarē transfugerāt, nūciarunt

Gneum Pompeium contionem habuiſſe: quoniam vrbi ſubſidium ferre non poſſet, qui ex Pōpeianis eſſent, nocte ſe deducerent mare verſus vrbe relicta, quod vbi quidam reſpondiſſet expedire potius, vt ad dimicandum deſcenderent, quā fugę ſignum oſtenderent, eum Pompeus iuſſit occidi, ſecundū Petrarcam. Quanquā Anneus Cirtius & Iulius Celſus, qui Commentaria Cæſaris de vltimo Hiſpano bello alter compoſuit, & alter emendauit, de hoc nullā faciant mentionē. Pugnatum eſt itaqꝫ pro his nunciatis ad murū acriter, donec turres ligneę Cæſaris altera vi telorū corruit, altera vero igne incenſa eſt. Sequenti vero die quędā materfamilias de muro ſe depoſuit, & transfugit ad Cæſarem. Hoc pręterea tēpore tabellę de muro ſunt deiectę, in quibus inuentum eſt ſcriptū: Lucius Mutius Cæſari. Si mihi vitam tribuis, quoniā a Gneo Pompeio ſum deſertus, qualem me illi præſtiti, tali virtute & cōſtantia me tibi præſtabo. Eodem tēpore ijdem legati ex vrbe, qui antę exierant, Cæſarem adierunt: ſi ſibi vitam concederet, ſeſe in ſequenti luce vrbem eſſe daturos: quibus reſpondit, ſe Cæſarem eſſe, fidemqꝫ præſtiturum. Ita ante diem vndecimā Calend. Martij Cæſar vrbem obtinuit, & Imperator eſt ſalutatus. Quod vbi Pompeius ex profugis ſciſſet, caſtra mouit, Vcubimqꝫ oppidum peruenit, quod quidam Vbedam, alij vero Baeſſam arbitrantur: illucqꝫ cū perueniſſet, conuocatis, quos in oppido fidos habuerat, ſeu arbitrabatur, imperauit diſcerni, qut ſibi, qui Cæſari fauerent. Quæ res quum ſibi relata eſſet, & diſtincti eſſent, quaſi foret ſcelus maximū amaſſe Cæſarem, ſeptuaginta quatuor ictu ſecuris occidit, reliquos intra oppidum incluſit, ex quibus centum & viginti cluſis cuſtodijs ad Cæſarem transfugerunt. Multaqꝫ per hos dies a Pompeio eiuſqꝫ militibus crudeliter geſta ſunt. Per hos etiam dies multa bella & prælia geſta ſunt ad oppidum Theugam, Grimiumqꝫ, ac alia oppida, quæ Pompeius, cum rerinere non poſſet, incendit, & hodie non extant, de quibus late diſſerunt Anneus Cirtius & Iulius Celſus in explicatione Commentariorum de Cæſaris vltimo bello Hiſpano. Pompeius igitur cum amicis magnanimitatem ſuam & metum Cæſaris diſſimulabat. Inuentę autem ſunt litterę eius, continentes Cęſarem non audere copias in campum educere, ſuis tyronibus deficientem, qui ſi copiam ęquis in locis aliquando faceret, ſe rem omni opinione celerius confecturum, idqꝫ ſe expectare. Ibat interea Hiſpanias ambiēdo, &, vt ipſe dicebat, ciuitates ſuarum partium conſeruando. Itaqꝫ Hiſpalum venit, contraqꝫ vrbem in Olíueto caſtra poſuit, indeqꝫ alias atqꝫ alias adijt, ad extremum Mundam venit, quam tutiſſimum belli locum delegerat, & quam fortuna vltimam priſcis cladibus conſeruarat, ibiqꝫ Pompeius ſubſtitit.

De bello Cęſaris ad Mundam geſto conſtra Gneum Pompeium.

PERVENIT ergo Pompeius ad Mundam vrbem. Fuit autem Munda ciuitas, quæ a noſtris Coimbrium appellatur, in regno & regione, quæ nunc Portugallia dicitur, ab antiquis Gallatia. Ad eam itaqꝫ vrbem Cæſar applicuit, caſtraqꝫ caſtris Pompeij adiunxit. Erat autem locus vbi Pompeius caſtra poſuerat altus, difficilis, atqꝫ præruptus, ne inuaderetur a Cæſarianis. In medio vero duorum caſtrorum planicies erat pro parte Pompeij paludoſa, voraginoſa, atqꝫ difficilis, & per eam aditus habebatur ad caſtra Pompij. Interim Pompeius Fauſto ſcripſit, qui ſe intra vrbem continebat, cui ſignificabat Cæſarem non audere exercitum ad plana deducere, neqꝫ in vallem deſcendere, eo quod exercitus ſuus pro magna parte

tyronum eſſet, quæ literæ miris modis animos oppidanorũ attollebant. Dum ſic igitur Pompeius alios ſolaretur, & ingenti, quantũ arbitror, ſolicitudine agitatus magna parte noctis inſtructis ſtaret aciebus, Cæſar, neſcio quonam iturus eſſet, caſtris egrediebatᷣ. Cui cũ ſtatus hoſtium nũciatus eſſet, conſtitit, ordinauitq; aciẽ, & inde concurſum eſt magnis hinc & hinc clamoribus, ſed maioribus animis, ineffabilibus atq; immenſis odijs, pugnatũq; eſt acriter, atq; pertinaciter. Et quod pene pudendũ dixeris humanæ fragilitatis indiciũ, nuſquã Cæſari neq; cũ hoſtibus neq; cũ ciuibus aut tam anceps euẽtus, aut propius extremo periculo res fuit, vſq; adeo, vt, ſicut elegãtiſſime ait Florus, plane videreᷣ neſcio quid deliberare fortuna. Tãq; hæc fortunę deliberatio diuturna fuit, vt, inter moras prælij neutrã in partem declinante victoria quum iam veterana illa militũ manus tot probata victorijs, Cęſareis oculis inſuetũ dedecus, ſenſim retrocederet, nec quominus palam fugeret, tam virtute quã pudore teneretur, dubitare. quod nunquã ante illum diem fecerat, Cæſar cœperit, atq; diffidere, & ſolito mœſtior ante aciem ſtare. Ita tamen, vt nihil penitus de imperatoria ſolita virtute remitteret. Immo equo deſiliens, & furenti ſimillimus in aciem primam peditũ euolauit, clamans, increpans, obſecrans, atq; exhortans, nec tantum voce ſed oculis, ſed manu, & pectore fugam ſiſtens, & fugere incipientes in prælium vi retorquens. Tanta deniq; trepidatio illius Ducis ſeu Imperatoris fuit, tamq; diu ambiguis pugnæ finis, vt cogitaſſe de extremis Cæſarem ſcriptorum plurimi tradiderint, & eo vultu fuiſſe, quaſi iamiam mortem conſcire cogitaret. Et quanquam apud eos, qui in prælio fuerunt, nulla penitus huius rei ſit mentio, dicunt tamen, & quidam etiam pro comperto aſſerunt, tam diu hanc rerum ambiguitatẽ duraſſe, donec quinque cohortes hoſtium a Labieno caſtris laborantibus auxilio directę, mediamq; per aciem properantes fugę ſpeciem portenderunt. O fortuna in omnibus potens, ſed in bellis potentiſſima, ſiquidem Cæſar ſiue illas fugere arbitratus, ſiue credulitatem ſimulans Ducum ſagaciſſimus, velut in profugas, impetum fecit, animoſq; & ſuis addidit, & hoſtibus depreſſit: & hoſtes fugere, & ſuos hoſtes inſequi compelleret: & dum Cæſarianos fugere ſuſpicarentur, fugerent ipſi. Ita Labienus Cęſaris deſertor & transfuga, & Actius Varus cum triginta millibus hominum ex Pompeianis ceciderunt eo prælio, ac mortui ſunt: cecidiſſentq; longe plures, niſi adeo habuiſſent propinquũ refugium vrbis. Ex victoribus vero Cæſaris ceciderunt ad tria millia, pluresq; tam ex militibus quam ex peditibus ſauciati. Itaq; quum Cæſar muris vrbis obſidionem admouiſſet, ager flebilis & horrendus ex cadaueribus erat, per quem ad oppugnationem vrbis aſcenderetur, in quo telis atq; mucronibus tanquã calce compacti ſibi inuicem cohærebant, muriq; officiũ exibebant. Viſuntur autẽ adhuc eo in loco ſepulchra Labieni & Vari iuſſu Cæſaris facta, non reſpicientis ad iniurias ab eis, ſed præcipue a Labieno receptas. Gneus quidem Pompeius humero & læuo crure ſautio inter medias cædes prælio pulſus exceſſit. Hunc in lectica, quum nec equo nec vehiculo vti poſſet, per nemoroſas vias penetrantem, atq; fuga humili & occulta in ſpeluncis latitantem Ceſonius Cęſaris Legatus ad Lauronã oppidũ conſecutũ occidit, & obtruncatũ caput ad Cęſarẽ detulit talibus donis & muneribus minime gaudentẽ. Hic vero autores diſſentiũt, quoniã Anneus Florus, quẽ ſecutus eſt Petrarca in libro de viris illuſtribus, aſſerit Gneum Pompeiũ Mundenſi prælio ſautiatũ, Iulius vero Celſus, qui Cõmentaria Cęſaris emẽdauit, videtur dicere, quod alio loco, & prælio fuerit ſauciatus. Vtcunq; fuerit, ſatis eſt eum poſt Mundæ prælium tali morte occubuiſſe.

Interea Munda a Cęſare expugnata captaq́ʒ eſt, & magna ſanguinis diluuione perfuſa. Sextus itaq́ʒ Pompeius frater intermedio tempore Cordubam vrbem occupauerat, intraq́ʒ eam ſe continebat. Quumq́ʒ confugiſſet ad eum Phalorius adoleſcens cum paucis, Sextoq́ʒ nunciaſſet belli exitum, quicquid pecuniæ, & bonorum habebat, diſtribuit militibus ac oppidanis, dixitq́ʒ ſe ad Cæſarem pro componenda pace proficiſci, ſicq́ʒ è Corduba fugiens, vt Petrarca poſt Anneum Florum refert, in Celtiberiam conceſſit. Poſt eoſdē dies expugnata eſt denuo Corduba, q̄ qualiter a Cęſare defecerit, non inuenit̄, magni in ea motus erāt, magnaq́ʒ diſſenſio, parte vna in Cęſarē, altera in contrariū inclināte. Quūq́ʒ eſſet ad arma cōcurſum, vicit pars, q̄ Cæſarem colebat, ſibiq́ʒ oppidū ceſit, de parte vero Pōpeiana viginti duo millia cęcidere: magna ſiquidē in vrbe ciuilis ſtrages erat. His pactis Cęſar Hiſpalum venit, ibiq́ʒ Caniniū cū pręſidio reliquit. Phylo itaq́ʒ, qui in ea vrbe defenſor fuerat, Pompeianorum partium acerrimus vir per totā Luſitaniā notiſſimus, & ad cōparanda auxilia aptiſſimus in Luſitaniā proficiſcit̄, atq́ʒ quodā Cecilio Nigo nomine in auxiliū aduocato, qui magna Luſitanorū manum cōgregauerat, rurſus Hiſpalū de nocte per murū aggredit̄, vigiliaſq́ʒ iugulauit, Caninius partē vrbis cum pręſidio defendit. Inde Cæſar cum in Gades traieciſſet audiuis, quę Hiſpali geſta eſſent, iterum Hiſpalū rediīt Caninio & ſuis pręſtiturus auxilia. Interim Luſitani, qui intra vrbē erant, decreuerūt in caſtra Cęſaris eruptionē facere, ſed Cæſarianis acriter reſiſtentib' vltra progreſſi cogitarunt claſſem maritimā, quæ intra Bætim amnē erat, incendere, quod cū incepiſſent, a Cæſarianis repreſſi & intercepti pro maiori parte occiſi ſunt. Vrbeq́ʒ denuo receptà ad res Hiſpaniæ vltimo diſponēdas Cæſar concione aduocata ad Hiſpanos verba fecit: ſe videlicet, cum primū Hiſpaniā Quęſtor intraſſet, eam prouinciā ſcilicet vlteriorē Hiſpaniā inter omnes alias ſibi peculiarē elegiſſe: inde cum ſecūdo Prætor aduениſſet, multa illis beneficia cōtuliſſe: inter quæ illud fuit, cum vectigal, quod Metellus illis impoſuerat, donari, & eis remitti a Senatu obtinuit. Deinde Cōſul factus, ipſi' prouincię curā atq́ʒ patrociniū aſſumpſit, multis legibus in Senatu introductis, multis publicis ac priuatis odijs cōceptis eos defendit, ac iuuit. Eorum omniū beneficiorum & commodorū eos fuiſſe, & eſſe immemores & ingratos & in ſe, & in populum Romanū, & hoc bello & præterito tēpore cognouiſſe: quodq́ʒ ipſi ſepius tractaſſent eū medio foro capere more barbarorū, eoſq́ʒ ſemper odiſſe pacē, atq́ʒ in eadē prouincia ſemper haberi maleficia pro beneficijs, eoſq́ʒ neq́ʒ in otio concordes neq́ʒ in bello virtute præditos vllo tēpore eſſe potuiſſe. Quoniā veniſſet ad eos vt priuatus ac fugatus Gneus adoleſcēs, ab eiſq́ʒ receptus eſſet, illiq́ʒ obtuliſſent faſces & imperiū, multiſq́ʒ occiſis ciuibus auxilia ei contra Romanū populū contuliſſent, prouinciāq́ʒ ſuo impulſu vaſtaſſent. In quo ignorabat, quo freti auxilio ſperarēt Romanū populū ſuperare, quoniā ſi ſperarent eo mortuo finē belli, meminiſſe debuiſſent Romanū populum immortalē, ac ſibi ſupereſſe decē legiones, quæ non modo Hiſpalēſes, & Hiſpaniā domare, ſed cælū quoq́ʒ euertere ſufficientes forent: multaq́ʒ alia in hanc ſententiā protulit. Hiſq́ʒ peractis conſtruxit in regione vrbem ex ijs regionalibus, & alijs, qui eodem in loco conſidere voluerunt, qui cum eo militauerant, quam Emeritam a merito ipſorum militum appellauit. Hiſpalum vero Romanis tam militibus quam alijs impleuit, & ampliauit, & vt multi referunt Iuliam Romuleam appellauit, ex qua re vſq́ʒ in hunc diem remanet nomen, vt ab ipſo Iulio Cæſare Ciuilia moderno idiomate, id eſt, ciuitas Iulia nominetur. Et hic ciuilis belli finis eſt.

INCIPIT LIBER DECIMVS DE GESTIS IN HISPANIA AB

Auguſto Cæſare, & alijs Imperatoribus vſq; ad Theodoſium. Et quomodo Octauianus Auguſtus, Cæſar ſumpſit imperium, & eſt cognominatus Auguſtus.

NONVS præcedens continet geſta in ciuili bello Cæſaris & Pompeij in Hiſpania, illiuſq; exordium, atq; finem: noſtri autẽ operis inſtitutio eſt proſequi geſta ſequẽtia temporibus Auguſti Cæſaris, aliorũq; Imperatorum vſq; ad tempora Theodoſij ſenioris, atq; Honorij, & Archadij filiorum eius, quorum temporibus Gothi ab Arcto venientes Hiſpaniam occupauerunt, quorum decurſum Iſidorus, aliique ſcriptores ſunt proſecuti, vbi nos operi noſtro finem propoſuimus facere: ad hiſtoriæ igitur ſeriem redeo. Quum Cęſar obtenta Hiſpania, vt ſuperiori libro late diximus, Romam redijſſet, dum rei publicę ſtatum contra exempla maiorum clęmẽter cœpiſſet inſtaurare, autoribus Bruto & Caſſio conſcioq; plurimo Senatu viginti tribus vulneribus cõfoſſus interijt, in qua coniuratione fuiſſe amplius quam ſexaginta conſcios ferunt. Poſt Cæſaris vero mortem anno ab vrbe condita ſeptingẽteſimo decimo Octauianus, qui teſtamento Iulij Cæſaris auunculi ſui & hæreditatem & nomen aſſumpſerat, creatus eſt Imperator Panſa & Hircio Conſulibus. Erat quidem Octauianus adoleſcens natus annos ſeptendecim, qui cum duobus Conſulibus Panſa & Hircio miſſus eſt a Senatu ad perſequendũ Marcum Antonium, qui pro Iulio Cæſare Africam tenebat, & multa nefaria committebat. Miſſi tres autem Duces contra Antonium cum apud Vticã vicerunt, acciditq; vt ambo Conſules Panſa & Hircius morerentur, omneſq; ſimul tres exercitus vni Imperatori Octauiano ceſſerunt. Antonius amiſſo exercitu & fugatus confugit ad Lepidum, qui Cæſaris Magiſter equitum fuerat, & ſecum copias militũ grandes habebat in Sicilia, a quo benigne ſuſceptus eſt, & ſtatim Lepido operam dante Octauianus Cæſar cum Antonio pacem fecit. Et quaſi vindicaturus patris ſui mortẽ, a quo per teſtamentum fuerat adoptatus, Romam cum exercitu profectus extorſit, vt ſibi ad viceſimum annum Conſulatus daretur, atq; Senatum proſcripſit, & rem publicam cum Antonio & Lepido armis tenere cœpit. Qui poſteaquã viciſſet Caſſiũ & Brutum interfectores Cæſaris patris, Sextumq; Pompeium in Sicilia, plurimaq; alia bella proſpere geſſiſſet, intellecto quod Antonius repudiata ſorore Octauiani Cleopatram Reginam Aegypti duxiſſet vxorem, aduerſus eum bellum mouit, quo deuicto ac ſuperato nauali pugna apud Actiũ, qui locus in Epiro eſt, poſt eam pugnã Aegyptus Romano acceſſit imperio. Atq; qui duodecim iam annis cum Antonio & Lepido imperaſſet ab eo anno, quo primum Conſul creatus eſt, vt placet Eutropio, Romam quum veniſſet, primũ Auguſtus nominatus eſt: atq; Conſulatum, tunc enim rerum omnium ſummam, atq; abſolutam poteſtatem, quam Græci monarchiam vocant, adeptus eſt. Eoq; die hoc factum eſt, quo Magi ab Oriente veniẽtes Chriſtum Regem adorauerũt, videlicet octauo Idus Ianuarias, quem diem nos Chriſtiani Epi-

phaniam, ſiue apparitionē appellamus, vt placet Oroſio. Et tunc primus Auguſtus Cæſar, quia Aegypto & Oriente perdomito, victo atq; mortuo Antonio quum ceſſaſſent ciuilia bella, claudi iuſſit portas Iani, quæ iam ab vrbe condita tertio tantum clauſę fuerant, vt refert Oroſius libro ſexto. Cōſiderās tamen poſtea Cantabros, atq; Aſtures, nonullaſq; alias Hiſpaniæ vrbes, quæ Romano non parerent imperio, iterū iuſſit aperiri portas Iani, translatiſq; victricibus armis in Hiſpaniam ipſam prouinciam pacare inſtituit.

De aduentu Auguſti Cæſaris in Hiſpaniam.

CAEſar igitur iam cognominatus Auguſtus conſiderāns parum fuiſſe bellum geſtum eſſe in Hiſpania per annos ducentos, ſi Cantabros, atq; Aſtures, duas potētiſſimas Hiſpainæ gētes, & prouincias ſuis legibus vti lineret, aperuit ergo portas Iani, atq; in Hiſpaniam ipſe cum exercitu ſuo profectus eſt: &, vt Iuſtini verbis vtamur in vltimo libro, victricia arma Cæſar tranſtulit in Hiſpaniam. Et quoniam de portarum Iani apertione fecimus mentionem, eius rei rationem aperire libet.

Erat in vrbe Romana templum dicatum Iano, cui offerebantur victimæ bellorum temporibus, cuius portæ tantummodo claudebantur, quū vrbs ceſſaret a bellis. Has autem portas a condita vrbe bis tantum clauſas fuiſſe conſtat, primo quidē poſt Romulum temporibus Numæ Pompilij, ſecūdo vero capta ſeu deleta Carthagine, iam enim tertio tunc portæ clauſę ſunt Iano. Hic ergo Octauianus Cæſar iam cognominatus Auguſtus videns parum ſibi eſſe Aſiam, Africamq; perdomuiſſe, ſi Cantabros, Vacceos, Aſtures, Iliturgos ferociſſimas Hiſpaniæ nationes, Romanoq; imperio non parentes prætermiſiſſet, apertis iam portis redditiſq; ſacrificijs in Hiſpaniā venit debellaturus dictas quatuor regiones, vt placet Iuſtino in ſuo Epitomate. Inter has itaq; gentes potentiores duæ erant Cantabri, & Aſtures. Cantabrorum vero & prior, & altior, & magis pertinax in rebellando animus fuit, qui non contenti libertatem ſuam defendere, ſed finitimis etiam imperare tentabant, Vacceoſq; ac Iliturgos, & alias eis vicinas nationes crebris incurſionibus fatigabant. Igitur ad Cantabros primum veniens, partito exercitu eos debellare cœpit. Habebat enim claſſem ab Oceano, quæ terga hoſtium grauiter præmebat, adeo, vt ad Cantabriæ mœnia bellice pugnatum ſit. Hinc Cantabri deficientes, nec vim Romanorum ferre valentes, fugam in eminentiſſimum vicinum montem arripiunt, in quem potius Oceani maria, quam Romanorum arma aſcenſura eſſe crediderant, inde Romani Aracillum oppidū magna vi repugnantem capiunt. Cantabri vero quum Medulli montis iuga occupaſſent, quæ faciliter expugnari non poterant, Octauianus Auguſtus ipſum montē foſſa, & vallo quindecim milliarium obſidione circundedit, aſſiſtente circum vndiq; Romano exercitu. Quum vero obſeſſi extrema vitæ vidiſſent, dietimq; fere certarent, certi de ſuo interitu, quidā, qui ferro cum hoſtibus agere non poterant, veneno ſumpto, quod ex arboribus Taxeis exprimitur, quarum arborum in ipſo monte copia magna eſt, mortem ſibi conſciuerunt: ſicq; illorum pars maxima obſeſſorum a captiuitate, quæ imminere videbatur, ſubtracta eſt. Durauitq; bellum hoc per annos quatuor, vt placet Oroſio, & Lucio Floro, in hoc tamen autores diſſentiū, an per ſe Auguſtus Cæſar hoc bellum geſſerit, an per Legatos: pluribuſq; placuit Auguſtū per ſe bellum geſſiſſe, Lucio vero Floro in fine ſui Epitomatis viſum eſt Auguſtum hoc

geſſiſſe bellum per Antiſtiū Firmium, & Agrippam Legatos ibernante Auguſto Cæſare in Tarracanę maritimis. Deuictis itaq; Cantabris, Aſturibus, Vacceis, Illturgibꝰ, alijſq; populis Hiſpanię inimicis Romani imperij Auguſtus Cæſar ampliata vrbe Cęſaraugusta, quam ex ſuo nomine appellauit Cęſarauguſtam, quæ etiam perantea Agrippa dicebatur, quū Tarraconā receſſiſſet, & omnia bella humani generis ceſſaſſent pacatis omnibus, quum portas Iani iam ſecundo eo imperante claudi iuſſiſſet, illud decreuit Edictum, quod in Euangelio Lucæ legitur, & in nocte ſalutiferi partus recitatur. Exijt Edictum a Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis, qui ſub eo erat, & cætera.

Probatio quod hoc Edictum ab Euāgeliſta Luca nominatum decretum ſit Tarraconæ, & de differentijs annorum Edicti & Chriſti natiuitatis.

ET quia ſicut Chriſti natiuitas Orientem, ita & Occidentem quoq;, id eſt, ipſam Hiſpaniam illuſtrauit prophetarum vaticinijs ex tempore eius edicti effectum ſuum habentibus, ideoq;, quibus probetur teſtimonijs, id Tarraconæ fuiſſe decretum, videamus. Primū quidem teſtimonium eſt a maioribus noſtris traditum in Romanis annalibus, vbi in calce Edicti legitur: Datum Tarraconæ. Secundum teſtimonium eſt Pauli Oroſij præsbyteri Tarraconēſis viri clariſſimi & in hiſtoria ſummi in eius Ormiſta libro ſexto, qui ſic ait. Poſt deuictos Cantabros, Vacceos, Aſtures & Iliturgos, quod bellum annis quatuor expeditum eſt: quum Auguſtus Cęſar Tarraconam conceſſiſſet, iterum ac ſecundo, id eſt, ab vrbe condita quarto Iani portas claudi iuſſiſſet, orbiſq; quieuiſſet a bellis: illa gloria Auguſto Cæſari Tarraconam allata eſt de Orientibus populis, quę quondam Alexandro Macedoni de Occidentalibus Babylonem eſt allata. Ex quo conſtat tunc Auguſtum habuiſſe vniuerſale dominium, completaſq; prophetias, quæ cecinerant Chriſtum pacis tempore eſſe naſciturum. Accedit etiam teſtimonium Titi Liuij in hiſtoria clariſſimi, vt refert Anneus Lucius Florus in fine tertij libri ſui Epitomatis. Poſtquā retuliſſet Cātabricū bellū per annos quatuor geſtū, conceſſionemq; Auguſti Cæſaris ad vrbem Tarraconam, hæc per Antiſtium Firmum & Agrippam Legatos ibernans in Tarraconis maritimis Cæſar accepit, ipſe præſens hos deduxit montibus, hos obſidibus aſtrinxit, hos ſub corona iure belli venundedit. Digna res lauro, digna curru Senatui viſa eſt, licet Cæſar tantus erat, vt poſſet triumphos contemnere. Aſtures per idem tempus ingenti agmine a montibus ſuis deſcenderant, & poſitis caſtris apud Aſturam flumen trifariam diuiſo agmine tria ſimul Romanorum caſtra aggredi parabant. Fuiſſet anceps & cruentum & vtinam mutua clade certamen, niſi iam fortes tanque ſubito conſilio venientes Dirigemi prodidiſſent, a quibus præmonitus Chariſius cum exercitu adueniens oppreſſiſſet conſilia. Sic tamen non incruento certamine reliquias validiſſimi ac fuſi exercitus ciuitas Lautia excepit, vbi adeo pugnatū eſt, vt quum in captam vrbem faces poſcerentur, ęgre Dux impetrauerit veniam, vt victoriæ Romanę beneficio potius extaret, quam in vindictam deſtrueretur. Et poſt ſubdit Florus. Hic finis Auguſto bellorum accertaminum fuit, idem rebellandi finis Hiſpaniæ, mox certa fides. Et poſtea quibuſdam adiectis ſubdit. Omnibus ad Occaſum & Meridiem pacatis gentibus, ad Septentrionem quoq; dumtaxat intra Rhenum atq; Danubium, item ad Orientē intra Cirum & Eufratem illi quoq; reliqui,

qui immunes imperij erant, ſentiebant tamen magnitudinem & victoriam gentiũ populi Romani. Nam & Scythæ, & Sarmatæ miſere Legatos amicitiã petẽtes, Seres etiã habitantes ſub ipſo Sole, inclyti Gemmis & Margaritis, elephãtesquoq; inter munera trahentes nihil magis quam longinquitatem viæ imputabãt, quia in itinere quadriennium exegerant, quos ipſe hominũ color ab alio venire cælo fatebatur. Parthi quoq;, quaſi victoriæ pœniteret eos, rapta claſſe Craſſiana ſigna vltro retulere. Sicq; vbiq; cuncta atq; continua totius generis humani aut pax fuit, aut pactio. Tandem Cæſar Auguſtus ſeptingenteſimo ab vrbe cõdita anno Ianum geminum clauſit, bis ante ſe clauſum ſub Numa Rege, ac victa primum Carthagine. Et hæc de perpetua & æterna pace.

De æris vero Edicto ſubiungit idem Lucius Florus in fine. Hinc conuerſus ad pacem pronum, & in omnia mala luxuriamq; fluens ſęculum grauibus ſeuerisq; legibus multis coërcuit. Ob hęc tot facta ingẽtia Dictator perpetuus & pater patrię appellatus eſt. Tractatũ etiam eſt in Senatu, an quia condidiſſet imperium Romulus, inter Deos relatus eſſet: an ſanctius ac reuerentius viſum eſſet nomen Auguſti.

Probatur etiam quod hoc Edictum in Hiſpania & vrbe Tarracona ſit decretum, quoniam ab illo Edicto ac ęrea cõſtitutione Hiſpania omnis ſemper poſtea computauit annos vſq; vltra milleſimum ac ducenteſimũ annum, & maxime in eccleſiaſticis rebus, in quibus non a mũdi creatione, non ab indictionib', non ab Olympiadibus, nec a Chriſti natiuitate, ſeu incarnatione, ſed ab ęre, illoq; Auguſti Cæſaris Edicto, vt ſatis patet ex libro conciliorũ, omnibusq; Hiſpanię concilijs ac cęteris veteribus eccleſiaſticis Hiſpanię codicib', hęc cõputatio ſolũ ab Hiſpanis retẽta eſt & obſeruata, vt meminit Guillielmus Durãti in vltimo libro Rationalis diuinorũ officiorũ. Cur autẽ differat hęc cõputatio ab anno incarnationis ſeu ſalutiferi partus annis viginti ſex, dicimus, quod quũ ipſum Edictũ decretũ fuiſſet Tarraconę, & pronunciatum per Auguſtum Cęſarẽ ſextodecimo ſui imperij anno, vel ſaltẽ decimo ſeptimo, videlicet poſt quã annis duodecim imperaſſet cum Antonio, & denuo victo Antonio Romam rediens poſt annum duodecimum, quum fuiſſet cõſalutatus Auguſtus, tranſtuliſſetq; victricia arma in Hiſpaniam, quod bellum aduerſus prędictas quatuor gẽtes quũ intra annos quatuor abſoluiſſet, redẽs Tarraconẽ ipſo ſexto decimo vel ſeptimo decimo imperij ſui anno, non fuit tamen executioni mandatũ vſq; ad quadrageſimum ſecundum ſui imperij annũ. Quoniã quum putaret pacem omnibus ſæculis conſtitutã in emanatione decreti, quã ſecuta hominum ſalus & in terrã venire debuerat, iuxta Eſaię, Dauid, & cęterorum prophetarũ vaticinia. Ob eam Edicti pronuntiationẽ nonnulli populi in Gallia & Germania rebellarunt, ſuſpenſoq; Edicto miſſi ſunt ad illos domandos a Cæſare Tiberius & Druſus, qui poſtquam omnia pacaſſent, Romanoq; imperio ſubegiſſent, anno quadrageſimo ſecundo ſui imperij, quo anno Chriſtus natus eſt, a præſide Syrię Cirino cæteroq; orbe Edictum Tarraconæ decretum executioni mandatum eſt, cuius computationem Hiſpania omnis, non a generali executione per vniuerſum facta, ſed a die decreti facti retinuit. Qua ex cauſa differunt computationes Chriſti incarnationis & partus ſalutiferi ab ipſa æræ computatione ipſis viginti ſex annis, quibus æreæ cõputationis Edictum pręceſſit, & ſi qui plures addunt annos errant vehementer.

FINIS.

A01 1474286


CTA
VIT